CODEX
DIPLOMATICVS
REGNI POLONIÆ
ET
MAGNI DVCATVS LITVANIÆ
TOMVS V.
IN QVO
VT VNIVERSÆ LIVONIÆ,
ITA SPECIATIM
CVRLANDIÆ ET SEMIGALLIÆ DVCATVVM
RES CONTINENTVR.

CODEX
DIPLOMATICVS
REGNI POLONIÆ
ET
MAGNI DVCATVS
LITVANIÆ

IN QVO

PACTA, FOEDERA, TRACTATVS PACIS, MVTVÆ AMICITIÆ, SVBSIDIORVM, INDVCIARVM, COMMERCIORVM

NEC NON

CONVENTIONES, PACTIONES, CONCORDATA, TRANSACTIONES, DECLARATIONES, STATVTA, ORDINATIONES, BVLLÆ, DECRETA, EDICTA, RESCRIPTA, SENTENTIÆ ARBITRALES, INFEVDATIONES, HOMAGIA

PACTA ETIAM

MATRIMONIALIA ET DOTALIA

LITERÆ ITEM

REVERSALES, CONCESSIONVM, LIBERTATIS, IMMVNITATIS, DONATIONVM, OPPIGNORATIONVM, RENVNTIATIONVM, ERECTIONVM, OBLIGATIONVM, VENDITIONVM, EMPTIONVM, PERMVTATIONVM, CESSIONVM, PROTESTATIONVM

ALIAQVE OMNIS GENERIS

PVBLICO NOMINE ACTORVM, ET GESTORVM

MONVMENTA

NVNC PRIMVM

EX ARCHIVIS PVBLICIS ERVTA

AC

IN LVCEM PROTRACTA, REBVS ORDINE CHRONOLOGICO DISPOSITIS, EXHIBENTVR.

TOMVS V.

IN QVO

VT VNIVERSÆ LIVONIÆ, ITA SPECIATIM CVRLANDIÆ ET SEMIGALLIÆ DVCATVVM RES CONTINENTVR.

VILNÆ

Ex Typographia Regia, et Reipvblicæ S. P. MDCCLIX.

91789

SERENISSIMO
REGIO POLONIÆ
PRINCIPI

CAROLO

CVRLANDIÆ
ET
SEMIGALLIÆ
DVCI

DOMINO
LONGE CLEMENTISSIMO
VITAM, SALVTEM, FELICITATEM.

SERENISSIMO

REGIO PRINCIPI

CAROLO

CYRILLANDRÆ

ET

SICILIÆ

DUCI

DOMINO

MEDIOLANENSIUM

PATRI SALUTEM FELICITATEM

SERENISSIME PRINCEPS

Posteaquam Ducatibus Curlandiæ & Semigalliæ, magna, & ad omnem posteritatem memorabili sua felicitate sub TUÆ *jam* SERENITATIS *Imperio, atque Auspiciis esse licuit, nemini congruentius quam* TIBI PRINCEPS SERENISSIME *hæc in unam collecta seriem Monumenta, ut universæ Livoniæ, ita* TUARUM *Ditionum veterem æque, ac præsentem Statum illustrantia, dedicari, & consecrari a me potuerunt. Operam enim Leges huiusmodi, Statuta, Ordinationes, Decreta, & Privilegiorum Jura in se complectentem, eo*

TIBI *gratiorem futuram, certo confidebam, quo libentius ad cæteras animi, mentisque inſtitutiones, præſtantiora illa adiungis ſtudia, quæ civilis prudentiæ, gubernandique rationes in ſe continent.*

Eſt vero Divinum neſcio quid, in TE PRINCEPS SERENISSIME, *omnique ingenii vi, & menſura excelſius, eximiusque, quod* TE *ad magnarum Gentium Imperium natum eſſe demonſtrat. Cumque inſignes Virtutes* TUÆ, *publicæ felicitatis ſpem certiſſimam faciunt, tum ſumma* TUA *adverſus omnes Facilitas, Comitate condita Auctoritas, Affabilitasque ſermonis utriusque Nationis animos* TIBI *mirifice conciliat.*

Jam ut fauſte, feliciter, proſpereque omnia SERENITATI TUÆ *eveniant, nemo meo Ordine maiora vota nuncupat.*

SERENITATIS TVÆ

PRINCEPS OPTIME

Demiſſiſſimus
atque ſubiectiſſimus Servus
MATHIAS DOGIEL
Scholarum Piarum.

PRÆFATIO.

Post varias Livoniæ. cuius Estonia, Lettia, & Curlandia Partes sunt, sub Svecis, & Danis, vicissitudines, VLODOMIRI Regis Polocensium (Tractus Russiæ est, Palatinatum Litvaniæ Polocensem dictum constituens) Imperio hæc Provincia obnoxia fuit (*a*), cum circa Annum 1186. ut Christiana fieret, Meinhardus Segebergensis Canonicus, postea Livonum Episcopus ordinatus, operam navare cœpisset.

Clientelæ huius vinculo brevi post dissoluto, ad Sacra Christianorum, cultumque civilis vitæ traducta, in ditionem, potestatemque Pontificalis Magistratus, & Religiosæ Militiæ, paucis annis interpositis, tota pene concessit. Neque vero parvis momentis tam magnæ, subitæque rerum conversiones factæ sunt. Potior enim Germaniæ pars, ac inprimis fortissima Saxonum Natio magnos in ea ad cognitionem Christi perducenda, debellandaque labores sustinuit. Neque minor caussa, quamobrem hæc facta sunt, in Alberti Canonici Bremensis, quem armatum

(*a*) Accepta igitur licentia præfatus Sacerdos (Meinhardus) a Rege VOLDEMARO de Plosceke, cui Livones adhuc Pagani tributa solvebant, simul & ab eo muneribus receptis, audacter divinum opus aggreditur &c. *Originis Livoniæ Sacræ, & Civilis Edit. Joann. Dan. Gruber*, fol. 3. Item fol. 85. Idem docet Arnoldus Lubec. lib. 7. cap. 9.

Fallitur itaque Joannes Isaacus Pontanus, dum Scriptores Danicos secutus, asserit, Rerum Dan. lib. 6. pag. 290. Livoniam eo tempore VOLDEMARO I. Daniæ Regi subiectam fuisse, eiusque indultu Meinhardum sacello prope Ripam Rubonis, seu Dunæ fluvii extructo Divini Verbi semina in Livonia spargere cæpisse.

Livoniæ Apoſtolum appellant, indole ponenda eſt. Erat enim Vir, cui natura ad omnia ſumma, atque excellentia ingenium armaverat, ad excogitandum acutus, & in explicando, ornando, ac perſvadendo divinus, beneficioque rapacis induſtriæ ardua quæque plus quam pro tempore conficiens, & quo iam nihil providentius, nihil laborioſius, nihil magis ſollicitum dici, fingique poteſt.

Is igitur æque Religioni propagandæ, atq; occupandæ Regioni intentus, cum Claſſe viginti trium navium, delecto milite, omnique bellico apparatu inſtructa in portum Dunæ ingreſſus, amplificandæ in Livonia Religionis Chriſtianæ initium poſuit. Hanc expeditionem ſecutæ ſunt infinitæ aliæ, eius perſvaſu, & inductu coaleſcentium in ſocietatem Sacri belli Cruce ſignatorum Militum contra Gentem Livonum profectiones: Tum ut perpetua in obſequio haberentur arma, Ordo Gladiferorum, ſeu Fratrum Militiæ Chriſti ab eodem inſtitutus eſt. Hoc modo dum Albertus deſtinatis fortiter inſiſtit, expugnantur Caſtra, occupantur Regiones, augentur Clientelæ, (*b*) inſtituuntur Judicia, nova ordinatur Respublica, atque horrida paganæ nuper Livoniæ facies ad humanitatem componitur. Quamvis vero pro rationibus illorum temporum nihil inſtitutione Ordinis Gladiferorum videretur eſſe conſultius, magnaque inde eius Conditor rebus ſuis adminicula promitteret, minime tamen ad ſpem reſpondit eventus. Facta enim Ditionum, Juris, Imperiique partitione, controverſiarum, æmulationumque iacta ſunt ſemina, quæ Gladiferis ex Pacto ſubiectionis Ordini Theutonico ſe incorporantibus, firmiores indies radices egerunt. Inſolens Religioſorum Militum caterva omnia in ſui juris prærogativam inſana etiam pertrahebat conſequentia, lite vel maxime, atque judicio bona ſua repetebat, perſequebaturque Pars altera. Hinc æterna illis odia, omnia turbulenta, & litigioſa tempora, ſimultates, offenſiones, diſſidia, & poſt tot inteſtinos motus conflatum bellum, quod ſub SIGISMUNDO AUGUSTO Rege Poloniæ, ſublato Ordine Teuthonico in Livonia, & paulo poſt abrogato etiam Archiepiſcopatu Rigenſi, utrique tandem interitum attulit. Hæc ſtrictim attigiſſe ſuffecerit, ipſa enim Monumentorum ſeries, quæ in hoc Tomo exponitur, rem luculentius enarrat. Jam-

---

(*b*) Magnificentius nunquam apparuit ALBERTUS, quam cum Regi de Berzika, quem ad præſtandum ſibi fidelitatis iusiurandum adegerat, Vexillorum pompa adhibita oblatum Feudum porrigeret. Vide *Inſtrumentum* Num. II. Viſcevolodo iſte in Samogitia, ut ex coniecturis colligere licet, & circum vicinis locis late dominabatur. Eius urbs principalis Berzika ad Dunam fluvium. Habuit Vxorem Filiam Dangerute Ducis Litvaniæ, & ob hoc Matrimonium ſucceſſit in Ducatu Gentis Litvanicæ Duci Svelogato. In Originali diſtincte habetur *Berzika*, non *Gercike*, unde recte admonet Joann. Dan. Gruber fol. 26. in notis: *Literæ* G. & B. *maiusculæ in ſcriptis ſuperiorum temporum tam ſunt ſibi ſimiles, ut in nominibus propriis, vel ſemel occurrentibus, neſcias fere, utram eligas. Librarium meum hic hæſitaſſe video, quia literæ* B. *quam ante poſuerat, inſcripſit, vel potius ſuperſcripſit maiusculum* G. *male, putes: cum Provincia, aut Vrbs nulla occurrat in vicinia Livoniæ, quæ ad Gercike alludat; contra, ſi Bercike legas, Vrbem Samogitiæ habes* Birze *patrimonium Principum Radiviliorum.*

PRÆFATIO.

Jam quod ad Regiminis, durante hac periodo, formulam attinet, Livoniam cum ſumma rerum partim penes Magnum Ordinis Theutonici Magiſtrum, partim penes Archiepiſcopum Rigenſem, aliosque eius Provinciæ Epiſcopos eſſet, ſub Pontificii juris nexu fuiſſe, nemo prudens, qui hæc noſtra Documenta legerit, inficiabitur. Neque enim ſumma poteſtas dici poteſt, quæ ſuperioris arbitrio reſtringitur, & a qua ad eminentius Dominium datur recurſus. Quodſi facta litis conteſtatione cum de aliis cauſſis, tum præcipue de reſtitutione Civitatis Rigenſis, non ſemper Religioſa illa Militia Sedi Apoſtolicæ dicto audiens erat, id ad ſuperbiam, arrogantiamque inflati opibus Ordinis referendum eſt.

Ea porro, quæ ad explicandum Jus, quod Imperium in Livoniam olim habuit, a plerisque afferuntur, partim vaga, & affectata, partim multis tricis impedita ſunt. Obtinuerat quidem Albertus III. Livonum Epiſcopus ab HENRICO Romanorum Rege ſecularem in ſuo Epiſcopatu iurisdictionem, (*c*) & Regalium Jura, ſimileque Privilegium ab eodem HENRICO datum eſſe perhibetur Hermanno I. Derpatenſium Epiſcopo, quid tamen Romanorum Rex in Livonia nunquam ſibi ſubiecta diſponere potuerit, Oedipo Coniectore opus eſt. Jam vero poſteriore etiam tempore Jus Pontificium in Regiones, quæ a gentilibus evincebantur, viguiſſe, ſatis notum, perſpectumque eſt. (*d*)

Quamquam vero Heningus Archiepiſcopus Rigenſis An. 1426. vinculo feudali ſe per Procuratores ſuos SIGISMUNDO Romanorum Regi obſtrinxerit, Confirmationes tamen Pactionum, quæ de exercitio Regalium, & Actuum Superioritatis Territorialis inter Archiepiſcopum Rigenſem, & Ordinem Theutonicum in Livonia fiebant, non ab Imperatore, ſed a Sede Apoſtolica, ut robur ſuum haberent, expetebantur. (*e*)

Romanis enim Pontificibus immediate, ut aiunt, hæc Provincia ſubjecta erat, hinc in ea contra Moſchos protegenda, defendendaque INNOCENTIUS VIII. vehementius ſtudium collocaverat. (*f*)

Sed nec Ordinis Theutonici in Livonia Terras Feudum Imperii fuiſſe liquido demonſtrari poteſt. Poſt An. enim 1500. præſtiti Homagii, & fidelitatis, ſubiectionisque juramenti veſtigium nuſquam offendimus. Ante Annum autem 1500. Inveſtituram illarum Terrarum non fuiſſe petitam,

(*c*) Originale huius Privilegii reperitur in Tabulario Reipubl. quod aſſervatur in Arce Cracovienſi : Tranſumptum eius exemplar vide fol. 170.

(*d*) Bulla ALEXANDRI Papæ VI. qua FERDINANDO, & ELISABETHÆ Regi, & Reginæ Caſtellæ, & Arragoniæ concedit Jus in novum Orbem cum deſignatione limitum per ductum certi Meridiani. Dat. Romæ IV. Non. Maii. Anno 1493. Pontificatus Anno primo. Vide plura huiusmodi in Diſſertatione quæ præmittitur Tomo IV.

(*e*) Vide fol. 136. ad Annum 1454.

(*f*) Literæ INNOCENTII VIII. PP. ad JOANNEM Principem Moſchoviæ, ut bello contra Livoniam Sedi Apoſtolicæ immediate ſubiectam abſtineat. Dat. Romæ die 21. Maii, An. 1485. Pontificatus Anno I. Vide Supplementum Tomi V. ad Annum 1485.

titam, patet ex Receſſu Imperii, Aug. eiusdem Anni, cuius Articulum ſubiungimus: *Porro decretum eſt, quoniam Ordo Theutonicus tantummodo a Germanis, & pro Germanis fundatus eſt, ac ad Imperium Romanum pertinet, iuſtum quidem eſſe, ut ab Imperio defendatur, viciſſim tamen æquitatem poſtulare, ut Magnus Magiſter in Livonia, ut & Ordo Terras, quas in Boruſſia, & Livonia tenent, a Nobis, & Sacro Imperio, perinde ac alii Principes, recognoſcant, Regaliaque ſua accipiant: Proinde Legatos ſuos pleno Mandato inſtructos ad Regimentum Imperii mittere debent, ut & gravamina, deſideriaque mittentium exponant, & Nos, ac Imperium per collationem Inveſtituræ recognoſcant.* Ex quo Receſſu illud etiam colligere licet, Imperatorem, & Ordines rerum Livoniæ ignaros fuiſſe. Eo enim tempore Provincialis, non Magnus in Livonia erat Magiſter, Magnoque in Pruſſia Magiſtro more Anteceſſorum ſuorum ſubjiciebatur, donec Walterus Plettenbergius Anno 1521. (*g*) ſoluta Alberto Supremo Magiſtro ingenti pecuniæ ſumma, a ſubiectione, qua Magiſtri Provinciales Livoniæ ab Anno 1238. Supremo in Pruſſia Magiſtro adſtricti erant, liberatus fuerit. Hunc igitur Magnum in Livonia Magiſtrum Imperator, & Status tanto ante compellant, Magiſtratumque, qui in rerum natura non exſtabat, ad Homagium ſibi præſtandum obligant.

Ex hoc vero argumento, quod Livoniæ ſubditi ad Tribunalia Imperii, plerumque vocabantur, nihil certi concludi poteſt. Civitates enim Majores Pruſſiæ interdum etiam ad Cameram Imperialem vocatæ erant, ex hac tamen conſecutione nemo prudens inferet, eas aliquando Imperii Membrum fuiſſe. Non diffitemur equidem haberi exempla nexus Livoniæ cum Imperio, unde Kettlerus, quod Princeps Imperii Romano-Germanici eſſet, & locum ante omnes Sæculares Marchiones Landgravios, & Duces haberet, eam Sacri Romani Imperii Provinciam appellat. (*h*) Debilis tamen, & male cohærens remotiſſimæ Provinciæ illa cum Imperio erat conjunctio, neque ſemper Livones Maieſtatem Cæſaris comiter conſervarunt. (*i*) Itaque cum ingentes ſumptus in illius tuitionem impendendi eſſent, neque vero ea res magnos uſus afferre poſſe videbatur, in extremo diſcrimine ab Imperio derelicta, armis vero Polonæ Reipublicæ e faucibus atrociſſimi belli erepta, in ditionem, poteſtatemque ejusdem redacta eſt.

Ina-

(*g*) Diploma ALBERTI &c. fol. 182. Num. CI.

(*h*) Fol. 228. Num. CXXXIII.

(*i*) Thuanus Hiſtoriar. Lib. 21. teſtatur, Rigenſes, cum eis CAROLUS V. Proſcriptionem, ſi exercitium Religionis Romano-Catholicæ abolere tentarent, minatus eſſet, vulgo dixiſſe: priusquam Cæſar in Livoniam adveniſſet, Equitatum eius laſſum, ac fatigatum fore, ac ſi magno cum exercitu veniret eum fame, & inedia conſumptum iri, ſi cum exiguis viribus, facile vinci poſſe.

PRÆFATIO.

Inanibus prorſus argumentis nitebantur aſſertiones Svecorum, cum jus in Livoniam, quod eos Anno 1561. quo Pacta Subjectionis a Gotthardo Kettlero cum SIGISMUNDO AUGUSTO Rege Poloniæ inita ſunt, neſcio quo fato latebat, Anno demum 1585. (*k*) nec non tempore Tractatus Olivenſis prætenderent: quod nimirum a CAROLO V. Ordini Livonico mandatum eſſet, ut a Rege GUSTAVO auxilium peteret: quod a FERDINANDO Imperatore ad eundem, atque ad ERICUM, tum a MAXIMILIANO ad JOANNEM datæ eſſent Literæ, in quibus Livoniæ contra Moſchos defenſionem eis commendant. Jam cum Literæ illæ non ad Sveciæ Reges ſolum, ſed etiam ad Stetinenſes, & Magnopolenſes Duces directæ fuerint, mirabitur fortaſſe aliquis, eos ſimile in Livoniam jus obtendere neglexiſſe, maxime cum æque ac Sveci nulla periclitanti huic Provinciæ auxilia tulerint. Porro fidenter nimis non exploratis Reipublicæ Monumentis in eadem JOANNIS III. Regis Sveciæ Inſtructione, ut vocant, concluditur: *Poloni vero nihil contra hæc pro ſe afferre poſſunt &c.* Plures enim ejusmodi Literæ, ut in hac Collectione videre licet, ab Imperatoribus ad Reges Poloniæ ſcriptæ ſunt. Sed his rationum, documentorumque momentis Svecico, non Polonico in Livoniam juri opus eſt.

(*k*) Inſtructio a JOANNE III. Sveciæ Rege Anno 1585. Legatis ſuis data, dum inter ipſum, & Regem Poloniæ, de Pace componenda agendum eſſet.

Si mentionem de ſuo iure in Livoniam fecerint Legati Polonici: reſpondebunt illis Legati noſtri, ſe mirari quo Pacto, quibusve rationibus in eam Provinciam ſibi ius eſſe prætendant Poloni, cuius directum Dominium nunquam habuerunt, quæque tota, & integra, neque huic Regi, neque eius Anteceſſoribus unquam paruit. Atque ſi allegaverint ceſſionem ſibi factam a Magiſtro Ordinis Livonici, nunc Duce Curlandiæ, reponent illis Legati noſtri: non licere Vaſallo ſine Conſenſu Domini Superioris Feudum quocunque modo abalienare. Romani autem Imperii conſenſum cum non habuerit Ordinis tunc temporis Magiſter, imo nec eorum omnium, quorum intererat, ipſique ſubditorum, Nosque in contrarium Literis planum facere poſſimus, a CAROLO V. Imperatore Ordini Livonico ſpeciatim mandatum eſſe, ut a Sereniſſimo quondam Rege GUSTAVO Domino Patre noſtro cariſſimo inclytæ, & laudabilis memoriæ auxilium peterent, ſimulque Literas habeamus a FERDINANDO Imperatore etiam ad dictum Sereniſſimum Patrem noſtrum, atque etiam ad Fratrem noſtrum ERICUM quondam Regem, itemque MAXIMILIANI Imperatoris ad Nos, in quibus Livoniam, ut ab Imperio Romano nimis diſtantem Provinciam ipſis, Nobisque diligentiſſime commendant, orantque ne eam a Moſcho diripi, atque opprimi patiamur. Poloni vero nihil contra hæc pro ſe afferre poſſint, quod re vera aliquam veri iuris ſpeciem habeat, demonſtrabunt illis Legati noſtri, neque potuiſſe, neque licuiſſe Magiſtro Ordinis, quod ſuum non erat, in alios conferre, ipſosque Polonos iniuſte, & contra omne fas agere, qui non ſolum eius Provinciæ Jus ſibi arrogent, quod non habeant, ſed etiam obliti tot beneficiorum noſtrorum, publico conſenſu Regis ſui nomine binas Legationes ad Nos miſerint, ea cum diminutione exiſtimationis, tituli, & Maieſtatis noſtræ petitum, quæ neque ipſi, neque Maiores eorum unquam poſſederunt. In qua quidem poſtulatione, quam impudentibus, & abſurdis argumentis uſus ſit Varſevicius Legatus, dum ſe belle admodum perorare putat, vel ex eo patet, quod cum hoſtem Moſchum ceſſiſſe ſuo Regi, quicquid in Livonia poſſidebat, affirmet, exiſtimet id multo magis a Nobis, ut ab amico, & affine fieri debere. Egregiam vero amicitiam, quæ ab hoſtilitate nulla in re differt, quaſi vero eandem pœnam Viri boni, & innocentes ſubire debeant, qua malefici homines plexi ſunt. Debere Polonos potius cogitare, niſi Nos Livoniæ protectionem mature ſuſcepiſſemus, de ea litigaturos Nobiscum iam non fuiſſe, imo tota illa Provincia a Moſcho occupata, de Litvania etiam periclitaturos fuiſſe.

Eiusdem notæ argumenta continet Narratio de ſatis Livoniæ exhibita a Legatis Sveticis in Tractatu Olivenſi. Vide Supplementum Tomi V. ad Annum 1660.

PRÆFATIO.

Recuperandæ huic Provinciæ ſecundum fidem Pactorum Conventorum, cum a Svecis Pax Olivenſis violata eſſet, (*l*) animum adjecerat immortalis memoriæ D. AUGUSTUS II. Tum facta armorum cum PETRO I Czaro Ruſſorum conjunctione, An. 1704. ſolenne Fœdus ſuo, & Reipublicæ Nomine cum eo percuſſit, ea Lege, ut Livonia a Svecis evincenda poſtliminio ad Regnum Poloniæ rediret. (*m*) Hæc Pactorum conditio ut tandem executioni mandaretur, Legatione per Conſtitutionem An. 1718. decreta, expoſtulatum a Republica eſt. Promiſſis, & Conventis ſtare ſe velle reſpondit PETRUS I. Czarus Ruſſorum, fidemque ſuam jurejurando obligatam ſe præſtiturum, & liberaturum ſancte promiſit, cujus rei teſtes ſunt ejus Literæ ad Rempublicam per Illuſtriſſimum D. Stanislaum Chomentowſki Palatinum Maſoviæ, Magnum cum plena poteſtate Legatum Anno 1719. datæ, quæ in Metrica Majore Regni aſſervantur.

Jam ut de Monumentis ad Livoniam ſpectantibus, quæ hoc Tomo continentur, aliquid innuamus: Diplomata, aliaque Inſtrumenta, quæ Gotthardus Kettlerus Livoniæ Magiſter, abdicato Ordine, Anno 1562. Nicolao Principi Radivilio Locumtenenti Regio, ſimul cum Inſignibus praeteriti muneris tradidit, in Arce Cracovienſi conſervantur. Harum itaque Literarum Exemplaria ſumma fide confecimus. Rigenſium Præſulum Tabularium in Arcis Kokenhauſanæ expugnatione flammis abſumptum eſt.

Poſterioris temporis Inſtrumenta ex Archivo Regni, & M. D. Litvaniæ, nec non ex Archivo Nieśviſienſi Principum Radiviliorum, atque ex celeberrimo Tabulario Illuſtriſſimi Comitis Joſephi Załuſki, in præſens Epiſcopi Kijovienſis congeſſimus, & nonnullis in Supplementum repoſitis, hanc Rerum Livonicarum ſeriem adornavimus.

Cætera quæ in Collectaneis noſtris habentur, ut ſimili Editione, minore vero mora, ac impedimento, in lucem prodeant, quantum maxime poterimus, ſi vita ſuperſtes, adnitemur.

(*l*) Juſtæ Vindiciæ &c. Vide fol. 477. ad Annum 1700.
(*m*) Vide fol. 477. ad Annum 1704.

PRI-

PRIVILEGIVM.

AUGUSTUS III. DEI Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Kiioviæ, Volhyniæ, Podoliæ, Podlachiæ, Livoniæ, Smolenſciæ, Severiæ, Czerniechoviæque, nec non Hæreditarius Dux Saxoniæ, & Princeps Elector.

Significamus præſentibus Literis Noſtris, quorum intereſt Univerſis, & Singulis. Omnes quidem bonarum Artium, Literarumque cultores, præſertim vero eos, quorum ſtudia ad publicam Patriæ utilitatem collimant, ſingulari complectimur benevolentia. Cum igitur cura, & labore Religioſorum Scholarum Piarum præparetur luci publicæ Codex Diplomaticus Regni Poloniæ, ſeu Collectio omnium Tractatuum Regni cum Exteris: decere bonitatem, & æquitatem Noſtram duximus: ut intentionem, & induſtriam Authoris egregiam, Opusque ipſum pro uſu, & commodo publico non utile duntaxat, verum & maxime neceſſarium, diſerto Gratiæ, & Benevolentiæ Noſtræ proſequeremur teſtimonio: illudque Typis publicis quantocius mandari non modo libenter concederemus, ſed quod Rei præſtantia a Nobis expoſcit, etiam optaremus; Prout quidem proſequimur, concedimus, atque optamus præſentibus Literis Noſtris. Edicentes, atque prohibentes, ne quispiam alius, qui non ſit ex prælibato Scholarum Piarum Inſtituto, Opus ſimilis Argumenti, & Materiæ, idque ſive in toto, ſive in parte, Typis publicis excudere audeat, tam in Regno Poloniæ, & Magno Ducatu Litvaniæ, annexisque Provinciis, quam in reliquis Dominiis, & Ditionibus Noſtris Hæreditariis, ſub mulcta mille Aureorum Hungaricalium, cæterisque pœnis, contra convulſores Mandatorum Noſtrorum Lege publica ſancitis. Quod omnibus, quorum intereſt, præſertim vero ordinariis Librorum Cenſoribus, & Typographis ad notitiam deducentes, mandamus, quatenus præmiſſa & ipſi obſervent, & ab aliis obſervari faciant. ſub pœnis ſimilibus contra ſe extendendis, & pro Gratia Noſtra Regia. In quorum fidem Præſentes Manu Noſtra ſubſcriptas, Sigillo Regni communiri juſſimus. Dat. Varſaviæ die X. Menſis Decembris An. Domini MDCCLIV. Regni vero Noſtri XXII. Anno.

AUGUSTUS Rex.

JOANNES KLOSSOWSKI *Canonicus Cathedralis Premislienſis, Sacræ Regiæ Maieſtatis Sigilli Regni Secretarius mpp.*

ATTESTATIO ILLUSTR. DD. COMMISSARIORUM.

Nos infraſcripti teſtatum eſſe volumus, quod, cum apertio Archivi Regni vigore Reſultatorum Senatus Conſiliorum Cracoviæ ſubſecuta eſſet, & A. R. P. Mathias Dogiel copiam Inſtrumentorum Originalium ſibi factam haberet, Exemplaria eorundem Inſtrumentorum Originalium ſumma fide confecit, Nobisque præſentibus eadem Exemplaria cum ſuis Originalibus diligentiſſime, ſummaque fide contulit, quibus Exemplaribus, quod eadem fides, ac ipſis Monumentis Originalibus haberi debeat, præſens teſtimonium manibus noſtris ſubſcripſimus, & Sigillis noſtris munivimus. Dat. Cracoviæ die 4. Octobr. 1755.

Georgius Antonius Mieroſzewſki Canon. Cath. Crac. Cuſtos Coron. Reg. mpp. (L.S.)

Petrus Cœleſtinus de Roxyce Zapolſki Tribunus Terræ Cernenſis, Caſtrenſis Ravenſis, ac Supremus Theſauri Notarius, ab Illuſtriſſimo Magnifico Supremo Regni Theſaurario delegatus. mpp. (L.S.)

Mathias Franciſcus in Boguty Bogucki Vice-Notarius Juratus Caſtrenſis Cracovienſis, ab Illuſtriſſimo Magnifico Vexillifero Regni, Capitaneo Cracovienſi, ad hunc Actum delegatus. (L.S.)

APPRO-

CODEX DIPLOMATICVS REGNI POLONIAE ET MAGNI DVCATVS LITVANIAE.

LIVONIA.

I.

AD ann. 1199. *Epiſtola* INNOCENTII III. *Papæ, qua Saxones, & Weſtfalos hortatur, ut Livonienſem Epiſcopum, Clerum, & Eccleſiam contra Paganos defendant.* *

Vniverſis Chriſti Fidelibus in Saxonia, & Weſtfalia conſtitutis.

Sicut Eccleſiaſticæ læſionis cenſura compelli non patitur ad credendum invitos, ſic ſponte credentibus Apoſtolica Sedes, quæ Mater eſt omnium generalis, munimen ſuæ protectionis indulget, & Fideles ad defenſionem eorum ſalubribus monitis exhortatur, ne ſi nuper converſis negatum fuerit defenſionis auxilium, vel in primos revertantur errores, vel eos ſaltem pœniteat credidiſſe. Accepimus enim, quod, cum bonæ memoriæ M. (Meinhardus) Epiſcopus Livonienſis fuiſſet Provinciam Livonienſem ingreſſus, in verbo Domini laxans prædicationis ſuæ retia in capturam, inter Populos Barbaros, qui honorem DEO debitum, animalibus, brutis, arboribus frondoſis, aquis liquidis, virentibus herbis, & ſpiritibus immundis impendunt, usque adeo Domino concedente profecit, ut multos a ſuis erroribus revocatos ad agnitionem perduceret veritatis, & ſacri Baptiſmatis unda renatos doctrinis ſalutaribus informaret. Verum inimicus homo, qui tanquam leo rugiens circuit quærens, quem devoret, invidens converſioni eorum pariter & ſaluti, perſecutionem Paganorum circumadiacentium in eos iniquis ſuggeſtionibus excitavit, cupientium eos delere de terra, & de partibus illis Chriſtiani nominis memoriam abolere. Ne igitur noſtræ negligentiæ valeat imputari, ſi hi, qui iam crediderunt, retro cogantur abire, nec præſumant aliqui Fidem noſtram recipe- AD ann. 1199.

* Epiſt. INNOCENTII III. Edit. Baluz. Tom. 1. Fol. 460.

AD ann. 1199. recipere, ſi illi, qui iam receperunt, a Paganorum incurſibus remanſerint indefenſi, univerſitatem veſtram monemus, & exhortamur attentius, in remiſſionem vobis peccaminum iniungentes, quatenus, niſi Pagani circa Livonienſem Eccleſiam conſtituti cum Chriſtianis treugas inire voluerint, & initas conſervarint ad defenſionem Chriſtianorum, qui ſunt in partibus illis, potenter, & viriliter in nomine Dei exercituum aſſurgatis. Nos autem omnibus de partibus veſtris, qui Sanctorum limina viſitare voverunt, præſentium auctoritate concedimus, ut in voti commutatione emiſſi in defenſionem Livonienſis Eccleſiæ ad partes illas, pro reverentia nominis Chriſtiani procedant. Omnes ſiquidem, qui ad defendendam Livonienſem Eccleſiam, & Chriſtianos in illis partibus conſtitutos zelo ſuccenſi duxerint tranſeundum, ſub B. Petri, & noſtra protectione ſuſcipimus, & eis Apoſtolici beneficii patrocinium impertimur. Dat. Laterani III. Nonas Octobris.

II.

ANNO 1209. *Literæ* ALBERTI *Rigenſis Epiſcopi, quibus teſtatur* WISCEWOLODUM *Regem de Berzika Rigam veniſſe, eandemque Vrbem ſuam Berzika cum territorio, ac præterea Autinam, & Zeeſſowe, aliasque Civitates Eccleſiæ B. M. V. donaſſe, & acceptis tribus vexillis, eadem bona ſua ab Epiſcopo poſt præſtitum ei fidelitatis Juramentum, in feudum recepiſſe. Ex Originali.*

In Nomine Sanctæ, & individuæ Trinitatis Amen.

ALBERTUS Dei Gratia Rigenſis Epiſcopus, humilis Gentium in fide Miniſter: Vt eorum, quorum neceſſe eſt memoriam habere perennem, nulla cum tempore ſuccedat oblivio, provida modernorum diligentia cum literarum teſtimonio ſalubriter novit procurare. Itaque, quæ noſtris geſta ſunt temporibus, ad poſterorum transmittentes notitiam, ſignificamus Univerſis, tam futuris, quam præſentibus in Chriſto fidelibus, qualiter larga Dei miſericordia novellam adhuc Livonienſis Eccleſiæ plantationem erigens, in erigendo promovens, WISCEWOLODO Regem de Berzika nobis fecit ſubiugari. Quippe Rigam veniens præſentibus quam pluribus Nobilibus, Clericis, Militibus, Mercatoribus, Teutonicis, Ruthenis, & Livonibus, Vrbem Berzika hæreditario iure ſi- ANNO bi pertinentem, cum terra, & univerſis 1209. bonis eidem vrbi attinentibus, Eccleſiæ Beatæ Dei Genitricis, & Virginis Mariæ legitima donatione contradidit, eos vero, qui ſibi tributarii fidem a nobis ſuſceperant, liberos cum tributo, & terra ipſarum nobis reſignavit, ſcilicet Vrbem Autinam, Zeeſſowe, & alias ad fidem converſas, deinde præſtito nobis hominio, & fidei Sacramento, prædictam urbem cum terra, & bonis attinentibus a manu noſtra ſolempniter cum tribus vexillis in beneficio recepit. Teſtes huius Rei ſunt: Joannes Præpoſitus Rigenſis Eccleſiæ, cum ſuis Canonicis, Comes Ludolphus de Halremunt, Comes Theodoricus de Werhe, Comes Henricus de Slade, Walther de Ameſlewe, Theodoricus de Adenvis, milites Xſti; Volquitus cum ſuis Fratribus, Rodolphus de Jericho, Albertus de Aldenvlet, Henricus de Blandebock, Hildebertus de Vemunde, Lambertus de Lunenbuch, Theodoricus de Volphem, Verlacus de Doln, Irad de Ikeſcole, Philippus Advocatus de Riga, cum ſuis Civibus, & alii quam plures. Acta ſunt hæc Anno Dominicæ Incarnationis MCCIX. in Cæmeterio Beati Petri in Riga, præſidente Apoſtolicæ Sedi Papa Innocentio tertio, regnante glorioſiſſimo Romanorum Imperatore Ottone. Pontificatus noſtri Anno undecimo.

III.

Conventio inter ALBERTUM *Rigenſem Epiſcopum, & Fratres Militiæ Chriſti de Terra Tolowe.* Sine dato. *Ex Originali Sigilla 3.*

In Nomine Domini Amen.

ALBERTUS Dei Gratia Rigenſis Epiſcopus cunctis Chriſti Fidelibus in perpetuum notum eſſe volumus, præſentibus, & futuris, quod Terram, quæ Tolowa dicitur, ſecundum ordinationem Domini Papæ inter Nos, ac Fratres Militiæ Chriſti ſuper Livonia, ac Lettia factam cum eisdem Fratribus de prudentium Virorum conſilio ſic diviſimus; Villam apud Viwam fluvium ſitam, terminos poſſeſſionum Viri, qui Rameke dicitur, & quidquid in poſſeſſione noſtra ante hanc diviſionem habuimus, usque Aſtyerewe cum Eccleſiis, decimis, & omni temporali proventu tenebuntur Jurisdictione Civili. Pro ſorte vero duarum portionum cum omni iure hæc nos contingent: Gibbe, Jovnare, Jere, Ale, Zlawka,

Anno Zlawka, Saweke, Unevele, Turegale, Oſetſene, Culbana, Jarva, Prebalge. Si quas etiam piſcationes, arbores, prata, aut agros infra prædictos terminos hactenus dicti Fratres emptione, vel donatione habuerunt, deinceps noſtra erunt. Similiter ſi quid habuimus in ſorte eorum, ipſis libere pertinebit. Cæterum præter hæc, Terra, quæ Agzele dicitur, prædicto modo ipſis pertinebit, remanentibus nobis reſpectu eiusdem Terræ, Berezne, Poznawe, Abelen, & Abrene. Ne quis autem in poſterum huic noſtræ diviſioni auſu temerario contraire præſumat, factum noſtrum Literis mandari fecimus, & ſigillis communiri, ſubſcriptis nominibus eorum, qui præſentes fuerunt, cum hæc fierent. Venerabilis Frater noſter Hermanus Leolenſis Epiſcopus, Joannes Præpoſitus Maioris Eccleſiæ in Riga, Ocilites Barvel de Linewarde, Koniridus de Ikeſcole, Joannes de Dolen, Joannes de Vikkeshovede, Engelbrus de Riſenhuſers famulus noſter, Engelbertus, & alii quam plures.

IV.

1211. Innocentii III. *Papæ Confirmatio Compoſitionis inter* Albertum *Rigenſem Epiſcopum, & Volquinum Magiſtrum, & Fratres Militiæ Chriſti de poſſeſſionibus in Livonia factæ. Ex Archivo Regni.*

Innocentius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilecto Fratri Alberto Rigenſi Epiſcopo ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Cum inter te, ac Fratres Militiæ Chriſti ſuper ſorte Terrarum, quæ per gratiam ſancti Spiritus nuper ſunt ad cultum fidei Chriſtianæ converſæ, ſub examine noſtro controverſia verteretur, mediantibus demum Nobis ad hanc concordiam deveniſtis, ut videlicet ipſi Fratres tertiam partem earundem Terrarum, Lettiæ ſcilicet, ac Livoniæ teneant a Rigenſi Epiſcopo, nullum ſibi ex ea temporale ſervitium præſtituri, niſi quod ad defenſionem Eccleſiæ, ac Provinciæ perpetuo contra Paganos intendent: verum Magiſter eorum, qui pro tempore fuerit, obedientiam ſemper Rigenſi Epiſcopo repromittet, ſed Fratres, aut Clerici, qui eis ſpiritualia miniſtrabunt, nec decimas, nec primitias, nec oblationes, nec cathedraticum ei ſolvent: Coloni vero prædictæ ſortis de parte proventuum ad ipſos ſpectante decimas Eccleſiis ſuis reddent, de quibus quarta pars eidem Epiſcopo perſolvetur, niſi hoc idem Epiſcopus inſpecta neceſſaria, & rationabili cauſa ſponte duxerit remittendum; ipſi autem Fratres, & Succeſſores eorum ius habebunt ad præfatas Eccleſias, cum vacaverint, Rigenſi Epiſcopo perſonas idoneas præſentandi, quas ipſe de cura inveſtire non differet animarum. Cæterum cum tu, ac tuorum quilibet Succeſſorum, ipſos duxeritis viſitandos in domo ſua, cum viginti evectionibus ſemel vos procurabunt in anno; in plebatibus autem ſuis bis in anno vos exhibere curabunt. De Terris vero, quas a modo extra Livoniam, ſeu Lettiam cum auxilio Dei dicti Fratres acquirent, Rigenſi Epiſcopo minime reſpondebunt; nec ipſe de illis eos aliquatenus moleſtabit; ſed cum Epiſcopis creandis ibidem quoquo rationabili modo component, vel obſervabunt, quod Apoſtolica Sedes ſuper hoc providerit ſtatuendum. Regulam quoque Fratrum Militiæ Templi ſervantes, aliud in habitu ſignum præferent, ut oſtendant ſe illis nequaquam eſſe ſubiectos. Sepulturam quoque ad opus Fratrum, & familiæ ſuæ, nec non etiam & eorum, qui apud ipſos elegerint ſepeliri, liberam prædicti Fratres habebunt, ſalva canonica portione ipſarum Eccleſiarum, a quibus aſſumuntur corpora mortuorum. Nos igitur Compoſitionem approbantes, eandem ipſam auctoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Datum Laterani XIII. Calend. Novembris. Pontificatus noſtri Anno tertio decimo. Anno 1210.

V.

Diviſio Lettiæ inter Epiſcopum Rigenſem, & Fratres Militiæ Chriſti. Ex Originali. Sigill. 4. 1213.

B. Palbnenſis, J. Vdns, Ph. Raceburgen. C. Lealen. Epiſcopi. J. Præpoſitus Maioris Eccleſiæ in Riga. O. Abbas in Dun. cunctis Fidelibus in perpetuum. Cum in eo conveniſſent Milites Chriſti, ac Reverendi Domini Fratres, ac Procuratores Venerabilis Fratris noſtri A. Rigenſis Epiſcopi, ut terra, quæ Lettia dicitur, tripartita ſorte divideretur, placuit ſcripto harum trium cartarum tres terræ partes æquales diſtingui. Et datis hincinde cartulis, per manum cuiusdam illiterati, quidquid uni, vel alteri parti pro ſorte accideret, ratum habere, duæ itaque cartulæ parti Domini Epiſcopi aſſignatæ fuerunt, in quarum una continebatur Caſtrum Aſ-

Anno 1213. zute, Caſtrum Lepene, & Villæ in confinio Bebnine quondam pertinentes Regi in Berzeke, cum omnibus ſingulorum pertinentiis: in altera continebantur Caſtra Aucenice, Alene cum ſuis attinentiis, Militibus Chriſti pro tertia parte ipſos contingente, una cartula aſſignata eſt, in qua continebantur Caſtra Zerdene, Rheyeſte, Seſſove cum ſuis attinentiis. De ſorte vero Epiſcopi Caſtrum Alene ſorti Militum Chriſti adſcriptum eſt in recompenſationem duarum Villarum, quas eis debebat Epiſcopus. Nos ergo, quod coram nobis eſt geſtum, Literis mandari fecimus, & Sigillis noſtris communiri. Præſentes fuerunt, cum hæc fierent, Alebrandus Sacerdos, Rudolphus Canonicus in Soſſad, Henricus Sacerdos de Lon, Helmoldus de Pleſſe, Conradus de Vardenberge, Nicolaus de Bnina, Egechardus Schakke, Seyebandus de Luneba, Wridolphus miles, Frethericus de Bodenthke, & alii quam plures.

VI.

Immutatio diviſionis poſſeſſionum in Livonia inter Albertum *Epiſcopum Rigenſem, & Fratres Militiæ Chriſti. Ex Originali.*

In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen.

Ego Albertus Dei dignatione Livonum Epiſcopus, & in fide Miniſter humilis, univerſæ Fidelium ſocietati Chriſto conſociari: bonæ fidei contractus, & amicabiles conventiones, quæ a fidelibus provide diſponuntur, ut ad poſterorum notitiam transferantur, neceſſe eſt ſua firmitate muniri. Proinde tam præſentibus, quam futuris notum facimus, quod inter nos, & dilectos filios noſtros Milites Chriſti, a Venerabilibus Dominis Patherburnenſe, Verdenſe, Raceburgenſe factam diviſionem Caſtrorum, & prædiorum prius nobis communium, ſaniore conſilio placuit immutari, ea videlicet ratione, quia rerum communio plerumque materiam præbet ſeditioni. Decretum eſt igitur, ut Caſtrum noſtrum Autine, Dunovia, etiam noſtram, quam in decima Aſcharad habebamus, & duas Villas Sedgere dictis Militibus Chriſti dimitteremus, Caſtro Alenenſi, quod prius habebant, ab eis retento. Ceſſit autem nobis Caſtrum Rocanois, Berdine, Egeſte, Marxne, Theſſove cum his, quæ infra ea, & Ceuſtam fluvium, & Dunam continentur, & ut hæc Ordinatio nulla vetuſtate labatur, ipſam conſcribi, & Sigilli noſtri fecimus annotatione firmari. Teſtes Dominus Ph. Raceburgenſis Epiſcopus, Burchardus Halunſtadenſis maior Decanus, Godefridus Mindenſis Scholaſticus, Joannes Rigenſis Præpoſitus, Romanus Presbyter; Laici Daniel Bherlagus, Conradus, Thedoricus, & peregrini Cives, & mercatores quamplures Anno Dominicæ Incarnationis milleſimo ducenteſimo decimo tertio. Anno 1213.

VII.

Innocentius III. *Papa commendat Saxonibus Epiſcopum Eſtienſem.* *

Innocentius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Vniverſis Chriſti Fidelibus per Saxoniam conſtitutis ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Quoniam, iuxta ſententiam ſapientis, ab adoleſcentia prona eſt vita hominis ad peccandum, & diverſis inquinamentis obnoxia vitiorum; multa ei caritatis opera proponuntur, ut ibi multiplicentur remedia, ubi morborum diverſitas invaleſcit. Sane ad veſtram dudum credimus notitiam perveniſſe, quod Dominus noſter, qui neminem vult perire, ſed omnes ad agnitionem pertingere veritatis, calciamentum ſuum in Livoniam miſeratus extendit, ad partes illas novos Apoſtolos dirigendo, per quos populus, qui usque nunc ambulabat in tenebris, cerneret lucem magnam, ortam ambulantibus in medio umbræ mortis. Inter cæteros autem, per quos in gentibus illis revelavit Dominus brachium ſanctum ſuum, ut viderent ſalutare Domini Dei ſui, Venerabilis Frater noſter, Eſtienſis Epiſcopus, plurimum laboraſſe dignoſcitur, & divina cooperante gratia profeciſſe: qui, quamquam ſibi liceat eorum carnalia metere, quibus ſpiritualia ſeminat, cum os bovis alligari non debeat triturantis, & Dominus iis, qui annuntiant Evangelium, de Evangelio vivere ordinarit, quia tamen, cum ſit neophytorum Epiſcopus, hac uti metuit poteſtate, ne quod offendiculum det Evangelio Chriſti, eundem ſine baculo, atque pera portantem coram Regibus, & Gentibus nomen Dei, univerſitati veſtræ duximus propenſius commendandum; caritatem veſtram monentes, & obſecrantes in Domino, atque in remiſſionem vobis peccaminum iniungentes, quatenus ipſum, tamquam JEſu Chriſti Legatum, recipiatis benigne, ac ſincera tractetis in Domino cari-

* Epiſt. Innoc. III. Edit. Bal. Tom. 2. Fol. 808.

ANNO 1213. caritate, ſuam, & Coadiutorum eius in Evangelio ex abundantia veſtra in hoc præſenti tempore ſupplentes inopiam, ut et illorum abundantia veſtræ ſit ſupplementum inopiæ in futuro. Datum Laterani III. Kalend. Novembris, Pontificatus noſtri anno ſexto decimo.

VIII.

Tranſumptum Literarum INNOCENTII III. *Papæ, quibus obiurgat Fratres Militiæ Chriſti, & minatur privationem gratiarum, & Privilegiorum, niſi Epiſcopum Eſtienſem defendant, & obſides illi dent. Ex Originali.*

In Nomine Domini Amen.

Hoc eſt Exemplum, ſeu Tranſcriptum quarundam Literarum repertarum in Regeſtro felicis recordationis Domini INNOCENTII III. *Papæ Pontificatus eius Anno ſexto decimo. Quarum tenor talis eſt:*

Dilectis Filiis Militibus Chriſti in Livonia.

Etſi cunctis Fidelibus cor unum in Domino, & anima debeat eſſe una, ſpecialiter tamen hi, qui ſæcularibus deſideriis abnegatis in medio Nationis habitant infidelis, putantes neceſſarium in carne manere ſolummodo propter fratres, ſervare debent ſpiritus unitatem, ut ſe tanquam Dei Miniſtros irreprehenſibiles omnibus exhibentes, ac lucentes ſicut luminaria inter eos, ipſos ad æmulationem fidei valeant provocare. Noveritis autem ad noſtram audientiam perveniſſe, quod cum Venerabiles Fratres noſtri Paldeburnenſis, Verdenſis, & Kaſkeburgenſis, Epiſcopi, quondam Montis S. Nicolai Abbatem, qui calciatus pedes in præparatione Evangelii pacis, infidelium multitudinem ad Fidem Domino cooperante convertit, in Epiſcopum Eſtienſem, Provinciæ, quæ per Dei gratiam iam pro magna parte converſa eſt, authoritate noſtra duxerint ordinandum, vos eidem in Evangelio laboranti non ſolum veſtrum denegatis auxilium, ſed etiam impedimenta paratis, niſi vobis certam concedat in eadem Provincia portionem. Non tam ſolliciti propagare nomen fidei Chriſtianæ, quam coniungere domum ad domum, & agrum agro, usque ad loci terminum copulare, quaſi ſoli habitare in terræ medio debeatis. Præterea cum quosdam receperitis obſides ipſi Epiſcopo præſentandos, ipſos ſibi præſentare poſtmodum renuiſtis, temporale lucrum ex eorum retentione captantes, qui lucra huiusmodi detrimenta deberetis credere propter Chriſtum. Denique Chriſti Evangelio præbere offendiculum non timetis, dummodo veſtras poſſitis poſſeſſiones, & reditus ampliare. Ne igitur, qui Chriſti Milites appellamini, militare probemini contra Chriſtum, Vniverſitatem veſtram monemus attentius, & hortamur per Apoſtolica vobis ſcripta, de cætero mandantes, quatenus attendentes, quod non eſt Regnum Dei poſſeſſiones, & Villæ, ſed pax, atque iuſtitia, & gaudium in Spiritu Sancto, extincto prorſus cupiditatis ardore, præfato Epiſcopo, & aliis baiulis verbi Dei pro viribus impendatis conſilium, & auxilium opportunum, ab eorum impedimento ſic penitus abſtinentes, quod de vobis ad aures noſtras clamores huiusmodi de cætero non aſcendant, ne ſi ſecus duxeritis faciendum, conceſſis vobis a ſede Apoſtolica Privilegiis, ex quibus aſſumere dicimini audaciam excedendi, vos reddatis indignos, & a gratia, quam hactenus vobis exhibere curavimus, excidatis. Datum Laterani ſecundo Kalendas Novembris, Pontificatus noſtri Anno ſextodecimo. ANNO 1213.

IX.

Alienatio Decimarum, Terrarum, Domorum &c. ad menſam Archiepiſcopalem Rigenſem pertinentium in certas tam Clericorum, quam Laicorum perſonas per Archiepiſcopum Rigenſem facta, a ſummo Pontifice revocatur. Ex Archivo Magni Ducatus Litvaniæ. 1216.

HONORIUS Epiſcopus ſervus ſervorum Dei Venerabili Fratri Epiſcopo, & dilectis filiis, Præpoſito, ac Decano Eccleſiæ Oſilien. ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Ad audientiam noſtram pervenit, quòd tam Venerabilis Frater noſter Archiepiſcopus Rigenſis, quam Prædeceſſores ipſi Archiepiſcopi Rigenſes, qui fuerunt pro tempore, Decimas, Terras, Domos, Prata, Paſcua, Nemora, Molendina, Grangias, Jura, Jurisdictiones, Maneria, Poſſeſſiones, & quædam alia bona ad menſam ſuam Archiepiſcopalem ſpectantia, datis ſuper hoc Literis, interpoſitis iuramentis, factis renuntiationibus, & pœnis adiectis in gravem ipſius Menſæ læſionem nonnullis Clericis, & Laicis, aliquibus eorum ad vi-

Anno 1216. vitam, quibusdam vero ad non modicum tempus, & aliis perpetuo, vel sub censu annuo concesserunt, quorum aliqui dicunt super his confirmationis Literas in forma communi a Sede Apostolica impetrasse. Quia vero nostra interest super hoc de opportuno remedio providere, Discretioni Vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ea, quæ de bonis ipsius mensæ alienata inveneritis illicite, vel distracta, non obstantibus literis, pœnis, iuramentis, renuntiationibus, & confirmationibus supradictis, ad ius, & proprietatem eiusdem mensæ studeatis legitime revocare: Contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio, vel timore subtraxerint, censura simili, appellatione cessante, cogatis veritati testimonium perhibere. Quod si omnes his exequendis non potueritis intendere, tu Frater Episcope cum eorum altero, ea nihilominus exequaris. Datum Romæ apud Sanctam Sabinam Nonis Decembris Pontificatus nostri Anno primo.

X.

1219. Honorius III. *Papa designationem finium Diœcesis Selovienſis auctoritate Apostolica confirmat. Ex Originali.*

Honorius Episcopus servus servorum Dei Venerabili Fratri Selovienſi Episcopo salutem, & Apostolicam benedictionem. Justis petentium desideriis dignum est Nos facilem præbere assensum, & vota, quæ a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere: Eapropter Venerabilis in Christo Frater Episcope, tuis iustis postulationibus grato concurrentes assensu, terminos tuæ Diœcesis, sicut Venerabilis Frater noster Livonienſis Episcopus eos tibi authoritate nostra rite, ac provide assignavit, tibi, & per te Selovienſi Ecclesiæ authoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Viterbii octavo Calendas Novembris. Pontificatus nostri anno quarto.

XI.

Anno 1219. *Sententia eiusdem, quod Electio Episcopi Rigenſis pertineat ad Summum Pontificem, prout & alienatio rerum. Ex Archivo Magni Ducatus Litvaniæ.*

Honorius Episcopus servus servorum Dei. Dilectis Filiis, Præposito, & Capitulo Rigenſi salutem, & Apostolicam benedictionem. Justis petentium desideriis dignum est Nos facilem præbere consensum, & vota, quæ a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Sane petitio vestra nobis exhibita continebat, quod, cum inter Vos ex parte una, & Clerum Rigenſem ex altera, super Electione Rigenſis Episcopi, nempe inter Vos, & Venerabilem Fratrem nostrum Rigenſem Episcopum, super alienationibus faciendis, vel non faciendis sine nostro consensu, coram Venerabili Fratre nostro Mutinen. Episcopo, Apostolicæ Sedis Legato quæstio verteretur, idem sententiando decrevit, ut ad Nos Episcopi Electio libere pertineret, & ut Episcopus Rigenſis sine nostro non posset alienare consensu. Nos igitur ipsius Episcopi sententiam approbamus, & authoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, se noverit incursurum. Datum Laterani Kalendas Decembris, Pontificatus nostri Anno quarto.

XII.

Collatio nonnullarum Terrarum Ecclesiæ Rigenſis, & Compositio inter Hermanum *Lealenſem Episcopum & Fratres Militiæ Christi.* Anno 1224. *facta. Sub Transumpto* Joannis *Episcopi Lubicenſis.* Dat. in Lubeck 1519. *Ex Arch. M. D. Litvan.* 1224.

Universis, & singulis Christi Fidelibus præsentes nostras Literas, sive præsens publicum Transumpti Instrumentum inspecturis, visuris, pariter & audituris. Ioannes Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Lubicenſis Transumptor, & Executor ad infrascripta, a sacrosancta Synodo Basilien. deputatus salutem in Domino, & præsentibus fidem indubiam adhibere. Literas dictæ sacro-

Anno 1224. crosanctæ Synodi Basilien. in Spiritu Sancto legitime tunc congregatæ cum cordula Canapi, vera Bulla plumbea ipsius sacrosanctæ Synodi more Romanæ Curiæ impendente, bullatas, sanas, & integras, non vitiatas, non cancellatas, neque in aliqua sui parte suspectas, sed omni prorsus vitio, & suspicione carentes, ut in earum facie apparebat, nobis per Honorabilem Virum Dominum Joannem Koster Vicarium in Ecclesia nostra Lubicen. Reverendissimi Patris, & Domini, Domini Jaspari eadem gratia Archiepiscopi, nec non Præpositi, Decani, totiusque Capituli, Sanctæ Ecclesiæ Rigensis Procuratorem, prout de eius procurationis Mandato, Signo, & Subscriptione Discreti Viri Joannis Lomeller Clerici coniugati Vladislavien. Diæcesis, Imperiali authoritate Notarii, signato, & subscripto, eorumque Sigillis sigillato legitimam fecit fidem coram Notario publico, & Testibus infrascriptis præsentatas, Nos cum ea, qua decuit, reverentia noveritis recepisse: Quarum principium erat tale: *Sacrosancta Synodus Basilien. in Spiritu Sancto legitime congregata vniversalem Ecclesiam repræsentans, Venerabili Joanni Basileæ in præsens commoranti, & Successoribus tuis Lubicen. Episcopis &c.* Finis earundem Literarum est talis. *Datum Basileæ VI. Kalendas Aprilis, Anno a Nativitate Domini millesimo quadringentesimo tricesimo quinto.* Quibus per nos receptis, & debite masticatis, nos ad eiusdem Domini Joannis Koster Procuratoris instantiam, & requisitionem omnes, & singulos sua communiter, vel divisim interesse putantes, eorumque Procuratores, si qui erant in Civitate Lubicen. pro eisdem ad videndum, & audiendum nonnulla Privilegia, Indulta, & Concessiones Archiepiscopis, & Capitulo Ecclesiæ Rigensis a diversis Romanis Pontificibus, & Imperatoribus gratiose concessis, transumi, & exemplari, & in hanc publicam formam redigi mandari, ac nonnullos Testes fide dignos de, & super recognitione Sigillorum ipsis Privilegiis, Indultis, & Concessionibus appositorum, produci, recipi, iurare, & ad iurandum admitti, nec non Apostolicam, & ordinariam nostram authoritatem, pariter & Decretum, ut moris est, interponi ad dicendum, & causas, si quas habuerint rationabiles, quare præmissa fieri non debeant, allegandum in valvis, seu portis dictæ nostræ Ecclesiæ Lubicen. citari mandavimus, & fecimus ad diem, & horam infrascriptas. Quo quidem termino adveniente comparuit iudicialiter coram nobis præfatus Dominus Joannes Koster Procurator prædictus, & quandam citationem, papiri cedulam de mandato nostro in dictis valvis, & portis debite executis reproduxit, citatorumque in eadem contentorum non comparentium contumaciam accusavit, ipsosque contumaces reputari. Et in eorum contumaciam quasdam Literas felicis recordationis Alberti Livonien. & Hermani Lealen. Episcoporum tribus Sigillis sigillatas, quarum primum Sigillum rotundum glaucæ ceræ impressum. In quo continebatur imago Episcopi in Sede Episcopali sedentis, ac baculum Pastoralem in sinistra manu gerentis. In circumferentia huiusmodi verba continebantur. Albertus DEI gratia Livonien. Episcopus. Secundum Sigillum oblongum ceræ glaucæ impressum, habens imaginem Episcopi stantis, & baculum Pastoralem in sinistra manu gerentis, in circumferentia hæc impressa erant verba, videlicet: Hermanus DEI gratia Lealen. Episcopus. Tertium Sigillum ceræ glaucæ impressum, imaginem quandam in Sede sedentis habens, in cuius circumferentia hæc verba fuerunt reperta, & impressa, videlicet: Joannes DEI gratia Rigen. Præpositus: Sanas siquidem, & integras, non vitiatas, non cancellatas, neque in aliqua sui parte suspectas, sed omni prorsus vitio, & suspicione, ut prima facie apparebat, carentes, facto realiter, & in scriptis exhibuit, atque præsentavit. Quas quidem Literas Imperiales transumi, & exemplari, atque in publicam formam redigi mandari, authoritatemque, & Decretum supradictum, ut moris est, per nos interponi, debita cum instantia postulavit, tenor vero Literarum, quarum supra fit mentio, sequitur, & est talis. Albertus DEI gratia Livonienſis Episcopus. Vniversis Christi fidelibus in perpetuum. Cum super Neophitorum Episcopis creandis, & ipsorum terminis limitandis auctoritate fungamur Apostolica, ordinationem olim inter Nos, & Theodoricum Venerabilem quondam Episcopum super Estonia, prudentum Virorum mediante consilio constitutam, accedente voluntate, & consensu benivolo Domini Hermani germani nostri prædicti Theodorici Episcopi Successoris, Capituli nostri, Fratrum Militiæ Christi, Peregrinorum, & Civium Rigen. ad præsens innovare decernimus, & distinguere in hunc modum. Cum Livonia tum ex statu proprio, tum ex accedentibus bellorum causis, adiacentibus Terris sit pauperi-

Anno 1224.

ANNO 1224. or, & ſecundum Apoſtolum nemo ſuis militare cogatur diſpendiis, Rigenſis Eccleſia pro laboribus, impenſis, damnis, & ſanguine, quem pro Eſtoniæ converſione impendit, ac deinceps impendet, cum omni iurisdictione ſpirituali, & temporali integre, & libere has Terras poſſidebit: Scutaklede, Leale, Hanele, Retze, Roralwieſz, & cæteras maritimas, ſecundum ſuorum longitudinem, & latitudinem terminorum. Cæterum termini Epiſcopatus Domini Hermani erunt iſti: Vogenaſz, Wargielo, Soboler, Sackele, Nerungunde, Morke cum omnibus ſuis attinentiis, & ex Terris eisdem Magiſter, & Fratres Militiæ tenebunt de manu ipſius, & cuiuslibet ſuorum Succeſſorum medietatem cum Eccleſiis, Dominiis, & omni temporali proventu, impenſa, præter debitam ſuo Epiſcopo obedientiam, & obſequium, & vigilantiam, nihilominus ſollicitudine intendentes ad promotionem, defenſionem, & confirmationem ſuæ Eccleſiæ. Ipſe quoque verſa vice Fratres eosdem affectione paterna honorabit, diliget, & defendet. Verum Magiſter, qui ibi pro tempore fuerit, ſemper obedientiam ipſi Epiſcopo repromittet, & ad inveſtiendum de curâ animarum in ſuis Eccleſiis perſonas ei præſentabit idoneas. At H. ſæpe memoratus Hermanus Epiſcopus, & quilibet ſibi ſuccedens præter Conſtitutionem, & Mandatum Sedis Apoſtolicæ a Rigenſe aliquatenus non recedet Epiſcopo, ſed fide bona, & dilectione plena ad omnem neceſſitatem, utilitatem, & commoditatem Rigenſis, Eſtoniæ Epiſcopi, dicti quoq Fratres ſibi mutuo cooperatores exiſtent, tribuentes utrinque ſalubriter prædicatione, officio, & converſione Gentium, operam efficacem. Vt igitur, quod per Nos ad præfatam creſcentem Eccleſiam conſultu creditur eſſe factum, alicuius præſumptione temeraria mutari impoſterum nequeat, vel infringi, Sigillo noſtro, & ſæpedicti Epiſcopi Eccleſiæ noſtræ, ac Fratrum Militiæ Sigillis, præſentem paginam communimus. Actionis huius Teſtes ſunt: Joannes Præpoſitus Rigenſis Conventus, Albrio Prior de Dunemunde cum Fratribus ſuis, Magiſter Votengnus cum Fratribus ſuis, Rotmanus germanus noſter, Thomas Plebanus de Lunenburg, Vaſalli Eccleſiæ noſtræ, Comes Burchardus de Haldenburg, Daniel de Linewerdt, Conradus de Ikepzola, Joannes de Dolen, Wolterus quondam Dapifer, Peregrini, Freſchelinus de Joc, Theodoricus de Oſteride, Lurbertus de Notorpe, Advocatus peregrinorum, Helmoldus de Lunenburg, Henricus de Lit, Joannes de Beſkershomede, Engelbertus de Tyſenhuſen, Jacobus de Urbe, Cives noſtri, Luderus Advocatus, Renardus de Benenter, Albertus Vtnortongle, & alii quam plures. Datum Rigæ anno Dominicæ Jncarnationis MCCXXIV. IX. Calendas Auguſti. Pontificatus noſtri Anno XXV. ANNO 1224.

ALBERTUS Dei Gratia Livonienſis Epiſcopus. Omnibus hoc ſcriptum legentibus ſalutem in eo, qui eſt ſalus omnium. Quum ea, quae fiunt in tempore, labuntur in tempore, neceſſe eſt, ut ea, quae in Eccleſia Dei utiliter diſponuntur, ad poſterorum notitiam ſcripta transferant. Quapropter notum eſſe volumus tam futuris, quam praeſentibus, qualiter in partibus Livoniae creſcente religione Chriſtiana, piae memoriae Dominum Theodoricum Abbatem de Dunemunde Ciſtercienſis Ordinis, ad titulum Lealen. in Eſtonia Epiſcopum ordinavimus. Illo autem a paganis occiſo, germanum noſtrum Dominum Hermanum Abbatem S. Pauli in Brenſa loco eius ſubſtituimus authoritate Apoſtolica, quam habemus in eisdem partibus inſtituendi Eccleſias Cathedrales, & in eis eligendi, & conſecrandi Epiſcopos. Cum autem deſtructo iam dudum a paganis de Oſilia Caſtro Leale propter importunitatem eorum, & alia quaedam impedimenta ſecus mare non poſſet reſidere in ſuperioribus partibus, ubi tutiorem ſibi ſedem eligat, terminos ſui Epiſcopatus ipſi aſſignamus, videlicet Terram Sachelem, Norungunde, Make, Terram Vgionis, Soboltz, Wargele cum omnibus eorum attinentiis. Ne quis autem ei ſuper eisdem terminis exiſtat iniurioſus, authoritate Domini Papæ & noſtra, ſub anathematis interminatione prohibemus. Huius actionis teſtes ſunt: Joannes Præpoſitus in Riga Sanctae MARIÆ, & eius Conventus, Albero Prior de Dunemunde cum Fratribus ſuis, Magiſter Valegnus cum Fratribus ſuis, Rotnarus germanus noſter, Thomas Plebanus de Luneberg, Vaſalli Eccleſiæ, Comes Burchardus de Kutimor, Daniel de Linewerdt, Conradus de Ukeſtſola, Joannes de Dolen, Veregrun, Fretchechelmus de Joe, Theodericus de Oſterode, Henricus de Lith, Joannes de Bekeſchanede, Engelbertus de Tyſenhuſen, Jacobus de Vrbe, Cives, Luderus Advocatus, Bernardus de Denenter, Albertus Utnorchinus, & alii quam plures. Datum in Riga A. D. MCCXXIV. XII. Calendas Auguſti.

In Nomine ſanctæ, & individuæ Trnitatis.

HERMANUS Dei Gratia Lealen. Epiſco-


Anno 1224. ſcopus. Omnibus hoc ſcriptum legentibus ſalutem in eo, qui eſt ſalus omnium. Notum eſſe volumus tam futuris, quam præſentibus, quod de conſilio Venerabilis Fratris noſtri Alberti Rigen. Epiſcopi, & Eccleſiæ ſuæ, Peregrinorum quoque, ac Civium Rigen. cum Fratribus Militiæ Chriſti, iuxta quod in Authentico ipſorum continetur, talem fecimus Compoſitionem: vt videlicet a nobis, & a noſtris Succeſſoribus ipſi teneant mediam circiter Regionem Epiſcopalis noſtræ Jurisdictionis, civiliter perpetuo poſſidendam, cum Eccleſiis, decimis, & omni emolumento temporali: Terram videlicet Slackele, Normigunde, Morle cum ſuis attinentiis, & dimidiam partem Terræ Waigelle, ſalvo in omnibus nobis iure ſpirituali in illis Terris: Per Eccleſias ſuas perſonas idoneas inſtituent, & eas inveſtiendas nobis præſentabunt. Pro his autem Terris nullum nobis temporale ſervitium aliud exhibebunt, niſi quod pro Epiſcopatu noſtro contra incurſus hoſtium iugiter decertabunt, & in ſpiritualibus nobis obedient, & cum ratione Officii Epiſcopalis Eccleſias eorum viſitabimus, expenſas nobis neceſſarias miniſtrabunt. Fluvium autem Tmnoga liberum relinquimus, vel Gurſzigitium Regis, dimidium eis dimittemus. Ne quis autem eis ſuper hac noſtra conceſſione malitioſum afferat impedimentum, ſub anathematis interminatione prohibemus. Et ut factum noſtrum robur perpetuum obtineat, hanc chartam inde conſcribi, & Sigillo noſtro, & Domini Rigen. Epiſcopi, & Eccleſiæ ſuæ muniri fecimus. Huius actionis teſtes ſunt: Dominus Albertus Rigen. Epiſcopus, Joannes Præpoſitus Sanctæ Mariæ in Riga, & eius Conventus, Albertus Prior Dunemunde cum Fratribus ſuis, Rotmarus germanus noſter, Thomas Plebanus in Luneberg, Vaſalli Eccleſiæ Rigen. Comes Barchardus de Aldenburgk, Daniel de Linawordt, Conradus de Theſchole, Joannes de Dolen, Peregrini. Fretchelmus de Vat, Theodoricus de Oſtende, Lutpertus de Norchoipe Advocatus Peregrinorum, Helmoldus Luneburgk, Henricus de Lit, Joannes de Bekſchonede, Engelbertus de Tyſenhuſen, Jacobus de Vrbe, Cives Rigen. Ludercus Advocatus, Bernardus de Denenter, Albertus Urnothingk, & alii quam plures. Datum in Riga Anno Domini MCCXXIV. decimo Kalendas Auguſti.

Sanctiſſimo Patri, ac Domino Honorio *Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Summo Pontifici devoti Filii.* Anno 1224.

A. DEI gratia Livonien. H. eadem gratia Lealen. Epiſcopi. Præpoſitus Sanctæ Mariæ in Riga Præmonſtraten. Ordinis. V. dictus Magiſter Militiæ Chriſti in Livonia, debitam in Chriſto obedientiam. Supplicamus Sanctitati veſtræ, confirmare dignemini ſupraſcriptam Compoſitionem. Poſt quarum quidem Literarum exhibitionem, & productionem, coram nobis, ut præmittitur, factam, Nos Joannes Epiſcopus Lubicenſis Tranſumptor, & Executor Apoſtolicus præfatus, dictos citatos non comparentes, reputavimus merito id exigente iuſtitia contumaces, & in eorum contumaciam productis primitus coram nobis nonnullis teſtibus fide dignis, de & ſuper recognitione earundem Literarum, eisdemque per nos admiſſis, iuratis, & interrogatis, easdemque literas vidimus, tenuimus, palpavimus, & diligenter inſpeximus, & quia per viſionem, & diligentem inſpectionem ipſas Literas ſanas, integras, & illæſas, non vitiatas, non cancellatas, nec in aliqua ſui parte ſuſpectas, ſed omni prorſus vitio, & ſuſpicione carentes reperimus: idcirco ad ulteriorem dictam Domini Koſter Joannis Procuratoris inſtantiam ipſas per Diſcretum Virum Dominum Conradum Nyme Clericum Lubicenſem, Sacra Imperiali authoritate Notarium publicum, Scribamque noſtrum infraſcriptum, tranſumi, & exemplari, ac in publicam formam redigi mandavimus, & fecimus, volentes nihilominus, & Apoſtolica, & ordinaria noſtra authoritatibus memoratis decernentes, quod præſenti Tranſumpto publico in iudicio, & extra, ac ubicunque locorum detur, & adhibeatur, de cætero talis, & tanta fides, qualis, & quanta ipſis Literis Originalibus coram nobis, ut præfertur, exhibitis, & productis, ut ſuperius de verbo ad verbum inſertis, ac fideliter una cum præſenti Tranſumpto publico auſcultatis, & collationatis data fuit, & adhibita, ac datur, & adhibetur de præſenti. Quibus omnibus, & ſingulis ſupradictis tanquam rite, & legitime factis, ac celebratis in eodem iudicio coram nobis Apoſtolicam, & ordinariam noſtram authoritates interpoſuimus, & præſenti interponimus pariter & Decretum. In quorum omnium, & ſingulorum fidem, & teſtimonium præmiſſorum præſentes noſtras Literas, ſive præſens publicum Tranſumptum in ſe continentes, ſive continens exinde fieri, & per Notarium noſtrum ſupra, & infra

Anno 1224. ſcriptum ſubſcribi, & publicari mandavimus, Sigillique noſtri iuſſimus, & fecimus appenſione communiri. Datum & Actum Lubeck in Curia noſtra Lubicen. ſub Anno a Nativitate Domini milleſimo quingenteſimo decimo nono. Indictione ſeptima, die vero Martis tertia Menſis Maii. Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini noſtri, Domini Leonis divina providentia Papæ decimi Anno ſeptimo. Præſentibus ibidem Honorabilibus Viris Dominis Laurentio Wolter Presbytero Caminen. Diœceſis, & Bertholdo Arndes Vicario in Eccleſia noſtra Lubicenſi teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter, atque rogatis. Qui literas huiusmodi debite, ut moris eſt, recognoverunt. Conradus Nyme, Notarius ſupra, & infra ſcriptus approbat.

Et ego Conradus Nyme Clericus Lubicen. publicus Sacra Imperiali authoritate Notarius, dictique Reverendi Patris Domini Joannis Epiſcopi Lubicen. Tranſumptoris Apoſtolici, et coram eo Scriba. Quia prædictarum Literarum exhibitioni, & productioni, earundemque viſioni, & tranſumptioni, nec non Apoſtolicæ, & ordinariæ authoritatum, pariterque Decreti interpoſitioni, omnibusque aliis, & ſingulis, dum ſic, ut præmittitur, fierent, & agerentur, una cum prænominatis teſtibus præſens fui, eaque omnia, & ſingula ſic fieri vidi, & audivi, ac in notam ſumpſi.



Ideoque hoc præſens publicum inſtrumentum manu alterius fideliter ſcriptum exinde confeci, ſubſcripſi, publicavi, & in hanc publicam formam redegi. Quam ſigno, nomine, & cognomine meis ſolitis, & conſvetis una cum præfati Reverendi Patris Domini Joannis Epiſcopi Tranſumptoris Apoſtolici Sigilli appenſione ſignavi, & roboravi. In fidem, & evidens teſtimonium omnium, & ſingulorum præmiſſorum rogatus, & requiſitus.

XIII.

Anno 1225.

Honorius III. *Papa Deſignationem Finium Diœceſis Selovienſis confirmat. Ex Originali.*

Honorius Epiſcopus Servus Servorum Dei Venerabili Fratri Epiſcopo Selovienſi ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Juſtis petentium deſideriis dignum eſt, Nos facilem præbere conſenſum, & vota, quæ a rationis tramite non diſcordant, effectu proſequente complere. Cum itaque, ſicut affers, Venerabilis Frater noſter Livonienſis Epiſcopus, cui ordinandi Cathedrales Eccleſias, & diſtinguendi Diœceſes in illis partibus plenariam conceſſimus facultatem, Dioeceſem tuam certis diſtinxerit terminis, & terras infra terminos ipſos contentas tibi, & Selovienſi Eccleſiæ Dioceſano iure ſubiecerit, prout in ipſius Literis perſpeximus plenius contineri, Nos tuis precibus inclinati, quod per eundem Epiſcopum ſuper his rite ac provide actum eſt, authoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe noverit incurſurum. Datum Laterani decimo octavo Calendas Decembris Pontificatus noſtri Anno nono.

XIV.

Albertus *Livonienſis Epiſcopus auctoritate Literarum* Honorii III. *Lamberto Epiſcopo Selovienſi Seloviam reſignanti, totam Semigalliam attribuit. Ex Originali. Sigil. 2.* 1226.

Albertus *DEI Gratia Livonienſis Epiſcopus omnibus Chriſti fidelibus præſentes Literas inſpecturis, in vero ſalutari ſalutem.* Cum nos auctoritate Literarum Apoſtolicæ Sedis, quarum tenor talis eſt. Honorius Epiſcopus Servus Servorum Dei Venerabili Fratri Epiſcopo Livonienſi ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Cum in partibus Livoniæ multiplicata per Dei gratiam meſſe fidelium, & Regionibus circumquaque albeſcentibus iam ad meſſem, neceſſe ſit, ſicut aſſeritur, operariorum numerum adaugeri: Frater-

ANNO 1226. Fraternitati tuæ, de qua gerimus in Domino fiduciam pleniorem, auctoritate præsentium indulgemus, ut locorum & rerum circumstantiis provide circumspectis, auctoritate nostra in partibus illis Ecclesias instituas Cathedrales, in quibus Viros idoneos, qui tanto congruant oneri, & honori, eligas in Episcopos, & accersitis duobus, vel tribus Episcopis vice nostra munus consecrationis impendas. Datum Ferraræ secundo Kalendas Octobris Pontificatus nostri anno secundo. Venerabilem Virum Lamb. elegissemus Episcopum Seloviæ, & cuiusdam partis Semigalliæ, quæ commode hærere non poterat, certissime eo, quod ipsius Semigalliæ maior pars nondum ad Baptismi gratiam perveniset, & adeo essent distantes ab invicem Selovia, & Semigallia, quod persona eadem commode non posset curam gerere animarum in utraque, volentes tam Prælatis, quam subditis in posterum providere, de voluntate, & consensu Domini W. Mutinensis Episcopi Apostolicæ Sedis Legati, ac supradictarum Literarum auctoritate suffulti, prænotato Episcopo Lamb. de bona voluntate Seloviam resignanti, totam cum suis attinentiis Semigalliam assignamus, reservatis tamen eidem Episcopo reditibus, quoscunque habet in Selovia, quousque in prædicta Semigallia competentem habeat mansionem. Datum in Riga. Anno Incarnationis Dominicæ millesimo ducentesimo vigesimo sexto, duodecimo Kalend. Aprilis. Præsentibus Domino Guicel Revelensi Episcopo, Joanne Rigensi Præposito, & Magistro Militiæ Christi, Comite Brocardo, Domino Daniele, & multis aliis.

XV.

Concordia inter ALBERTUM *Episcopum Livoniæ, & Magistrum Militiæ Christi de decimis, & debitis quibusdam, auctoritate* VILHELMI *Episcopi Mutinensis, Legati Apostolici facta. Ex Originali.*

Coram nobis W. Divina miseratione Mutinensi Episcopo, Apostolicæ Sedis Legato, inter Venerabilem Patrem ALBERTUM Livoniæ Episcopum, & Magistrum Militiæ Christi quæstiones huiusmodi vertebantur. Petebat siquidem Magister ab Episcopo supplementum suæ tertiæ partis in Livonia, specialiter in Castris Ikescule, & Lenoard, & Mezepol, & terris Theodorici, & pluribus aliis locis. Item centum Marchas pro dampno, quod Magistro contingat, ANNO occasione donationis Estoniæ, quæ di- 1226.
cebatur facta per Episcopum Regi Danorum. Item viginti quinque Marchas, quas dicebatur Episcopus recepisse de manu cuiusdam Fratris Magistri. E contra petebat Episcopus a Magistro ducentas Marchas pro dampno sibi facto a Magistro in quadam parte Estoniæ, quae dicebatur ad se pertinere, item trecentas Marchas pro fructibus duarum partium Lettiæ, a Magistro indebite multis annis perceptis. Item centum Marchas pro complemento quartæ partis decimæ, quam habet Episcopus in parte Magistri. Plures, & aliæ inter ipsos controversiæ movebantur, cum igitur utraque parte faciente Christo dissidiis vexato intellectionem, placuit eis nobis mediantibus taliter concordare, quod omnes prædictæ controversiæ, & si quæ aliæ viderentur inter eos posse præteritorum factorum occasione moveri, dimissæ, ac remissæ forent inter eos, & penitus absolutæ, hoc inter eos convento, quod Magister Vxorem Joannis de Dole, filios illius, mulieres non possit inquietare occasione concordiæ scriptæ inter Episcopum, & Magistrum de successione feudorum, quæ sunt in Insula Dune, quæ dicitur Insula Regis. Alias autem prædictum scriptum & concordia perpetuam habeat firmitatem. Item quod Magister concedat Episcopo septem decem Marchas, & item tredecim, quas sibi alias debebat Episcopus, usque ad quindecimam diem futuri Paschæ Resurrectionis, ita quod exnunc usque ad duos annos possideat Magister integram quartam partem decimæ, sive census, qui ad Episcopum pertinet in Venda, & Segvaldo pro solutione supradictarum triginta Marcharum, eo tamen adiecto, quodsi in prædicto termino quindecem Paschæ Dominus Episcopus solverit Magistro prædictas triginta Marchas argenti, reddat Magister Episcopo novem Last siliginis pro primo Anno, quo percepit Episcopi partem, retento decem Last pro duobus dimidiis, quæ debet Episcopus duabus Ecclesiis Magistri in prædictis Castris. Sequentis autem anni, & aliorum recipiat quartam suam Episcopus, sicut solet. Quotquot autem fuerint Parochiales Ecclesiæ in parte Magistri, dabit perpetuo Episcopus unicuique Ecclesiæ singulis annis dimidium Last de sua quarta decimæ, sive census, quam habet in parte Magistri, secundum tenorem Literarum Apostolicæ Sedis. Magister vero eisdem Ecclesiis unum Last,

Anno 1226. & dimidium pro unaquaque ſingulis annis tenebitur miniſtrare. Ita videlicet, quodſi apud Eccleſiam Sacerdos manſerit, habeat prædicta duo Laſt, & alios Eccleſiæ reditus. Alioquin & Laſt, & alii reditus in utilitatem Eccleſiæ, ſive in domibus, ſive in agris, cum bonorum Parochianorum arbitrio convertat. Convenit præterea inter eos, quodſi Magiſter poterit ſibi ſubiugare de Lettia partem æquivalentem illi, quam ipſe Epiſcopus Theodorico de Cocanſi conceſſit in Warka, eam dividere cum Epiſcopo minime teneatur. Datum in Riga Anno Dn. MCCXXVI. duodecimo Calendas Maii.

XVI.

1231. *Confirmatur a Summo Pontifice Electio Epiſcopi Rigenſis facta a Capitulo Rigenſi, caſſata Electione Archiepiſcopi Bremenſis. Ex Archivo Magni Ducatus Litvaniæ.*

Gregorius Epiſcopus Servus Servorum Dei, dilectis filiis Præpoſito, & Capitulo Rigenſi ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Cum Eccleſia veſtra Paſtoris ſolatio deſtituta, Venerabilis Frater noſter Bremenſis Archiepiſcopus A. Clericum in ea eligens, & inſtituens ordinavit, ſe diu fuiſſe in quaſi poſſeſſione ordinationis huiusmodi aſſeverans, vosque dilectum filium N. Canonicum Sanctæ Mariæ Magdenburgenſis, ordinis Præmonſtratenſis vobis in Epiſcopum duxeritis eligendum, Nos metuentes, ne novella Eccleſiæ veſtræ plantatio quaſſata litigiis, irreparabilem incurreret læſionem, dilecto filio noſtro Oſein. Nicolai in carcere Julliano Diacono Cardinali Apoſtolicæ Sedis Legato mandavimus, ut ſi dicti electi ab eo moniti electionibus de ſe factis ſponte non cederent, ipſe inquiſitione præhabita, & his, quæ ſuper hoc acta fuerant, apud Sedem Apoſtolicam diligenter inſpectis, ſi reperiret Bremenſem Archiepiſcopum in prænotata quaſi poſſeſſione fuiſſe, ordinationem dicti A. ſi perſona eius eſſet idonea, confirmaret. Sed ne in poſterum Rigenſi Eccleſiæ præiudicium ex hoc contingeret generari, Archiepiſcopo, & Capitulo Bremen. interdiceret, ne de cætero in prædicta Eccleſia, vel aliis de Livonia electionem, ordinationem, ſeu aliquod ius metropoliticum ſibi præſumerent uſurpare, perpetuum ſuper hoc eis ſilentium imponendo, conceſſa Rigenſi Capitulo libere eligendi licentia, ſicut habent cæterae Eccleſiae Cathedrales: quod ſi dictam ordinationem minus Canonicam, vel perſonam indignam eſſe conſtaret, & Capituli electionem de perſona idonea Canonice celebratam, electionem confirmaret eandem, & electo faceret munus conſecrationis impendi, alioquin ea rite caſſata de tali Rigen. Eccleſiae provideret, qui tanto congrueret oneri, & honori. Unde licet præfatus Cardinalis neutrum electorum ad cedendum potuerit inducere, ac intentationem Bremenſis Eccleſiae, quoad quaſi poſſeſſionem prædictam, ſatis invenerit eſſe fundatam, tamen præfati ordinatione, in cuius proceſſu peccatum fuit, contra formam Generalis Concilii, exigente iuſtitia, irritata, electionem memorati Canonici, cum eam Canonicam, & celebratam de perſona idonea reperiſſet, non obſtante appellatione frivola Bremenſis Eccleſiae, confirmavit. Nos igitur veſtris ſupplicationibus inclinati, quod ſuper hoc factum eſt a Legato prædicto, de Fratrum noſtrorum conſilio, authoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus, perpetuum ſuper hoc Bremenſi Eccleſiae ſilentium imponentes. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrae confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire, ſi quis autem hoc attemptare præſumſerit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe noverit incurſurum. Datum Lateran. VI. Idus Aprilis Pontificatus noſtri Anno quinto. Anno 1231.

XVII.

Gregorius IX. *Papa concedit Vilhelmo Legato ſuo, ut Epiſcopatus Livoniæ unire, & dividere, ac transferre valeat. Ex Originali.* 1234.

Gregorius Epiſcopus Servus Servorum Dei. Venerabili Fratri V. Epiſcopo quondam Mutinenſi, Apoſtolicæ Sedis Legato ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Licet Epiſcoporum translatio, & mutatio Sedium ad Romanum Pontificem de Jure pertineat, nec ſit absque ipſius licentia facienda, utrumque tamen tunc demum debet fieri, cum urgens neceſſitas, & evidens utilitas id fieri perſvadent. Cum itaque ſicut noſtris fuit auribus intimatum in Revelia, Vironia, & quibusdam aliis terris Legationi tuæ com-

ANNO 1234. commiſſis, tanta ſit temporalium rerum inopia, quod non ſolum unius uni, ſed etiam vix duorum Epiſcopatuum uni Epiſcopo ſufficiunt facultates, & propter Epiſcoporum defectum, ſalus negligitur animarum. Nos volentes ipſarum ſaluti conſulere, ac devotionem tuam proſequi gratia ſpeciali, ut creditae tibi legationis officium ad honorem Dei, & animarum ſalutem proficiat, earundem præſentium tibi auctoritate concedimus, ut Epiſcopatus unire, ac dividere valeas, & transferre de uno loco ad alium, inſtituere de novo Epiſcopos, & conſecrare, & limitare Epiſcopatus, ubi expedire videris in prædictis Terris, cum utilitas, & neceſſitas hoc expoſcunt, Contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo. Non obſtantibus aliquibus literis a Sede Apoſtolica impetratis. Datum Laterani ſecundo Calendas Martii Pontificatus noſtri Anno ſeptimo.

XVIII.

Eccleſiæ Rigenſi, & Petri pro commodiore Parochorum ſuſtentatione adiiciuntur viginti quinque Unci Terræ. Ex Archivo Magni Ducatus Litvaniæ.

BOLDINUS miſeratione divina Semigallienſis Epiſcopus, Apoſtolicae Sedis Legatus omnibus Chriſti Fidelibus hanc paginam inſpecturis, pacis, & ſalutis perpetuæ incrementum. Cum nos in partibus Semigalliae, Curoniae, Livoniae, & Heſtoniae, cæterisque Neophicorum, & Paganorum Provinciis, & Inſulis converſis, & convertendis Legationis officio fungeremur, conſiderantes ſtatum quarundam Parochiarum, quod Sacerdotes earum præbendas certas non haberent, ipſis debitae pietatis intuitu duximus pro poſſe noſtro aliquatenus ſuccurrendum. Auctoritate igitur Apoſtolica, & noſtra dotamus Eccleſiam Beati Petri in Riga, inbeneficiantes Literarum noſtrarum præſentium exhibitorem, Jordanum eiusdem Eccleſiae Plebanum in viginti quinque uncis in Curonia, in Caſtellatura Lodgiae, in Provincia Ugeſſe, quos uncos tam ei, quam Succeſſoribus ſuis ſecundum æſtimationem uncorum, qui fuerunt intra viginti annos, aſſignamus cum decimis, & omni iure, ſalvo nobis iudicio ſupremo, in perpetuum poſſidendos, libertate Neophicorum de ipſis Terris manente illæſa, iuxta quod in Literis exinde confectis plenius continetur. Nos vero factum hoc noſtrum tam pium, quam honeſtum ratum eſſe volentes, ſcripti huius, ac Sigilli noſtri patrocinio confirmamus, diſtricte ſub pœna Excommunicationis inhibentes, ne quis hanc collationis noſtrae paginam, & confirmationis præſumat infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem contra præſumpſerit, indignationem Dei omnipotentis, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius, nec non Domini Papae ſententiam, & noſtram ſe noverit incurſurum. Datum Rigae Anno Domini milleſimo ducenteſimo triceſimo quarto. Quinto Kalendas Maii. ANNO 1234.

XIX.

Bulla GREGORII IX. *Papæ, qua Ordinem Militiæ Chriſti unit cum Ordine Fratrum Domus Theutonicorum. Ex Originali.* 1237.

GREGORIUS Epiſcopus Servus Servorum Dei. Venerabili Fratri Epiſcopo quondam Mutinenſi, Pœnitentiario noſtro, Apoſtolicae Sedis Legato ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Grato dilectorum filiorum Magiſtri, & Fratrum Hoſpitalis Sanctae Mariae Theutonicorum religionis odore ſe per mundi climata diffundente, provenit de gratia Redemptoris, quod eadem eſt, & Apoſtolicae Sedi cara non modicum, & dilecta multitudini fidelium Populorum, inde fit, quod dilecti filii Præceptor, & Fratres Militiae Chriſti de Livonia, ex ſignis evidentibus præſumentes tam dicti Hoſpitalis collegium, in virtutum amplexibus eſſe multipliciter ſtudioſum, pluries Magiſtrum eundem, ut eos ſuo incorporaret Ordini, per Nuntios, & ſpeciales Literas affectuoſe, ſicut accepimus, exorarunt, a Nobis tandem illud idem poſt caſum lugubrem, quem in occaſu Magiſtri, & quinquaginta Fratrum eiusdem Militiae, ac Peregrinorum quam plurium, paganorum ſæviente perfidia noviter pertulerunt, una cum Venerabilibus Fratribus noſtris Rigenſi, Tharbatenſi, & Oſilienſi, Epiſcopis per flebiles Literas ſuppliciter poſtulantes, ſpe ſibi propoſita, quod cum prædicti Magiſter, & Fratres ſtrenuam, & famoſam habeant in ſua Domo militiam, omni theſauro pretioſius arbitrantem animam pro illo ponere, qui ſuam pro redemptione Fidelium noſcitur poſuiſſe, divina ſuffragante potentia provenire valeat, quod ipſi ad invicem, ſi unum ovile fuerint, cito partem oppoſitam dextera conterent triumphanti, ibi celebrem ANNO

ANNO 1237. brem reddituri Patris æterni Filium, ubi colentium poteſtates aëreas infinita multitudo periit animarum. Nos igitur, qui nihil gratius ampliatione Catholicae fidei reputamus, digne volentes, ut eorundem Præceptoris, & Fratrum pium deſiderium ad effectum perveniat exoptatum, quinimmo plena credulitate tenentes, quod Fratribus Hoſpitalis eiusdem apponat Dominus in Livonia reperiri Magnificos, quos ſua virtute reddidit in Pruſſiae partibus, ad victoriam expeditos, ipſorum ordini memoratos Praeceptorem, & Fratres de Fratrum noſtrorum conſilio uniendos duximus, cum bonis omnibus eorundem, auctoritate Apoſtolica ſtatuentes, ut ipſi, & cæteri Fratres praedicti Hoſpitalis Sanctae Mariae Theutonicorum, qui pro tempore fuerint in Livonia, ſicut hactenus ſub Diœceſanorum, & aliorum Prælatorum ſuorum iurisdictione conſiſtant, non obſtantibus indultis memoratis Magiſtro, & Fratribus Privilegiis libertatis, & ſi forte aliquis eorundem Fratrum per aliquem iam dictorum Diœceſanorum, vel Praelatorum ſententia excommunicationis, vel ſuſpenſionis aſtrictus in locum alium transferatur, tam diu vitetur a Fratribus, & ſuſpenſus etiam habeatur, donec excommunicatori, vel ſuſpendenti ſatisfaciat, ut tenetur. Decernimus etiam, ut quae ibidem pro libertate Eccleſiarum, vel Neophitorum, aut pro ſtatu terrae ſunt per Sedem Apoſtolicam ordinata, vel per ipſam in poſterum ordinari contigerit, ab eisdem in Livonia conſtitutis inviolabiliter obſerventur, & praefata terra, quae iuris, & proprietatis Beati Petri eſſe dinoſcitur, per eos, aut alios nullius unquam ſubiiciatur Dominio poteſtatis. Volumus tamen, ut indulta ſupradictis Praeceptori, & Fratribus a Sede Apoſtolica ante huiusmodi unionem in ſuo robore perſeverent. Tu itaque, cui virtutum Dominus ſuper exaltanda gratia ſui nominis affectum tribuit, & effectum, omnem, quam potes, opem, & operam largiaris, ut quod in ſpe noſtra ex huiusmodi unione geritur, in productione gratorum haberi fructuum, ſuperna propitiante gratia videatur, ſicque fiat, quod ex hoc nobis, & lætitiae multitudo proveniat, & tibi tandem claritatis æternae radius illuceſcat. Datum Viterbii ſecundo Idus Maii Pontificatus noſtri Anno undecimo.

XX.

VILHELMUS *Legatus Apoſtolicus profert terminos Rigenſis Eccleſiæ, & limitat Diœceſes Curonenſem, & Semigallienſem. Ex Originali.* ANNO 1237.

Dilectis in Chriſto Fratribus omnibus, praeſentes Literas inſpecturis. W. (WILHELMUS) divina miſeratione Epiſcopus quondam Mutinenſis, Pœnitentiarius Domini Papae, Apoſtolicae Sedis Legatus Salutem in Nomine Jeſu Chriſti. Noveritis nos recepiſſe a Sede Apoſtolica Literas in hanc formam.

GREGORIUS Epiſcopus Servus Servorum Dei. Venerabili Fratri W. (WILHELMO) Epiſcopo quondam Mutinenſi Pœnitentiario noſtro, Apoſtolicæ Sedis Legato ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Licet Epiſcoporum translatio, & mutatio Sedium ad Romanum Pontificem de Jure pertineat, nec ſunt absque ipſius licentia faciendae, utrumque tamen tunc debet fieri, cum urgens neceſſitas, & evidens utilitas, id fieri perſvadent. Cum itaque, ſicut noſtris fuit auribus intimatum, in Revalia, Vironia, & quibusdam aliis terris Legationi tuae commiſſis, tanta ſit temporalium rerum inopia, quod non ſolum unius uni, ſed etiam vix duorum Epiſcopatuum uni Epiſcopo ſufficiunt facultates, & propter Epiſcoporum defectum, ſalus negligitur animarum: Nos volentes ipſarum ſaluti conſulere, ac devotionem tuam proſequi gratia ſpeciali, ut creditae tibi Legationis officium ad honorem Dei, & animarum ſalutem proficiat earundem, praeſentium tibi auctoritate concedimus, ut Epiſcopatus unire, ac dividere valeas, & transferre de uno loco ad alium, inſtituere de novo Epiſcopos, et conſecrare, et limitare Epiſcopatus, ubi expedire videbis in praedictis terris, cum utilitas, et neceſſitas hoc expoſcunt in Revalia, et Vironia, Lundenſis Eccleſiae iure ſalvo, Contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo. Datum Interamnae quinto Kalendas Junii Pontificatus noſtri anno decimo. Huius igitur auctoritate Reſcripti viſo manifeſte, quod Eccleſia, et Epiſcopatus Rigenſis tam in Nuntiis Romanae Eccleſiae, quam in aliis negotiis, quae multas requirunt expenſas, ſuper profectum novae Chriſtianitatis, quaſi totaliter pro omnibus aliis Epiſcopis, et Eccleſiis ſuſtineant pondus diei et æſtus, nec habeat Diœceſis Rigenſis ultra Dunam, cum ipſa Civitas ſuper littore Dunae ſedeat, terminos limitatos. Videntes ex hoc manifeſtum profectum Chriſtianitatis, et quod alias vix aut nunquam proficiſ-

Anno 1237. ficiet Christianitas, ultra Dunam sic terminos illius Diœcesis limitamus, ut in Diœcesi Rigensi illi termini computentur, qui includuntur inter Vendam, et Dunam, sicut ascendit Venda de mari, usque ad locum, ubi Aboa intrat in Vendam, et sicut Aboa ascendit usque ad ortum suum, et sicut de ortu Aboæ recta linea flectitur limes versus Dunam usque ad Castrum, quod Cocanis nuncupatur, et istorum terminorum constituimus prædictam Ecclesiam et Episcopum possessores, ita, quod nemo infra prædictos terminos sine voluntate prædicti Episcopi, et Ecclesiae audeat occupare, et quicunque de prædictis terminis Episcopo, vel Ecclesiæ Rigen. occupando, possidendo vel impediendo violentiam fecerit, noverit se, ni prænonitus infra quindecim dies cessaverit, authoritate, qua fungimur, Apostolica, Excommunicationis vinculo innodatum: salvis terminis Curiae, sive Marchiae Civitatis Rigensis, secundum quod in nostris, quas habent, Literis continetur. Si quis autem infra prædictos terminos existimaverit se aliquid iuris habere, hoc apud legitimum Judicem prosequatur. Curonensem vero Diœcesim sic limitamus, ut quidquid est inter Memelam, et prædictum fluvium Wende, usque ad Litoviam, et sicut Aboa clauditur versus fluvium Wende, usque ad terminos Semigalliae, in Curonensi Diœcesi computetur. Semigallienſem autem Diœcesim sic limitamus, ut quidquid extra prædictos terminos de Semigallia, et extra Curoniam concluditur inter Memelam, et Dunam citra fluvium Nigerix, et directam lineam ab ortu Nierz, contra Płoecke, in Semigallienſem Diœcesim computetur, has vero limitationes fecimus de consilio, et voluntate Venerabilium Patrum Episcoporum, et dilectorum Fratrum H. Præpositi, et Capituli Semigallienſis, cum Sedes ibi vacaret, et aliorum de Terra Prælatorum. Datum in Riga Anno Dominicae Incarnationis millesimo ducentesimo trigesimo septimo.

XXI.

1239. Nicolaus *Episcopus Rigensis cedit Ecclesiæ suæ de quarta parte Insulæ Osmassare. Ex Originali.*

Nicolaus miseratione Dei Rigensis Episcopus omnibus, ad quos præsentes Literae pervenient, salutem in Nomine JEsu Christi. Ne pernicioſe labantur cum tempore, quae rationabiliter aguntur in tempore, scripto præsente protestamur, et Sigilli nostri appensione, quia proprietatem, et omne ius, quod nos habuimus in quarta parte Insulae, quae Osmassare vocatur, nostrae assignavimus Ecclesiae conferendo. Tum ad perpetuam nostri memoriam tanto devotius habendam, tum ad pacem, et concordiam inter nos, Successoresque nostros, et Capitulum solidandam. Fuerat enim pridem in litis quæstione inter nos ex parte una, et Dominum Joannem bonae memoriae Episcopum, et Capitulum ex altera ventilata. Requirentibus nobis eandem partem Insulae a Wiebero de Menenden Lacio, qui eam ab Antecessore nostro piae memoriae Domino Alberto feudaliter receperat, et a nobis postea recipere neglexerat multis annis, dictoque Præposito allegante pro Ecclesia, quod de beneplacito prædicti Antecessoris nostri idem Wieberus eam Ecclesiae contulisset, et Ecclesia quiete multis eam annis hactenus possedisset, licet probare consensum Episcopi non valeret. Nunc vero eandem partem, ut dictum est, contulimus, et omnes reliquas integraliter cum ista confirmavimus, de quibus quæstio non est mota. Acta sunt hæc in Capitolio Rigensi Anno gratiae 1239. Pontificatus nostri octavo. Præsentibus Domino Wolberto Præposito, Ludolwo Priore, Henrico Cancellario, Lamberto Camerario, Henrico Scholastico, Joanne Cantore, Gotschalco Custode, aliisque fere Canonicis fratribus Universis. Anno 1239.

XXII.

Alberti *Archiepiscopi Rigensis Sententia, qua spatium ad Aquilonem Monasterio adiacens, ipsi Monasterio contra intentionem Civium Rigensium adiudicat. Ex Archivo Magni Ducatus Litvaniæ.* 1243.

Albertus conservatione divina sanctae Rigensis Ecclesiae Archiepiscopus, & totius Livoniae, Estoniae, & Prussiae Metropolitanus, omnibus præsentem paginam inspecturis salutem in Domino sempiternam. Cum super quodam spatio ad Aquilonem Monasterio adiacenti, & murorum ambitu ad cimiterium deputato, inter Capitulum nostrum ex parte una, & Cives Rigenses ex altera coram nobis quæstio verteretur, lite legitime contestata ad fundandam intentionem suam Præpositus, &

ANNO 1243. Capitulum allegarunt, quod felicis recordationis ALBERTUS quondam Rigenſis Epiſcopus fundator Civitatis eiusdem, & Eccleſiae ad conſtruendum Monaſterium, & Clauſtrum cum domibus neceſſariis, aream ſub expreſſis, & certis terminis limitavit, intra quos prædictum ſpatium eſſe ſitum, utpote immediate adiacens Monaſterio aſſerebant. Proponente itaque parte Civium ex adverſo, quod prædictum ſpatium nequaquam intra præfatos terminos ſitum eſſet, nec etiam ad proprietatem Eccleſiæ, ſed ad communem utilitatem, & libertatem omnium pertineret. Pars Capituli Inſtrumentum donationis prædicti Fundatoris exhibuit, cuius per omnia tenor talis fuit: ALBERTUS Dei Gratia &c. Cum a prima fundatione Rigenſis Civitatis ius habuerimus conferendi areas ad habitandum ſingulis competentes, poſcente tandem tempore aream quoque, quam decuit ad conſtruendum Monaſterium, & Clauſtrum cum domibus neceſſariis nobis, Eccleſiæ noſtræ Cathedrali placuit aſſignare. In die B. Jacobi Apoſtoli Pontificialibus induti cum reliquis Civibus, & proceſſione ſolenni Cleri, & Populi proceſſimus ad locum, ubi extra murum Civitatis Livones habitationem habebant, cum conſenſu omnium eligentes, conferentes, luſtrantes, & conſervantes eundem locum Beatae Virgini Mariae, & Eccleſiae Cathedrali, ita ſane, ut quidquid continetur intra murum, Dunam, & foſſatum, quod ultra latericiam domum circulariter, & directe concurrit ad cornu muri citra portam magnam, & viam, ad aream pertineat ſupradictam. Areas autem, quas ibidem Livones ſeu Theutonici habuerant, recompenſatione aliarum arearum, ſeu certo pretio comparavimus ab eisdem, eadem hora ſolenniter, & diſtricte ſub anathematis vinculo percellentes omnem hominem, qui inpoſterum Eccleſiam ſuper eadem area indebite præſumeret moleſtare. Teſtes ſunt Joannes Præpoſitus Rigenſis, & totus Conventus &c. Acta ſunt hæc Anno Dom. Incarnationis MCCXI. VIII. Kalendas Auguſti Pontificatus noſtri Anno XIV. Cum itaque cornu muri, de quo in Inſtrumento fit mentio, Capitulum, fuiſſe citra Conſiſtorii portam, aſſereret, de quo ducto funiculo ad terminum quendam domus lateritiae contra viam, incluſum intra aream Eccleſiæ prædictum ſpatium appareret, & pars Civium contra hoc nihil rationabile diceret, licet Inſtrumentum mentionem facere de porta illa, quæ quondam apud S. Paulum fuerat, allegaret, cum Judex non ſemper ad unam ſpem probationis applicet mentem ſuam, ſed ex confeſſionibus, depoſitionibus, & allegationibus, & aliis, quae in eius præſentia proponuntur, informet animi ſui motum. Nos ex his, quae acta ſunt in iudicio coram nobis, de poſſeſſione & proprietate prædicti loci ſufficienter, et plene docuiſſe Capitulum attendentes, et quod iuxta conſvetudinem aliarum Eccleſiarum ante Eccleſiam ipſam illum ſit cimiterium, in quo corpora fidelium ibidem ſepeliri pro tempore volentium aſſumantur, ſententialiter diffinimus ſæpedictum ſpatium ſive locum ad ius, et proprietatem Eccleſiae terminandae pertinere, ut autem prædicti Cives pro libertate, vel utilitate communi nihil in eo poſſint, aut debeant vendicare, aut ipſam de fiſco aliquatenus impedire, quominus ſibi liceat ſæpedictum ſpatium, ſive ad cimiterium, ſive ad alium quemcunque uſum Eccleſiaſticum voluerint deputare, Contradictores perpetuo Anathemate, quo iratus Dominus animas percutit innodantes: ſuper areis muro adiacentibus, quae in lite ſunt inter partes, utriusque partium iure ſalvo, cum de ipſis voluerint experiri. Teſtes ſunt Venerabilis Frater noſter Alexander Epiſcopus Tharbaten. Hermanus Præpoſitus Rigenſis, Hermanus Prior, Joannes de Wechra, Hermanus Martinus, et plures alii de Conventu, Theodoricus Commendator de Wolbenborch, Everhardus, Baldvinus, Cæſarius, Fratres de domo Theutonica, Gerbardus Capitaneus peregrinorum in Riga, Alexander milites de Slauta, quorum Sigilla inferius ſunt appenſa. Actum Rigae Anno Domini MCCXLIII. quarto Idus Septembris. ANNO 1243.

XXIII.

INNOCENTIUS IV. *Limitationem Epiſcopatus Rigenſis a* VILHELMO *Epiſcopo Sabinenſi Legato Apoſtolico factam, confirmat. Ex Originali.* 1247.

INNOCENTUS Epiſcopus Servus Servorum Dei. Venerabili Fratri Epiſcopo, et dilectis filiis Præpoſito, et Capitulo Rigen. Eccleſiae. Præmonſtraten. Ordinis ſalutem, et Apoſtolicam benedictionem. Juſtis petentium deſideriis dignum eſt nos facilem præbere aſſenſum, et vota, quae a rationis tramite non diſcordant, effectu proſequente complere. Veſtra ſane petitio nobis exhibita continebat, quod cum olim felicis re-

ANNO 1247. recordationis Gregorius Papa Praedeceſſor noſter, uniendi, ac dividendi, transferendi, vel inſtituendi de novo, et etiam limitandi Epiſcopatus in Livonia, Revalia, & Vironia, Venerabili Fratri noſtro Epiſcopo Sabinen. tunc in partibus illis Apoſtolicae Sedis Legato per ſpeciales literas plenam conceſſerit poteſtatem, idem Epiſcopus huiusmodi authoritate mandati Epiſcopatum Rigenſis Eccleſiæ duxit certis finibus limitandum, prout in ipſius Epiſcopi literis dicitur plenius contineri, quod ratum haberi a nobis humiliter ſupplicaſtis. Nos igitur veſtris ſupplicationibus inclinati, quod ab eodem Epiſcopo in hac parte provide factum eſt, ratum, & gratum habentes, illud authoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire, ſi quis autem hoc attemptare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe noverit incurſurum. Datum Ludguni ſecundo Idus Julii, Pontificatus noſtri anno quarto.

XXIV.

1251. INNOCENTIUS IV. *Papa confirmat Cardinalium deputatorum Ordinationem, qua Epiſcopatus Semigallienſis ſupprimitur, & Semigallia ad Epiſcopatum Rigenſem adiungitur. Ex Originali.*

INNOCENTIUS Epiſcopus Servus Servorum Dei. Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopo Livoniæ, et Pruſſiæ, ac Rigenſi, et Curonienſi, Epiſcopis, et dilectis Filiis, Capitulo Rigen. ac Fratri Theodorico Magiſtro, et Fratribus Hoſpitalis S. Mariae Theutonicorum in Livonia, et Curonia ſalutem, et Apoſtolicam benedictionem. Quae de ſpeciali mandato noſtro ſunt inſtituta, provide ac ſalubriter ordinata, decet Apoſtolico communiri præſidio, ut inconcuſſae robur firmitatis habeant, et illibata perſiſtant. Sane cum ordinationes, quae Rigen. Semigallien. et Curonien. tangebant Eccleſias, reformatione, et correctione indigere in aliquibus viderentur, Nos ordinationes ipſas corrigendas, et reformandas Venerabilibus Fratribus P. Albanen. et Gvilelmo Sabinen. Epiſcopis, ac dilecto filio noſtris J. tituli Sancti Laurentii in lucem Presbytero Cardinali duximus committendas, qui diligenter naturam huiusmodi negotii attendentes, certam ſuper his Ordinationem Vobis Frater Archiepiſcope, ac Fili Magiſter, nec non Procuratoribus veſtris, Fratres Epiſcopi, et filii Capitulum præſentibus, et conſentientibus feciſſe noſcuntur, prout in patentibus literis inde confectis, et ſignatis Sigillis Epiſcoporum et Cardinalis prædictorum, ac etiam veſtris iam dicti Archiepiſcope, et Magiſter plenius continetur. Nos itaque veſtris ſupplicationibus inclinati, ordinationem huiusmodi per Albanen. ac Sabinen. Epiſcopos, et Cardinalem præfatos ſuper præmiſſis provide factam, ratam, et firmam habentes, eam authoritate Apoſtolica confirmamus, et præſentis ſcripti patrocinio communimus, tenorem autem Literarum ipſarum de verbo ad verbum præſentibus fecimus annotari, qui talis eſt.

ANNO 1251.

Petrus miſeratione divina Albanen. & Gvilelmus eadem miſeratione Sabinen. Epiſcopi, ac Joannes Dei Gratia tituli S. Laurentii in lucem Presbyter Cardinalis, omnibus Chriſti fidelibus, ad quos præſens ſcriptum pervenerit, ſalutem in Nomine JEſu Chriſti. Veſtra noverit univerſitas evidenter, quod cum Dominus Papa diligenter attendens, quod quædam ordinationes, quae Rigen. Semigallien. & Curonien. tangebant Eccleſias, reformationem, & correctionem in quibusdam non immerito requirebant, correctionem, & reformationem ordinationum huiusmodi nobis viva voce duxerit committendam, Nos attendentes, quod Rigen. Eccleſia, quae in dilatatione fidei Chriſtianae, utpote primitiva, & præcipua pro univerſis Eccleſiis in partibus Livoniae, & Eſtoniae laboravit, adeo in ſuis iam fuerat diminuta limitibus, quod niſi eiusdem Eccleſiae ampliarentur termini, paganorum incurſibus, quibus frequentius conquaſſatur, reſiſtere non valeret, nec divinus cultus, ſicut ab eadem incepit Eccleſia, debitum ſuſciperet incrementum, ut eiusdem Eccleſiae ſolicitudini condigno reſpondeatur affectu, Terram, quae Semigallia dicitur, authoritate nobis in hac parte commiſſa, Diœceſi eiúsdem Rigen. Eccleſiæ decernimus uniendam. Ita quod Rigen. Epiſcopus ipſam Semigalliam cum omni iurisdictione, & iure temporali, & ſpirituali poſſideat, excepta tertia parte eiusdem Semigalliæ, quam Fratres Domus Sanctæ Mariæ Theutonicorum cum decimis, & omni iure, & iurisdictione temporali poſſident, & hactenus poſſederunt, & ſic nullus de cætero in eadem Semigallia præficietur Epiſcopus, quia cum quædam pars ſit Rigen. Diœceſis, quae tantae latitudinis non exiſtit, quod ſi tota etiam converſa foret ad fi-

Centr. Bibliotek 91789

Anno 1251. dem, proprium non poſſet Epiſcopum ſuſtinere, verum cum bonae memoriae S. Moguntinus Archiepiſcopus diſcretum Virum Fratrem Henricum dictum de Luccebburg de Ordine Fratrum Minorum facti illarum partium prorſus ignarus, in Semigallien. Epiſcopum auctoritate Apoſtolica duxerit promovendum; Nos eundem Fratrem ad totam Curonien. Diœceſim nunc Paſtore vacantem duximus transferendum, quam totam Curoniam, ſive Curlandiam pro ſuae Diœceſis terminis tam idem Frater Henricus, quam Succeſſores eius pacifice poſſideant, & quiete. Ita tamen, quod Magiſter, & Fratres Domus Sanctae Mariae Theutonicorum in eadem Curonia duas partes eiusdem Terrae cum decimis, & omni iure, & iurisdictione temporali poſſideant, & eodem modo præfatus Curonien. Epiſcopus tertiam partem reſiduam eiusdem Terrae cum omni iure, & iurisdictione temporali, & ſpirituali pacifice poſſideat, & quiete. Quia vero Capitulo Rigen. ab eodem Rigen. Epiſcopo, ante præſentem ordinationem noſtram ducentorum uncorum in Donedange, & Thargele in eadem Curonien. Diœceſi reditus fuerant aſſignati, reditus ipſos præfatos Capitulum exnunc in perpetuum cum decimis, & omni temporali iurisdictione, & iure retinere volumus, & mandamus, quos tamen iidem Capitulum a Diœceſano loci ſuſcipient, & etiam poſſidebunt, prout ſuperius eſt expreſſum, tam in portione Fratrum, & Capituli prædictorum, quam in tota Curonien. Diœceſi, Epiſcopo Diœceſano omnibus iuribus ſervatis, quae non poſſunt, niſi per Epiſcopum exerceri. Et quoniam propter paganorum frequentes incurſus, & alia emergentia negotia peragenda, Curonien. Epiſcopum in Civitate Rigen. contingit ſæpius commorari, domum, & aream, quam bonae memoriae Semigallien. Epiſcopus habuerat in eadem Civitate Rigen. eidem Curonien. Epiſcopo decernimus, & volumus aſſignari, cum idem Curonien. pretium, pro quo eadem domus, & area redemptae fuerunt, paratus Rigen. Epiſcopo fuerit exhibere. Et ne Sedes Metropolica, quae ab eodem Domino Papa de novo in illis partibus eſt creata, debito careat fundamento, ex ſuæ titulo dignitatis, decernimus ordinandum, ut Archiepiſcopus, qui ad illam Metropolim eſt aſſumptus, in Civitate Rigen. prædicta, quae nobilior ex multis cauſis, & habilior aliis Eccleſiis illarum partium eſſe videtur, Sedem Archiepiſcopalem conſtituat, ſecundum quod ei per literas Apoſtolicas eſt indultum, ſi autem idem Rigen. Epiſcopus cedere Epiſcopatui Rigen. vel ad alium Epiſcopatum ſe transferre voluerit, id ei authoritate præſentium indulgemus, & ſic memoratus Archiepiſcopus nominatam Rigen. Eccleſiam pro Metropoli libere valeat adipiſci. Alioquin dictus Rigen. quoad vixerit, pacifice in ſtatu præſenti, tam in Civitate, quam Diœceſi Rigen. permaneat, eodem Archiepiſcopo tam in Civitate Rigen. quam per totam ſuam Provinciam iurisdictionem Metropoliticam exercente. Quod autem huiusmodi ordinatio facta de conſenſu eiusdem Archiepiſcopi & Fratris Theodorici dicti de Gruenig, Magiſtri eiusdem Domus Sanctæ Mariæ Theutonicorum in Pruſſia, & Livonia, et diſcreti Viri Alexandri Sacriſtæ, & Lamberti Canonici Rigen. Procuratorum Epiſcopi, & Capituli Rigen. prædictorum, & Celini Canonici Sancti Theobaldi Metenſis, Procuratoris eiusdem Fratris Henrici quondam Semigallienſis Epiſcopi, nunc vero Epiſcopi Curonienſis, rata permaneat, & inviolabiliter obſervetur, Sigillorum noſtrorum munimine una cum Sigillis prædicti Archiepiſcopi, ac memorati Magiſtri ipſam duximus roborandam. Datum Lugduni quinto nonas Martii Pontificatus Domini Innocentii Papæ IV. Anno octavo. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrae confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire, ſi quis autem hoc attemptare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe noverit incurſurum. Datum Lugduni ſecundo Idus Martii Pontificatus noſtri Anno octavo. Anno 1251.

XXV.

Nicolaus *Epiſcopus Rigenſis medictatem partis in Semigallia a Summo Pontifice Epiſcopatui Rigenſi adiunctæ, Eccleſiæ ſuæ donat. Ex Originali.*

Nicolaus divina miſeratione Rigen. Epiſcopus, Omnibus hanc literam viſuris gratiam in præſenti, & gloriam in futuro.

Cum ex officio Paſtorali, & ſollicitudine paterna gregibus nobis commiſſis, non ſolum in præſenti, verum etiam in futurum, prout poſſumus, providere teneamur, Eccleſiae noſtrae Cathedralis defectui paterne, & miſericorditer compatientes, ne ſolempne divinum officium, quod

Anno 1251. quod inceſſanter diebus, ac noctibus in ipſa Domino JEſu Chriſto, & piæ eiusdem Genetrici Mariæ exhibetur, propter defectum perſonarum, & rerum inopiam valeat annihilari, eandemque Eccleſiam tanquam filiam dilectam a Domino JEſu Chriſto nobis commiſſam temporibus noſtris, ſecundum poſſibilitatem noſtram, non ſolum in ſpiritualibus verum etiam in temporalibus promovere, honorare volumus, & exaltare. Igitur pro remiſſione noſtrorum peccaminum, dimidietatem noſtræ partis in Semigallia, quæ a Domino Papa noſtro Epiſcopatui unita eſt, & confirmata, eidem Eccleſiae noſtrae cum omni iure ſpirituali, ac temporali libera voluntate contulimus perpetuo poſſidendam. Et ne donatio noſtra in poſterum ab aliquo hominum poſſit in irritum deduci, præſentem paginam Sigilli noſtri appenſione roboratam, ipſi dedimus in munimen, pœna anathematis omnem hominem percellentes, qui præmemoratam Eccleſiam in parte prædicta auſus fuerit moleſtare. Data in Riga Anno Dominicæ Incarnationis milleſimo ducenteſimo quinquageſimo primo, Pontificatus noſtri Anno vigeſimo ſecundo.

XXVI.

1254. *Diviſio Semigalliæ inter Archiepiſcopum, & Capitulum Rigenſe, & Fratres Ordinis Theutonici. Ex Originali Sigil. 10.*

Albertus miſeratione divina Archiepiſcopus Livoniæ, Eſtoniæ, & Prutiæ, ac Rigenſis Eccleſiæ, Hermanus Præpoſitus, & Capitulum Rigenſe, & Venerabilis Præceptor Allemanniæ, ſummi Magiſtri Domus Theutonicæ in Livonia Vices Gerens. Omnibus præſentem paginam inſpecturis in Chriſto Jeſu gaudium, & ſalutem. Literas Domini Papæ ſuper donatione, & diviſione Semigalliæ nobis datas, habito diſcretorum conſilio concorditer obſequentes, invocata Sancti Spiritus gratia, oratione præmiſſa per ſortes in tres partes Semigalliam diviſimus ſub hac forma. *Silene*, & *Sagera* cum ſuis terminis ad Rigenſem Archiepiſcopum, *Dubene*, & *Sparnene* ad Rigenſe Capitulum, *Thevethene*, & *Dubelone* ad Fratres Domus Theutonicorum, cum decimis, & iure patronatus Eccleſiarum, & omni iure, & emolumento temporali perpetuo pertinebit, exceptis iuribus, quæ non poſſunt niſi per Archiepiſcopum, vel Archidiœceſim exerceri. Si vero aliquas hæreditates in parte alicuius noſtrum venales fieri contiget, has nullus ex nobis in præiudicium alterius ſibi, nec emptionis, aut alicuius alterius uſurpationis titulo vendicabit. Acta ſunt hæc Anno Domini milleſimo ducenteſimo quinquageſimo quarto Menſe Aprili Pontificatus noſtri Anno primo. Huius rei teſtes ſunt hi, quorum Sigilla inferius ſunt appenſa. Gerardus Comes Holſatiæ, Otto miles de Barmeſtede, Frater Albertus Gvardianus Fratrum Minorum, Frater Arnoldus Prior Fratrum Prædicatorum, Hermannus Præpoſitus Rigenſis, & alii quam plures Clerici, & Laici. Vt autem hæc omnia inconvulſa permaneant, & firma, præſentem paginam Sigilli noſtri appenſione una cum Sigillo Magiſtri Everardi Præceptoris Allemanniæ, qui eo tempore vices ſummi Magiſtri Domus Theutonicorum gerebat in Livonia, duximus confirmanda. Anno 1254.

XXVII.

Innocentius IV. *Papa approbat Donationem mediæ partis in Semigallia, ab Archiepiſcopo Capitulo Rigenſi factam. Ex Originali.*

Innocentius Epiſcopus Servus Servorum Dei dilectis filiis Præpoſito, & Capitulo Rigenſis Eccleſiæ Ordinis Sancti Auguſtini ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Juſtis petentium deſideriis dignum eſt nos facilem præbere conſenſum, & vota, quæ a rationis tramite non diſcordant, effectu proſequente complere. Exhibita quidem nobis veſtra petitio continebat, quod bonæ memoriæ Nicolaus Rigenſis Epiſcopus Diœceſanus, redituum Eccleſiæ veſtræ tenuitate penſata, pro veſtra, & Succeſſorum veſtrorum ſubſtentatione, & ipſius animae ſalute, medietatem ſuæ partis in Semigallia cum plenitudine ſpiritualis, & temporalis iuris, prout potuit, vobis pia, et provida liberalitate conceſſit perpetuo poſſidendam. Ac demum Venerabilis Frater noſter Rigenſis Archiepiſcopus Succeſſor ipſius conceſſionem huiusmodi ratam habens, et gratam, eam confirmationis ſuæ robore communivit, ſicut in ipſorum Archiepiſcopi, et Epiſcopi literis confectis exinde plenius dicitur contineri. Nos itaque veſtris ſupplicationibus inclinati, quod ab eisdem Archiepiſcopo, et Epiſcopo ſuper hoc pie, ac provide factum eſt, ratum habentes, et gratum, illud auctoritate Apoſtolica confirmamus, et

ANNO 1254. præſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrae confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius, ſe noverit incurſurum. Datum Laterani quinto Calend. Februarii. Pontificatus noſtri Anno undecimo.

XXVIII.

Concordia inter ALBERTUM *Archiepiſcopum Rigenſem, Henricum Oſilienſem, Henricum Curonienſem, Epiſcopos ab una, ac Magiſtrum, & Fratres Hoſpitalis S. Mariæ Theutonicorum ab altera parte, qua conſtituitur, ut Ordo Theutonicus in Livonia tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus ſit ſub poteſtate Archiepiſcopi, & Epiſcoporum. Ex Originali Sigil. 6.*

ALBERTUS Dei Gratia Archiepiſcopus Livoniæ, Eſtoniæ, & Pruciæ, ac Rigenſis Eccleſiæ, & eadem Gratia Henricus Oſilienſis, & Henricus Curonienſis, Epiſcopi. Omnibus Chriſti fidelibus præſentes inſpecturis, ſalutem in Nomine Jeſu Chriſti: Univerſitati veſtræ notum facimus, & præſentibus proteſtamur, quod cum inter nos, ac Dominum Tharbaten. Epiſcopum ex parte una, & Magiſtrum, & Fratres Hoſpitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum in Livonia ex altera, ſuper cauſis, et articulis quæſtio verteretur; convenientibus nobis in craſtino S. Nicolai Confeſſoris, apud Senonenſem Civitatem, comparuit ibidem Magiſter Theodoricus dictus de Hroninge Præceptor Ordinis Hoſpitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum, in Allemannia vices agens Magiſtri Generalis in hac cauſa, qui literas dicti Magiſtri Generalis exhibuit ſub hac forma. Reverendis in Chriſto Dominis, ac Patribus Dei Gratia Archiepiſcopo Livonienſi, ac eiusdem ſuffraganeis ſuis Epiſcopis de Eſternach, Hoſpitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum Ieroſolimitani Magiſter, devotam in Domino reverentiam cum promptitudine famulandi. Paternitatem veſtram ſcire volumus, quod Fratri Theodorico de Chruninge Allemanniæ Commendatori vobiscum concordandi, ordinandi, ſeu diſponendi ſuper contentione, quæ inter nos ex una, & Fratres noſtros Livoniæ ex parte altera vertitur, prout ſibi expedire videbitur, liberam, ſeu plenariam concedimus facultatem, gratum, & ratum habentes, quidquid idem Theodoricus fecerit in præmiſſis. Datum Bohemiæ. Anno Domini milleſimo ducenteſimo quinquageſimo quarto in Vigilia Exaltationis Sanctæ Crucis. Habitoque diligenti Tractatu hinc & inde, in talem formam concordatum eſt, & conventum. Quod dictus Frater Theodoricus nobis Archiepiſcopo Rigenſi, & Oſilienſi Epiſcopo præſentibus, & Tharbatenſi Epiſcopo, licet abſenti, cuilibet noſtrum pro ſuo optatu obedientiam, quam Magiſtro de Livonia debet, nobis iuxta continentiam literarum ſuper ea hincinde confectarum facere debet, & tenetur, & quia ipſe olim in dictis partibus Magiſter exiſtens, ac poſt eum ſui Succeſſores, Dominis Rigenſi, Oſilienſi, ac Tharbatenſi, Epiſcopis eo tempore præſidentibus, fecerant obedientiam publice in Capitulo Fratrum Prædicatorum dicti loci Senonenſis, & dictos Magiſtrum, & Fratres de Livonia tali invitatione ipſorum Dominorum Archiepiſcopi, & Epiſcoporum, ſicut generaliter in Privilegiis ſuper his hincinde confectis continetur, recognovit. Inſuper quod dicti Magiſter, & Fratres nobis Archiepiſcopo, & Epiſcopis antedictis de ſpiritualibus, & temporalibus facient, ſecundum quod in Privilegiis ſuper his hincinde confectis plenius continetur. Et hæc omnia fecit dictus Procurator ſub proteſtatione ſufficienti, quod ex huius interruptione conſvetudinis, quæ talis eſt, quod dicta obedientia a Magiſtro Livoniae, & infra terminos Livoniæ fieri conſvevit, in ipſorum nequaquam præiudicium converti, ſed potius eadem conſvetudo debet Decreto inviolabiliter obſervari: poſtquam vero Magiſter anno, vel eius Succeſſor, obedientiam prædictam fecerit Archiepiſcopo, & Epiſcopis ſæpedictis, præfatus Præceptor Theodoricus erit etiam præſtita obedientia abſolutus. De coordinatione vero facta inter Dominum Curonienſem, & Fratres in Curonia commorantes, in ſpeciali litera plenius continetur. Promiſit etiam ſupradictus Magiſter Theodoricus, quod per Literas, & Nuntium Magiſtro, & Fratribus in Livonia conſtitutis dictus Magiſter Generalis, ſi in hac parte omiſſa diſtrictius iniunget, mandabit, & ipſi omnia ſupradicta faciant, & obſervent, & quod de ſingulis querelis Epiſcoporum eis ſatisfaciant, ut tenentur. In omniumque præmiſſorum teſti-

Anno 1254. teſtimonium, & munimen Sigilla noſtra cum prædicti Magiſtri Theodorici, & Prædicatorum, & Minorum Fratrum Senonenſium Sigillis, præſentibus ſunt appenſa. Datum in Civitate Senonenſi, Anno Domini milleſimo ducenteſimo quinquageſimo quarto in Vigilia Beatæ Virginis Luciæ.

XXIX.

1268. *Pactum de non acquirendis, aut vendendis per Fratres Terris, ad Capitulum Rigenſe pertinentibus. Ex Originali.*

Frater Otto de Lutterbergh Domus Theutonicæ per Livoniam Magiſter humilis. Omnibus hanc literam inſpecturis ſalutem in Domino. Noveritis Univerſi, quod nos pro Pace perpetua cum Præpoſito, & Rigenſi Capitulo conſtituenda, & ut omnis inter nos materia litium amputetur, ita de conſilio Fratrum noſtrorum duximus proinde ſtatuendum, quod nullæ hæreditates hominum noſtrorum, vel Capituli infra terminos Eccleſiæ conſtitutæ, ad Fratres poſſint hæreditaria ſucceſſione devolvi, vel ab eis prætextu avulſionis cuiuspiam, aut emptionis, conductionis, permutationis, ſeu donationis titulo venditari. Item ſi fluvium, quod Gyna dicitur, ſive per ſe, ſive per effoſſionis auxilium de terra Capituli aliquam portionem detraxerit, & parti Fratrum adiecerit, nihilominus, ſicut prius, ad ius, & proprietatem Eccleſiæ pertinebit, niſi forte per alluvionem, hoc eſt, per lateris id factum fuerit incrementum. Et ut memorabilius ſciatur in poſterum, & obſervetur, Sigillum noſtrum in teſtimonium duximus apponendum. Actum apud Thereydam Anno Domini milleſimo ducenteſimo ſexageſimo octavo. *Marcelli Præpoſitus.*

XXX.

Pactum inter Capitulum, & Civitatem Rigenſem de non obtinendis Romæ Reſcriptis in præiudicium alterius. Ex Originali. Sigil. 3.

A. miſeratione divina Sanctæ Rigenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, & Magiſter Otto Fratrum Domus Theutonicorum per Livoniam. Omnibus Chriſti fidelibus, ad quos præſens ſcriptum perveniet, ſalutem, & benedictionem a Domino Jeſu Chriſto. Cum materia quæſtionis inter dilectos Dominum Joannem Præpoſitum, & Capitulum ex una parte, & Conſules, ac Cives Rigenſes, ex altera, ſuper diverſis Articulis ſuborta fuiſſet, nobis tandem mediantibus in hunc modum eadem quæſtio eſt ſopita, quod videlicet Præpoſitus, & Capitulum nihil procurabunt in Curia Romana in dampnum Conſulum, & Civium eorundem, & Conſules, & Cives verſa vice nihil contra Præpoſitum, & Capitulum in Romana Curia procurabunt, ſed ſi aliquid quæſtionis ſubortum fuerit inter eos, illud amicitia, ſeu iuſtitia mediante terminabitur coram Judice competente. Præterea prædicti Præpoſitus, & Capitulum nullum Principem, vel Dominum ad iſtam Pactam evocabunt in dampnum, & præiudicium Rigenſis Eccleſiæ, & Magiſtri, & Fratrum, & Conſulum, & Civitatis, ſalvo iure electionis de quacunque Perſona canonice celebranda. In cuius rei teſtimonium præſentes literas Sigillorum noſtrorum, & præſentium appenſione duximus roborandas. Datum in Civitate Rigenſi. Anno Domini milleſimo ducenteſimo ſexageſimo octavo. Menſe Decembri. Anno 1268.

XXXI.

Confœderatio Magiſtri, & Fratrum Theutonicorum cum Ioanne *Archiepiſcopo Rigenſi, ac Ceſſio tractus duorum milliarium circa Micow Archiepiſcopo a Fratribus, & viciſſim Donatio Inſulæ in Diſtrictu Vendenſi ab Archiepiſcopo Fratribus facta. Ex Originali.* 1292.

Fr. Balcer Magiſter Fratrum Domus Sanctæ Mariæ Theutonicorum in Livonia. Omnibus præſentia viſuris, vel audituris ſalutem cum actionibus indefeſſis. Cum nos Venerabilem Patrem, ac Dominum Ioannem Sanctæ Rigenſis Eccleſiæ Archiepiſcopum ſemper, & ubique clanculo, & aperte experientia nos docente invenimus in omnibus noſtris cauſis, & negotiis, prout exigit ſinceritas tanti Patris, per omnia fidelem, favorabilem, & benignum, æquum iudicamus, ut nos, ac cæteri Fratres noſtri ipſum tanquam dilectum, quodam benigno favore ſimili viciſſitudine foveamus, ac ſua Jura, & Privilegia præ cæteris tueamur. Hinc eſt, quod nos Magiſter, & Fratres cum prædicto Domino Archiepiſcopo nexu indiſſolubili amicitiæ ſpiritualis confœderati ſumus, &

Anno 1292. & convenimus in hunc modum, & hoc præsentibus protestamur, quod nos, ac Fratres nostri, quoad vixerit idem Dominus Archiepiscopus, volumus, & debemus eidem omni studio, consilio, & auxilio, ope, & opera cum effectu omnibus firmiter assistere contra omnes, qui ipsum contra iustitiam impetunt, impediunt, seu molestant. Prædictus idem Dominus nos Magistrum & Fratres in omnibus, ut præmissum est, & contra omnes simili modo vult, ac debet defendere viceversa. Item nos Magister, ac Fratres debemus prænominato Domino Archiepiscopo omnia Privilegia sua Papalia, seu Legatorum Apostolicæ Sedis, nec non & ordinationes ipsorum inter Prædecessores ipsius, & nostros rationabiliter factas, & a Sede Apostolica confirmatas, Instrumenta quoque, & literas, quas a nostris Prædecessoribus quondam Magistris idem Dominus habet, aut a nobis, secundum quod terras videlicet cum effectu sine fraude, & annullatione qualibet, rata, & inconvulsa bona fide firmiter observare. Item si sæpedictus Dominus Archiepiscopus a nostris Prædecessoribus, aut a nobis, vel nos a suis Prædecessoribus, aut ab ipso in terrarum terminis, seu divisionibus fuerit, vel fuerimus circumventi, quod per literas Pars Parti possit ostendere, debemus ad invicem nos eidem Domino Archiepiscopo, & ipse nobis benigne relinquere, ac libere assignare. Vt autem concordia, & amicitia inter ipsum, ac nos initiata clarius eluceſcat, & firmius invaleſcat, in signum dilectionis recompensationem faciendam, seu a nobis de duobus milliaribus circa Castrum Micone a Domino Vilhelmo Mutinensi Episcopo Apostolicæ Sedis Legato in his terris ordinatam, & a Sede Apostolica confirmatam, secundum quod in literis inde confectis plenius continetur, quam pridem recipere recusaverat, acceptavit. Quam recompensationem gratiori animo faciemus eidem, cum nos requirendos duxerit, & cum primum fieri poterit, operimur. Insuper Insulam quandam in Districtu Wenden trium uncorum, vel paulo minus, aut plus, de qua re nos invicem cum concordia, de bona, & libera voluntate nobis dimisit liberam, & solutam. Facta sunt hæc omnia de partis utriusque libera voluntate, mediantibus honorabilibus Viris, Domino honorabili Culmensi Clerico, Magistro honorabili de Munsternberg Culmensi Canonico, Fratre Habbe, Capellano nostro, Fratre S. de Lokohom Commendatore de Wenda, Fratribus dilectis nostris, & hanc Confœderationem volumus semper non minus augeri. In cuius rei testimonium Sigillum nostrum præsentibus duximus appendendum. Datum, & Actum apud Kokemburg Anno Domini 1292. feria quarta post Reminiscere. Anno 1292.

XXXII.

Resignatio Castri in Doleth, & quinquaginta uncorum in Livonia, Episcopo Tharbatensi a Joanne de Doleth facta. Ex Originali.

Omnibus hoc scriptum visuris Joannes dictus de Doleth, Vasallus Ecclesiæ Tharbatensis, quidquid poterit obsequii, & honoris: sciant universi tam præsentes, quam futuri, quod cum Venerabilibus Dominis videlicet Domino meo Joanne Archiepiscopo, nec non & cum Præposito, ac Capitulo Rigensi tam pro me, quam pro fratre meo Odwardo præsente, & consentiente similiter, & pro aliis fratribus meis, & filiis adhuc pueris, nec non & pro omnibus tam meis, quam ipsorum hæredibus, & amicis de consilio Domini Joannis de Ropa militis, ac Domini Ottonis, ac Fratris sui Valdemari dictis de Roseth nostrorum amicorum super bonis, videlicet Castro in Doleth cum omnibus suis attinentiis, & quinquaginta uncis in Livonia, quæ Progenitores mei, & Patruus meus Dominus Joannes quondam dictus de Doleth bonae memoriae in eadem Diœcesi a Venerabilibus quondam Patribus & Episcopis in feudo tenuerant, taliter concordavi, quod cum Reverendus Dominus Archiepiscopus prætactus ad instantiam, & petitionem prædictorum amicorum meorum Domini Joannis, ac Domini Ottonis centum Marcas mihi liberaliter contulisset, ac de eisdem centum Marcis nonaginta a quodam suo Vasallo Joanne de Adricas recipiendos sub firma cautione, ac certitudine demonstrasset, omni iuri, & actioni, quam in prædictis bonis hucusque habui, vel videbar habere, renuntiavi, & omnimodo resignavi, ita quod nec mihi, nec fratribus meis, aut filiis, ac nostris hæredibus, & amicis exnunc in antea nunquam in eisdem aliquid competat actionis. Datum & Actum in Choredia Anno Incarnationis Dominicæ millesimo ducentesimo nonagesimo secundo. Kalendis Maii. Testes sunt Venerabiles Viri Dominus meus Bernardus Tarbaten. Episcopus, & suum Capitulum, quibus per me ipsum hoc factum inno-

Anno innotuit, ſimiliter et milites prætacti. Do-
1292. minus Joannes de Ropa, Dominus Otto de Roſeth, ſimiliter et Dominus Jacobus de Thiſenduſech, et Woldemarus de Boſeth, qui omnes præſentibus affuerunt, quorum etiam Sigilla ſimul cum meo Sigillo inferius ſunt appenſa &c.

XXXIII.

1295. Bonifacius VIII. *Papa innovat Literas* Honorii III. *Eſtoniam, & Semigalliam Archiepiſcopo Rigenſi confirmantis. Ex Originali.*

Bonifacius Epiſcopus Servus Servorum Dei ad futuram rei memoriam. Exigunt merita ſinceræ devotionis, & fidei, quam Venerabilis Frater noſter Joannes Archiepiſcopus Rigenſis ad nos, & Romanam gerit Eccleſiam, ut votis ſuis in his præſertim, quæ ſuorum, ſuæque Rigenſis Eccleſiæ iurium conſervationem conſpiciunt, favorabiliter annuamus. Sane dudum felicis recordationis Honorius III. Papa Prædeceſſor noſter Epiſcopo Livonienſi, qui tunc erat cum prædicta, quæ nunc Rigenſis nuncupatur, et Archiepiſcopali inſignitur, tunc Livonienſis Eccleſia nuncuparetur, et duntaxat Epiſcopali dignitate inſigniretur, certum Privilegium conceſſit, prout in eius patentibus Literis plenius continetur. Quare pro parte ipſius Archiepiſcopi nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut cum Literæ huiusmodi incipiant vetuſtate conſumi, eas innovare de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur huiusmodi ſupplicationibus inclinati, prædictas Literas, quarum tenor de verbo ad verbum inferius annotatur, et quas in Cancellaria noſtra inſpici fecimus diligenter, auctoritate Apoſtolica innovamus, et præſentis ſcripti patrocinio communimus. Per hoc autem nullum alicui de novo Jus acquiri volumus, ſed antiquum tantummodo conſervare. Tenor dictarum Literarum talis eſt. Honorius Epiſcopus Servus Servorum Dei Venerabili Fratri Epiſcopo Livonienſi ſalutem, et Apoſtolicam benedictionem. Cum a nobis petitur, quod iuſtum eſt, et honeſtum, tam vigor æquitatis, quam Ordo exigit rationis, ut id per ſollicitudinem officii noſtri ad debitum perducatur effectum. Ea propter Venerabilis in Chriſto Frater tuis iuſtis precibus inclinati, Perſonam tuam, nec non Eccleſiam Livonienſem, cui Deo Auctore præſides cum omnibus bonis, quæ in præſentiarum rationabiliter poſſides, aut in futurum iuſtis modis præ- Anno
ſtante Domino poteris adipiſci, ſub Beati 1295.
Petri, & noſtra protectione ſuſcipimus. Specialiter autem Eſtoniam, Seloniam, & Semigalliam, Terras de novo in Livonia acquiſitas, ſicut eas iuſte, ac pacifice poſſides, tibi, & per te Livonienſi Eccleſiæ auctoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ protectionis, & confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe noverit incurſurum. Datum Viterbii V. Calendas Novembris Pontificatus noſtri Anno quarto. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ innovationis, confirmationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud S. Petrum IV. Idus Junii. Pontificatus noſtri Anno primo.

XXXIV.

Conventio inter Ericum *Daniæ* 1298.
Regem, & Archiepiſcopum, ac Capitulum Rigenſe, qua Archiepiſcopus Regi Daniæ Semigalliam cum Caſtris Nalexe, & Therake donat. Præfatus vero Daniæ Rex promittit ſe de Cruciferis pœnas ſumpturum, quod oppreſſo Capitulo Archiepiſcopum in vincula coniecerint. Ex Originali.

Omnibus præſens ſcriptum cernentibus Ericus DEI Gratia Danorum, Sclavorumque Rex, Dux Eſtoniæ, ſalutem in Domino ſempiternam. Cum Capitulum Sanctæ Rigenſis Eccleſiæ urgente neceſſitate nimia, propter iniurias enormes, & gravamina plurima a Fratribus Domus Theutonicæ in Livonia illatas in Archiepiſcopi ſui enormi captivitate, & detentione ſacrilega, Civitatis ſuæ Rigenſis obſeſſione, poſſeſſionum, ac bonorum ipſius Eccleſiæ deſolatione, ſpoliis, & rapinis, hominum ſuorum omnium averſione, ac Caſtrorum ſubiectione violenta, infra Treugas, & Pacem, & conſvetam fidelitatem Eccleſiæ debitam, & promiſſam, a Nobis

Anno 1298. poſtularet conſilium, & iuvamen, ac ut eidem Eccleſiæ in his efficaciter aſtaremus, terras videlicet *Semigalliam*, *Nalexe*, *& Therake* nobis, & noſtris Succeſſoribus Daciæ noſtræ Coronæ libere donaverat, & aſſignaverat iure perpetuo poſſidendas, ſicut in Literis ipſius Capituli patentibus ſuper hoc confectis plenius continetnr, unde nos præmiſſis ipſius ſanctæ Rigenſis Eccleſiæ dampnis, anguſtiis, periculis, ſeu iniuriis cordis intimo condolentes, & plantationi novellæ fidei Chriſtianæ in ipſis partibus ob exceſſus ipſorum Fratrum ſuperſtitioſos, in ſui nimio periculo conſtitutæ cupientes ſuccurrere celerius cum effectu, promittimus firmiter ipſi Rigenſi Eccleſiæ in auxilium homines noſtros cum armis, & ſexteriis ante hyemem inſtantem in Civitatem prædictam mittere, & cum ipſis, & Capitaneo, ac vaſallis noſtris omnibus in Eſtonia, & Curonia conſtitutis contra Fratres prædictos, & eorum fautores aſtare Eccleſiæ ſæpedictae, durante inter ipſam Eccleſiam, & Fratres prædictos guerra nunc incepta, vel ſi quam ex ea oriri contingat in futurum. Volumus nihilominus, & promittimus, etiam ipſa guerra ex toto ſopita, cum eadem Eccleſia, & ſuis fidelibus Pacem, & concordiam durare in perpetuum, ipſos fovere, & defenſare pro poſſe ab iniuriatoribus quibuscunque, ſicut eadem Eccleſia nobis promiſerat viceverſa. Caſtra etiam, & munitiones, ſi quas advocato noſtro, ſeu Capitaneo, aut noſtris fidelibus quibuscunque tempore guerræ aſſignaverint, ſeu aperuerint, ut præmiſſum eſt, ſine impedimento, & contradictione qualibet, ceſſante guerra, reſtituantur Eccleſiae memoratae, & ut præmiſſa omnia ex parte noſtra inviolabiliter obſerventur, Præſentes noſtras ipſi Eccleſiæ contulimus, Sigillo noſtro roboratas in teſtimonium, & cautelam. Datum Korchinsburg in præſentia noſtra. Anno Domini milleſimo ducenteſimo nonageſimo octavo. In Feſto Sanctorum Martyrum Baſilidis, Cyrini, Naboris, & Nazarii. Præſentibus Conſiliariis noſtris.

XXXV.

1300. *Tranſumptum Literarum* Gregorii IX. *quibus mandat Epiſcopo Mutinenſi Apoſtolicæ Sedis in Livonia Legato, ne ſinat Neophitos poſt ſuſceptum Baptiſmum a Fratribus Theutonicis in ſervitutem redigi. Ex Originali.* Anno 1300.

In Nomine Domini Amen.


Hoc Exemplum, ſeu Tranſcriptum quarundam Literarum repertarum in Regeſtro felicis recordationis Domini Gregorii *Papæ Noni, Pontificatus eius Anno undecimo. Quarum tenor talis eſt:*

Epiſcopo quondam Mutinenſi Apoſtolicæ Sedis Legato.

Ex parte tua fuit propoſitum coram nobis, quod licet pagani, quos lux illa, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, vocat de tenebris ad admirabile lumen ſuum, ut relicto gentilitatis errore fidem Domini noſtri JEſu Chriſti recipiant per Baptiſmum, nullo ante Baptiſmum iugo ſervitutis aliquatenus premerentur; Fratres tamen Hoſpitalis ſanctæ Mariæ Theutonicorum, & nonnulli alii tam religioſi, quam ſæculares, Eccleſiaſtici, & Laici non adtendentes, quod Chriſti fideles effecti iam non ſunt ancillæ filii, ſed liberæ, utpote quos renatos ex aqua, & Spiritu Sancto ipſe Unigenitus Dei Filius liberavit a iugo peccati, quos vetuſta ſervitus detinebat, eos ſub ſervitute redigere molliuntur, nec permittunt ipſos poſſidere libere bona ſua. Ne igitur deterioris conditionis exiſtant Chriſti characterе inſigniti, quam fuerant membra diaboli exiſtentes, mandamus, quatenus huiusmodi in Neophitos non permittas ab aliquibus ſuper præmiſſis aliquatenus moleſtari, moleſtatores huiusmodi per cenſuram Eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo, indulgentia, ſeu Privilegio aliquo non obſtante. Quodſi forſan aliqui prædictorum, Unigenito Dei Filio fuerint ſic ingrati, ut ſe in hoc opponere dampnabili temeritate præſumant, non ſolum eos privabimus Privilegiis, & indulgentiis, ſi quas in partibus ipſis haberent, verum etiam ipſos de tota Livonia compellemus exire. Datum Laterani VIII. Idus Martii Anno undecimo.

Et ego Paulus Roccani de colle Vitul Reatinenſis Diæceſis publicus Imperiali authoritate, & nunc Venerabilis Viri Domini Joannis, Domini Papae Camerarii Notarius, prædictarum Literarum tenorem, prout in dicto Regeſtro contineri perſpexi, ita hic de verbo ad verbum

ANNO 1300. bum nil addens, vel minuens, quod ſubſtantiam formae mutet in aliquo, vel vitiet intellectum, fideliter tranſcripſi, et exemplum, ipſumque tranſcriptum cum eodem Regeſtro una cum præfato Domino Camerario, qui ad maius teſtimonium huic tranſcripto ſuum mandavit Sigillum appendi, nec non Presbytero Tomaſio Rectore Eccleſiae Sanctae Mariae in Caccabaria de Urbe, ac Magiſtro Nanno de Caſiluerio Clericis, & familiaribus diligenter auſcultavi, & de mandato, authoritate, & Decreto dicti Domini Camerarii in publicam formam redegi, meoque ſolito ſigno ſignavi. Actum Ananiæ in hoſpitio dicti Domini Camerarii ſub anno Domini milleſimo trecenteſimo. Indictione decima tertia, Menſis Auguſti die vigeſima, Pontificatus Domini Bonifacii Papae octavi anno ſexto.



XXXVI.

1308. *Articuli pro informatione Pontificis a Procuratoribus Archiepiſcopi Rigenſis contra Magiſtrum, & Ordinem Theutonicorum in Livonia conſcripti, deinde vero a Pontifice inquiſitionis cauſa ſub Bulla dati. Ex Originali.*

In Nomine Domini Amen.

Articulos, qui ſecuntur, proponunt, & ſuper eis ſanctam Sedem Apoſtolicam informare in promptu intendunt Procuratores Venerabilis Patris Joannis Rigenſis Archiepiſcopi, ac Præpoſiti Capituli Canonicorum Eccleſiae Rigenſis contra Magiſtrum Ordinis Sanctae Mariae Theutonicorum & Generalem Præceptorem, ſeu Magiſtrum, ac contra alios Commendatores, ſeu Præceptores, & etiam Fratres dicti Ordinis in Livonia inprimis, quod, poſtquam Terra Livoniae de novo fuit ad fidem converſa, Præceptor, & Fratres militiæ Chriſti tunc in Livonia exiſtentes, Fratribus Ordinis Sanctae Mariae Theutonicorum in Livonia per Sedem eandem uniti fuerunt, ut ipſis mediantibus converſorum fidelium numerus incrementum ſuſciperet, & paganorum circumpoſitorum nefarios conatus adverſus dictos Neophitos ipſi Fratres ſic uniti dextera contererent triumphanti. Item quod ob hoc tertiam partem redituum Eccleſiaſticorum in partibus illis Magiſter, & Fratres dicti Ordinis Beatae Mariae obtinere noſcuntur. Item proponunt, quod Magiſter, & Fratres prædicti acquiſitioni temporalium, & dilatationi propriae temere, & totaliter intendentes, ne dum neglexerunt, & contradixerunt dictorum paganorum conatus nefarios reprimere, imo ipſorum infidelium quandoque auxilio invocato fidem Orthodoxam, & totum populum Chriſtianum Livoniae, Prælatos, Clericos, & Religioſos oppreſſerunt, & miſerabiliter velut hoſtes perſecuti ſunt, de die in diem perſequi non ceſſantes. Item quod dicti Magiſter, & Fratres a tempore unionis prædictae graves rapinas, deprædationes, exactiones, ſeditiones, guerras, & intolerabiles tirampnides in totum populum prædictum, tunc de novo converſum, & bona eorum paſſim exercuerint hoſtiliter, & de die in diem exercere non verentur. Item quod a tempore dictorum Fratrum in illis partibus nedum ceſſavit totaliter propagatio Chriſtianae fidei, imo quoad multa loca, & populos infinitos irreparabilia ſuſtinuit fides, & ſuſtinet detrimenta. Item quod Rex Livoniae, qui cum toto Regno ſuo ad fidem converſus fuerat, ac Prælatos, & Clericos, ſicut alii Principes Chriſtiani, in Regno ſuo habebat, propter duritias eorundem Fratrum exorbitavit a fide cum toto populo dicti Regni, ita quod non ſunt ibidem Prælati, Clerici, aut Religioſi, & adhuc in huiusmodi exorbitatione perſiſtunt. Item quod totus populus Semigallienſis ante tempus eorundem Fratrum ad fidem converſus fuerat, ac proprium Epiſcopum, Prælatos, Clericos Catholicos habebat, ſed tempore dictorum Fratrum a fide apoſtatavit, in huiusmodi errore perſiſtit. Item quod exorbitatio, & apoſtaſia prædictae contigerunt propter dictos exceſſus eorundem Fratrum, & Magiſtri, & propter dira, et gravia ſcandala, quae exinde ſuborta ſunt in illis partibus, et fuerunt. Item quod Rex, et totus populus Lettoniae, et etiam populus Semigallienſis hoc aſſeruerunt et aſſerunt conſtanter, ac etiam id publice perhibent. Item quod hoc eſt, et fuit publicum,

ANNO 1308.

ANNO 1308. cùm, & notorium communiter, & quasi ab omnibus in partibus illis, & circumvicinis certum, et manifeſtum, et notorium usque ad hæc tempora reputatum eſt, et reputatur, pro certo, manifeſto, et notorio habitum eſt, et habetur. Item quod eſt de prædictis, et diu fuit communis vox, et fama publica. Item quod dictus populus Semigallienſis, et ſinguli eiusdem Domini eſſe firmiter affectantes redire ad fidem, et in ea perſeverare conſtanter, iam ad eam reverſi eſſent, niſi eſſet ſeveritas dictorum Fratrum, et etiam in præſenti redire efficaciter ſunt parati, dummodo maior ſævitia, aſperitas, ſeu Tyrampnidis dictorum Magiſtri, et Fratrum adverſus eos legitime coherceatur, et ad hoc ſignificandum ſanctae Sedi Apoſtolicae miſſi ſunt ex parte dicti populi duo Ambaſiatores hic præſentes, qui hoc eidem ſignificant ſupplicando, ut ſanctitas Domini noſtri dignetur ſuper hoc remedium apponere ſalutare. Item quod hoc eſt, et fuit publicum, et notorium, et communiter, et quaſi ab omnibus in partibus illis, et circumvicinis certum, manifeſtum, et notorium usque ad hæc tempora reputatum eſt, et reputatur, et pro certo, manifeſto, et notorio habitum eſt, et habetur. Item quod de prædictis eſt, et diu fuit communis vox, et publica fama. Item proponuntur, quod licet a Sancta Sede Apoſtolica ſtatutum fuerit, et etiam ordinatum, quod præfata Terra Livonienſis, quae Juris, et proprietatis Beati Petri fore dinoſcitur, per eosdem Magiſtrum, et Fratres nullius unquam ſubiiceretur Dominio poteſtatis, ipſi tamen Magiſter, et Fratres eandem Sedem Apoſtolicam contra ſtatutum prædictum temere, et nefarie perſequentes conati ſunt, et de die in diem nituntur totam illam Terram ſubiugare, et ſuae propriae miſerabili ſubiicere ditioni, ſeu potius ſervituti, quod etiam de ipſius Terrae parte plurima iam fecerunt. Item quod ipſi Magiſter, et Fratres procuraverunt, et fecerunt ſcribi literatorie per modernum Electum in Regem Alamaniae Civibus Civitatis Rigenſis, quod ipſi ad recognoſcendum, et tenendum huiusmodi Civitatem ab eo, et Imperio ſuo vehementer occurrerent, cogitans, quod vehementer conſecuturatur, quia dicti Fratres huiusmodi literas portaverunt, et præſentaverunt dictis Civibus, et in literis eisdem, quae nunc ſunt, in Curia continetur, quod dictus Electus eosdem Cives hortatur ad tenendum, et ſervandum Pacta, et eam fœderationem, quam dicit eos cum dictis Magiſtro, et Fratribus iniiſſe, ex quo etiam apparet, quod iidem Fratres maiorem affectum, et ſpem habent erga dictum Electum, quam erga Apoſtolicam Sedem. Item proponunt, quod per dictam Sedem Apoſtolicam ordinatum extitit, et ſtatutum, quod dicti Magiſter, et Fratres, ut in Terra Livonienſi Prælatis Eccleſiaſticis magnis obedirent, et recognoſcerent ſe ſubiectos, non obſtantibus quibuscunque Privilegiis ab Apoſtolica Sede ſibi conceſſis, ſubeſſent ordinariis Provinciae Livonienſis, et quod ſi aliquis eorum excommunicatus a Diœceſano ſuo ad alia loca recederet, tam diu pro excommunicato haberetur, donec ab eodem Diœceſano abſolutionis ſuae beneficium obtineret. Item quod dicti Magiſter, et Fratres ſtatutis huiusmodi Sedis Apoſtolicae, & dictis ordinariis temere vilipenſis, ne dum in Prælatos mediocres, ſed etiam in ſuperiores, puta Epiſcopos, & Archiepiſcopos, etiam ſucceſivæ rebellionis ſuae ſpiritum temere erexerunt, & de die in diem multipliciter erigere non verentur. Item quod ipſi Venerabilem Patrem bonae memoriae Albertum Rigenſem Archiepiſcopum eo, quod eisdem Magiſtro, & Fratribus ſe pro defenſione ſuae Eccleſiae, ipſiusque Jurium opponebat, auſu ſacrilego, & nefario ceperunt, & ipſum iniectis violentis manibus in eundem miſerabiliter captivarunt, & detinuerunt diutius captivatum. Item quod hoc ipſum, & eadem, ſeu conſimili de cauſa fecerunt de Joanne eiusdem Succeſſore primo videlicet eo tempore, quo idem Joannes erat Rigenſis Eccleſiae Præpoſitus, & deinde tempore, quo iam fuerat in Archiepiſcopum Rigenſis Eccleſiae aſſumptus ad capiendum captivandum, et detinendum violenter eundum, opem, operam efficacem, & auxilium præſtiterunt. Item quod dicti Magiſter, & Fratres exceſſus huiusmodi nefarios conſvetudini ſeu potius abuſui deputantes, Venerabilem Patrem modernum Rigenſem Archiepiſcopum in quodam Caſtro ſuo, & Rigenſis Eccleſiae vulgariter Tereyda exiſtentem hoſtiliter obſederunt, & ex Apoſtatis, ac infidelibus ſibi turbis pluribus adunatis irruentes nefarie in eundem ipſum cum machinis, baliſtis, armis, igne, & ferro ibidem per octo dies, et amplius de die, et de nocte nequiter expugnarunt. Item quod idem Archiepiſcopus intellecta cauſa obſeſſionis, et expugnationis huiusmodi, de quibus tanquam innocens mirabatur, quod ANNO 1308.

ideo

Anno 1308. ideo fiebant, quia dicti Magiſter, & Fratres volebant habere dictum Caſtrum, & alia Caſtra Archiepiſcopi, & Eccleſiae Rigenſis in manu ſua, ut ſic poſſent Civitatem Rigenſem ſibi ſubiicere, ac acrius dominari, quia idem Archiepiſcopus ſe poſſe evadere aliter non credebat, conventione habita ſic inivit treugas cum eisdem, ut dicta Caſtra reciperent, & in manu ſua tenerent, eidemque Archiepiſcopo de ſolis fructibus, & reditibus fideliter reſponderent, ac ipſum priſtinae reſtituerent libertati. Item quod dicti Magiſter, & Fratres fidem, & treugas huiusmodi temere violantes, licet dicta Caſtra recepiſſent, & tenerent, tamen eidem Archiepiſcopo, qui adhuc cum eis erat, dixerunt, vos eſtis captus, & iniectis in eum manibus temere violentis ipſum captivatum aliquibus diebus in pane, & aqua detinuerunt, continue violenter per triginta tres ſeptimanas, & ultra. Item quod ciſtas, ſeu Cophinos dicti Archiepiſcopi, in quibus erat eius pallium, Capella, & omnia ipſius ornamenta Eccleſiaſtica, & alia vaſa, etiam argentea, & argentum in maſſa violenter fregerunt, dictaque omnia, & cætera eius mobilia rapuerunt, & rapta detinent usque ad extimationem ſex millium Marcharum argenti. Item quod eſt, & fuit publicum, & notorium, & communiter quaſi ab omnibus in partibus illis, & circumvicinis certum, manifeſtum, & notorium uſque ad hæc tempora reputatum eſt, & reputatur, pro certo, manifeſto, & notorio habitum eſt, & habetur. Item quod eſt de prædictis, & diu fuit communis vox, & publica fama. Item proponunt, quod Sanctiſſimus Pater, & Dominus, Dominus Bonifacius Papa Octavus præmiſſis ex fide dignorum relatibus intellectis, Magiſtro dicti Ordinis ſub pœna excommunicationis, & privationis Magiſterii ſui, quam eum incurrere voluit, ipſo facto præcipiendo mandavit, ut infra ſex menſes iam elapſos apud Sedem Apoſtolicam perſonaliter compareret. Item quod Generali, ſeu maiori Præceptori, ſeu Magiſtro, & tribus Commendatoribus, ſeu Præceptoribus dictae Terrae Livonienſis præceptum fuit ex parte eiusdem Domini Papae ſub excommunicationis, & privationis pœnis Magiſteriorum, ſeu Præceptoriarum ſuarum, quas eos, ſi contra fecerint, voluit incurrere ipſo facto, ut infra ſex Menſes Apoſtolico ſe conſpectui præſentarent. Item quod diſtricte præceptum fuit ab eodem Domino Papa eidem Magiſtro ſub prædictis excommunicationis, & privationis Magiſterii pœnis, quas ipſum voluit incurrere ipſo facto, ut præfatum Archiepiſcopum ſine morae diſpendio relaxari libere faceret cum effectu, & reſtitui priſtinae libertati, ac cæteros, qui occaſione dicti Archiepiſcopi in carcere tenebantur, faceret liberari, & poſſeſſiones, et Caſtra Rigen. Eccleſiæ libere reſtitui, et dimitti, prout in literis Apoſtolicis exhibitis hoc plenius continetur. Item quod mandavit idem Dominus Papa ipſi Magiſtro ſub pœna excommunicationis, ut dicta bona mobilia, vel ipſorum valorem reſtitui faceret Archiepiſcopo ante dicto. Item quod dicti Magiſter, et Fratres prædictis intellectis, ad illuſionem Sanctitatis Veſtrae, Sedis Apoſtolicae, et mandatorum veſtrorum eundem Archiepiſcopum adhuc in ſuo carcere exiſtentem, minis, terroribus, et exoculationum cruciatibus inferendum tam in eius Perſonam, quam eorum, qui cum ipſo capti fuerant, et adhuc licet ab eo ſegregati detinebantur captivi, compulerunt, ut ipſis Magiſtro, et Fratribus absque conſenſu, ſeu ſui Capituli remitteret iniurias, ſpolia, et dampna prædicta, et ſuper his, et dictis conventionibus Caſtrorum daret eis literas ſuo modico, et aliis Sigillis ſigillatas, prout exhibitae ſunt per eosdem. Item quod huiusmodi literae, ſicut ex data earum apparet, extortae fuerunt in Caſtro dictorum Magiſtri, et Fratrum, quod dicitur Molendinum novum, ubi dictus Archiepiſcopus captivus detinebatur. Item quod inchoata conceſſione dictarum literarum tali, quali actum fuit, quod dictus Archiepiſcopus dimitteretur libere a dictis Magiſtro, et Fratribus, ſeu reſtitueretur priſtinae libertati. Item quod hoc eſt, et fuit publicum, et notorium, et communiter, et quaſi ab omnibus in partibus illis circumvicinis certum, manifeſtum, et notorium usque ad hæc tempora reputatum eſt, et reputatur, pro certo, manifeſto, et notorio habitum eſt, et habetur. Item quod eſt de prædictis, et diu fuit communis vox, et publica fama. Item proponunt, quod dicti Magiſtri, et Fratres requiſiverunt, et ſollicitaverunt requiri, et ſollicitari fecerunt inſtanter Priorem, Capitulum, et Canonicos Rigenſes, quod conſentirent contentis in dictis literis ſibi a dicto Archiepiſcopo conceſſis violenter, ut dictum eſt, et ea ratificarent, ſeu etiam approbarent. Item quod cum Prior, et Capitulum, et Canonici dictae Eccleſiae nollent conſentire præmiſſis, ſed potius contradixerunt, quantum poſſent, et etiam propter conceſſionem dictarum literarum ad Sedem Apoſtolicam canonice appellaſſent, dicti

Anno 1308.

ANNO 1308. Magiſter, et Fratres ob hoc gravius provocati in eosdem, & Eccleſiam Rigenſem, & bona eorum temere irruentes occiderunt plures perſonas tam Religioſas, quam Sæculares, & eorum Caſtra penitus deſtruxerunt, & combuſſerunt, bona mobilia rapuerunt, occuparunt, & eos bonis mobilibus, & immobilibus denudaverunt. Item quod, quia dicti Canonici propter prædicta non habent, unde vivant, Eccleſia Rigenſis fere totaliter divinis officiis defraudatur, & remanet defraudata. Item quod dicti, Capitulum, Canonici, & Eccleſia propter præmiſſa dampnificati ſunt, & fuerunt usque ad extimationem duorum millium Marcharum argenti & ultra. Idem quod hoc eſt, & fuit publicum, & notorium, & communiter, & quaſi ab omnibus de partibus illis, & circumvicinis certum, manifeſtum, & notorium usque ad hæc tempora reputatum eſt, & reputatur, & pro certo, manifeſto, & notorio habitum eſt, & habetur. Item quod eſt de prædictis, & diu fuit communis vox, & publica fama. Item quod dicti Magiſter, & Fratres etiam, poſtquam habuerunt a dicto Archiepiſcopo dictae conventionis extortae literas ſigillatas, nihilominus detinuerunt præfatum Archiepiſcopum tam diu captivum, quousque Cives Rigenſes, inter quos & eosdem Fratres erat guerra, nollent aliter inire treugas cum ipſis Fratribus, niſi dictum ſuum Archiepiſcopum, quem Chriſtianiſſimum reputant, ſibi redderent, & priſtinae reſtituerent libertati. Item proponunt, quod Magiſter, & Fratres prædicti ſuggeſſerunt Domino noſtro Summo Pontifici, quod præfatus Archiepiſcopus omnem iniuriam, violentiam, & moleſtiam qualemcunque eis liberalitate, & voluntate libera relaxavit, actionem aliquam ſuper his nullo unquam tempore reſumpturus. Item ſuggeſſerunt, quod ipſi eidem Archiepiſcopo omnia eius Caſtra, & munitiones alias cum ſuis pertinentiis libere, ac integrabiliter reddiderunt, prout in Apoſtolicis literis iam ab ipſis exhibitis continetur. Item quod prædicta falſa ſunt, & falſo ſuggeſta adiecto Domino noſtro, & illudendo ſibi, & circumveniendo eundem, quod ne dum cuiquam alii fieri debuiſſet. Item quod idem Archiepiſcopus tempore, quo remiſſio, ſeu relaxatio, quae ſuper prædictis ipſis Magiſtro, & Fratribus ab eo dicitur eſſe facta, erat in carcere, ſeu captivitate prædicta ipſorum Magiſtri, & Fratrum, & fuit extorta remiſſio, ſeu relaxatio huiusmodi nefandiſſima coactione, & tali, quæ potuit cadere in conſtantem, ac Capitulo Rigenſi abſente, & penitus ignorante. Item quod dicti Magiſter, & Fratres per ſe, aut per alium, ſeu alios a tempore primo conventionis, ſeu treugae ſupradictae omnia Caſtra Archiepiſcopi, & Eccleſiae Rigenſis, & munitiones alias cum ſuis pertinentiis in ſolidum continue, & etiam dicta bona mobilia tenuerunt, & adhuc tenent occupata contra Mandatum Apoſtolicum ſupradictum. Item quod hoc eſt, & fuit publicum, et notorium, et communiter, et quaſi ab omnibus in partibus illis, et circumvicinis certum, manifeſtum, et notorium usque ad hæc tempora reputatum eſt, et reputatur, et pro certo, manifeſto, et notorio habitum eſt, et habetur. Item quod eſt de prædictis, et diu fuit communis vox, et publica fama. Item proponunt, quod dicti Magiſter, et Fratres adhuc Sedi Apoſtolicae illudere ſatagentes, in negotio huiusmodi callide, ſeu aſtute miſerunt, et exhiberi fecerunt, procuratorium captioſum, in quo licet rei exiſtant, non interponunt cautionem iudicatum ſolvi pro Procuratore ſuo, ſed tantum promittunt eundem Procuratorem ab eo onere præſtandi cautionem huiusmodi relevare. Item proponunt, quod plures alias atroces iniurias, et dampna gravia dictis Archiepiſcopo, Capitulo, et Clero, ac vaſallis Rigenſis Eccleſiae per ſuam violentiam intulerunt, ac de die in diem inferre non ceſſant, quae longum, et grave eſſet ſingulariter explicare. Item quod hoc eſt, et fuit publicum, et notorium, et communiter, et quaſi ab omnibus in partibus illis, et circumvicinis certum, manifeſtum, et notorium usque ad hæc tempora reputatum eſt, et reputatur, pro certo, manifeſto, et notorio habitum eſt, et habetur. Item quod eſt de prædictis, et diu fuit communis vox, et fama publica. ANNO 1308.

In Nomine Domini Amen.

Coram vobis Reverendis in Chriſto Patribus, et Dominis, Domino M. Epiſcopo Portuenſi, et Domino Joanne tituli Sanctorum Marcellini, et Petri Presbytero Cardinali, a Sanctiſſimo Patre Domino, Domino BONIFACIO Papa VIII. Auditoribus conceſſis partibus infra ſcriptis liberius Scholaſticus Tharbacenſis Procurator Populi, ſeu univerſitatis Civitatis Rigenſis contra Magiſtrum, et Fratres Domus Theutonicorum de Livonia, et legitimam perſonam intervenientem pro eis in cauſa, quae vertetur inter ipſam univerſitatem ex una parte, et Magiſtrum, et Fratres prædictos ex parte altera, vertitur, ſeu verti ſperatur, nomine populi, et univerſitatis eiusdem dat,

ANNO 1308. dat, & exhibet in iudicio, quae ſequuntur. Inprimis dicit, & in Jure proponit, quod Terra Livoniae Juris, & proprietatis Beati Petri exiſtit. Item quod Archiepiſcopus Rigenſis cum ſua Provincia immediate ſubeſt Eccleſiae Romanae. Item quod Magiſter, & Fratres prædicti dudum aſpiraverunt, & conati ſunt ſubiugare ſibi prædictam Civitatem Rigenſem. Item quod multas ſæpe iniurias propter hæc, & moleſtias eidem Civitati temere irrogarunt. Item quod Civitas prædicta ſita eſt in loco plano, & paſſo iuxta flumen magnum, quod Duna vulgariter appellatur. Item quod dictum flumen propter nives copioſiſſimas illarum partium frequenter circa Menſem Aprilis horribiliter inundare conſvevit. Item quod ex huiusmodi inundatione Civitas Rigenſis gravia dampna fere ſubſtinuit. Item quod in huiusmodi inundatione tanta aliquando glaciei congeries ad muros Rigenſis Civitatis facta eſt, quod de ſummitate muri eiusdem plano paſſu ſuper glaciem patebat tranſitus, & e contra. Item quod ex prædictis inundatione, & glaciei accumulatione murorum ſubverſio, & totius Civitatis Rigenſis ſubmerſio veriſimiliter timebatur. Item quod Cives Rigenſes ad obviandum tantis periculis diu & ſollicitate conſilium quæſierunt. Item quod prædicta ſunt publica, & notoria, & de prædictis eſt publica vox, & fama in Civitate Rigenſi, & partibus convicinis. Item quod tandem quidam peregrinus vir ſapiens, & expertus in talibus, Rigam veniens, conſilium adinvenit, & modum demonſtravit obviandi periculis antedictis. Item quod iuxta dicti Peregrini conſilium dicti Cives Rigenſes in præfato flumine prope quandam Inſulam, quæ a Civitate Rigenſi per parvum brachium dicti fluminis diſtans, in territorio Civitatis prædictae ſita eſt, quandam ſtructuram propter evitanda pericula maxima, & pro communi bono facere inceperunt. Item quod ſpes indubitata fuit, & eſt, quod per reſiſtentiam ſtructurae prædictae, ſi eam conſummari contingeret, præfata pericula in poſterum penitus vitarentur. Item quod dictum opus pro tranſitu artificum, & laboratorum, ac neceſſariis ad ipſum opus ſine ſtructura apportandis, & pro eiusdem ſtructurae conſervatione valde neceſſarium habebat pontem fieri de Civitate ad Inſulam iam prædictam. Item quod propter communem utilitatem, & urgentem neceſſitatem Cives prædicti pontem fecerunt per brachium fluminis ſupradictum. Item quod prædicta ſunt, & fuerunt publica, & notoria, & de ipſis eſt, & fuit publica vox, & fama Rigae, & in partibus illis. Item quod Dominus Joannes Archiepiſcopus Rigenſis tibiam tunc habens ruptam, pro auxilio, & cura medicorum, quibus indigebat, propter hoc de Riga recedere volens, cum ibi medicorum copiam non haberet, pro bono pacis, & concordiae ſupradictis Magiſtro, & Fratribus Terras, Caſtra, & alia bona ſua in temporalibus gubernanda confidenter commiſit, excepta Civitate Rigenſi, quae per Advocatum, qui deputari per Archiepiſcopum conſvevit, & per Scabinos ſeu Conſules regi ſolet. Item quod Magiſter, & Fratres prædicti abſente Archiepiſcopo, & in Flandria propter opem medicorum moram trahente, fraude, occaſione, ex confuſione Fratres ſupradicti inventa, diſcordare cœperunt, cum populo, & univerſitate Rigenſi habitantes, diffidantes univerſitatem eandem, & in perſonis, ac rebus eam hoſtiliter perſequentes. Item quod pro Capitalibus inimicis, & hoſtibus Civitatis, & Civium prædictorum ſe geſſerunt, & gerunt. Item quod Cives ipſos, & naves eorum, & bona, quæcunque in partibus Fratrum, & alias, ubicunque potuerunt, violenter capi, & detineri fecerunt, facientes de ipſis, quod placebat pro ipſorum Fratrum arbitrio voluntatis. Item quod ipſi Magiſter, & Fratres de potentia, & divitiis ſuis præſumentes expreſſe minabantur Civibus, quod pontem ſupradictum vellent devaſtare violenter. Item quod ab huiusmodi comminato gravamine, & aliis gravaminibus iam illatis Cives ipſi in præſentia Marſcalci, qui poſt Magiſtrum ſecundus habetur, & Fratrum plurium de Ordine prædicto ad Sedem Apoſtolicam legitime appellarunt ſubicientes ſe, & ſua protectioni Sedis eiusdem. Item quod prædicta ſunt, & fuerunt publica, & notoria, & de ipſis eſt, & fuit publica vox, & fama Rigae, & in partibus convicinis. Item quod dicti Magiſter, & Fratres nec iſti appellationi, nec unquam alicui, ſive ad Sedem Apoſtolicam, ſive alias factae in partibus Livoniae unquam deferre curarunt, ſicut de præſenti infra patebit. Item quod quaſi vulgare dictorum Fratrum eſt de ſe conquerentibus, & de refugio ad Papam mentionem habentibus dicere: nos ſatis erimus vobis Papa, etſi Papa vobiscum in iſtis partibus moraretur, oporteret eum, vellet, nollet, dimittere nobis noſtra, & Papa poteſt vobis nimis remotus eſſe. Item quod prædicta ſunt publica, & notoria, & de ipſis eſt, & fuit publica vox, & fama Rigae in partibus convicinis. Item quod

ANNO 1308. interponentibus se ad preces Civium prædictorum unis Religiosis Treugae tandem tales ordinatae sunt, ut pars alterutra Treugis ipsis, quando vellet, renuntiare posset, dummodo post renuntiationem octo diebus Treugas servaret. Item quod durantibus Treugis huiusmodi ipsi Magister, & Fratres maximum in partibus vicinis contra Civitatem Rigensem Exercitum congregarunt, & Castrum suum, quod in extremitate Civitatis ipsius habebant, diversis armis, & multis, ac quingentis viris bellatoribus munierunt. Item quod eisdem Treugis durantibus quendam de Civibus occiderunt, & plures ex Civibus ipsi Fratres iaculis, & sagittis de dicto Castro suo emissis vulnerarunt. Item quod sub ipsis Treugis Civitas Rigensis igne furtivo succensa fuit, et totaliter exusta, quod quidem incendium ipsis Magistro, et Fratribus non absurde pro tanto inpingitur, quia ipsi Cives igni Dei auxilio opportune occurrissent, si insultum, et invasionem armorum, qui in dicto Castro erant, verisimiliter non timuissent. Item quod appropinquante dicto Fratrum Exercitu ita, quod infra octo dies ad dictam Civitatem posset pertingere, ipsi Magister, et Fratres Treugis habitis renuntiaverunt, dampna plurima ipsi Civitati, Treugis adhuc post renuntiationem durantibus, irrogantes. Item quod Dominus Joannes Archiepiscopus Rigensis triduo ante expirationem Treugarum Rigam reversus assumptis sibi pluribus bonis, honestis, et religiosis viris ad prædictos Magistrum, et Fratres, ut Pacem reformaret, festinans perceſſit. Item quod Episcopus Tharbaten. ad dictos Magistrum, et Fratres una cum dicto Archiepiscopo, et aliis bonis viris veniens per dies tres continuos sollicitissime institerunt, se pro bono Pacis interponentes, seu intercedentes penes eosdem, ne Civitatem Rigensem cum prædicto Exercitu obsiderent, seu in personis, et rebus in aliquo dampnificarent. Item quod cum prædicti Archiepiscopus, et Episcopus, et alii Pacis huiusmodi tractatores dictis Magistro, et Fratribus permitterent pontem prædictum destruere ad hoc, quod Exercitus non veniret ad Civitatem prædictam, dicti Magister, et Fratres responderunt, quod non pons, sed aliae causae antiquae ante viginti annos exortae inter eos, eum et Fratres prædictos ad hoc propositum induxissent, et tunc inducebant. Item quod Archiepiscopus prædictus videns se non posse proficere apud eos, rogavit dictos Magistrum, et Fratres protestans, ne Ecclesiae Romanae, et sibi, ac Ecclesiae suae per eosdem aliquid fieret, vel attemptarent, in vel per iniuriam contra Civitatem Rigensem, quae tam in spiritualibus, quam in temporalibus iuris, et proprietatis Beati Petri subiecta esse dinoscitur. Item quod prædicti Magister, et Fratres spretis protestatione huiusmodi Archiepiscopi, ac prædictis appellatione Civium, supplicatione peregrinorum, ac interceſſione Religiosorum, et aliorum bonorum virorum cum Exercitu suo ad Civitatem praedictam obsidendam processerunt cum magna multitudine coadunata, et sibi coniuncta infidelium, et Treugis supradictis non finitis, plurimos Neophitos in Districtu, seu pertinentiis Civitatis prædictae nequiter occiderunt. Item quod Civitatem prædictam hostiliter, modo durissimo, ac crudeliter impugnantes ex omni parte machinis, sagittis, lanceis, lapidibus, et aliis propugnaculis omnia ædificia extra muros Civitatis prædictae destruxerunt, totaliter arbores fructiferas, plantas, et alias ungulas, pascua, prata, et alias segetes igne devastarunt, peregrinos, et nonnullos alios pauperes occiderunt, Civibus comminantes continue eisdem, quod ipsos patibulo suspenderent, ac quod uxores eorum molis suis, seu molendinis ad molendum manualiter adaptarent. Item quod post hoc novem pauperes peregrinos in vigilia Nativitatis Domini, et multos alios homines de Civitate prædicta crudeliter occiderunt. Item quod de prædictis fuit, et est vox, et fama, et sunt publica, et notoria in Civitate Rigensi, et partibus convicinis. Item quod Magister, et Fratres tam per se, quam per alios omnes vias tam maris, quam terrae, per quas victualia Civitati Rigensi apportari possent, impediverunt, et præcluserunt sic, ut Cives prædictae Civitatis fame attriti se in manibus prædictorum Magistri, et Fratrum tradere cogerentur. Item quod sic per eosdem obsessa Civitate prædicta, ipsamque fortiter impugnantes sæpe sæpius clamaverunt Civibus vociferando, ubi est nunc Papa vester. Item proponitur, quod plures alias atroces iniurias, dampna gravia dictae Civitati Rigensi per violentiam intulerunt, ac de die in diem inferre non cessant, quae longum, et grave esset singulariter explicare. Item ponitur, prout alias coram Venerabili in Christo Patre bonae memoriae Domino Nicolao Decano Parisiensi tituli S. Laurentii Præbendario Cardinali cum Domino Videlino Rigensis Ecclesiae Præpositopositi, et in scriptis dedit, quod ipsi Magister, et Fratres a longe retro actis tempo-

ANNO 1308.

Anno 1308. poribus, antequam turbationis præsentis materia exordium habuisset, dictis Civibus Rigensibus multas iniurias, & dampna enormia sæpius intulerunt, & continuo inferre non cessant, primum ex hoc, quod in magna parte Districtum, sive terminos ad Civitatem Rigensem pertinentes violenter, & contra iustitiam occuparunt, et adhuc detinent occupatos. Item quod ipsi Magister, & Fratres vias terrae, & aquarum, quae ab antiquo liberae fuerunt, censuales fecerunt, & faciunt, et pedagia nova constituunt in totius Terrae Livoniae grave præiudicium, et maxime Civium prædictorum, cum nec vineas, nec agros habeant, sed in diversis mundi partibus necessaria vitae conquirant. Item ponit, quod iidem Magister, et Fratres mercandi gratia Pacem, et Treugam speciales cum paganis sæpius faciunt, et fecerunt ita videlicet, quod ipsi pagani cum mercibus suis ad aliquem certum locum in Districtu ipsorum Magistri, et Fratrum veniunt, et ibidem ipsi Fratres exclusis Civibus antedictis, et quibusdam aliis Christianis mercationes singulares cum ipsis paganis exercent, in grave præiudicium totius Patriae Livoniensis. Item ponitur, quod dicti Magister, et Fratres, cum Milites reputari, et esse velint, contra militarem decentiam mercationes omnes, imo tanquam Penestici (revenditores) vilissimum genus mercationis exercent, poma, caules, raphanum, cepe, et alia et his similia vendentes. Item ponitur, quod ipsi Magister, et Fratres hoc tempore proximo iam transacto apud Castrum suum, quod novum molendinum nuncupatur, contra Pacta sua, et literas, venientes novam quandam munitionem in grave præiudicium Civium Rigensium construxerunt, quamquam ipsis Fratribus per dictos Cives, quantum taliter procederent, in multorum præsentia per jactum lapilli novum opus legitime fuerit nunciatum.

In Nomine Domini Amen.

Articulos, qui secuntur, proponunt, et super eis S. Sedem Apostolicam informare in promptu intendunt Procuratores Venerabilis Patris Conradi Ossiliensis Episcopi, Capituli, et Canonicorum Ecclesiae, et populi Ossiliensis contra Magistrum Ordinis Sanctae Mariae Theutonicorum, et Generalem, vel maiorem Præceptorem, seu Magistros, ac contra alios Commendatores, seu Præceptores, et etiam Fratres dicti Ordinis in Livonia inprimis, quod Magistri, Commendatores, seu Præceptores, et Fratres prædicti totam insulam Ossiliae in Terra Livoniae, quae iuris, et proprietatis Beati Petri sibi existit, sibi subiugare, ac suae propriae ditioni, seu potius servituti seditiose subiicere volentes contra Clerum, et populum eiusdem insulae defensionem, et guerram hostiliter commoverunt occidendo, suspendendo, et mutilando plures homines ipsius insulae. Item quod ipsi octuaginta homines, vel circa illius insulae insidiose, et sub spe Tractatus Pacis habendae cum eis ad se venire in loca, qui dicitur Poyde, procuraverunt, & fecerunt sub eo prætextu, ut dicti homines inter eosdem Fratres se possent reputare magis tutos, ipsos induxerunt, ut ad eos armati venirent. Item quod dicti Magister, et Fratres præfatos homines Ossilienses, qui ad eos sic venerant, ut est dictum, proditiose, violenter dictis armis suis, et aliis bonis suis, quae secum habebant, spoliaverunt, ipsosque ceperunt, et captivos in turri dicto loco de Poyda carceri manciparunt. Item quod ipsi ardentes eo, quod dictos homines sic detinebant captivos, dictam insulam sibi facilius subiugare, Apostatarum, et infidelium copiosa multitudine adiuncta cum magno Exercitu in dictam insulam irruentes, ibidem rapinas, prædas, et spolia quam plurima commiserunt. Item quod Clerus, et populus Ossilianus inter se communi, et diligenti deliberatione habita, et tractatu, ad Episcopum Ossilienssem tunc extra Ossiliam existentem solennes nuntios destinavit supplicantes eidem Episcopo, quantum ad defendendum ipsos a dictis Fratribus, suum eis deberet consilium, et auxilium impertiri, aliter ipsi novum Dominum facerent, qui ipsos defenderet ab eisdem. Item quod Ossiliensis Episcopus super hoc requisivit quosdam ex dictis Fratribus amicabiliter, quatenus plus potuit, inducens eosdem, ut placeret ipsis desistere ab inquietatione prædicta dictorum Ossilianorum, et cum eis Pacem habere. Item quod prædicta sunt, et fuerunt in partibus illis notoria, et communiter quasi ab omnibus in partibus, et circumvicinis certum, manifestum, et notorium usque ad hæc tempora reputatum est, et reputatur, et pro certo, manifesto, et notorio habitum est, et habetur. Item quod est de prædictis, et diu fuit communis vox, et fama publica. Item ponunt, quod cum dicti Fratres nihil certum vellent super hoc respondere, aut aliud facere. Item Episcopus præfatos Nuntios Ossilianorum remisit ad propria, dicens eis, quod circa defensionem terrae suae facerent, quod esset licitum, et honestum, quousque inter eos, et dictos

ANNO 1308. Fratres poſſit Pax, et Concordia reformari. Item quod dicti Magiſter, et Fratres ex hoc ſe fingentes offenſos ab Epiſcopo antedicto, et ipſum perſonaliter capere totis conatibus ſatagentes, ipſum Epiſcopum in eius Caſtro Leolenſi, in quo erat, magno infidelium, et Apoſtatarum Exercitu congregato obſederunt, eumque ibidem tam diu hoſtiliter expugnarunt, donec idem Epiſcopus, qui aliter evadere non poterat, Caſtra ſua, munitiones, et etiam adminiſtrationem omnium temporalium dicti Epiſcopatus ſui dimitteret, et ea in manibus eorundem Fratrum poneret, et totaliter dimitteret ipſa nullo unquam tempore reſumpturus. Item ut ipſe Epiſcopus in quibusdam curiis, quas in rure habebat, perpetuo habitaret, nec unquam Provinciam Oſſilienſem exiret, nec contra eosdem Magiſtrum, et Fratres ullo unquam tempore querimoniam deponeret coram prædictis, vel aliquo eorundem. Item quod hæc ſunt, & fuerunt notoria in partibus illis et communiter, et quaſi ab omnibus in partibus circumvicinis certum, manifeſtum, et notorium usq; ad hæc tempora reputatum eſt, et reputatur, et pro certo, manifeſto, et notorio habitum eſt, et habetur. Item quod eſt de prædictis, et diu fuit communis vox, et publica fama. Item quod dicti Magiſter, et Fratres quasdam literas de prædictis ad voluntatem ſuam conſcripſerunt, ſeu ſcribi fecerunt, et ipſum Epiſcopum ſuum Sigillum eisdem apponere, Decano, Capitulo, et Canonicis Oſſilienſis Eccleſiae reclamantibus, et contradicentibus, nequiter coegerunt vi, ſeu metu, qui potuit cadere in conſtantem. Item idem Magiſter, et Fratres dictum Caſtrum Leolenſe, et aliam Terram eiusdem Epiſcopi extirpationibus arborum, prædis animalium, rapinis aliorum mobilium, et etiam ignis incendio, quaſi totaliter devaſtarunt, et eundem Epiſcopum bonis mobilibus denudarunt. Item quod dictus Epiſcopus, et Eccleſia Oſſilienſis propter præmiſſa dampnificati ſunt, et fuerunt uſque ad extimationem decem millium Marcarum argenti. Item quod prædicta ſunt, et fuere notoria, et manifeſta in partibus illis, et communiter, et quaſi ab omnibus in partibus circumvicinis certa, manifeſta, et notoria usque ad hæc tempora reputata ſunt, & reputantur, & pro certis, manifeſtis, et notoriis habita ſunt, et habentur. Item quod eſt, et fuit de prædictis communis vox, et fama publica. Item quod dicti Magiſter, et Fratres in illa Terra plures Eccleſias deſtruxerunt manu armata, et deſtrui fecerunt, altaria ſpoliarunt, Imagines Dei, et Beatæ Mariæ confregerunt, hoſpitalia, ſeu Xenodochia conbuſſerunt, et ibidem Tyrampnidem exercere præſumpſerunt maiorem, quam facerent infideles. Item quod huiusmodi exceſſus, et mala contra Epiſcopum, et Eccleſiam Oſſilienſem de conſilio Joannis Præpoſiti Oſſilienſis, qui præſens eſt in Curia, proceſſerunt, qui Præpoſitus in dicto Epiſcopatu dominari, et adminiſtrare tanquam Epiſcopus ambitioſe affectat, et cum dictis Fratribus per violentiam adminiſtrat. Item quod de hoc eſt, et fuit communis vox, et publica fama, et nota ſunt hæc in Diœceſi Oſſilienſi, et partibus convicinis, et fuerunt. Item quod dicti Magiſter, et Fratres aſſociato ſibi dicto Præpoſito Eccleſiae, et Canonicis Oſſilienſis plurimas iniurias, et dampna inferentes, theſaurum Eccleſiae de ipſa Eccleſia, confractis ſeris, theſauraria manibus ſacrilegis abſtulerunt, cuius ſumma ad ducentas Marchas argenti, et amplius ſe extendit. Item quod dicti Fratres Canonicos Oſſilienſes ad Capitulum ſuum convocantes ibidem eos tribus diebus per violentiam tenuerunt interrogantes ab ipſis, utrum iidem Canonici prædictis Fratribus contra Epiſcopum ſuum vellent aſſiſtere, aut contra ipſos Fratres cum Oſſilienſi Epiſcopo remanere, et per oppreſſionem innitentes ab eis præciſam reſponſionem ſuper hoc extorquere. Item quod cum dicti Canonici ſic oppreſſi reſponderunt, quod Eccleſiam, et Chorum ſuum libenter ad divinum officium faciendum frequentare vellent, nec uni parti, nec alteri ſcirent, poſſent, aut vellent aſſiſtere ad bellandum, ſed dicti Fratres minus de his contenti manifeſte dixerunt: nos nominatim ſcire volumus, qui ſint illi, qui nobis adhærere voluerint, quia alios, qui pro parte Epiſcopi fuerint, pro notoriis inimicis habebimus, ac ipſis tam in perſonis nocere volumus, quam in rebus. Item quod prædictas et alias multas minas, quas prætactis Canonicis intulerunt, quasdam ab eis Literas contra Epiſcopum Oſſilienſem gravem querimoniam continentes extorſerunt, quas cum ipſi Fratres pro eorum voluntate ſcribi feciſſent, dictos Canonicos eas ſigillare oportuit, ut vitae, et rerum ſuarum imminens periculum evitarent. Item quod cum dicti Canonici poſt modicum adhærerent præfato ſuo Oſſilienſi Epiſcopo, ut debebant, dicto Præpoſito cum quodam ſuo ſequaci exempto, dicti Magiſter, et Fratres hæc audientes non longe poſt dicto-

ANNO 1308.

ANNO 1308. dictorum Canonicorum Ossilienſium domos, et grandias combuſſerunt, ac ipſos Canonicos ab Eccleſia ſua, et poſſeſſionibus expulerunt, eorum bona rapuerunt, et Conventum quendam ibidem de ſuis Fratribus poſuerunt. Item quod Eccleſia, Capitulum, & Canonici Oſſilienſes occaſione huiusmodi dampnificati ſunt, & fuerunt usque ad aeſtimationem mille, & ducentarum Marcharum argenti. Item quod de hoc eſt, & fuit vox, & publica fama, et nota ſunt, et fuerunt in Diœceſi Oſſilienſi, et in partibus convicinis. Item de Eccleſia Cathedrali Oſſilienſi in qua divinus cultus, et divinum officium fieri conſvevit Caſtrum fecerant, et novis propugnaculis firmaverant, de quo multa mala immania commiſerunt, et committunt, in præmiſſis omnibus conſilio ipſorum, & facto, præfato Oſſilienſi Præpoſito mediante. Item proponunt, quod Sanctiſſimus Pater, et Dominus, Dominus BONIFACIUS Papa Octavus præmiſſis ex fide dignorum relationibus intellectis, dicto Magiſtro ſub pœna excommunicationis, & privationis dicti Magiſterii ſui, quas eum incurrere voluit, ipſo facto præcipiendo mandavit, ut infra ſex Menſes iam elapſos apud Sedem Apoſtolicam perſonaliter comparerent. Item quod generali, vel Maiori Præceptori, ſeu Magiſtro, & tribus Commendatoribus, ſeu Præceptoribus Terrae Livonienſis præceptum fuit ex parte eiusdem Domini Papae ſub excommunicationis, & privationis pœnis Magiſteriorum, ſeu Præceptoriarum ſuarum, quas eos ſi contra facerent, voluit incurrere ipſo facto, ut infra dictos ſex Menſes Apoſtolico ſe conſpectui præſentarent. Item & quod diſtricte præceptum fuit ab eodem Domino Papa eidem Magiſtro, ſub prædictis excommunicationis, & privationis Magiſterii pœnis, quas ipſum voluit incurrere ipſo facto, ut faceret cum effectu poſſeſſiones, et Caſtra Oſſilienſis Eccleſiae libere reſtitui, & dimitti, prout in literis Apoſtolicis exhibitis hoc plenius continetur. Item quod dicti Magiſter, & Fratres in contemptum Domini noſtri, et Sedis Apoſtolicae dictis mandatis Apoſtolicis vilipenſis dicta Caſtra, poſſeſſiones, & munitiones, et alias res reſtituere contradixerunt, & præmiſſa a tempore occupationis prædictae per ſe, vel per alium, ſeu alios continue retinuerunt, & detinent occupata. Item quod plures alias atroces iniurias, & dampna gravia Epiſcopo, Capitulo, Clero, & populo Oſſilienſi per ſuam violentiam intulerunt, ac de die in diem inferre non ceſſant, quae longum, & grave eſſet ſingulariter explicare. Item quod ANNO 1308. præmiſſa ſunt, & fuerunt notoria, & communiter quaſi ab omnibus in partibus illis circumvicinis pro certis manifeſtis, & notoriis reputata fuerunt, & reputantur. Item quod de prædictis eſt, & fuit communis vox, & publica fama in dictis partibus.

XXXVII.

Commiſſio CLEMENTIS V. *Papæ ad inquirendum de Crucifero-rum in Livonia maleficiis, quæ hic recenſentur, nimirum: quod nonnullos Archiepiſcopos Rigenſes, qui fuerunt pro tempore, in vincula coniecerint, & de quatuordecim Eccleſiis Suffraganeis, ſeptem totaliter ſuſtulerint, ſeptem alias uſurpaverint, prædicationem Verbi Dei impediverint, Regnum Polochenſe, quod Rex Polochenſis ad fidem converſus Eccleſiæ Rigenſi contulerat, paganis, quibuscum amicitiæ Fœdus pepigerant, tradiderint, indeque Eccleſiæ illius Regni Cathedrales Colomenſis, & Ruthenienſis ſublatæ fuerint: alterius Regis Paganorum ad fidem converſi Regnum a fide abduxerint, & Lechovienſem Eccleſiam Cathedralem, quæ in illo Regno erat, hoc modo de ſtatu deiecerint, Populum Chriſtianum Semigalliæ omnino deleverint, Nobiles eiusdem Terræ proditione occiderint, plus centum millia fidelium in Terras paganorum profugere compulerint.* VLADISLAI *Cracoviæ, ac Sandomiriæ Ducis Terram hoſtiliter ingreſſi, in Civitate Gdanſko decem millia hominum occiderint &c. Sequitur Mandatum de recipiendo Caſtro Dunemunde ab eis erepto. &c.* Datum Avinione die 19. Junii. Anno 1309. *Ex Originali.* 1309.

CLEMENS Epiſcopus Servus Servorum Dei, Venerabili Fratri JOANNI Archiepiſcopo Bremenſi, & dilecto Filio Magiſtro Alberto de Mediolan. Canonico Ravennatenſi, Capellano noſtro ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. In

ANNO 1309. Vinea Domini licet immeriti cultores positi, & custodes, sic in ipsius culturae, salubrisque custodiae nos debemus ministeriis exercere, ut etiam in ipsa infatigabiliter operantes, extirpandis vitiorum spinis, et peccatorum tribulis, quæ superficiem eius interdum obumbrare conantur, nec non plantandis virtutum germinibus, in quibus Altissimus delectatur, fervore Spiritus, et diligenti sollicitudine intendendo, ipsam ab illis præsertim offensionum discriminibus tueamur, quæ sub pietatis specie cautius subintrantes, difficilius præcaventur. Sane tam Prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum, quam nostris continuatis successive temporibus, ex clamore valido, et insinuatione famosa, ad audientiam Sedis Apostolicae est deductum quod Præceptores, & Fratres Hospitalis Sanctae Mariae Theutonicorum, ad hoc solum per Sedem eandem in Rigense Livoniae, Pruſciae Provinciis constituti, ut Ecclesias, ac personas Ecclesiasticas, aliosve Catholicæ fidei Professores vallo fortitudinis munientes, ipsos a Paganorum, & Schismaticorum tueantur incursibus, & ad dilatandum ibi Catholicæ fidei nomen, et cultum iugiter elaborent, in gravem proh dolor! nostri Redemptoris iniuriam, fidelium cunctorum opprobrium, & eiusdem fidei detrimentum facti sunt hostes domestici, & familiares sunt redditi inimici, non insurgentes pro Christi Nomine adversus hostes fidei, sed in eorundem favorem, quod stupet auditus, variis calliditatum generibus dimicantes potius contra Christum, ad id præcipue, prout audentia facti ostendere dicitur, intendentes, ut Ecclesiis omnibus earumque facultatibus, aliisque bonis fidelium dictarum partium, eorum usibus applicatis, in rerum amplitudine contabescant, propter quod dimissa Christi Militia, immo contra Christi fideles armis nequitiae bellum miserabile conserentes, nonnullos Archiepiscopos, qui fuerunt pro tempore, aliosque Prælatos, & personas Ecclesiasticas in dignitatibus constitutas illarum partium, non absque iniectione manuum in ipsos, Dei timore postposito, temere, violento, detestabili, & Sacrilego ausu capere, diris mancipare carceribus, & alias eis graves corporales afflictiones inferre dampnabiliter præsumpserunt, ac de quatuordecim Ecclesiis Suffraganeis, quas Rigensis Ecclesia Metropolis partium earundem habere consvevit, septem totaliter deleverunt, septem aliis in tali statu dimissis, ut plus sint dedecori, & pudori decentiæ pastorali, quam si penitus non adessent: nam de quatuor earum eiectis Canonicis in eis canonice institutis, Fratres sui Ordinis pro Canonicis in dictis Ecclesiis locaverunt, quos in eisdem de facto instituunt, et destituunt, sicut volunt, & tales eorum Confratres pro Canonicis se gerentes, eligunt in Episcopos, quos iidem Præceptores, & Fratres mandant de suis Confratribus eligendos, electi vero taliter falsa, immo verius confirmatione aliqua non obtenta in Episcopos se faciunt consecrari, nullam obedientiam eidem Rigensi Ecclesiae, locorum Metropoli facientes. In residuis autem tribus Cathedralibus Ecclesiis vacantibus intrudunt personas, quas volunt, etiam minus dignas, & quibus per potentiae suae abusum, electionem faciunt celebrari, ac de modo, & forma electionum huiusmodi nulla examinatione præmissa, per antedictos Fratres sui Ordinis pro Episcopis se gerentes, electos huiusmodi in Episcopos faciunt consecrari, omnia bona earundem Ecclesiarum, quae insignes consveverant habere Pontifices, cum solennibus Capitulis, latis, & magnis facultatibus, & reditibus abundantes, propriis usibus, non absque pernicioso earundem Ecclesiarum dispendio enormiter applicando, seque, ut liberius in prædictam Metropolim, & Ecclesias, cæterosve Prælatos, & fideles Provinciarum, & partium prædictarum valeant desævire, eorumque munitiones, Castra, Terras, iurisdictiones, & iura propriæ subiicere ditioni. seque eiusdem paganis nequam amicitiae fœdere unientes, ac publicum eis adversus dictos fideles impendentes auxilium, consilium, & favorem, ferrum, arma, equos, & alia mercimoniorum genera, per quae dicti Pagani fideles eosdem possint acerbius impugnare, vendunt, & per alios ipsis vendi permittunt, quodque gravius est, iidem Præceptores, & Fratres non solum a confinibus eorundem Paganorum, in quibus contra illorum incursus debuissent se murum defensionis opponere, in detrimentum fidelium recesserunt, sed quoddam Castrum eiusdem Rigensis Ecclesiae eisdem Paganis pro certa quantitate pecuniae venundantes, Regnum Polochense, quod quondam Rex Polochensis ad fidem Christi conversus, prolem non habens legitimam, eidem Ecclesiae Rigensi contulerat pro animae suæ salute dictis Paganis non absque iactura multitudinis innumerosae fidelium, dimiserunt, cuius occasione duae solennes Cathedrales, Colomen. videlicet, & Ruthenien. Ecclesiae, consistentes in Regno prædicto totaliter sunt deletae, quibus Castro, & Regno ad manus dictorum infidelium taliter devolutis, dicti Pagani a locis

ANNO 1309.

Anno 1309. locis confinium repulsis fidelibus, magnam partem dictarum Provinciarum, tunc fidelium multitudine populosam, in solitudinem redegerunt, eisdem fidelibus partim peremptis gladio, partim eorundem paganorum miserabili iugo suppositis perpetuo servitutis: quodque detestabilius est, si quando iidem Præceptores, & Fratres offendendi Paganos, sub cuiusdam umbrae pallio velint ostendere se gerere voluntatem, illos fraudulenter impugnant, ut ex eorum facto fideles atrocius impugnentur, eosdem paganos ex tenuis prædæ dampno modico, ad destruendum reliqua Castra eiusdem Rigen. Provinciæ, pravis nocendi artibus irritantes. Fertur etiam de ipsis exe-crabile facinus, dirum nefas, quod cum Rex paganorum cum suis subditis fuisset ad fidem Christi conversus, ad diversos Episcopos successive, & Presbyteros sæculares, ac Fratres Prædicatorum, & Minorum Ordinum, in toto Regno suo ordinasset ad extirpationem errorum, & illuminationem, ac plantationem Orthodoxae fidei permansuros, iidem Præceptores, & Fratres, proh pudor! velut eiusdem fidei subversores quosdam eorundem Episcoporum, Presbyterorum, ac Fratrum exinde deiici, quosdam vero interfici, latentibus, & occultis studiis procurarunt, & taliter Pagani etiam ad fidem conversi, lumine veritatis abiecto, errores, proch dolor! pristinos resumpserunt. Et sic quondam Lechonien. Ecclesia Cathedralis, in dicto Regno consistens, cum sua Civitate, & Diœcesi, non absque multorum fidelium animarum, & corporum deplorando periculo miserabiliter fuit deleta. Populum etiam christianum Terrae Semigalliae, habentem Episcopum, & Presbyteros Orthodoxos, qui eis Sacramenta Ecclesiastica ministrabant, iidem Præceptores, & Fratres totaliter deleverunt, nobiliores eiusdem Terrae, quos ad convivium invitarant, proditionis infandae sævitia, mutilatione capitum perimentes, reliquam multitudinem populi dictae Terræ, ultra quam centum millia fidelium utriusque sexus, ad Terras Paganorum crudeliter profugarunt, dictique fideles eorundem paganorum in depressionem fidei, perpetuæ sunt redditi servituti, propter quod Episcopatus Semigalliæ, qui per Terras dictas amplam Diœcesim obtinebat, totaliter de medio fuit sublatus, ut omnino impediatur ampliatio fidei in partibus prælibatis, & proponendi Verbum Dei facultas quælibet subducatur, ex eo quod Fratres Ordinis Minorum, Castri Brunsberg eiusdem Rigen. Provinciae prædicationi dictorum paganorum instantes, Verbum Dei continue diffundebant, ac quidam Frater dicti Ordinis iugiter per Paganos discurrens, virtute verborum, & operum corruscando, die quolibet multos Paganos cognitione verae fidei illustratos, sacrae regenerationis lavacro innovabat, eisdem Fratribus Minoribus de dicto loco ignominiose deiectis eundem locum funditus destruxerunt, nullos omnino eiusdem verbi prædicationi insistere permittentes, Ecclesias quoque, Oratoria, & Capellas ædificari pro Neophitis non permittunt, ita quod dicti Neophiti in rudimentis fidei non instructi, ac in Ecclesiis cum Orthodoxis participium non habentes, nec in fide nec in moribus fidelibus sunt conformes. Pessimum etiam ritum eorundem paganorum sectantes, Confratres suos, si quos contingit interdum in hostili congressu, vel conflictu aliquo vulneribus sauciari, contra morem eiusdem fidei Orthodoxae prius quam expirent, impietate quadam sævissimæ feritatis extinguunt, eorum corpora flammarum incendio concremando. Ac ut præmissa, & alia eorum detestabilia sceclera eiusdem Sedis effugiant notionem, universos fideles Clericos, & Laicos cuiuscunque dignitatis, aut status existant, ad exponendum querelas de ipsis, tantarum persecutionum necessitate cogente, ad Sedem Apostolicam accedentes, crudeliter persequuntur, mortem eis per se, & alios inferendo, sicut hoc in personis quondam Magistri Alesii Doctoris Decretorum, Plebani plebis Thorunensis, & aliorum quam plurium, quos redeuntes de Romana Curia, ad quam venerant contra eos, crudeliter occiderunt, dicitur liquido apparere: necdum finem præmissis enormitatibus imponentes, sed mali esse, & boni credi, sub pallio ignoratae nequitiae cupientes, passus, & itinera debita, per quae de Civitate Rigensi exitus, & reditus ad eandem, quadam necessitate inevitabili peraguntur, sub ea faciunt custodia detineri, ut nonnisi personis, quas volunt, gressus ex ea pateat, vel regressus, sicque dicta Civitas exitum, & reditum liberum non habendo, cuiusdam obsidionis angustae dispendia cogitur deplorare. Ad quam quidem obsidionem præclusis itinerum quorumcunque vestigiis, fortius angustandam, quoddam Castrum a superiori parte ad portum Monasterii Dunamunden. Cisterscien. Ordinis eiusdem Rigensis dicti, in quo eadem Rigensis Ecclesia Jus obtinet Patronatus, ab inferiori parte eiusdem Civitatis consistentia absq; quibus Civitatem eandem nec per terræ, nec, maris vestigia nullus potest ingredi, vel ex-

Anno 1309.

ANNO 1309. exire, quodam illicito emptionis titulo, cum Monaſteriorum alienatio Sacris prohibita ſit Canonibus, & etiam ipſius Monaſterii Dunamunden. per piae memoriae Gregorii Papae Noni, Prædeceſſoris noſtri Privilegium ſpeciale, cuiuslibet alienationis Contractus foret ſpecialiter interdictus, temeritate propria occuparunt, & detinent occupata, propter quæ in eisdem Provinciis, in quibus Eccleſiam ſuam fœtu novae prolis ad fidem converſae Dominus ampliabat, familiari peſte inteſtinam exercente ſævitiam non ſolum fides radicata, & fundata non proficit, ſed ex perſecutione domeſtica deficit, & niſi celeri occurratur remedio, Nomen ibi deperit Chriſtianum. Noviſſime vero ad noſtrum pervenit auditum, quod dilecti Filii Nobilis Viri VLADISLAI Cracoviae, & Sandomiriae Ducis Terras hoſtiliter ſubintrantes, in Civitate Gdanſco ultra decem millia hominum gladio peremerunt, infantibus vagientibus in cunis, mortis exitium inferentes, quibus etiam hoſtis fidei peperciſſet. Iidem quoque Præceptores, & Fratres quam plura alia deteſtanda dicuntur committere, quorum ſeries ſe nimis extenderet, ſi ſingulariter ſingula præſentibus clauderentur. Nos igitur, qui diſponente Domino eiusdem Dominicae Vineae regimini præſidemus, deſiderantes ut in ea virtutum palmites convaleſcant ſucciſis tribulis vitiorum, attendentes quoque, quod præmiſſa, quae de dictis Præceptoribus, & Fratribus referuntur, utpote pernitioſa, & fidei noſtrae contraria, imo cunctorum Chriſti fidelium cordibus inimica ſub diſſimulatione tranſire, ſalva conſcientia nequeamus, conſiderantes etiam quod in talibus debitae correctionis differre remedium, nihil eſſet aliud, quam licentiam ſceleribus indulgere, Diſcretionem Veſtram, de quorum circumſpectionis induſtria plenam in Domino fiduciam obtinemus, hortandam attente duximus, & monendam, vobis per Apoſtolica ſcripta diſtricte præcipiendo, mandantes, quatenus ad partes illas, ſeu ad loca illarum partium, quae vobis pro executione huiusmodi negotii videri poterunt magis apta, vos perſonaliter conferentes, & habentes prae oculis ſolum Deum, contra prædictos Præceptores, & Fratres eiusdem Hoſpitalis in dictis Provinciis, & partibus conſiſtentes, ſuper præmiſſis omnibus, & ſingulis, nec non ſuper Articulis, quos ſub Bulla noſtra vobis deſtinamus incluſos, ac ſuper aliis criminibus, & exceſſibus, ſuper quibus eos inveneritis publice diffamatos, inquiratis diligentius veritatem, atque diligenter, & ſollicite inquiſita quæcunque inveneritis, in ſcriptis redacta, ac ſufficienter inſtructa Nobis ſub Sigillis veſtris procuretis fideliter intimare. Cæterum Caſtrum, & Monaſterium Dunamunde quod dicti Præceptores, & Fratres, ut præmittitur ſub cuiusdam emptionis colore detinent occupatum, per eosdem Præceptores, & Fratres facientes expeditum, & liberum omnino dimitti ipſum, usque ad eiusdem Sedis beneplacitum, præfatae Sedis nomine teneri, ac per perſonas idoneas, & fideles, quas ad hoc eligendas induſtria veſtra perſpexerit, faciatis cum diligentia cuſtodiri. Vt autem ad præmiſſorum executionem eo liberius intendere valeatis, quo maiori fueritis per Nos authoritate muniti, Vobis invocandi ad præmiſſa omnia, & ſingula exequenda ubi, & quando expedire cognoveritis, tamPrælatorum, quam etiam Principum, & aliorum ſæcularium, cuiuscunque conditionis, vel ſtatus exiſtant, vel quacunque dignitate præfulgeant, auxilium, & ſuccurſum, contradictores quoque ut rebelles, nec non teſtes, quos ad hoc duxeritis convocandos per Excommunicationis, Suſpenſionis, & Interdicti, nec non privationis Privilegiorum eisdem conceſſorum, a Sede prædicta ſententias compeſcendi tam de duabus dictis in Concilio Generali, quam de aliquo extra ſuam Civitatem, & Diæceſim, niſi in certis exceptis caſibus, & illis ultra unam dictam, a fine ſuæ Diæceſis ad iudicium non vocando, & aliis quibuscunque Conſtitutionibus, quæ veſtræ poſſent in hac parte Iurisdictioni, vel potestati, eiusque libero exercitio quomodolibet obviare, aut ſi teſtes, quos ad hæc evocari contigerit, fuerint Prædicatorum, vel Minorum, aut aliorum Ordinum quorumcunque, vel ſi prædictis Ordinibus a praedicta Sede indultum exiſtat, quod praedictorum Ordinum Fratres ad perhibendum teſtimonium in quibuscunquae cauſis, vel negotiis compelli non poſſint, ſeu ſi dictis Praeceptori, & Fratribus ab eadem ſit Sede indultum, quod excommunicari, ſuspendi, vel interdici non poſſint, per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, & quibuslibet aliis Indulgentiis, Privilegiis, & Literis Apoſtolicis quibuscunque, in quacunque forma verborum conceſſis, per quae praeſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta praemiſſorum executio poſſit quomodolibet impediri, nequaquam obſtantibus plenam vobis concedimus tenore praeſentium facul-

ANNO 1309.

ANNO 1308. cultatem, quod si non ambo his exequendis potueritis interesse, alter vestrum ea nihilominus exequatur. Datum Avinione decimo tertio Calendas Julii, Pontificatus nostri anno quinto.

XXXVIII.

Transumptum Bullæ GREGORII IX. *Papæ, qua in Rigensem Ecclesiam Regulam Ordinis Premonstratensium inducit, & proventus, ac possessiones, quas enumerat, Fratribus eiusdem Ordinis Confirmat. Ex Originali Sigil. 2.*

Universis præsentem Literam visuris, seu audituris, Conradus Custos, Hartungus, Canonici Osilensis Ecclesiæ, salutem in Domino sempiternam. Recognoscimus, & tenore præsentium publice protestamur Nos vidisse, & legisse Literas Domini Papæ GREGORII *cum vera bulla, non cancellatas, non abolitas, non rasas, neque in aliqua parte sui vitiatas in hæc verba.* GREGORIUS Episcopus Servus Servorum Dei. Dilectis filiis Præposito Rigensis Ecclesiæ, eiusque Fratribus tam præsentibus, quam futuris, regularem vitam professis, in perpetuum. Quoties a Nobis petitur, quod Religioni, & honestati convenire dinoscitur, animo Nos decet libenti concedere, & petentium desideriis congruum suffragium impertiri. Eapropter dilecti in Domino Filii, vestris iustis postulationibus clementer annuimus, & Ecclesiam Rigensem, in qua divino estis obsequio mancipati, sub Beati Petri, & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti Privilegio communimus. Inprimis siquidem statuentes, ut Ordo Canonicorum, qui secundum Domini, & Beati Augustini Regulam, atque institutionem Præmonstratensem, Fratrum in eodem loco institutus esse dinoscitur, perpetuis ibidem temporibus, & inviolabiliter observetur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona eadem Ecclesia in præsentiarum iuste, & canonice possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis prosperante Domino poterit adipisci, firma vobis, vestrisque Successoribus, & illibata permaneant, hæc autem propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum, in quo præfata Ecclesia sita est, cum omnibus pertinentiis suis, etiam in HOLME cum terminis Villarum, quae ultra Dunam sitæ sunt, Ecclesiam IKESCULE, cum terminis suis, Parochiam in KUBISZLE cum omni iure spirituali, & temporali, Parochiam in VITTESILE cum Jure spirituali, temporali autem in his villis: VITTESILE, MUNDERSILE, LOTISILE, VESRKENDORP, GERWIKULE. Item decimas in KULTEMALE, GERKESILE, LANGULE. Item in maritima Parochiam in COTZE, & ZWORBE cum decimis, & omni Jure; item Patronatum, & Archidiaconatum in civitate Rigensi, & Ecclesiis nominatis. Ad hæc praedium in PIGEHOLME cum agris ibidem iacentibus, prædium in INSULA LAPIDEA, cum agris suis. Praedium in TAMEGARE cum agris, & molendinis suis, insulam OSEMESARE. Item advocatiam liberam super Ecclesiis, & bonis omnibus supra dictis, sive novalium universorum, quæ ipsis manibus, vel sumptibus colitis, de quibus aliquis decimas hactenus non percepit, sive diversorum animalium nutrimentis, nullus a vobis exigere, vel extorquere præsumat. Liceat quoque vobis Clericos, vel Laicos liberos, & absolutos, e sæculo fugientes ad conversionem recipere, atque eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper, ut nulli Fratrum vestrorum, post factam in Ecclesia vestra professionem fas sit sine Præpositi sui licentia, nisi arctioris Religionis obtentu, de eodem loco discedere, discedentem vero absque communium literarum vestrarum cautione nullus audeat retinere. Cum autem generale Interdictum Terræ fuerit, liceat vobis ianuis clausis, exclusis excommunicatis, & interdictis, non pulsatis campanis, submissa voce divina officia celebrare. Crisma vero, oleum Sacrum, consecrationes Altarium, seu Basilicarum, ordinationes Clericorum, qui ad Sacros Ordines fuerint promovendi, a Diæcesano suscipietis Episcopo, si quidem Catholicus fuerit, & gratiam, & communionem Sacrosanctæ Romanæ sedis habuerit, & ea vobis voluerit sine pravitate aliqua exhibere. Prohibemus insuper, ut intra fines Parochiæ vestræ nullus sine assensu Diæcesani Episcopi, & vestro, Capellam, seu Oratorium de novo constituere audeat, salvis Privilegiis Pontificum Romanorum. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decrevimus, ut eorum devotioni, & extremæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati, vel interdicti sint, aut etiam publice usurarii, nullus obsistat, salva tamen iustitia illarum Ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur. Decimas præterea, & possessiones Ordinis Ecclesiarum vestrarum

ANNO 1309.

Anno 1309. rum ſpectantes, quæ a Laicis detinentur, redimendi, & legitime liberandi de manibus eorum, & ad Eccleſias, ad quas pertinent revocandi, libera ſit vobis de noſtra auctoritate facultas. Obeunte vero te nunc eiusdem loci Præpoſito, vel tuorum quolibet Succeſſorum, nullus ibi aliquali ſubreptionis aſtutia, ſeu violentia præponatur, niſi quem Fratres communi conſenſu, vel fratrum pars maioris, & ſanioris conſilii ſecundum Domini, & Beati Auguſtini regulam permiſerint eligendum. Paci quoque ac tranquillitati veſtræ paterna impoſterum ſollicitudine providere volentes, auctoritate Apoſtolica prohibemus, ut infra clauſulas locorum, ſeu grangiarum veſtrarum nullus rapinam, ſeu furtum facere, ignem apponere, ſanguinem fundere, hominem tenere, capere, vel interficere, ſeu violentiam audeat exercere. Decrevimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatam Eccleſiam temere perturbare, aut eius poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, ſeu quibuslibet vexationibus fatigare, ſed omnia integra conſerventur eorum, pro quorum gubernatione, ac ſuſtentatione conceſſa ſunt uſibus omnimodis profutura. Salva Sedis Apoſtolicæ auctoritate, & Diæceſani Epiſcopi canonica iuſtitia. Siqua igitur in futurum Eccleſiaſtica, Sæculariſve perſona hanc noſtræ Conſtitutionis paginam, ſciens contra eam temere venire temptaverit, ſecundo tertiove commonita, niſi peccatum ſuum congrua ſatisfactione correxerit, poteſtatis, honorisque ſui careat dignitate, reamque ſe divino iudicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & a Sacratiſſimo corpore, ac Sangvine Dei, & Domini noſtri Redemptoris JESU CHRISTI aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictae ſubiaceat ultioni. Cunctis autem eodem loco ſua Jura ſervantibus, ſit Pax Domini noſtri JESV CHRISTI, quatenus, & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud Diſtrictum Judicem præmia æternæ Pacis inveniant, Amen.

In huius rei Signum Sigilla noſtra infra duximus appendenda. Datum in Riga Anno Domini milleſimo trecenteſimo nono.

XXXIX.

1317. *Bulla* Joannis XXII. *Papæ, qua Confœderationem, & Coniurationem Capituli Rigenſis cum Fratribus Ordinis, ac Vaſallis Diæceſis Rigenſis factam reſcindit.* Dat. Avinione d. 21. Dec. Anno 1317. Anno 1317.

Joannes Epiſcopus Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Diſſolve colligationes impietatis, ſolve faſciculos deprimentes. His ſcripturae Sacrae praeceptis inducimur colligationes impietatis, impio, vel iniquo contractas intuitu noſtro diſſolvere harum congeriem, & adiectione cuiuslibet obligationis adauctam, propenſiori ſtudio, velut deprimentes faſciculos diſſipare. Sane relatio fide digna quam plurium, & exhibitarum etiam authenticarum ſeries Literarum in noſtram, & Fratrum noſtrorum notitiam aperte deduxit, qualiter nonnullae perſonae Eccleſiasticae, tam Religioſae, quam Saeculares in eisdem infraſcriptis literis annotatae, una cum quibusdam Laicis, ſuis in hac parte complicibus, fautoribus, atque ſequacibus, certas confœderationes, conventiones, & colligationes, ac ordinationes impias, & iniquas nedum contra Rigenſem, & non nullas Eccleſias, ac Eccleſiaſticas perſonas illarum partium, quin etiam contra reverentiam Romanae Matri Eccleſiae debitam, ac in eiusdem contemptum, & praeiudicium evidens Eccleſiaſticae libertatis, non absque conſpirationis nota, ſeu coniurationis offenſa in animarum ſuarum periculum dampnabiliter inierunt, quarum obſervatio malorum ſemina ſpargere, & diſſidiorum incentivis de facili ſuſcitatis, ſtatui pacifico fidelium incolarum hoſtibus vicinantium fidei, multipliciter derogare, ipſorum fidelium fidem teneram de levi poſſet inficere, & alia multa diſcrimina animarum, & corporum probabiliter germinare. Nos itaque proſpicientes attentius, quanta impietate confaederationes, conventiones, colligationes, ſeu ordinationes huiusmodi inferius deſcribendæ redundent, quanta impietate reſultent, quantumque pondus importent, & proinde adverſus præcavenda pericula, quæ minantur, ſalubriter iuxta iniuncti Nobis Officii debitum occurrere cupientes, eas omnes, & ſingulas quocunque nomine cenſeantur, prout videlicet earum tenor ſubter annectitur, quas variæ ipſarum circumſtantiæ, & rationes aperte Juribus invalidas detegunt, omnique vacuandas effectu, & firmitate declarant, de Fratrum ipſorum conſilio prorſus illicitas, ac reprobatas a Jure, authoritate Apoſtolica declaramus, easque tanquam iniquas, & beneplacito divino contrarias, Juribus vacuas, ac irritas, & inanes fore decernimus, eas nihilominus revocantes, quatenus

Anno nus proceſſere de facto, & inſuper quas-
1317. cunque pœnas adiectas, ac Juramenta præſtita ſuper illis, ſub quibuſcunque forma, modo, vel expreſſione verborum, præſertim cum Juramentum vinculum iniquitatis eſſe non debeat, exnunc de Apoſtolicæ plenitudine poteſtatis nulla fore decernimus, & quatenus de facto proceſſerunt, irritamus, abſolventes omnes, & ſingulos, qui confœderationes, colligationes, conventiones, ſeu ordinationes huiusmodi inierunt, ab huiusmodi pœnarum promiſſionibus, ac iuramentorum præſtationibus, ut tota illarum ſubſtantia, & effectu tam principaliter, quam neceſſarie annullatis, & nullis penitus declaratis, ex ipſarum vigore quacunque ratione, occaſione, vel cauſa directe, vel per obliquum nulli ad earum obſervantiam unquam in aliquo remaneant obligati. Similes præterea fieri de cætero diſtrictius inhibemus, decernentes irritum, & inane, ſi quid contra proviſionem noſtram huiusmodi fuerit attemptatum. Eos inſuper qui confœderationes, colligationes, conventiones, & ordinationes prædictas poſt habitam de huiusmodi noſtra declaratione, & annullatione notitiam, obſervare præſumpſerint, eo ipſo decernimus excommunicationis ſententiæ ſubiacere. Tenorem vero prædictarum confœderationum, colligationum, conventionum, ſeu ordinationum præſentibus inſeri fecimus, qui talis eſt.

In Nomine Domini Amen.

Omnibus in perpetuum. Lutfridus electus in Præpoſitum, Joannes Prior electus, Hermannus Cantor, Dominus Hirricus, Cillaritius Canonici, totumque Capitulum Sanctæ Rigenſis Eccleſiæ, Fratres Gerardus Præceptor, Henricus Marſchalcus, Joannes de Welyn, Reymarus in Victeſten, Herquebertus in Wenda, Cono in Dunemunde, & Joannes Ungenade in Seghewoldis Commendatores, Georgius Arnoldus de Brakele, & Hermannus de Dorſlo Sacerdotes, Nicolaus de Parſewe, & Hermannus Buch, cæterique Fratres Ordinis Domus Theutonicorum per Livoniam. Joannes de Pala, Woldemarus de Roſen, Joannes, & Rodulfus de Hungaria milites, Joannes de Ikeſculle, & Joannes de Oſtihuſen, cæterique vaſalli eiusdem Sanctæ Rigenſis Eccleſiæ ſalutem in Domino ſempiternam. In medio nationum perverſarum poſiti, videlicet *Lethevinorum* infidelium, & Schiſmaticorum Ruthenorum, ne novella plantatio fidei Catholicæ multorum fidelium ſangvine irrigata depereat, & in nihilum redigatur, ſed potius cooperante virtute Altiſſimi uberius ſuſcipiat incrementum, ad honorem Domini noſtri Anno
JESU CHRISTI confœderationem, & 1317.
unionem ſub matura deliberatione inire decrevimus ſub hac forma. Primo quod una pars alteri debet adhærere fideliter, & aſſiſtere in ſuis iuſtitia, ac libertatibus conſervandis, conſiliis, & auxiliis, corpore, & rebus, ope, & opera, promotionibus, & directionibus, toto poſſe, publice, & occulte, contra quemlibet, ſeu quoſlibet homines, univerſitatem, vel collegium qui Nos univerſaliter, & particulariter gravaverint, gravant, vel gravare poterunt in futuro, cuiuscunque ſtatus, conditionis præeminentiæ, ſeu dignitatis extiterint, nec aliqua trium partium, propter metum, amorem, favorem, vel præceptum, ſeu ex aliqua occaſione cum quocunque homine aliquam noſtrarum partium aggravante, compoſitionem faciet ſpecialem, niſi de omnium noſtrum unanimi voluntate. Item ſi inter partes diſſenſio, controverſia, vel diſcordia, quod abſit, orta fuerit, unaquæque partium duos viros idoneos ad locum congruum deſtinabit, qui non ſeparabuntur, donec diſcordes concordaverint in iuſtitia, vel amore. Præterea ſi quis, vel quicunque humilis, vel ſublimis occaſione huiusmodi confœderationis, vel unionis aliquam partium præſumpſerit perturbare, talem præſumptorem quousque a ſua pertinacia reſipuerit, mutuis conſiliis, auxiliis, & iuribus proſequemur. Inſuper ſiqua confœderatio, vel unio ab aliqua trium partium facta ſit, ſub quacunque forma literarum, vel expreſſione verborum, quo poſſit præſenti confœderationi præiudicari, talem unionem, & confœderationem revocamus, caſſamus, & nullius decernimus roboris, vel momenti. Sane ut præmiſſa omnia, & ſingula ſortiantur robur perpetuæ firmitatis, obligamus Nos, & Succeſſores noſtros, ac hæredes ad ea firmiter obſervanda ſub Sacramento iuramenti a Nobis tactis Sacroſanctis Evangeliis corporaliter præſtiti, & ſub obtentu fidei, et honoris, & quicunq; contravenerit, erit inperpetuum periiurius, exlex, & infamis, nec admittetur amplius ad aliquas legitimas actiones, inſuper mille Marchas auri, vel decem millia Marcharum argenti dabit, quarum tertia pars Cameræ Domini Papæ, & duæ partes partibus læſis cedent, quæ recipientur de bonis magis congruis partis reæ. Pro qua receptione pars recipiens nullam incurret Excommunicationis ſententiam, vel gravamen. In quorum omnium evidentiam, & validius firmamentum Sigilla noſtri Capituli, Præceptoris, Marſchalci, Commendatorum de Welin, Witeſteim,

Anno 1317. Wenda, Dunemunde, & Seghevolde, Joannis de Pala, Woldomari de Roſen, Joannis, & Rodulphi de Vngaria militum, ac Joannis de Oſtehuſen, cæterorumque Sigilla propria habentium præſentibus ſunt appenſa. Datum, & Actum apud Seghevolden, Anno Domini milleſimo trecenteſimo ſextodecimo, IX. Calendas Maii. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ declarationis, conſtitutionis, revocationis, irritationis, abſolutionis, & inhibitionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe noverit incurſurum. Datum Avinione XII. Calendas Januarii Pontificatus noſtri Anno ſecundo.

XL.

1330. *Idem committit Padvanenſi, Oſilienſi, ac Tarbatenſi Epiſcopis, ut auctoritate Apoſtolica Magiſtro, & Fratribus iubeant, ut Caſtra, & bona Archiepiſcopo, & Capitulo Rigenſi erepta, eisdem reſtituant.* Dat. Avinione d. 7. Maii, Anno 1330.

Joannes Epiſcopus Servus Servorum Dei. Venerabilibus Fratribus Padvanen. & Oſilien. ac Tarbaten. Epiſcopis ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Gravem Venerabilis Fratris noſtri Archiepiſcopi, & dilectorum Filiorum Præpoſiti, & Capituli Rigenſ. querelam recepimus, continentem, quod dilecti Filii Magiſter Generalis, ac Præceptor, & Fratres Hoſpitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum in Livonia, dictum Archiepiſcopum Caſtris, & poſſeſſionibus omnibus ad cum, & Eccleſiam ſuam ſpectantibus, contra iuſtitiam nequiter ſpoliarunt, ac poſſeſſiones ad præfatos Præpoſitum, & Capitulum pertinentes, dampnabiliter occuparunt, exinde animalia, & alia bona mobilia, tam dictorum Archiepiſcopi, Præpoſiti, & Capituli, quam Colonorum, & aliorum hominum ſuorum deducentes in prædam, dictis hominibus, & vaſallis eorum graves, & atroces iniurias inferendo, quorum ſeptem gladiis crudeliter transfigentes, eos per pedes ſuſpendere præſumpſerunt, contra iuramentum ſuper hoc præſtitum, & promiſſiones factas per eos in Conſiſtorio coram Nobis temere veniendo, præmiſſis etiam adiecerunt, quod præfati Magiſter, Præceptor, & Fratres Monaſterium, & Portum Dunamunde Rigenſis Diæceſis ad Eccleſiam Rigenſem ſpectantia occuparunt, & detinent occupata, ex quibus Eccleſiæ, ac Civitati, & Civibus Rigenſibus magnum praeiudicium, & quodammodo excidium noſcitur imminere, ac ex eis infinita ſcandala, ſeditiones, incommoda, & ſtrages plurimae proceſſerunt, quodque dicti Magiſter, Praeceptor, & Fratres obedientiam, & Juramentum fidelitatis Praelatis Provinciae Rigenſis, a quibus feuda tenere noſcuntur, praeſtare recuſant, ac nihilominus impediunt itinera, atque paſſus, per quae ad Terras circumadiacentes liber itinerantibus univerſis patere conſvevit acceſſus, propter quod fidelium, & maxime Religioſorum volentium ſe conferre ad circumadiacentes Terras infidelium, ad proponendum eis pabulum verbi Dei, & fidem Catholicam in illis partibus dilatandam, itineratio impeditur. Dicti quoque Magiſter, Praeceptor, & Fratres praedictis exceſſibus non contenti, Civitatem Rigenſem in ſpiritualibus, & temporalibus ſubiectam Nobis, & Archiepiſcopo prælibato, arte obſidionis, anguſtia circumvallaſſe dicuntur, Civibus eiusdem Civitatis liberum ingreſſum, & exitum, & aliis ad Civitatem eandem volentibus deferre victualia, & cum eisdem Civibus conſveta exercere commercia, facultatem liberam auferentes, & etiam prohibentes, ex quibus ſtatus fidelium in dicta Civitate morantium periclitari dinoſcitur, ac fami, & aliis gravibus incommodis, & periculis ſubiacere, & quod gravius eſt, dicti Magiſter, Præceptor, & Fratres Ordinationem, & Mandata noſtra, dudum eisdem Magiſtro, Præceptori, & nonnullis Comendatoribus, ac Fratri Conrado Procuratori dicti Hoſpitalis tunc in noſtra, & Fratrum noſtrorum præſentia conſtitutis, & per eos cæteris Fratribus Hoſpitalis eiusdem præſentibus, & futuris, verbo, & per literas noſtras facta, non absque inobedientiæ gravi nota, obſervare non curant, in noſtrum, & Apoſtolicæ Sedis contemptum, grave fidelium illarum partium ſcandalum, & præiudicium manifeſtum, & ſuarum perniciem animarum. Quo circa Fraternitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus vos vel duo, aut unus veſtrum, per vos, vel per alium, ſeu alios, præfatum Magiſtrum, Præceptorem, & Fratres ex parte noſtra requirere procuretis, quod Caſtra, poſſeſſiones, ac animalia, ac bona alia quæcunque ad vos Archiepiſcopum, Præpoſitum, & Capitulum, et Eccleſiam Rigenſem, ac Colonos, et homines ipſorum ſpectantia, quibus eos, ut præmittitur Anno 1330.

Anno 1330. tur ſpoliarunt, reſtituant cum fructibus perceptis medio tempore ex eisdem, et de illatis iniuriis, atque dampnis eis ſatisfaciant competenter, et ordinationem, et mandata prædicta in Literis noſtris ſerioſe contenta, quarum tenorem, ut de eis poſſitis habere notitiam, de verbo ad verbum præſentibus duximus inſerendum, plenarie ſtudeant obſervare, eis nihilominus iniungentes, ut omnem obſidionem a Civitate prædicta, et eius pertinentiis debeant removere, et victualia libere tranſire permittant. Quod ſi forte requiſitioni, et mandatis huiusmodi non paruerint, et præmiſſa noluerint adimplere, eundem Magiſtrum peremptorie ex parte noſtra citetis, ut certo termino competenti, quem ei ad hoc duxeritis præfigendum, perſonaliter una cum Privilegiis omnibus, ſiqua ſuper exemptionibus ſuis, et dicti Hoſpitalis habet, Apoſtolico conſpectui ſe præſentet, facturus ſuper præmiſſis, et recepturus, quod iuſtitia ſvadebit, alioquin niſi ea portaverit, illa Sedi Apoſtolicæ oſtenſurus, extunc dicta Privilegia ſuſpendimus, ipſosque ſuis ordinariis volumus eſſe ſubiectos. Diem vero citationis, et præfixionis huiusmodi, et quæcunque ſuper his feceritis Nobis per veſtras literas, vel per inſtrumentum publicum harum ſeriem continentia, fideliter intimare curetis, tenor vero dictarum Literarum talis eſt. Joannes Epiſcopus Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Juxta ſollicitudinis Apoſtolicæ debitum de ſtatu Filiorum Sanctae Matris Eccleſiae ſub religione militantium fidei Chriſtianae, aſſidue cogitantes, eo ſolicitius aciem mentis extendimus ad remotos, prohibendo noxia, et ſalubria ſvadendo, quo illos utpote a Praeſidentis praeſentia loñge diſtantes, ad perpetrandos exceſſus procliviores eſſe coniicimus, et lima correctionis Apoſtolicae plus egere. Sane dudum contra dilectos Filios Magiſtrum Generalem, ac Praeceptorem Livoniae, ac Commendatores, et Fratres ordinis Hoſpitalis Sanctae Mariae Theutonicorum multa gravia, et enormia fuerunt noſtro Apoſtolatui reſerata, quae licet ipſi negent omnino, illaque aſſerant eſſe falſa, quia tamen ſi talia veritate nitantur, Apoſtolicæ correctionis limam non indigne depoſcunt, ſingulariter ſingulis ſingula providimus remedia adhibenda. Inprimis, ſiquidem ad audientiam noſtram pervenit, quod ipſi dilectos filios Prædicatorum, & Minorum Ordinum Fratres, quorum prædicationis officium quam ſit utile Eccleſiæ generali, probant fructus uberes, quos in illa diligens ipſorum cultura produxit hactenus, & producit, nec non Religioſos alios, & Eccleſiaſticos ſæculares impediebant, quominus in partibus ſuis ſalutis verba proponere, vel per Terras, & loca eorum ire, & redire libere, & ſecure valerent ad prædicandum paganis, & infidelibus verbum Dei. Propter quod attendentes gravia, & plurimum deteſtanda pericula ex his negotio fidei miniſtrari, eisdem Magiſtro, Præceptori, & nonnullis Commendatoribus, ac Fratri Conrado Procuratori dicti Hoſpitalis in noſtra, & Fratrum noſtrorum præſentia conſtitutis, & per eos cæteris Fratribus Hoſpitalis eiusdem præſentibus, & futuris expreſſe mandavimus, & præſentium authoritate mandamus, quod impedimenta huiusmodi de cætero non præſtarent, nec præſtent eisdem in virtute obedientiæ, & ſub religione præſtiti iuramenti diſtrictius iniungentes, quod prædictis Fratribus, nec non aliis Religioſis, & Clericis ſæcularibus, quos ad præmiſſa facienda, & exequenda per Superiores eorum tranſmitti contigerit, providerent, & provideant per Terras eorum, in eundo, & redeundo de ſecuro Conductu, ipſisque præſtarent, & præſtent auxilium, conſilium, & favorem. Si vero, quod abſit, eisdem impedimenta huiusmodi miniſtrarent, cum ex his non eſſet dubium proſecutionem negotii fidei, & ſalutares fructus, qui ex propoſitione verbi Dei proveniunt, impediri, eosdem impeditores, & quoslibet alios, impedimenta huiusmodi miniſtrantes, decrevimus, & decernimus excommunicationis ſententiam incurrere ipſo facto. Præmiſſis etiam addebatur, quod ipſi Neophitos, quos utpote de novo converſos ad fidem, tenebantur piis uberibus confovere, donec eſſent in fide firmiter radicati, multiplicium oppreſſionum premebant incommodis gravia, & inportabilia onera imponentes eisdem, & eos in ſervitutem quodammodo redigentes, non permittentes per locorum Ordinarios, ſeu per alios authoritate, & licentia Ordinariorum ipſorum pro dictis Neophitis ædificari, & conſtrui Eccleſias, Oratoria, vel Capellas, in quibus poſſent, & poſſint Miſſæ, & alia divina Officia celebrari, dictique Neophiti erudiri in fide, ac moribus chriſtianis, eisque ibidem miniſtrari Eccleſiaſtica Sacramenta, propter quod mandavimus, & præſentium tenore mandamus præfatis Magiſtro, Præceptori, Commendatoribus, & Fratribus dicti Hoſpitalis præſentibus, & futuris, ut a prædictis, & ſimilibus oppreſſionibus, & impedimentis omnino deſiſterent, & deſiſtant, ac Eccleſias, Oratoria, & Capellas, in

Anno 1330.

ANNO 1330. in quibus Missæ, & alia divina Officia eisdem de novo conversis ad fidem, & aliis valeant celebrari, in locis, in quibus non sunt, libere, ut præmittitur, construi, & ædificari permittant, eos, qui temere impedire præsumpserint, decernentes pœnæ consimili subiacere. Adiciebatur etiam, quod idem Magister, Præceptor, Commendatores, & Fratres Ecclesiis, & personis Ecclesiasticis multas oppressiones, iniurias, molestias, & violentias inferebant, Venerabiles Fratres nostros Archiepiscopos, & Episcopos, ac dilectos filios Præpositos, Decanos, & alios Ecclesiarum Prælatos, & personas ecclesiasticas capiendo, incarcerando, invadendo, occidendo, & alias in eos manus iniciendo temere violentas, ipsosque tam diu detinendo captivos, donec iuxta voluntatem dictorum Magistri, & Fratrum Hospitalis eiusdem, cum eis componere, & illatas eis iniurias remittere cogebantur; quodque eorum Ecclesias destruebant, frangebant, ac incendio concremabant, ac iuribus, & libertatibus, & bonis aliis spoliabant, propter quæ ipsis expresse inhibuimus, & etiam inhibemus, tam sub præmissa Excommunicationis pœna, quam sub pœnis, & sententiis in tales a Sacris Canonibus promulgatis, quas si, contra facerent, seu fecerint eos incurrere voluimus, & volumus ipso facto, ne talia de cætero attemptare præsumerent, vel præsumant, eos nihilominus gravioribus pœnis subdendos, prout Nobis videbitur expediens, reservantes. Omnes insuper compositiones, & remissiones huiusmodi factas, & faciendas, quatenus sunt præiudiciales dictis Ecclesiis, et personis cassamus, revocamus, et irritamus omnino, ipsasque decernimus fore cassas, irritas, et inanes. Eas vero, quæ in favorem Ecclesiarum, et personarum prædictarum factæ fuerint, vel fuerit in posterum per eosdem, ratas, et validas esse volumus, et robur habere perpetuæ firmitatis. Præterea omnes coniurationes, et conspirationes, quas prænominati Magister, Præceptor, Commendatores, et Fratres fecerunt in præiudicium Romanæ Ecclesiæ, quatenus præiudiciales dictæ Ecclesiæ existebant, quarum tenorem de verbo ad verbum inferius præsentibus duximus inserendum, revocavimus, cassavimus, et annullavimus, et tam eas, quam coniurationem, et conspirationem quamcunque, siqua esset facta per eos in præiudicium Romanæ Ecclesiæ memoratæ, revocamus, cassamus, et annullamus, et nullius fore decernimus firmitatis, iuramenta nihilominus super ipsarum observatione præstita, authoritate Apostolica relaxantes. Voluimus insuper, et mandavimus, et volumus, et mandamus eisdem, quod renunciarent, et renuncient omnibus coniurationibus, et conspirationibus supradictis factis per eos, et quod de cætero a talibus abstinerent, et abstineant, præcipientes eisdem sub pœnis prædictis, ut eiusdem Romanæ Ecclesiae parerent, et pareant humiliter beneplacitis, et mandatis, et quod Excommunicationis, et quascunque alias sententias per eam, vel eius authoritate latas, et ferendas sive a Canone, sive ab homine latae forent, debeant debite observare. Quae quidem omnia dicti Magister, Praeceptor, Commendatores, et Fratres in nostra, et dictorum Fratrum nostrorum praesentia per iuramentum per eos praestitum, praedictis coniurationibus, et conspirationibus renunciantes, omnino promiserunt firmiter, et inviolabiliter observare, et se talia, vel similia non facturos. Praemissis etiam fuit adiectum, quod quandocunque aliquos de Confratribus suis in conflictu vulnerari contingit, ipsos, priusquam expirent, interimunt, eorumque corpora flammarum incendio cremant, quae tanquam horribilia, et crudelia, et a cunctis fidelibus detestanda ne de caetero attemptare praesumant, sub paenis in talia exercentes a Canone promulgatis, quas non solum talia agentes, sed etiam consentientes incurrere volumus ipso facto, authoritate praedicta districtius duximus inhibendum, eisdem nihilominus in virtute obedientiae arctius iniungentes, quod haec, et similia prohibeant inter se fieri, per statuta per ipsos super his specialiter facienda. Eis insuper districte praecepimus, et praecipimus quod auguria, et sortilegia, seu divinationes non exerceant, sed fieri prohibeant, sub praedictis paenis iniungentes eisdem quod super his statuta faciant, ne per Fratres dicti Ordinis praesentes, et posteros talia praesumantur. His etiam addebatur quod ipsi Nuntios Sedis Apostolicae, ac Procuratores, et Gentes Praelatorum Provinciae Rigensis, et alios pro causis, et negotiis Ecclesiasticis per Terras eorum euntes, transeuntes, et ad Romanam Curiam venientes impediebant, quominus per Terras eorum possent liberum habere transitum, vel accessum, propter quod sub Excommunicationis, et aliis paenis praedictis, eis districtius inhibuimus, et authoritate praesentium inhibemus ne talia, vel similia attemptare praesumerent, vel praesumant, eos si secus fecerint paenas praedictas ipso facto incurrere decernentes. Eisdem etiam sub paenis praedictis districtius duximus iniun-

ANNO 1330.

Anno 1330. iungendum, quod non impediant vaſallos Rigenſis Eccleſiæ, & alium populum chriſtianum quominus ſe defendendo, vel alias contra Paganos infideles progredi valeant, & pugnare, quinimo hortamur eosdem, ut aſſiſtant eisdem auxiliis, conſiliis, & favoribus, ſi, & prout viderint expedire. Præterea quia fuit eidem Apoſtolatui reſeratum, quod ipſi occupaverant poſſeſſiones, & iura, & libertates Venerabilis Fratris noſtri Archiepiſcopi, & dilectorum Filiorum Capituli, & Eccleſiæ Rigenſis, & aliarum Eccleſiarum Suffraganearum eiusdem Rigenſis Eccleſiæ, & detinebant eadem occupata, eisdem Magiſtro, Præceptori, Commendatoribus, & Fratribus ſub pænis prædictis diſtricte mandavimus, & mandamus, quod præmiſſa omnia occupata per ipſos, ſiqua ſint, eisdem Archiepiſcopo, & Capitulo, & Eccleſiis reſtituant, & reſtitui faciant, & procurent, quantum in eis eſt, dando ſecuritatem prædictis, & in ipſis recuperandis ſuum conſilium, auxilium, & favorem, & quod de cætero nihil occupent, vel uſurpent de bonis, & iuribus prædictorum. Idem quoque fieri voluimus, & mandavimus Archiepiſcopo, & Capitulo, & aliis ſupradictis, ſi forte teneant aliqua occupata de bonis Ordinis ſupradicti. Et quia intelleximus etiam, quod prænominati Magiſter, Præceptor, Commendatores, & Fratres impediebant indebite Cives Rigenſes in iuribus, & poſſeſſionibus ſuis, & præcipue in rippis fluminis Dune, & aliorum fluminum, occupando iura, poſſeſſiones, & libertates eorum, eisdem mandavimus ſub pænis prædictis, quod talia facere non præſumant, & quod occupata reſtituant Civibus memoratis, illud idem volentes fieri, & mandantes per Cives prædictos, ſiqua de poſſeſſionibus, & iuribus prædicti Ordinis detineant occupata. Quia vero præmiſſis fuit etiam adiectum, quod dicti Magiſter, Præceptor, Commendatores, & Fratres indebite impediebant nedum dictos Cives Rigenſes, ſed etiam peregrinos, & chriſtianos alios, quominus poſſent libere applicare, ſeu pervenire ad portum, ſeu littus Dunamunde, & exinde per eundem portum intrare, ire, & redire ad Civitatem Rigenſem, obſtruendo, & impediendo portum prædictum, & liberum introitum, & ingreſſum, & regreſſum ad Civitatem eandem cum rebus, & bonis eorum, eisdem ſub pæna Excommunicationis, quam, ſi ſecus facerent, eos incurrere volumus ipſo facto, diſtrictius duximus inhibendum, & etiam inhibemus, ne præſumant talia attemptare, abſolutionem a pænis prædictis, ſi forte prænominatos, vel eorum aliquos eas contingat incurrere, Nobis, & Sedi Apoſtolicæ ſpecialiter reſervantes. Ne igitur præmiſſa per temporis curſum oblivioni dari contingat, inhibitiones, mandata, & pænas huiusmodi, aliaque præmiſſa omnia, & ſingula de prædictorum Fratrum noſtrorum conſilio ad perpetuam rei memoriam præſentibus ſub Bulla noſtra duximus redigenda. Tenor autem dictarum coniurationum, et conſpirationum talis eſt. Anno 1330.

In Nomine Domini Amen.

Omnibus in perpetuum. Lutfridus Electus in Præpoſitum, Joannes Prior Electus, Hermanus Cantor, Dominus Hirricus, Cellaritius Canonici, totumque Capitulum Sanctæ Rigenſis Eccleſiæ: Fratres Gerardus Præceptor, Henricus Mareſcalcus, Joannes de Velin, Reymarus in Witeſteym, Herquebertus in Wenda, Cono in Dunemunde, & Joannes Ungenade in Seghewoldis Commendatores, Georgius Arnoldus de Brakele, & Hermanus de Dorſlo Sacerdotes, Nicolaus de Parſeve, & Hermanus Buch, cæterique Fratres Ordinis Domus Theutonicorum per Livoniam, Joannes de Pala, Woldmarus de Roſen, Joannes, & Rudolphus de Hungaria milites, Joannes de Ikeſkule, & Joannes de Oſtyhuſen, cæterique Vaſalli eiusdem Sanctæ Rigenſis Eccleſiæ Salutem in Domino ſempiternam. In medio Nationum perverſarum poſiti, videlicet Lettevinorum infidelium, & ſchiſmaticorum Ruthenorum, ne novella plantatio fidei orthodoxæ multorum fidelium ſangvine irrigata depereat, & in nihilum redigatur, ſed potius, cooperante virtute Altiſſimi uberius ſuſcipiat incrementum, ad Honorem Domini noſtri JESU CHRISTI, Confœderationem, & unionem ſub matura deliberatione inire decrevimus ſub hac forma. Primo, quod una Pars alteri debet adhærere fideliter, & aſſiſtere in ſuis, iuſtitia, & libertatibus conſervandis, conſiliis, & auxiliis, corpore, rebus, opere, & opera, promotionibus, & directionibus, toto poſſe, publice, et occulte contra quemlibet, ſeu quoslibet homines, univerſitatem, vel collegium, qui nos univerſaliter, vel particulariter gravaverint, gravant vel gravare poterunt in futurum, cuiuscunque ſtatus, conditionis, præeminentiæ, ſeu dignitatis extiterint, nec aliqua trium Partium propter metum, amorem, favorem, vel præceptum, ſeu aliqua occaſione, quocunque homine aliquam noſtrarum partium aggravante, compoſitionem facient ſpecialem, niſi de omnium noſtrum unanimi voluntate. Item ſi inter Partes diſſenſio, controverſia, vel diſcordia, quod abſit,

Anno 1330. orta fuerit, unaquæque Partium duos viros idoneos ad locum congruum deſtinabit, qui non ſeparabuntur, donec diſcordes concordaverint in iuſtitia, vel amore. Præterea ſiquis, vel quicunque humilis, vel ſublimis occaſione huiusmodi Confœderationis, et unionis aliquam Partium præſumpſerit perturbare, talem præſumptorem, quousque a ſua pertinacia reſipuerit, mutuis conſiliis, auxiliis, et iuribus proſequemur. Inſuper ſi qua Confœderatio, vel unio ab aliqua trium Partium facta ſit ſub quacunque forma Literarum, vel expreſſione verborum, quæ poſſet præſenti Confœderationi præiudicare, talem unionem, et Confœderationem revocamus, caſſamus, et nullius decernimus roboris, vel momenti. Sane ut præmiſſa omnia, et ſingula ſortiantur robur perpetuæ firmitatis, obligamus Nos, et Succeſſores noſtros, et Hæredes ad ea firmiter obſervanda ſacramento iuramenti, a Nobis tactis Sacroſanctis Evangeliis corporaliter præſtiti, et ſub obtentu fidei, et honoris, et quicunque contravenerit, erit in perpetuum periurus exlex, et infamis, nec admittetur amplius ad aliquas legitimas actiones, inſuper mille marchas auri, vel decem millia marcharum argenti dabit, quarum tertia pars Camerae Domini Papae, et duae partes partibus laeſis cedent, quae recipientur de bonis magis congruis partis reae, pro qua receptione pars recipiens nullam incurret excommunicationis ſententiam, vel gravamen. In quorum omnium, et evidentiam, et validius firmamentum Sigilla noſtri Capituli, Praeceptoris, Mareſcalci, Commendatorum de Welin, Viteſteym, Venda, Dunemunde, et Seghevolde, Joannis de Pala, Voldemari de Roſen, Joannis, et Rudolphi de Hungaria, militum, ac Joannis de Oſtyhuſen, caeterorumque Sigilla propria habentium praeſentibus ſunt appenſa. Datum, et Actum apud Sehewolden Anno Domini milleſimo trecenteſimo ſexto, decimo nono Calendas Maii. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum Mandatorum, ſeu Praeceptorum, Conſtitutionum, inhibitionum, voluntatum, reſervationum, caſſationum, revocationum, irritationis, annullationum, et relaxationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare praeſumpſerit indignationem omnipotentis Dei, et Beatorum Petri, et Pauli eius Apoſtolorum ſe noverit incurſurum. Datum Avinione quarto Idus Februarii, Pontificatus noſtri Anno octavo. Dat. Avinione nonis Maii Pontificatus noſtri Anno quarto decimo.

XLI. Anno 1334.

Tranſumptum Actus Avinionenſis in Curia Romana Avinione inter Archiepiſcopum, & Capitulum Rigenſe, ac Magiſtrum, & Ordinem expediti de quibusdam bonis, & Caſtris, ac ipſa Civitate Riga a Magiſtro, & Fratribus capta, & de fructibus, ac damnis. &c. Dat. Avinione An. 1334. 15. April. *Ex Originali.*

Omnibus praeſens Scriptum cernentibus. Frater Joannes Prior Fratrum Praedicatorum in Riga, et Frater Richardus Gardianus Fratrum Minorum ibidem, ſalutem in Domino Sempiternam. Noveritis Nos in craſtino Prothi, et Jacinthi, in Provincia Domini Rudolphi Prioris, ſuorumque Concanonicorum Maioris Eccleſiae, Rigae, Literas infraſcriptas, per Fratres Martinum, et Joannem Sacerdotes, et Hugonem Advocatum Civitatis Rigenſis Laicum, Ordinis S. Mariae Domus Theutonicorum, ad legendum in ſuperiori Refectorio eorundem Dominorum Canonicorum exhibitas, et productas audiviſſe, et diligenter perſpexiſſe, non raſas, non abolitas, non cancellatas, nec in aliqua ſui parte vitiatas, tenorem, qui ſequitur, continentes. Noverint univerſi praeſentem paginam inſpecturi, quod negotium Archiepiſcopi, Praepoſiti, et Capituli Rigenſis etc. Magiſtri, Fratrum, et Ordinis S. Mariae Theutonicorum ita ſe habet, ut ſequitur. Dudum ex parte dictorum Archiepiſcopi, et Praepoſiti, ac Capituli fuit ſucceſſive propoſitum in Conſiſtorio coram Domino noſtro Papa, quod dicti Magiſter, et Fratres, et Ordo, et Gentes cum Exercitu hoſtiliter invaſerant, et occupaverant, et occupata tenebant Caſtra, Villas, Allodia, Civitates, Praedia, et alia Territoria, et poſſeſſiones ad Eccleſiam Rigenſem, et Archiepiſcopum, Praepoſitum, et Capitulum, ſupradictos etiam diviſim ſpectantia, et res mobiles tenentes in eis, et ex eis fructus, reditus, et proventus extunc perceperant, et percipiebant, nec non iniurias, homicidia, et dampna quam plurima eisdem Eccleſiae, Archiepiſcopo, et Capitulo, ac eorum Vaſallis, et hominibus irrogarant. Civitatem etiam Rigenſem, quam pleno iure idem Archiepiſcopus ad ſe aſſerit pertinere, manu armata obſederant, et tandem expugnatam ceperant, et occupatam tenebant, expulſis inde Officialibus, et Gentibus dicti Archiepiſcopi, pro eo, et

ANNO 1334. et eius nomine dictam Civitatem tenentibus, nec non, et quod illis liberos reditus, et proventus, ac iura ad eundem Archiepiscopum pertinentia contemnentes, dampnabiliter subtraxerant, Procuratore eorundem Magistri, Fratrum, et Ordinis respondente, quod praedicta ceperant iure belli, eo quod Gentes eorundem Archiepiscopi, et Capituli ipsos Magistrum, et Fratres, et Gentes ipsorum hostiliter duxerant primitus invadendos, et multos eorum homines interfecerant, Villas, et quaedam alia loca sua combusserant, et praedam magnam secum inde abduxerant, et contra eos, et Christianos in illis partibus existentes convenerant cum Rege Lithævinorum Pagano, promittendo eidem quod si veniret ad expugnandum Christianos praedictos, et Gentes pertinentes ad ipsos Magistrum, et Ordinem, ei darent sicut dictus Procurator eos dedisse dicebat consvetum auxilium, et iuvamen, et quod ipsi Magister, et Fratres cum haec ad eorum notitiam pervenissent pro tuitione Christianitatis Castra, Villas, Allodia, Civitates, Terras, Praedia, Territoria, et Possessiones eorum Archiepiscopi, et Capituli supradicta pro tuitione ipsorum Magistri, et Fratrum, ac dictorum Christianorum, & Christianitatis ceperant, & non animo occupandi, de Civitate vero Rigensi dicente, quod ipsa ad Dominum Archiepiscopum, seu ad eius Ecclesiam nullatenus pertinebat, sed ad Imperium, & quod, quia eiusdem Civitatis Cives primo bellum, & guerram intulerant ipsis Magistro, & Ordini, ac Gentibus eorundem, dictam Civitatem obsidere, expugnare, & capere licitum eis fuit. Quibus quidem omnibus examinatis, ac etiam discussis, & super eis eorundem Archiepiscopi, Præpositi, & Capituli, ac præfatorum Magistri, Fratrum, & Ordinis precibus hincinde diligenter auditis, supra scriptus Dominus noster in Consistorio voluit, declaravit, & statuit, quod dicti Magister, Fratres, & Ordo, prædicta Castra, Villas, Allodia, Civitates, Prædia, Possessiones, & Territoria per eos, ut præmittitur occupata, & capta, in statu, seu integritate in quo, vel qua erant tempore occupationis, & captionis huiusmodi, libere, & cum effectu restituerent Archiepiscopo, Præposito, & Capitulo memoratis, prout ad eos communiter, vel divisim spectare noscuntur, excepta Civitate Rigensi præmissa, de dampnis vero, iniuriis, rebus, fructibus, reditibus, & proventibus antedictis, nec non sententiis, & processibus præmissorum occasione, tam Apostolica, quam ordinaria authoritate contra dictos Magistrum, Fratres, & Ordinem factis, & latis Nobis miseratione divina Jacobo tituli Sanctæ Priscæ Presbytero, & Bertrando Sanctæ Mariæ in Aquivo Diacono Cardinalibus commisit, & mandavit oraculo vivæ vocis, quod super illis inter partes prædictas concordiam tractaremus, & suæ Beatitudini referremus. Super quibus inter easdem partes certis concordiæ Tractatibus habitis coram Nobis, & eis dicto Domino nostro Papæ relatis, cum dictorum Magistri, Fratrum, & Ordinis Procuratoris mandatum non esset sufficiens ad eosdem Tractatus firmandum, & emologandum, idem Dominus noster eosdem sequentes Tractatus die Lunæ 13. Mensis Julii Anno Domini 1332. in Consistorio statuit, & ordinavit, & voluit quæ sequuntur; in quibus per relationem prædictorum ipsas partes reperit convenisse. Primo quod dicti Magister, & Fratres, & Ordo, omnes, & singulas res mobiles in dictis Castris, Villis, Allodiis, Civitatibus, Prædiis, Territoriis, & Possessionibus per eos inventas, & habitas, de quibus caveri dicitur in certis inventariis hincinde factis, ipsis Archiepiscopo, Præposito, & Capitulo, vel Procuratoribus, aut Vicariis suis sufficiens mandatum habentibus, prout ad eos communiter, vel divisim spectabant, extantes, & non extantium existimationem infra Festum Nativitatis Domini tunc proxime futurum restituerent, & etiam assignarent. Et quod pro supradictis fructibus, reditibus, & proventibus per prædictos Magistrum, Fratres, & Ordinem usque in tunc præsentem diem receptis traderent, & solverent dicto Archiepiscopo, vel eius Procuratori ad recipiendum, ac de recepto quietandum sufficiens Mandatum habenti, in Villa de Brugis in Flandria quatuor millia qûingentos florenos auri de Florentia, medietatem eorum, videlicet in dicto Festo Nativitatis Domini, & aliam medietatem in Festo Nativitatis B. Joannis Baptistæ tunc proxime secuturo. Et quod dictis Capitulo, vel Procuratori eorum idoneo, & simile mandatum habenti pro tempore, quo res prædictas Capituli tenuerant usque ad tunc præsentem diem sexcentas Marchas argenti ad pondus, ligam, & valorem Civitatis Rigensis, vel valorem earum, & centum florenos auri de Florentia, de quibus ipsis Capitulo, vel Procuratori suo solvere tenerentur medietatem dictæ Summæ, scilicet quingentos florenos in Villa de Brugis prædicta, & residuum dictæ medietatis apud Civitatem Rigensem in Festo tunc sequenti Nativitatis Domini, & totam aliam medietatem dictæ Summæ apud ANNO 1334.

Anno 1334. apud Civitatem Rigenſem in Feſto Nativitatis B. Joannis Baptiſtæ præfato. Demum quod ordinationem, & voluntatem huiusmodi, dicti Magiſter, Fratres, & Ordo expreſſe ratificarent inde ad Feſtum B. Andreæ Apoſtoli tunc proxime futurum, et in caſu, in quo infra diem Feſtum ratificatio huiusmodi plene fieret, omnes, et ſingulos proceſſus, et Summas memoratas extunc usque ad Feſtum Aſſumptionis B. Mariæ ſuſpendit. Verum ſi ſolutiones, reſtitutiones, et aſſignationes, quas dictus Dominus noſter Papa fieri voluit infra earum terminos, factæ exiſterent cum effectu, extunc quoad eas, eosdem proceſſus, et Summas ſuſtulit, et caſſavit ita, quod illis dicti Magiſter, Fratres, et Ordo, quo ad hæc remanerent abſoluti, ſed quo ad dampna præmiſſa dictos proceſſus,& Summas voluit remanere ſuſpenſas. Verum ſi prædicti Magiſter, Fratres, et Ordo deficerent in ſolutionibus faciendis in dicto Feſto Nativitatis Domini, proceſſus ipſos, et Summas remanere voluit in ſua priſtina firmitate, et quod ipſi Magiſter, Fratres, et Ordo eisdem proceſſibus, et Summis ligati remanerent etiam ſicut prius, et idem voluit, ſi deficerent in ſolutionibus faciendis in Feſto Nativitatis B. Joannis Baptiſtæ prædicto. Et quia de dampnis præmiſſis hic haberi non poterat certitudo, ordinavit, et voluit, quod in illis partibus, diſcretis aliquibus committatur, quod de illis inquirant, et cognoſcant, et concordia, vel iudicio quæſtionem decidant, vel quod de ipſis invenerint, ſuæ referant Sanctitati, et quod ſuper haec fieret una Litera ſeparata. Ac inſuper in Conſiſtorio ſubſequenti voluit, ſtatuit, et mandavit, quod utrique parti terminus aliquis praefigatur, in quo cum Actis, iuribus, et monumentis ſuper iure, quod quaelibet Patrium praedictarum in dicta Civitate Rigenſi ſe habere praetendit, Apoſtolico ſe conſpectui repraeſentet. In cuius rei teſtimonium Nos Jacobus, et Fernandus Cardinales praefati ordinationem praedictam in praeſenti charta ſcribi mandavimus, & Sigillorum noſtrorum appenſione muniri. Datum Avinione An. Domini 1334. die 15. Menſis Aprilis Pontificatus Sanctiſſimi Patris, et Domini noſtri Joannis divina providentia Papae XXII. An. decimo octavo. In huius rei teſtimonium Sigilla noſtra ad petitionem praedictorum Canonicorum praeſentibus ſunt appenſa. Datum Anno Domini 1334. in Feſto Exaltationis S. Crucis.

XLII.

Uromoldus Archiepiſcopus Rigenſis Donationes Nicolai, & Joannis Prædeceſſorum ſuorum Eccleſiæ, & Capitulo Rigenſi factas, validas, efficacesque habet, donataque, & aſſignata eidem Eccleſiæ, & Capitulo reſtituit. Ex Originali. Extat in Arch. Cancel. Magni Duc. Litv. Anno 1350.

Univerſis praeſentes Literas inſpecturis, ſeu audituris. Uromoldus Dei, et Apoſtolicae Sedis gratia Archiepiſcopus Rigen. ſinceram in Domino charitatem, et praeſentibus fidem adhibere. Quoniam omne, quod non eſt ex fide, peccatum eſt, et quod contra conſcientiam aedificatur ad gehennam, peccatumq; non remittitur, niſi reſtituatur ablatum, et nihil prodeſt homini, ſi univerſum mundum lucretur, animae vero detrimentum patiatur. Hinc eſt, quod Nos plene certificati, quod bonae memoriae Nicolaus Eccleſiae Rigen. antequam per Sedem Apoſtolicam in Metropolitanam Eccleſiam erigeretur Epiſcopus, Eccleſiae, et Capitulo Rigen. iurisdictionem temporalem in tribus Villis, videlicet *Jkeſelle*, *Kolteſelle*, et *Langelle*, quae ad menſam Epiſcopalem ſpectabant, nec non cuiusdam Livonis nomine Eppelle, ſi ipſa Haereditas ad menſam Epiſcopalem ſpectaret. Recolendaeque memoriae Dominus Joannes praedictae Eccleſiae, poſtquam in Metropolim erecta extitit, Archiepiſcopus tertius, Caſtrum in Dolen ſitum, in inſula Dolen cum omnibus pertinentiis ſuis, agris, pratis, paſcuis, arboribus melligeris, medis, piſcariis, nec non ipſam proprietatem, et temporale dominium cum plena poteſtate civili, prout haec omnia quondam Dominus Joannes de Dolen miles, et progenitores ipſius poſſederant ab antiquo, & ab Epiſcopis, & Archiepiſcopis Rigenſibus olim in feudum tenuerant, tunc vacantia Eccleſiæ, & Capitulo prædictis tunc, & adhuc egentibus, & indigentibus, provida deliberatione præhabita ſucceſſive donaverunt, & aſſignarunt, ſicuti in Literis Dominorum Nicolai, Joannisque prædictorum ſuper præmiſſis confectis, ipſorumque Sigillis Sigillatis præmiſſa plenius continentur. Et quod Eccleſia, & Capitulum prædicti iurisdictionem in Villis prædictis, nec non Hæreditatem dicti Livonis, & Caſtrum Dolen ſitum in inſula Dolen cum omnibus pertinentiis ſuis, agris, paſcuis, arboribus melligeris, medisque piſcariis, nec non ipſius inſulæ proprietatem, & temporale dominium cum plena ipſius iurisdictione civili, de quibus vigore donationum præ-

Anno 1350. prædictarum assecuti sunt pacifice, & quiete per quadraginta annos, & ultra continue, & usque ad tempus prætensarum restitutionis, donationis, resignationis, & concessionis, quibus bonæ memoriæ Fridericus Archiepiscopus Rigensis Prædecessor noster prædicta bona sibi prætendens a Præposito, & Capitulo dictæ Rigen. Ecclesiæ fore restituta, resignata, donata, & concessa, de eisdem bonis se intromisit, & illa tenuit, & possedit, quodque restitutio, resignatio, donatio, & concessio præfatum Dominum Fridericum prætensæ per vim, & metum, qui cadere potuit in constantes, videlicet per captionem quorundam Canonicorum Sanctæ Ecclesiæ Rigensis, & cruciatus corporum eorundem fuerunt. Attendentes itaque, quod Ecclesia in actibus suis fraudem aliquam adhibere, & aliena iactura ditari non debet, donationes Dominorum Nicolai, & Joannis prædictorum Prædecessorum nostrorum reputantes validas, & efficaces, omnia per eosdem Dominos Nicolaum, & Joannem Ecclesiæ, & Capitulo prædictis, ut præmittitur donata, & assignata eisdem Ecclesiæ, & Capitulo, quibus etiam bonæ memoriæ Dominus Engelbertus Archiepiscopus Rigen. immediatus Prædecessor noster restituere ob causas prædictas decreverat, tenore præsentium restituimus tenenda, & possidenda. Et quod corporalem possessionem eorundem donatorum per se, & absque authoritate superioris recipere, & apprehendere valeant Ecclesiæ, & Capitulo prædictis, præsentibus indulgemus. Et nihilominus in casum, & eventum, in quæ restitutio, resignatio, donatio, & concessio per dictum Dominum Fridericum prætensæ valuissent, sicut eas valuisse non concedimus, donata per Dominos Nicolaum, & Joannem prædictos Prædecessores nostros, Ecclesiæ, & Capitulo antedictis, prout est promissum, eis tanquam egentibus, & indigentibus de novo tenore præsentium, inquantum de iure possimus, donamus, & assignamus, quod possessionem eorundem recipere, & apprehendere valeant, ipsis indulgemus. In quorum omnium testimonium præsentes Literas concedimus, & Sigilli nostri appensione ad roborationem earundem communimus. Datum, & Actum Amnon. in hospitio habitationis nostræ. Anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo octavo, ipso die Beatorum Martyrum Joannis, & Pauli. Præsentibus Viris honorabilibus Dominis Ioanne Huot Archidiacono Ecclesiæ in Beveseñ. Verden. Diaecesis, Henrico de Rastyerme Ecclesiae Tarbaten. Canonico, nostro Capellano, & Ioanne Costullo nostro, & Ecclesiae nostrae vasallo, ad praemissa vocatis specialiter, & rogatis. Cum autem nostrum Sigillum, quo tempore restitutionis, & donationis nostrarum praedictarum utebamur, casu fortuito devenerit extra nostram potestatem, ita quod ipsum recuperare, & ampliorem usum habere non speremus, Nos donatariis praedictis plene cavere volentes ipsorum instantia praesentes nostras Literas Sigillo, quo nunc utimur, Anno Domini millesimo trecentesimo quinquagesimo die sexta Ianuarii in nostro Castro Thoroydensi nostro speciali Mandato iussimus sigillari, ad maiorem omnium praemissorum roboris firmitatem. Anno 1350.

XLIII.

Magnus *Sveciæ Rex testatur se Archiepiscopum, & Ecclesiam Rigensem, commendante Clemente VI. Papa in protectionem suscepisse.* Dat. in Castro Helsingborgh d. 17. Sept. An. 1351. *Ex Originali.* 1351.

Omnibus praesentes Literas visuris. Magnus Dei Gratia Sveciae, Norvegiae, & Scaniae Rex, salutem in Domino sempiternam. Quamvis generaliter deceat filios Parentibus obedire, omnium tamen Christianorum, & Ecclesiarum Patri, & Summo Capiti sincerius obtemperandum est, Vicario videlicet IESU CHRISTI. Hinc est, quod Nos receptis dudum Literis Sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri, Domini Clementis divina providentia Sacrosanctae Romanæ, ac universalis Ecclesiae Sanctissimi Pontificis, pro Reverendo in Christo Patre Domino Vromoldo Archiepiscopo Rigensi, eius Ecclesia, & aliis sibi subditis Ecclesiae, & Ecclesiasticis personis efficacium favorum praesidio prosequendis, & potentiae viribus protegendis, Nos cupientes eiusdem Sanctissimi Patris, & Domini nostri huiusmodi piis monitis, & mandatis in omnibus sicut devotus Filius obsequi reverenter, Archiepiscopum, & Ecclesiam Rigensem praedictos cum caeteris sibi subditis Ecclesiis, & Ecclesiasticis personis sub nostram Pacem suscipimus, nostrae protectionis auxilio peculiariter defendendos, prohibentes quantum, & quibus possumus firmiter, & districte, ne quis cuiuscunque conditionis, vel status existat eos, vel eorum aliquem deinceps quomodolibet in suis possessionibus, videlicet Castris, Villis, Oppidis, & aliis Vasallis, seu familiis quibuscunque turbet, impediat, vel molestet, ac in-

ANNO 1351. ſuper omnes, & ſingulos amore noſtri quicquam facere, vel omittere, volentes, rogantes ſpecialiter, & inſtanter, quatenus eisdem Archiepiſcopo, & Eccleſiae Rigenſi cum caeteris perſonis ſibi ſubiectis benivoli favoris praeſidio aſſiſtentes, eos ob Apoſtolicae Sedis reverentiam, et noſtrae conſiderationis intuitum ab iniuriantibus tueantur. Datum ſub Sigillo noſtro in Caſtro noſtro Helſingborgh Anno Domini milleſimo trecenteſimo quinquageſimo primo. decima ſeptima die Menſis Septembris.

XLIV.

1352. *Bulla* INNOCENTII VI. *Papæ, qua mandat Aroſien. & Lincopen. ac Osloen. Epiſcopis, ut cum brachii ſæcularis invocatione Civitatem Rigenſem ex manibus Magiſtri Livoniæ eripiant, & Archiepiſcopo Rigenſi reſtituant.* Dat. apud Villam Novam, die 12. Aug. 1352. *Ex Origin.*

INNOCENTIUS Epiſcopus Servus Servorum Dei. Venerabilibus Fratribus Aroſien. et Lincopen. ac Osloen. Epiſcopis ſalutem, et Apoſtolicam benedictionem. Dudum ad audientiam felicis recordationis IOANNIS Papae XXII. Praedeceſſoris noſtri perducto, quod Magiſter Generalis, ac Praeceptor Livoniae, et Commendatores, ac Fratres Ordinis Hoſpitalis Sanctae Mariae Theutonicorum occupaverant poſſeſſiones, ac iura, & libertates Archiepiſcopi Rigenſis, qui eſt pro tempore, et dilectorum filiorum Praepoſiti, et Capituli Eccleſiae Rigen. et aliarum Eccleſiarum Suffraganearum eiusdem Rigenſis Eccleſiae, eaque detinebant occupata, et quod Cives Civitatis Rigenſis in iuribus, et poſſeſſionibus ſuis, et praecipue in rippis fluminis Dune, et aliorum fluminum indebite impediebantur, occupando iura, poſſeſſiones, et libertates eorum, et non ſolum dictos Cives, ſed etiam peregrinos, et Chriſtianos alios, quominus poſſent libere applicare, ſeu pervenire ad portum, ſeu littus Dunamunde, et exinde per eumdem portum intrare, ire, et redire ad Civitatem Rigenſem, obſtruendo, et impediendo portum praedictum, et liberum introitum, ingreſſum, et egreſſum ad Civitatem eandem cum bonis, et rebus eorum. Idem Praedeceſſor certas ordinationes ſuper his edidit eisdem Magiſtro, et Præceptori, et nonnullis Fratribus, ac Procuratoribus aliorum Fratrum dicti Ordinis, tunc in eius praeſentia conſtitutis ſub excommunicationis paena, aliisque tunc expreſſis ſententiis, atque paenis diſtricte mandando, ut præmiſſa omnia occupata per ipſos, ſi qua forent eisdem Archiepiſcopo, Praepoſito, et Capitulo, ac Eccleſiae reſtituerent, et reſtitui facerent, et quantum in eis eſſet etiam procurarent dando ipſis ſecuritatem, et in praedictis recuperandis ſuum conſilium, auxilium, et favorem, et quod de caetero nihil occuparent, vel uſurparent de bonis, et iuribus eorundem, idemque fieri voluit, et mandavit per Archiepiſcopum, Praepoſitum, et Capitulum, ac alios ſupradictos, ſi aliqua forte occupata tenerent de bonis Ordinis ſupradicti, et quod dicti Magiſter, Praeceptor, et Fratres eosdem Cives in ſuis iuribus, et poſſeſſionibus, et praecipue in rippis fluminum Dune, et aliorum fluminum minime impedirent, et quod occupata reſtituerent Civibus memoratis volens, et mandans quod illud idem fieret per Cives praedictos, ſiqua de poſſeſſionibus, et iuribus praedicti Ordinis occupata tenerent, et inſuper mandavit eisdem Magiſtro, Praeceptori, et Fratribus quod ipſi eosdem Cives, et quoſcunque etiam peregrinos, et Chriſtianos quominus poſſent libere applicare, et pervenire ad portum, ſeu littus Dunemunde, et exinde per eundem portum intrare, ire, et redire ad Civitatem Rigen. minime impedirent, et quod etiam non obſtruerent, nec impedirent portum praedictum, et liberum introitum, ingreſſum, et egreſſum ad Civitatem eandem, et deinde poſt plurium annorum decurſum pro parte Archiepiſcopi, Praepoſiti, et Capituli praedictorum eidem Praedeceſſori expoſito cum querela, quod Magiſter, Praeceptor, et Fratres praefati dictum Archiepiſcopum Caſtris, et poſſeſſionibus omnibus ad eum, et Eccleſiam ſuam ſpectantibus contra iuſtitiam nequiter ſpoliarant, ac poſſeſſiones ad praefatos Praepoſitum, et Capitulum pertinentes damnabiliter occuparant, exinde animalia, et alia bona mobilia tam Eccleſiarum Archiepiſcopi, Praepoſiti, et Capituli, quam Colonorum, et aliorum hominum ſuorum deducentes in praedam, dictis hominibus, et vaſallis eorum graves, et atroces iniurias inferendo, quorum ſeptem gladiis crudeliter transfigentes, eos per pedes ſuſpendere praeſumpſerunt, contra iuramentum ſuper hoc praeſtitum, et promiſſiones factas per eos in Conſiſtorio coram Praedeceſſore praedicto temere veniendo; quodque praefati Magiſter, Praeceptor, et Fratres Monaſterium, et Portum Dunamunde Rigenſis Diaeceſis ad Eccleſiam Rigenſem ſpectantem occuparant, et detine-

ANNO 1352.

Anno 1352. tinebant occupata, ex quibus Eccleſiae, ac Civitati, et Civibus Rigen. ſupradictis magnum praeiudicium, et quodammodo excidium noſcebatur imminere, ac ex eis infinita ſcandala, ſeditiones, incommoda, et ſtrages plurimae proceſſerant: quodque dicti Magiſter, Praeceptor, et Fratres obedientiam, et iuramentum fidelitatis Praelatis Provinciae Rigenſis, a quibus feuda tenere noſcebantur, praeſtare recuſaverant, ac nihilominus impediverant itinera, atque paſſus, per quae ad terras circumadiacentes liber itinerantibus univerſis patere conſveverat acceſſus. Dicti quoque Magiſter, Præceptor, & Fratres prædictis exceſſibus non contenti Civitatem Rigen. prædictam in Spiritualibus, & temporalibus ſubiectam Archiepiſcopo prælibato, arte obſidionis anguſtia circumvallaverant, Civibus eiusdem Civitatis liberum ingreſſum, & exitum, & aliis ad Civitatem eandem volentibus deferre victualia, & cum eisdem Civibus conſveta exercere commercia facultatem liberam auferendo, & etiam prohibendo, ex quibus ſtatus fidelium in dicta Civitate morantium periclitari dinoſcebatur, ac famis, & aliis gravibus incommodis, & periculis ſubiacere, & quod gravius erat dicti Magiſter, Præceptor, & Fratres ordinationes, & mandata prædicta Prædeceſſoris eiusdem dudum eisdem Magiſtro, Præceptori, & nonnullis Commendatoribus, ac Procuratoribus, & per eos cæteris Fratribus Hoſpitalis eiusdem præſentibus, & futuris verbo, & per Literas dicti prædeceſſoris facta, non absque inobedientiæ gravi nota obſervare non curaverant, præfatus Prædeceſſor Padvenſi, Oſilienſi, & Tarbatenſi Epiſcopis, qui tunc erant, dedit per ſuas Literas in mandatis, ut ipſi, aut duo, vel unus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios Magiſtrum, Præceptorem, & Fratres prædictos ex ipſius parte requirere procuraret, ut Caſtra, poſſeſſiones, animalia, & alia bona quæcunque ad dictos Archiepiſcopum, Præpoſitum, & Capitulum, ac Eccleſiam Rigenſem, & ipſorum Colonos, & homines ſpectantia, quibus eos, ut præmittitur ſpoliarant, eis reſtituerent cum fructibus perceptis medio tempore ex eisdem, ipſisque de illatis eis iniuriis, atque dampnis ſatisfacerent, ac ordinationem, & mandata prædicta plenarie facerent obſervari. Et nihilominus eisdem Magiſtro, Præceptori, & Fratribus iniungerent, ut omnem obſidionem a Civitate prædicta, & eius pertinentiis removere deberent, & victualia permitterent libere pertranſire, prout in diverſis Literis dicti Prædeceſſoris inde confectis plenius continetur. Cumque poſtmodum pro parte Archiepiſcopi, Præpoſiti, & Capituli prædictorum coram eodem Prædeceſſore in Conſiſtorio propoſitum extitiſſet, quod licet præfati Magiſter, Præceptor, & Fratres auctoritate dictarum Literarum, & proceſſuum vigore ipſarum literarum per dictos Epiſcopos habitarum per nonnullos Subexecutores ab eisdem Epiſcopis deputatos ſolenniter requiſiti fuiſſent, ut infra certos terminos peremptorios competentes obſidionem prædictam ab ipſa Civitate, & eius pertinentiis removerent, & victualia libere tranſire permitterent, nec non Caſtra, poſſeſſiones, animalia, & alia bona prædicta cum dictis fructibus eisdem Archiepiſcopo, Præpoſito, & Capitulo reſtituerent, & de illatis iniuriis, atque damnis eisdem ſatisfacerent competenter, ac ordinationes, & mandata prædicta in prædictis literis contenta ſtuderent plenarie obſervare; ipſi tamen Literis, proceſſibus, & requiſitionibus huiusmodi non parentes, prædictam Civitatem expugnaverant, & ceperant, occupatamque detinuerant, & etiam detinebant, Officialibus, & Gentibus dicti Archiepiſcopi, qui Civitatem ipſam pro eo, & eius nomine tenebant, inde expulſis, quodque liberos reditus, & proventus, & iura ad eundem Archiepiſcopum pertinentia dampnabiliter ſubtraxerant. Et ex parte dictorum Magiſtri, Præceptoris, & Fratrum coram eodem Prædeceſſore fuiſſet tunc adverſo reſponſum, quod ipſi prædicta ceperant iure belli, eo quod Gentes dictorum Archiepiſcopi, Præpoſiti, & Capituli ipſos Magiſtrum, Præceptorem, & Fratres, & Gentes ipſorum duxerant prius hoſtiliter invadendos, & multos eorum hominum interfecerant, Villas, & quædam alia ſua loca combuſſerant, & prædam magnam inde ſecum abduxerant, ac contra eos, & alios Chriſtianos in illis partibus exiſtentes convenerant cum paganis, quod ſi venirent, & expugnarent Chriſtianos prædictos, darent eis conductum, auxilium, & iuvamen, & quod ipſi Magiſter, Præceptor, & Fratres cum hæc ad eorum notitiam perveniſſent pro tuitione Chriſtianitatis Caſtra, Villas, Allodia, Arces, Terras, Prædia, Territoria, & poſſeſſiones Archiepiſcopi, Præpoſiti, & Capituli prædictorum, pro tuitione ſua, & dictorum Chriſtianorum ceperant, & non animo occupandi. Et quod dicta Civitas Rigenſis non ad dictum Archiepiſcopum, ſeu eius Eccleſiam, ſed ad Romanum Imperium pertinebat, & quod quia eiusdem Civitatis Cives primo bellum, et guerram

Anno 1352.

Anno 1352. ram intulerant, ipsis Magistro, Præceptori, et Fratribus, et Gentibus eorundem dictam Civitatem obsidere, et capere licitum eis fuerat. Præfatus Prædecessor Partibus ipsis sæpius diligenter auditis, et super his habita deliberatione solenni, voluit, declaravit, et statuit, quod dicti Magister, Fratres, et Ordo prædicta Castra, Villas, Allodia, Arces, Prædia, Possessiones, et Territoria per eos, ut præmittitur toties occupata, et capta in statu, seu integritate, in quo, vel qua erant tempore occupationis, et captionis huiusmodi libere, et cum effectu restituerent Archiepiscopo, Præposito, et Capitulo memoratis prout ad eos communiter, vel divisim spectare noscebantur, excepta Civitate Rigen. prædicta, et quod res mobiles in dictis Castris, Villis, Allodiis curtibus, prædiis, territoriis, et possessionibus per eos inventas, et habitas, de quibus caveri in certis inventariis hincinde factis dicebatur, ipsis Archiepiscopo, Præposito, et Capitulo, vel Procuratoribus, aut Vicariis suis sufficiens mandatum habentibus, prout ad eos communiter vel divisim spectabant extantes, et non extantium æstimationem infra certum terminum tunc expressum, et iam diu elapsum, restituerent, et quod pro supradictis fructibus, reditibus, et proventibus, per dictos Magistrum, et Fratres, et Ordinem usque tunc receptis traderent, et solverent dicto Archiepiscopo, vel eius Procuratori ad recipiendum, ac de recepto quitandum sufficiens Mandatum habenti in Villa de Brugis in Flandria, quatuor millia quingentos florenos auri de Florentia, in certis aliis terminis etiam tunc expressis, et quod dictis Capitulo, et Procuratori eorum idoneo, et simile mandatum habenti pro tempore, quo res prædictas eorundem Capituli tenuerant, usque tunc, sexcentas Marchas argenti ad pondus, ligam, et valorem Civitatis Rigen. vel valorem earum, et centum florenos auri de Florentia solverent in certis locis, et terminis etiam tunc expressis, prout in patentibus Literis felicis recordationis Benedicti Papæ XII. praedecessoris nostri, tunc Jacobi tituli S. Priscae Presbyteri, et bonae memoriae Bertrandi Sanctae Mariae in Agniro Diaconi, Cardinalium suis Sigillis munitis plenius continetur. Postmodum vero dicto Joanne Praedecessore, sicut Domino placuit de hac luce subtracto, dictus Benedictus Praedecessor, et ipsius Joannis immediatus Successor, praedictas primas ordinationes ipsius Joannis per suas literas sub sententiis, et paenis, ac censuris similibus mandavit, et voluit per dictas Partes effectualiter observari. Et deinde eodem Benedicto rebus humanis exempto, ac piae memoriae Clemente Papa VI. Praedecessore nostro, et ipsius Benedicti immediato Successore ad apicem eundem assumpto, et pro parte bonae memoriae Engelberti Archiepiscopi Rigensis contra Magistrum, et Fratres praedictos coram ipso Clemente Praedecessore in Consistorio nonnullis querelis propositis, ac pro parte Magistri, et Fratrum praedictorum asserto, quod contra dictum Engelbertum Archiepiscopum querelas habebant, exponere, ac narrare: idem Clemens bonae memoriae Petro Episcopo Sabinensi, et Bertrando Cardinali praedicto commisit oraculo vivae vocis quod per se, vel alios, Partes audirent, et processus dudum factos, et habitos ipsas Partes tangentes inspicerent, et sibi referrent, et subsequenter postquam dicti Sabinen. Episcopus, et Bertrandus Cardinalis in dicto negotio ad nonnullos actus processerant, proposito iterum coram eodem Clemente Praedecessore in Consistorio pro parte Engelberti Archiepiscopi, ac Praepositi, et Capituli praedictorum contra Magistrum, et Fratres praedictos, quod Terra Livoniae, quae olim fuerat in gentilitate, et ad praedicationem Praelatorum dictarum partium gratia Dei favente conversa erat ad cultum fidei Christianae, et quod ad instantiam eorundem Praelatorum, pro defensione Christianorum institutus fuerat in ipsa Terra Livoniae quidam Ordo Fratrum Militiae Christi, et dotatus de bonis praedictorum Rigen. et Tarbaten. et Osilien. Ecclesiarum, qui demum ut fortior esset defensio Christianorum, unitus fuerat dicto Hospitali Beatae Mariae Theutonicorum per felicis recordationis Gregorium Papam IX. Praedecessorem nostrum, ita tamen quod obedientia, reverentia, et subiectio, qua dicti Fratres Militiae Christi tenebantur dictis Ecclesiis, illaesa, et firma manerent, quodque deinde dicti Fratres Hospitalis eiusdem processu temporis ad superbiam elati invaserant dictas Ecclesias, et Praelatos, Clericos, et Vasallos, eorundem rapientes bona, captivantes personas, et vulnerantes, et quosdam occidentes, et alia enormia committentes, de quibus cum querela pervenisset ad piae memoriae Clementem Papam V. Praedecessorem nostrum, idem Praedecessor mandaverat inquiri diligentius veritatem, eaque invenerat vera esse, sed morte praeventus nequiverat ulterius procedere in praemissis, et quod postea dictus Joannes eius Successor praedictis Partibus comparentibus coram eo, ad ordinationes, et mandata, ac alia quae

Anno 1352.

in

ANNO 1352. in dictis eius Literis continentur, processerat, ipsique Fratres ut praefertur ordinationibus, & mandatis ipsis obedire contempserant, dictamque Civitatem Rigensem occupaverant, & detinebant, ut præmittitur occupatam, & ut possent sine obstaculo in sua malitia perdurare in ipsa Civitate etiam in solo eiusdem Ecclesiæ, quodam hospitali, & multis aedificiis eiusdem Civitatis per eosdem Fratres propterea destructis, quoddam Castrum, & fortalicium construxerant, subiciendo etiam Cives Civitatis eiusdem, suæ indebitæ servituti, eosque multis oneribus, & exactionibus aggravando, propter quæ pœnas contentas in mandatis, & literis dictorum JOANNIS, & BENEDICTI Prædecessorum incurrerant manifeste, & ab ipso CLEMENTE VI. Prædecessore nostro pro parte ipsorum Archiepiscopi, & Ecclesiæ Rigen. humiliter postulatum fuit, ut mandare dignaretur satis facere, fierique cum effectu restitutionem omnium præmissorum, quorum possessione dicta Rigensis Ecclesia erat, ut præmittitur spoliata, ac etiam declarare dictos Fratres incurrisse Sententias in dictis literis, & processibus declaratas, & alias providere eis contra maleficia, contumacias, & rebelliones dictorum Fratrum de remedio oportuno, ac ex adverso responso pro parte dictorum Fratrum, quod ipsi non spoliaverant Ecclesiam Rigensem possessione dictæ Civitatis Rigensis, quia tempore dictæ obsidionis, & occupationis dicta Ecclesia Rigensis non possidebat ipsam Civitatem, sed eam possidebant, & occupaverant *Lithvini*, & infideles, e quorum manibus dicti Fratres dictam Civitatem eruerant, unde non erant tanquam spoliatores Ecclesiæ Rigensis ad restitutionem cogendi, & quod per eos non steterat, quin Castra, & alia bona Rigensis Ecclesiæ ablata per ipsos Fratres ipsi Ecclesiæ restituerentur, sed steterat per dictum Engelbertum Archiepiscopum, qui ipsa Castra ablata sibi per dictos Fratres recipere recusarat, dictus CLEMENS VI. Prædecessor noster eisdem Petro Episcopo, & Bertrando Cardinali commisit oraculo vivæ vocis, quod literas Apostolicas, & processus inde secutos, & relationes super his ordinatas, & alias scripturas, ad prædicta pertinentes simpliciter, & de plano, & sine strepitu, & figura iudicii viderent, & se de prædictis informarent, & sibi referrent, & deinde dicto Bertrando viam universæ carnis ingresso, CLEMENS VI. Prædecessor prædictus dilectum filium Galhardum Sanctæ Luciæ in Cilia Diaconum Cardinalem, loco dicti Bertrandi in causa huiusmodi surrogavit, coram quibus Petro Episcopo, & Galhardo Cardinali comparentibus in iudicio Procuratoribus Partium prædictarum, & per quemlibet eorum productis nonnullis Apostolicis, & aliis authenticis literis, instrumentis publicis, aliisque iuribus, & munimentis, quibus voluerunt in huiusmodi causa uti, & contra ipsa producta nonnullis exceptionibus datis hincinde, & per Procuratorem Archiepiscopi, Præpositi, & Capituli prædictorum nonnullis interrogationibus, & positionibus exhibitis, & ad illas per Procuratorem Magistri, & Fratrum prædictorum quibusdam responsionibus factis, in terminis ad singulos actus huiusmodi eisdem Partibus per dictos Petrum Episcopum, & Galhardum Cardinalem peremptorie, & successive præfixis, & demum postquam coram eisdem Episcopo, & Galhardo, ad nonnullos alios actus fuerat inter dictas Partes in huiusmodi causa, usque ad relationem faciendam processus, dicto Petro Episcopo de hac luce subtracto, idem CLEMENS Papa VI. dilectum filium nostrum Guilelmum tituli Sancti Stephani in Celio monte Presbyterum Cardinalem in dicta causa, loco dicti Petri Episcopi surrogavit, & deinde dilectum filium nostrum Egidium, tituli Sancti Clementis Presbyterum Cardinalem eidem Guilelmo ex certis causis duxit in causa huiusmodi surrogandum. Postremo vero dicto CLEMENTE VI. Prædecessore sublato de medio, Nos ad apicem Summum eiusdem Apostolatus assumpti, prædictis Egidio, & Galhardo Cardinalibus mandavimus, ut in causa ipsa referrent facta; itaque Nobis in Consistorio præsentibus, a Venerabili Fratre nostro Uromaldo Archiepiscopo Rigensi, ac Helunco Rove Fratre dicti Hospitalis, & Procuratore Magistri, & Fratrum prædictorum per eosdem Egidium, & Galhardum Cardinales in causa huiusmodi de omnibus, & singulis supradictis, & nonnullis aliis causam, & negotia ipsa tangentibus relatione plenaria, & fideli facta, Nos volentes in his iuxta mansvetudinis Apostolicæ morem cum maturitate procedere, ac paternæ lenitatis gressibus ambulare, Fraternitati vestræ in virtute Sanctæ obedientiæ, & sub Excommunicationis pœna quam vos incurrere volumus ipso facto, nisi feceritis, quæ vobis præcipimus in hac parte, districte præcipiendo mandamus, quatenus vos vel duo, aut unus vestrum ad prædictam Civitatem Rigensem vos personaliter conferentes, Civitatem ipsam utpote post, & contra inhibitionem, & mandatum prædicta eisdem Magistro Præceptori, & Fratribus auctori-

ANNO 1352. tate dictarum literarum eiusdem Joannis Prædeceſſoris facta, ut præmittitur captam una cum Caſtris, ſeu fortaliciis quibuſcunque intra dictam Civitatem, & eius ſuburbia conſtitutis libere, & expedite ad manus noſtras nomine, & ſub poteſtate, ac libera diſpoſitione Apoſtolicæ Sedis auctoritate noſtra reducere, & recipere ſtudeatis, & inſuper ordinationes, & mandata præmiſſa eiusdem Joannis Prædeceſſoris tam in dictis eius, quam dictorum Jacobi, & Bertrandi literis contenta, cum ſuper his fueritis requiſiti executioni debitæ in his, in quibus non reperirentur executioni mandata, & quatenus dictas partes, vel earum alteram reſpiciunt per vos, vel alium, ſeu alios vocatis partibus ubicunque vobis expedire videbitur, etiam extra veſtras Civitates, & Diœceſes, aut loca, in quibus deputati eſtis, executioni debitæ demandetis, & faciatis effectualiter demandari. Contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo, invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis, & nihilominus contradictores huiusmodi, & rebelles in præmiſſis vel aliquo præmiſſorum cuiuſcunque dignitatis, ſtatus, Ordinis, vel conditionis exiſtant ex parte noſtra citare curetis, ut infra certum peremptorium terminum competentem per vos aſſignandum eisdem, ſi perſonæ Regulares perſonaliter, ſi vero Capitula, aut Conventus, vel Univerſitas fuerint, per Procuratores idoneos plenum, & ſufficiens mandatum habentes Apoſtolico conſpectui ſe præſentent ſuper contradictione, & rebellione huiusmodi de iuſtitia reſponſuri, & alias facturi, & recepturi quod iuſtitia ſvadebit, & inſuper inter partes præmiſſas, & quoſcunque ex eis ſuper præmiſſis omnibus, & ſingulis quibuſcunque aliis quæſtionibus, litibus, atque diſcordiis, quæ inter partes ipſas vertuntur, aut verti poſſint præmiſſis, vel aliis occaſionibus quibuſcunque Pacem, & Concordiam tractare, componere, & firmare eadem auctoritate cum diligentia procurent, quodſi forſan peccatis exigentibus partes ipſas ad Pacem, & Concordiam reducere non poſſetis, extunc Archiepiſcopo, Præpoſito, & Capitulo, nec non Magiſtro, Marſalco, & Conventui domus dicti Hoſpitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum in Livonia certum competentem peremptorium terminum aſſignetis, in quo partes ipſæ, videlicet Archiepiſcopus, Præpoſitus, Magiſter, & Mareſcalcus, & quilibet eorum perſonaliter, Capitulum vero, & Conventus prædicti legitime cum pleno, & ſufficienti mandato ad quoſcunque actus iudiciales, etiam usque ad diffinitivam ſententiam incluſive, nec non cum poteſtate paciſcendi, tranſigendi, & componendi, prout Nobis pro bono ipſarum Partium expedire videbitur, compareant in Conſiſtorio coram Nobis cum omnibus Privilegiis tam exemptionis, quam aliis, nec non iuribus, & munimentis quibuſcunque, quæ prædictæ Partes ſe habere prætendunt, tam in dicta Civitate Rigenſi, quam in Caſtro Dunemundenſi dictæ Rigenſis Diœceſis, & quæ per dictos Magiſtrum, Præceptorem, & Fratres Hoſpitalis eiusdem, in, & ſuper exemptione a iurisdictione ordinaria ipſius Archiepiſcopi, & Eccleſiæ Rigenſis prætenduntur, audituri quidquid in, & ſuper prædictis, & alias inter Partes ipſas duxerimus ordinandum, ac recepturi tam in prædictis, quam de quibuſcunque inobedientiis, & exceſſibus per ipſas Partes, vel earum alteram circa prædicta commiſſis iuſtitiæ complementum. Alioquin ſive venerint, ſive non, in præmiſſis ipſorum, vel alicuius eorum contumacia, vel abſentia non obſtante, prout iuſtum fuerit, & Nobis expedire videbitur procedemus, non obſtantibus tam felicis recordationis BONIFACII Papæ Octavi Prædeceſſoris noſtri, quibus cavetur, ne aliquis extra ſuam Civitatem, & Diœceſim, niſi in certis exceptis caſibus, & in illis ultra unam dictam a fine ſuæ Diœceſis trahere non præſumant, & de duabus dictis in Concilio Generali, quam aliis quibuſcunque Conſtitutionibus a Prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus tam de Judicibus delegatis, quam perſonis ultra certum numerum ad iudicium non vocandis, aut aliis edictis, quæ iure poſſint in hac parte iurisdictioni, aut poteſtati, eiusque libero exercitio quomodolibet obviare, ſeu ſi præfatis Archiepiſcopo, Præpoſito, & Capitulo, ac Magiſtro, Mareſcalco, & Fratribus, vel quibusvis aliis cuiuſcunque dignitatis, ſtatus, Ordinis, vel conditionis exiſtant, etiamſi Pontificali, vel alia quavis dignitate præfulgeant communiter, vel diviſim a præfata ſit Sede indultum quod excommunicari, ſuſpendi, vel interdici, ſeu extra, vel ultra certa loca ad iudicium evocari non poſſint, per Literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi, & earum perſonis, & locis, Ordinibus, & nominibus propriis mentionem, & qualibet alia dictæ Sedis indulgentia generali, vel ſpeciali cuiuſcunque tenoris exiſtat, per quam præſentibus non expreſſam, vel totaliter non inſertam veſtræ iurisdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet ANNO 1352.

ANNO 1352. libet impediri, & de qua, cuiusque toto tenore de verbo ad verbum in noſtris literis habenda ſit mentio ſpecialis. Cæterum volumus, & Apoſtolica auctoritate decernimus, quod quilibet veſtrum proſequi valeat Articulum etiam per alium inchoatum, quamvis idem inchoans nullo fuerit impedimento canonico impeditus, quodque a data præſentium vobis, & cuilibet veſtrum in præmiſſis, omnibus, & eorum ſingulis ſit perpetuata poteſtas, & iurisdictio attributa, & eo vigore eaque firmitate poſſitis in præmiſſis, & pro prædictis omnibus procedere, ac ſi prædicta omnia, & ſingula coram Nobis cepta fuiſſent, & iurisdictio veſtra, & cuiuslibet veſtrum in præmiſſis omnibus, & ſingulis per citationem, vel modum alium perpetuata legitimum extitiſſet. Dies vero citationum huiusmodi, ſi ad eas, vel eorum aliquam procedere vos contingat, & quidquid in præmiſſis duxeritis faciendum Nobis per veſtras patentes Literas, ſeu Inſtrumenta publica, veſtris Sigillis ſignata harum ſeriem continentia quantocius intimare curetis. Datum apud Villam Novam Avinionenſis Diæceſis, ſecundo Idus Auguſti Pontificatus noſtri Anno primo.

XLV.

1354. MAGNI *Aroſienſis Epiſcopi auctoritate Apoſtolica Mandatum ad omnes Archiepiſcopos, & Epiſcopos, ut Magiſtrum, & Fratres in Livonia nolentes tradere Archiepiſcopo Rigenſi Civitatem Rigam pro excommunicatis denuntient, & publicent.* Dat. in Caſtro Lealis die 23. Octobr. Anno 1354. *Ex Originali.*

MAGNUS Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Aroſienſis, Executor, una cum Reverendis Patribus Dominis Lincopenſi, & Osloenſi Epiſcopis cum clauſula, quatenus vos vel duo, aut unus veſtrum, ad infraſcripta a Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatus, univerſis Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Præpoſitis, Decanis, Archidiaconis, Theſaurariis, Cantoribus, Scholaſticis, Sacriſtis, Archipresbyteris, & aliis in quibuscunque dignitatibus, ſeu perſonatibus conſtitutis, nec non Canonicis, Rectoribus, ſeu Vicerectoribus, perpetuis Vicariis Eccleſiarum, Presbyteris, & aliis Clericis Sæcularibus, Provincialibus, Miniſtris, Prioribus, Prædicatoribus, Auguſtinenſis, Carmelitarum, Guardianis Minorum Ordinum, nec non eorum locum tenentibus ac omnibus de eorum, & quorumcunq; aliorum Ordinum Religioſis, ac omnibus ſingulariter ſingulis, ad quos præſentes Literæ pervenerint, ſalutem in Domino, & mandatis noſtris, imo Apoſtolicis obedire firmiter cum effectu. Cum olim agitata materia quæſtionis inter Reverendum Patrem, Dominos Archiepiſcopum, Præpoſitum, Capitulum, & Eccleſiam Rigenſem ex una parte, nec non Magiſtrum, & Fratres Hoſpitalis Beatæ Mariæ Theutonicorum in Livonia ex altera, & facta relatione in Conſiſtorio præſentibus ipſis partibus Sanctiſſimo in Chriſto Patri, & Domino noſtro, Domino INNOCENTIO divina providentia Papæ ſexto per Reverendos Patres Dominos Egidium tituli Sancti Clementis Presbyterum, & Gelardum de Mora tituli Sanctæ Luciæ Diaconum, Cardinales, ad huius relationem faciendam ſpecialiter deputatos, de omnibus dictis quæſtionibus partes tangentibus, idem Dominus noſter Papa certam fecit in cauſa, & inter partes easdem Ordinationem, Nobisque, & prædictis Collegis noſtris cum clauſula prædicta in ſuis literis ſuper hæc confectis, more Romanæ Curiæ ſolito, eius vera bulla bullatis, omni ſuſpicione carentibus, quæ incipiunt. JNNOCENTIUS *Epiſcopus Servus Servorum Dei Venerabilibus Fratribus Aroſienſis, & Lincopenſis, ac Osloenſis Epiſcopis ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Dudum ad audientiam felicis recordationis* JOANNIS *Papæ XXII. Prædeceſſoris noſtri perducto, quod Magiſter Generalis, ac Præceptor Livoniæ, ac Commendatores, ac Fratres Ordinis Hoſpitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum occupaverant poſſeſſiones, & iura, & libertates Archiepiſcopi Rigenſis &c. & ſic finiunt. Dies vero citationis huius, ſi ad eos, vel eorum aliquam procedere vos contingat, & quidquid in præmiſſis duxeritis faciendum, Nobis per veſtras patentes Literas, ſeu Inſtrumenta publica veſtris Sigillis ſignata, horum ſeriem continentia quantocius inti̇mare curetis. Datum apud Villam Novam Avinionenſis Diæceſis, ſecundo Idus Auguſti Pontificatus noſtri Anno primo.* Sub excommunicationis pæna mandaverit, quatenus ad Civitatem Rigenſem Nos perſonaliter conferremus, & ipſam utpote poſt, & contra inhibitionem dictæ Sedis per eosdem Magiſtrum, & Fratres captam, una cum Caſtris, ſeu Fortalitiis quibuscunque intra dictam Civitatem, & eius ſuburbia conſtitutis, libere, & expedite ad manus ſuas nomine, & ſub poteſtate, & libera diſpoſitione Sedis memoratæ, authoritate ſua recipere, & reducere ſtuderemus, & alia ANNO 1354.


ANNO 1354. postmodum similiter faceremus, quæ Nobis in literis prædictis per eundem Dominum nostrum mandabantur, Contradictores, & rebelles per Censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita compescendo, Nosque demum pro parte Dominorum Vromoldi nunc Archiepiscopi, & Arnoldi Præpositi, & Capituli Rigensis, ac eiusdem Ecclesiæ, legitime requisiti, ut ad præmissa exequenda, & adimplenda ipsorum Archiepiscopi, Præpositi, & Capituli; ac Ecclesiæ taxatis sumptibus, & expensis, quamvis occasione negotii ipsarum partium ageretur, & super his requisiverimus Magistrum, & Fratres prædictos, & ad Civitatem Rigensem prædictam pro eadem executione personaliter contulerimus, ipsisque ad hoc legitime vocatis publice, & solenniter præsente Clero, & Populo Civitatis Rigensis in Ecclesia Rigensi mandaverimus authoritate Apostolica secundum tenorem, & formam earundem Literarum, Magistro Marescalco, Præceptoribus, Commendatoribus Advocatis, & Fratribus Ordinis prædicti, ac aliis administrationes, seu officia in eodem Ordine habentibus, per Livoniam constitutis, nec non aliis quorum intererat vel poterat interesse, coniunctim, & divisim in nostris patentibus Literis super hæc confectis, quarum tenor sic incipit: MAGNUS miseratione divina Episcopus Arosiensis Executor ad infra scripta, una cum aliis Reverendis Patribus Dominis Episcopis infrascriptis, cum clausula quatenus Vos, vel duo, aut unus vestrum, a Sede Apostolica specialiter deputatus, Religiosis Viris, Magistro, Mareschalco, Præceptoribus Commendatoribus, Advocatis Ordinis Sanctae Mariae Theutonicorum, ac omnibus aliis, & singulis in eodem Ordine quascunque dignitates, & officia, ac administrationes habentibus, quocunque nomine censeantur, ac Fratribus universis, & cuilibet ipsorum per Livoniam constitutis, nec non quibuscunque aliis potestatem regendi, gubernandi, administrandi, disponendi, tenendi, tradendi, & dimittendi Civitatem Rigensem, & Castrum inibi positum, ac fortalitia intra dictam Civitatem, & eius Suburbia constituta habentibus, & omnibus aliis, et singulis, quorum interest vel poterit quomodolibet interesse, coniunctim, vel divisim, quoad Civitatem Rigensem, Castrum Fortalitia, et eius Suburbia, et iura quomodolibet spectantia ad ea, seu quomodolibet eorundem, salutem in Domino, et Apostolicis firmiter obedire Mandatis. *Literas, & cætera.* Et sic finiunt: *Actum Rigæ in choro Maioris Ecclesiæ sub Anno a Nativitate Domini millesimo trecentesimo quinquagesimo quarto, Indictione septima, die XV. Mensis Septembris, horæ tertiarum, vel quasi, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, ac Domini, Domini* INNOCENTII *divina Providentia Papæ VI. Anno secundo. Præsentibus eximiis Viris Domino Chiderico de Vithusen Præposito Tarbatensi, & Petro Arnulphi Canonico Upsalensis Ecclesiarum, Testibus ad præmissa vocatis, & specialiter rogatis*, sub pænis excommunicationis Canonica monitione præmissa quam non parentes, & Contradictores quoslibet, & rebelles huiusmodi mandatis nostris, imo Apostolicis, & consilium contra ipsa dantes incurrere volumus ipso facto, ac etiam Interdicti quo Clerum, Populum, Universitates, Ecclesias, Capellas, Cimeteria, Civitates, Oppida, Castra, Suburbia, Villas, Domos, & singulariter singula loca, omnesque & singulas Terras iuri, Dominio ipsorum, & cuiuslibet eorum subiectas, aut per ipsos detentas, captas, seu quomodolibet occupatas per Provinciam Livoniæ constitutas extunc suppositimus, ut quantum ad eos, & ipsorum quemlibet communiter, seu divisim spectabat, infra certum terminum in dictis literis nostris expressum iam diu elapsum, dictam Civitatem cum Castro inibi per ipsos Magistrum, & Fratres constructo, ac aliis Castris, & fortalitiis quibuscunque intra dictam Civitatem, & eius suburbia constitutis cum eorum consvetis fructibus, iuribus, reditibus, & proventibus pro ipsorum gubernatione, & custodia Nobis, & nulli alteri nomine dicti Domini nostri, & sub eiusdem Sedis dispositione tenenda, gubernanda, libere, & libera, & expedite renuntiarent, traderent, ac etiam assignarent cum effectu, secundum formam, & tenorem Mandati Apostolici Nobis in hac parte commissi, prout hæc, & alia in eisdem nostris Literis plenius continentur. Ipsi tamen Magister, Mareschalcus, Præceptores, & Commendatores, ac Fratres prædicti, & quilibet ipsorum, quantum in eis fuit, & est specialiter, atque spectat his mandatis nostris, imo Apostolicis obedire, Civitatem Rigam cum Castro, & aliis Castris inter eam, & eius Suburbia prædicta constitutis, cum eorundem iuribus, & fructibus Nobis ad manus dicti Domini nostri, & nomine eiusdem Sedis tenenda assignare, renuntiare, & tradere libere, pacifice, & cum effectu omnino recusarunt, & recusant, & eos assignari facere non curaverunt, neque curant, imo dictam Excommunicationis sententiam dampnabiliter incurrendo, & se indubitanter laqueando pro-

ANNO 1354.

Anno 1354. proceſſibus memoratis, per ſe, & alios publice, & occulte directe, & indirecte huiusmodi Mandatis Apoſtolicis, in gravem contemptum eiusdem Domini noſtri, & Sedis memoratæ, ac plurimorum fidelium ſcandalum, pernicioſe reſiſtentes impediverunt, & impediunt, prohibuerunt, et prohibent quominus fieret, et fiat Nobis aſſignatio, et reſignatio Civitatis, et Caſtrorum prædictorum, ac cuiuslibet eorundem, et alias in præmiſſis, et quolibet præmiſſorum contradixerunt, et contradicunt verbo, et facto mandatis Apoſtolicis, noſtrisque proceſſibus, et ſententiis factis, et promulgatis, Interdictum huiusmodi ubique violantes, et per alios violari facientes, et procurantes, et nihilominus fecerunt, et faciunt temere, et iniuſte, quominus ad omnia alia, et ſingula in Ordinatione, et Literis Apoſtolicis antedictis contenta, Nobis per dictum Dominum noſtrum exequenda commiſſa, ſecundum formam, et tenorem earundem, prout intendebamus, et intendimus, debite procedatur. Verum quia vitium paganitatis incurrit, quisquis Apoſtolicæ Sedi obedire contempnit, ut tanto gravior ipſorum Magiſtri, et Fratrum culpa appareat, et contemptus, quo magis in publicum merito eorundem deducatur rebellionis, et transgreſſionis exceſſus, ipſi etiam, ut præmittitur, a Catholica Eccleſia iuſte præciſi, citius ad ſinum eiusdem redeant, ac Apoſtolicis veniant obtemperare Mandatis, nullaque negligentia, aut remiſſio Nobis in executione præmiſſorum, et cuiuslibet eorum, ſecundum traditam ab eadem Sede Nobis formam quomodolibet valeat imputari, Vos, et veſtrum quemlibet authoritate Apoſtolica prædicta Nobis in hac parte commiſſa tenore præſentium requirimus, et nihilominus in virtute Sanctæ obedientiæ, et ſub pæna Excommunicationis diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus infra ſex dies a præſentatione, notificatione, publicatione, et requiſitione Vobis facta, ſeu factis de huiusmodi mandato noſtro, imo Apoſtolico obtenta, dictos Magiſtrum, Marſchalcum, Præceptores, Commendatores, Advocatos, aliosque quoscunque in ipſo Ordine adminiſtrationes, et officia quæcunque habentes, ac Fratres eosdem, et omnes alios, et ſingulos, quos noveritis in præmiſſis, et quolibet præmiſſorum quomodolibet Contradictores, impedientes, ac rebelles, vel contra ea, ſeu eorum aliquid facientes, aut dantes ſcienter quibuscunq; quomodolibet conſilium, auxilium, conſenſum, vel favorem, aut ſuper ipſis, vel ipſorum aliquo, quorum Nobis fiat aſſignatio prædicta de Civitate, et Caſtro memoratis, quodcunque præſtantes, quomodocunque, et qualitercunque impedimentum, et etiam ipſos, et eorum quemlibet; qui huiusmodi noſtrum Interdictum violant, aut violari faciunt, compellunt, ſeu procurant, quos Nos ſex dies monitione canonica præmiſſa, in his ſcriptis excommunicationis ſententiam modernam ſingulis diebus Dominicis, et feſtivis in Synodis, in quibuslibet Eccleſiis veſtris, et extra in ſermonibus, et omnibus aliis, et ſingulis actibus ſolennibus, et publicis pulſando in eisdem Eccleſiis talibus campanis, ſi ibidem ſint, quæ etiam extra ipſas Eccleſias, et per loca, in quibus huiusmodi denuntiationem fieri contigerit, longe audiri valeant, candelis accenſis, et extinctis, nominatim cuiuscunque gradus, Status, Ordinis, dignitatis, aut conditionis exiſtant, anathematiſetis, imo anathematiſatos, et excommunicatos Clerumque ipſorum, et populum, Univerſitates, Eccleſias, et capellas, et omnia alia loca prædicta, eorum iuri, dominio ſubiecta, ſeu conſtituta noſtros proceſſus, et ſententias incidiſſe, et Eccleſiaſtica ſuppoſita Interdicto ſolenniter, et publice, ſive iteratis requiſitionibus donec a Nobis, vel Superiori noſtro abſolutionem obtinere meruerint; et relaxationem, nuntietis nullusque veſtrum quomodolibet coram ipſis in prædictis locis, aut etiam aliis, quam diu ibi moram traxerint, ac etiam per triduum poſt ipſorum receſſum, pendentibus huiusmodi Excommunicationum, et Interdicti ſententiis niſi inquantum a iure permittitur celebrare, vel celebrari divina mandet, aut quantum in vobis, et quolibet veſtrum eſt, permittat, vel faciat ſub pæna Excommunicationis prædicta, quam ſimiliter dicta Canonica præmiſſa in vos, et veſtrum quemlibet ferimus in his ſcriptis, et ſub aliis pænis coram, et contra taliter celebrantes, et celebrari mandantes in iure promulgatis. Vos vero Dominos Archiepiſcopos, et Epiſcopos, quos ob reverentiam Pontificalis officii nolumus ſic noſtris ſententiis ligare, eadem authoritate requirimus, quatenus infra ſex dies a ſcientia præſentium in Synodis veſtris perſonaliter, et in aliis Actibus per Vos alium, ſeu alios in ſingulis Eccleſiis veſtrarum Civitatum, et Diæceſis, ad denuntiationem prædictorum, ac cuiuslibet ipſorum præmiſſo modo procedatis, et a celebratione coram ipſis, et locis prædictis facienda deſiſtatis, alioquin Vobis, et cuilibet veſtrum huiusmodi Canonica monitione præmiſſa, Eccleſiæ interdicimus ingreſſum in his ſcriptis, Anno 1354.

Anno 1354. ptis, et infra alios ſex dies præfatos, ſe immediate ſequentes, ſi prædicta non adimpleveritis vos, et veſtrum quemlibet Canonica monitione præmiſſa, ſuſpendimus a divinis. Si vero, quod abſit, infra alios ſex dies præfatos, duodecem immediate ſequentes, quæ vobis, et veſtrum cuilibet tenore præſentium mandamus, non ſervaveritis cum effectu, vos, et veſtrum quemlibet dicta Canonica monitione præmiſſa, excommunicationis ſententia innodamus. Cæterum ſi Magiſter, Mareſchalcus, et Fratres, ac alii praedicti ex locutione, et aliis, quibus participans labitur in Minorem, fortius indureſcant, et alias a Sedis Apoſtolicae devotione, et obedientia, obſtinata elatione ſe ſubtraxerint, extunc participantes cum ipſis, vel ipſorum aliquo, ſervatis his ſuper haec a iure ſtatutis, ſub paenis, et ſententiis antedictis conſimili Cenſura dampnetis abſolutionem omnium, et ſingulorum, qui huiusmodi ſententias noſtras, ſeu earum aliquam incurrerint, Nobis vel Superiori noſtro tantummodo reſervantes, in ſignum executionis per vos factae, reddite praeſentem noſtrum proceſſum veſtris Sigillis ſigillatum, aut per patentes literas, vel Inſtrumenta publica, Nos certificantes eisdem Sigillis ſigillata. In quorum omnium, et ſingulorum teſtimonium praeſentem noſtrum proceſſum per Eghardum de Basdow Notarium ſubſcriptum publicari mandavimus, et Sigilli noſtri appenſione muniri. Datum in Caſtro Lealis Oſilienſis Diaeceſis, ſub Anno a Nativitate Domini milleſimo trecenteſimo quinquageſimo quarto. Indictione ſeptima, die XXIII. Menſis Octobris hora veſperarum, vel quaſi, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, ac Domini, Domini Innocentii divina providentia Papae VI. Anno ſecundo. Praeſentibus Venerabilibus Viris Dominis Petro Arnophi Canonico Upſalenſi, Holſtano Priore, Forvabo Parochialis Eccleſiarum, et Vernero de Brindebinth Clerico Aroſienſis, et Brandeburgenſis Diaeceſis, teſtibus ad praemiſſa ſpecialiter vocatis, et rogatis.

Et Ego Eghardus de Baldow Clericus Verdenſis Diaeceſis, Publicus Apoſtolica, et Imperiali authoritate Notarius praedictis aſſertioni requiſitionibus, mandatis, inhibitioni, interdicto, ſuſpenſioni ſententiarum innodationi ac omnibus aliis, et ſingulis praemiſſis una cum antedictis teſtibus praeſens interfui, eaque ſic fieri vidi, et audivi, et de mandato ſupradicti Executoris praeſentem proceſſum per alium ſcribi feci, aliis negotiis legitime occupatus, et in formam publicam Inſtrumenti redegi, quod meis ſigno, et nomine in teſtimonium praemiſſorum roboravi ſub Anno, Indictione, die, Menſe, hora, ac Pontificatu quibus ſupra. Anno 1354.



XLVI.

Stephani *Archiepiſcopi Arelatenſis Executoris Sententiæ Franciſci Cardinalis Mandatum ad Magiſtrum, & Ordinem Crucigerorum in Livonia, ut intra ſex dies Civitatem Rigenſem Archiepiſcopo Rigenſi tradant: cum Conſtitutione Subexecutorum ad ulteriorem Executionem. Ex Originali.* 1360.

Reverendis in Chriſto Patribus, Oſilienſi, Curonienſi, Sambienſi, Varmienſi, Pomezamenſi, & Culmenſi Epiſcopis, ac Religioſis Viris Magiſtro, Praeceptoribus, Commendatoribus, & Fratribus Hoſpitalis Beatæ Mariæ Theuthonicorum Hieroſolimitani per Livoniam Conſtitutis, nec non Magiſtris, Conſulibus, Juratis, Judicibus, ac Vniverſitati, & ſingulis Perſonis Civitatis Rigenſis, & omnibus ac ſingulis aliis, quorum intereſt, vel intereſſe poterit, & quos infraſcriptum tangit negotium, vel tangere poterit quomodolibet in futurum, tam coniunctim, quam diviſim, quibuscunque nominibus noſcantur. Stephanus Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Archiepiſcopus Arelatenſis Executor ad infraſcripta, una cum infraſcriptis Collegis noſtris, cum illa clauſula *quatenus Vos, vel duo, aut unus Veſtrum per Vos, vel alium, ſeu alios, &c.* a ſede Apoſtolica ſpecialiter deputatus, ſalutem in Domino, & Mandatis noſtris imo verius Apoſtolicis firmiter obedire. Literas Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini noſtri, Domini Innocentii; Divina Providentia Papæ VI. executorias, cum Cordula canapis, vera ipſius Domini noſtri Papæ Bulla plumbea more Romanæ Curiæ bullatas, ſanas, & integras, omni vitio, & ſuſpicione carentes, una cum unius

dif-

ANNO 1360. diffinitivæ ſententiæ publico Inſtrumento, dequo in eisdem literis Apoſtolicis ſpecialis, & expreſſa habetur mentio, ſigillo munito, non raſo, nec in aliqua ſui parte vitiato, ut prima facie apparebat, Nobis pro parte Reverendi in Chriſto Patris, Domini Uromoldi Archiepiſcopi Rigenſis, & Venerabilium Virorum Dominorum Præpoſiti, & Capituli Eccleſiæ Rigenſis præſentatas, Nos cum ea, qua decuit reverentia recepiſſe, quarum quidem Literarum Apoſtolicarum principium dinoſcitur eſſe tale: INNOCENTIUS *Epiſcopus Servus Servorum Dei: Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopo Arelatenſi, & Aroſienſi, & Tarbatenſi Epiſcopis ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Petitio Venerabilis Fratris Noſtri Uromoldi Archiepiſcopi Rigenſis, & dilectorum Filiorum Præpoſiti, & Capituli Eccleſiæ Rigenſis Nobis exhibita continebat, quod licet Civitas Rigenſis ad Archiepiſcopum Rigenſem pro tempore exiſtentem, & Eccleſiam ſuam Rigenſem Jure Dominii, vel quaſi, pertineret, prout pertinet, tamen Magiſter, Præceptores, Commendatores, & Fratres Hoſpitalis Beatæ Mariæ Theuthonicorum Jeroſolimitan. per Livoniam conſtituti, falſo aſſerentes prædictam civitatem ad ſe pertinere, dictam civitatem occupaverunt, & detinuerunt prout detinent indebite occupatam. Ortaque propterea inter Archiepiſcopum, Præpoſitum, & Capitulum ex parte una, ac Magiſtrum, Præceptores, Commendatores, & Fratres prædictos, ſuper dicta civitate ex altera, materia quæſtionis, Nos cauſam huiusmodi, cum partes ipſæ in Romana Curia præſentes exiſterent, Dilecto Filio noſtro Franciſco Tituli Sancti Marci Presbytero Cardinali ad inſtantiam dictorum Magiſtri, Præceptorum, Commendatorum, & Fratrum audiendam ſimpliciter, & de plano, ac ſine ſtrepitu, & figura Judicii commiſimus, & fine debito terminandam, Coram quo Magiſtris Guilhelmo Paris Archiepiſcopi, & Alberto Guthemath Præpoſiti, & Capituli, ac Henrico Brinner Magiſtri, Præceptorum, Commendatorum, & Fratrum Prædictorum Procuratoribus, quolibet eorum Procuratorio nomine partis ſuæ in iudicio comparentibus, & per Guilhelmum, & Albertum quondam, ac Henricum prædictos, alio pro parte ſua datis libellis, ac per eos lite in cauſa ipſa legitime conteſtata, & in eiusdem Cardinalis præſentia, de calumpnia, ac de veritate dicenda præſtitis Juramentis &c.* Et ſic finitur: *Nos itaque ipſorum Archiepiſcopi, Præpoſiti, & Capituli Supplicationibus inclinati, huiusmodi Sententiam utpote provide latam, ratam habentes, & gratam, eamque Authoritate Apoſtolica confirmantes, Fraternitatibus veſtris per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus Vos, vel duo, aut unus veſtrum per Vos, vel alium, ſeu alios Sententiam ipſam ſalvis tamen Compoſitionibus, & declarationibus prædictis, Executioni debitæ demandantes, eosdem Archiepiſcopum, Præpoſitum, & Capitulum in corporalem poſſeſſionem dictæ civitatis Rigenſis, Juriumque, & pertinentiarum ipſius, amotis exinde dictis Magiſtro, Præceptoribus, & Commendatoribus, & Fratribus, inducatis Authoritate noſtra, & defendatis inductos, facientes ſibi de ipſius Civitatis fructibus, & emolumentis ad Dominium dictæ Civitatis pro tempore pertinentibus, integre reſponderi, contradictores per Cenſuram Eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo. Datum Avinione XVII. Calendas Aprilis, Pontificatus noſtri Anno octavo* Poſt quarum Literarum Apoſtolicarum, & Inſtrumenti prædicti præſentationem, & receptionem Pars Dominorum Archiepiſcopi, Præpoſiti, & Capituli prædictorum Nos cum inſtantia requiſivit, ut ad Executionem ipſarum Literarum, & contentorum in eisdem procedere dignaremur, iuxta earundem Literarum continentiam, & tenorem. Nos igitur STEPHANUS Archiepiſcopus, & Executor præfatus, volentes, ut tenemur, huiusmodi Mandatum Apoſtolicum Nobis in hac parte directum exequi reverenter, ſalvis compoſitionibus, & declarationibus prædictis, in dictis ſententiæ, & declarationum Inſtrumentis, & Literis Apoſtolicis expreſſarum, Sententiam, Declarationes, Inſtrumenta, Literas, ac præſentes Proceſſus noſtros, & contenta in eis, vobis omnibus, & ſingulis intimamus, publicamus, inſinuamus, & notificamus, & ad veſtram notitiam deducimus, & deduci volumus etiam per præſentes; Vosque Reverendos Patres Dominos Epiſcopos, & Religioſos Viros Magiſtrum, Præceptores, Commendatores, & Fratres Hoſpitalis prædicti per Livoniam conſtitutos, ac Magiſtros, Conſules, Juratos, Judices, ac Univerſitatem, & ſingulares Perſonas Civitatis Rigenſis, & omnes, & ſingulos alios ſupradictos, quibus præſens noſter Proceſſus dirigitur, & quorum intereſt quomodolibet, & quos infraſcriptum tangit negotium quoquomodo, Authoritate Apoſtolica, qua fungimur in hac parte, tenore præſentium requirimus, & monemus communiter, & diviſim primo, ſecundo, & tertio, ac peremptorie, nihilominus, & cuilibet Veſtrum in virtute Sanctæ Obedientiæ, & ſub pœnis infraſcriptis diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus intra ſex

Anno 1360. dies a præſentatione ſeu notificatione Præſentium Vobis facta, immediate ſequentes, quorum duos pro primo, duos pro ſecundo, & reliquos duos dies pro tertio, & peremptorio termino, ac monitione canonica Vobis, & veſtrum cuilibet tenore præſentium præfigimus, & etiam aſſignamus, eosdem Dominos Archiepiſcopum, Præpoſitum, & Capitulum, ſeu Procuratorem vel Procuratores ipſorum pro eis, & eorum nomine, ac dictæ Eccleſiæ Rigenſis, etiam diviſim, ad, & in corporalem poſſeſſionem, & quaſi dictæ Civitatis Rigenſis, Juriumque, & pertinentiarum ipſius, amotis exinde dictis Magiſtro, Præceptoribus, Commendatoribus, & Fratribus, & aliis quibuscunque illicitis detentoribus, & occupatoribus dictæ civitatis, ſiqui ſint, quos omnes, & ſingulos tenore præſentium Authoritate prædicta amovemus, & amotos eſſe decerninus, absque difficultate qualibet, & oppoſitione quacunque, prout ad vos, & veſtrum quemlibet communiter, vel diviſim pertinet, recipiatis, & etiam admittatis, ac recipi permittatis, et faciatis; et ipſos Archiepiſcopum, Præpoſitum, et Capitulum ſeu Procuratorem, vel Procuratores eorum nomine prædicto in huiusmodi poſſeſſionem inducatis, quos Nos Authoritate prædicta per præſentes noſtras Literas inducimus, et quantum in vobis eſt, defendatis inductos, facientes ſibi de ipſius Civitatis fructibus, et emolumentis quibuscunque ad dominium dictæ Civitatis pro tempore exiſten. pertinentibus, a tempore prolationis dictæ Sententiæ, et citra, et deinceps provenientibus, integre reſponderi, ipſosque Archiepiſcopum, Praepoſitum, et Capitulum permittentes ipſius Civitatis Rigenſis fructibus, et emolumentis, ut dictum eſt, ad Dominium ipſius Civitatis Rigenſis pro tempore exiſten. pertinentibus, et huiusmodi poſſeſſione pacifice perfrui, et gaudere, et de ipſis, ut ad vos, et veſtrum quemlibet pertinet, integre reſpondeatis, Permittentes Vos Magiſter, Praeceptores, Commendatores, et Fratres Hoſpitalis, et alii univerſaliter, et ſingulariter, ac ſinguli ſuperius nominati ipſos Dominos Archiepiſcopum, Praepoſitum, et Capitulum ſeu eorum Procuratorem, vel Procuratores pro eis, et eorum nominibus dictae Civitatis, ac fructuum, et emolumentorum ipſius integra, libera, et quieta poſſeſſione gaudere, nullam omnino ſuper ipſis turbationem ſeu moleſtiam faciendo; Quibuslibet fidelitatis, ſeu homagii Juramentis, Promiſſionibus, Conventionibus, Compoſitionibus, ſeu Confœderationibus a vobis Magiſtris, Conſulibus, Juratis, Judicibus, Univerſitate, ſingularibusve Perſonis Civitatis Rigenſis, ſeu per Vos coniunctim, vel diviſim, Magiſtro, Praeceptoribus, Commendatoribus, ſive Fratribus Hoſpitalis praedicti factis, et praeſtitis, ſeu cunctis cum eisdem, non obſtantibus ad quorum obſervationem, quatenus praemiſſis poterint obviare, et dominium dictae Civitatis concernunt, Vos decernimus non teneri, ſed ab eis fore abſolutos, liberos penitus, et immunes. Monemus inſuper modo, et forma praemiſſis Vos, et veſtrum quemlibet, et generaliter omnes, et ſingulos alios cuiuscunque dignitatis, praeeminentiae, ſtatus, gradus, Ordinis, aut conditionis exiſtant, etiamſi Epiſcopali praefulgeant Dignitate, ne praefatis Dominis Archiepiſcopo, Praepoſito, et Capitulo Eccleſiae Rigenſis, ſeu eorum Procuratori, vel Procuratoribus in hac parte, quo minus corporalem poſſeſſionem dictae Civitatis Rigenſis, Jurium, et pertinentiarum ipſius cum fructibus, et emolumentis ad dominium dictae Civitatis pro tempore quovis modo pertinentibus integre, realiter, et pacifice aſſequantur, et quiete valeant poſſidere, et ipſius Civitatis fructus, et emolumenta praedicta libere, et cum integritate tenere, recipere, et habere, et quod de praedictis hactenus perceptis fructibus, et emolumentis univerſis a tempore dictae latae Sententiae, plena ſibi Satisfactio impendatur, impedimentum aliquod praeſtetis, ſeu praeſtent per Vos, aut eos, vel alium, ſeu alios, directe, vel indirecte, aut alias clam, vel palam, ſeu ipſos Archiepiſcopum, Praepoſitum, et Capitulum in hac parte impedientibus detis, aut dent conſilium, auxilium, vel favorem. Alioquin in Vos Magiſtrum, Praeceptores, Comendatores, et Fratres praedictos, et alios omnes, et ſingulos ſuperius nominatos, ſeu comprehenſos, et monitos, ſi eulpabiles communiter, vel diviſim in praemiſſis, vel aliquo praemiſſorum fueritis, aut fuerit, publice, vel occulte, nec non Contradictores, et rebelles, ac ipſos Dominos Archiepiſcopum, Praepoſitum, et Capitulum, ſeu Procuratorem, vel Procuratores ipſorum, vel alterius eorum in hac parte impedientes, ſuper praemiſſis in aliquo, ac eos etiam diviſim impedientibus dantes conſilium, auxilium, vel favorem, quovis modo ſingulariter, et ſingulos praedicta Canonica monitione praemiſſa, dictis Dominis Epiſcopis duntaxat exceptis, Excommunicationis Sententiam in his ſcriptis ex nunc prout ex tunc ferimus, et etiam promulgamus. Vobis vero Dominis Epiſcopis, quibus ob reve-

Anno 1360.

ren-

Anno 1360. rentiam Pontificalis Dignitatis veſtrum quibuslibet deferendum duximus in hac parte, ſi contra præmiſſa, vel aliquod præmiſſorum feceritis, quod abſit, per Vos, vel ſubmiſſam perſonam quoquo modo, prædicta ſex dierum Canonica monitione præmiſſa, ex nunc, prout ex tunc ingreſſum Eccleſiæ interdicimus in his ſcriptis. Et ſi huiusmodi Interdictum per alios ſex dies præfatos ſe immediate ſequentes ſuſtinueritis, Vos eadem Canonica monitione præmiſſa, in his ſcriptis ſuſpendimus a Divinis. Verum ſi præfatos Interdicti, & ſuſpenſionis ſententias per alios ſex dies præfatos, duodecem immediate ſequentes ſuſtinueritis, quod abſit, animo indurato, Vos in his ſcriptis eadem monitione præmiſſa, Excommunicationis Sententia innodamus, Abſolutione omnium, & ſingulorum, qui ſupra, & infraſcriptas noſtras Sententias, vel earum aliquam quomodolibet incurrerent, Nobis, vel Superiori noſtro tantummodo reſervata. Præfatas quoque Literas Apoſtolicas, & hunc noſtrum Proceſſum volumus penes dictos Dominos Archiepiſcopum, Præpoſitum, & Capitulum, ſeu eorum Procuratorem, vel Procuratores remanere, & non per Vos Magiſtrum, Præceptores, Commendatores, & Fratres Hoſpitalis prædicti, vel quemque alium contra ipſorum voluntatem, detineri. Mandamus tamen eisdem, quatenus ſi eam habere volueritis, & petieritis, veſtris ſumptibus faciant copiam de præmiſſis. Cæterum cum ad executionem præmiſſorum ulterius faciendam, nequeamus ad præſens arduis noſtris, & Eccleſiæ noſtræ negotiis præpediti perſonaliter intereſſe, Venerabilibus Dominis Viris in Valhena de Padis Ciſtercienſis Ordinis, Tarbatenſis, & Revalienſis Monaſteriorum Abbatibus, & Tarbatenſis, & Oſilienſis Eccleſiarum Præpoſitis, Decanis, Scholaſticis, Theſaurariis, & Cantoribus, & Voldemaro de Roſis, Gherrardo de Viſthuſen, Meynardo Mornevech, Johanni Las, Johanni Socye, Godfrido de Brakele, Johanni Varendorp, Willehmo Narendorp Tarbatenſi, Joanni Sternilebe, Andreæ Coshul, Johanni Cnockey, Bartholomeo de Enna, Nicolao Prus, & Godfrido Meſpol Oſilienſis Eccleſiarum Canonicis, nec non Univerſis, & Singulis Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Decanis, Archidiaconis, Theſaurariis, Cantoribus, Scholaſticis, Sacriſtis, Archipresbyteris, & aliis in quibuscunque Dignitatibus, ſeu perſonatibus conſtitutis, nec non Cathedralium, & Collegiatarum Eccleſiarum Canonicis, Rectoribus, ſeu Vicerectoribus, perpetuis Vicariis Eccleſiarum, Presbyteris, & aliis Clericis Sæcularibus, Provincialibus, Miniſtris, Prioribus, Prædicatorum, Auguſtianenſium, Carmelitarum, Gardianis Minorum Ordinum, nec non eorum loca tenentibus, Lectoribus, ac omnibus dictorum, & quorumcunque aliorum Ordinum Religioſis per Lundenſem, Rigenſem, Bremenſem, Tarbatenſem, Oſilienſem, Droſienſem, Lincopenſem, Culmenſem, Revalienſem, Pomezanenſem, Curonenſem, Varmienſem, Sambienſem, Caminenſem, Lubicenſem, Zwernenſem, Verdenſem, Razeburgenſem, & Roshlidenſem Provincias, Civitates, Diæceſes, & aliis ubilibet conſtitutis, ac omnibus, & ſingulariter ſingulis, ad quos præſentes Literæ pervenerint, & qui cum præſentibus noſtris Proceſſoribus requiſiti fuerint, quibus, & eorum cuilibet ſuper ulteriori executione dicti Mandati Apoſtolici, Nobis ut præfertur commiſſi, in ſolidum tenore præſentium committimus Vices noſtras, donec eas ad Nos duxerimus revocandas, ipſisque, & cuilibet eorundem ſub Excommunicationis pæna quam in ipſos, & eorum quemlibet trina dierum monitione præmiſſa, ferimus in his ſcriptis, niſi fecerit, ſeu fecerint quod mandamus, diſtricte præcipiendo mandantes quatenus receptis, & viſis his noſtris Proceſſibus, ac poſtquam ab ipſis Dominis Archiepiſcopo, Præpoſito, & Capitulo, vel earum Procuratore, ſeu Procuratoribus fuerit requiſitus, vel fuerint requiſiti, ad Vos Magiſtrum, Præceptorem, Commendatorem, & Fratres Hoſpitalis prædicti, & alios ſupradictos, & ad dictam Civitatem Rigenſem, & alibi ubi expediens fuerit, accedat perſonaliter, vel accedant, dictasque Literas Apoſtolicas, Sententiæ diffinitivæ Inſtrumentum, & hunc noſtrum Proceſſum, omniaque, & ſingula in eis contenta, dictis Magiſtro, Præceptori, Commendatori, & Fratribus Hoſpitalis prædicti, & quibuslibet aliis, quibus intereſſe poterit denuntient, legant, & publicare procurent. Et eosdem Dominos Archiepiſcopum, Præpoſitum, & Capitulum, ſeu Procuratorem, vel Procuratores ſuos prædictos eorum, in, & ad corporalem poſſeſſionem dictæ Civitatis, ac fructuum, & emolumentorum prædictorum eiusdem Civitatis inducant, & tueantur inductos, amotis ab eisdem dictis Magiſtro, Præceptoribus, Commendatoribus, & Fratribus, & quolibet alio detentore, quem, & quos etiam tenere præſentium, quantum poſſumus, amovemus, & denuntiamus etiam diviſim amotos, facientes ipſos Archiepiſcopum, Præpoſitum, & Capitulum ad, Anno 1360.

Anno 1360. & in corporalem poſſeſſionem dictæ Civitatis, ac fructuum, & emolumentorum prædictorum ad Dominium dictæ Civitatis pro tempore pertinentium induci, & de fructibus, & emolumentis huiusmodi, maxime a tempore latæ dictæ Sententiæ per ipſos Magiſtrum, Præceptores, Commendatores, & Fratres Hoſpitalis prædictorum, ſeu quemcunque alium nomine ipſorum perceptis, plenarie, integre, & totaliter reſponderi. Et nihilominus omnia, & ſingula Nobis in hac parte commiſſa plenarie exequantur, iuxta traditam, ſeu directam a Sede Apoſtolica Nobis formam Mandati prædicti. Ita tamen quod in præiudicium dictorum Dominorum Archiepiſcopi, Præpoſiti, & Capituli, abſolvendo, vel ſuſpendendo circa Sententias prædictas per Nos latas, nihil valeant immutare. Per præſentem autem noſtrum Proceſſum nolumus, nec intendimus noſtris in aliquo præiudicare Collegis in hac parte, quo minus ipſi, vel eorum alter, ſervato tamen huiusmodi noſtro Proceſſu poſſint, ſeu poſſit in ipſo negocio procedere, prout ipſis, vel eorum alteri viſum fuerit expedire. Inquorum omnium, & ſingulorum Teſtimonium praeſentem Proceſſum noſtrum per Volradum Luttehenborth Notarium Subſcriptum ſcribi, & publicari mandavimus, & ipſius Signo communiri, noſtroque Sigillo fecimus ſigillari. Acta ſunt haec in Hoſpicio habitationis noſtrae, ſub Anno a Nativitate Domini milleſimo trecenteſimo ſexageſimo, Indictione tertia decima, Menſis Maii die nona, hora nona, vel quaſi, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini noſtri, Domini Innocentii Divina Providentia Papae ſexti Anno octavo. Praeſentibus Venerabilibus, & Diſcretis Viris, Dominis Bartholomaeo Delcaſſauh Domini noſtri Papae Scriptore, Stephano Fabri Canonico Columbrienſi, & Religioſo Bernardo de Hanacho Priore de Sadone, Syfrido Blomenbeth Rigenſi, Hinrico Stivienſi Lubicenſis, & Johanne de Buchen Sancti Euſtachii Bremenſis Eccleſiarum Canonicis, ac Johanne Nubricti de Mandris Notario Publico, & Scriba Domini noſtri Executoris, Lingonenſis Diaeceſis, qui una mecum fuit per dictum Dominum Executorem requiſitus, & rogatus ſuper praemiſſis conficere publicum Inſtrumentum, Teſtibus ad praemiſſa vocatis ſpecialiter, & rogatis.

Et Ego Volleradus Luttehenborth Clericus Lubicenſis, publicus Imperiali Authoritate Notarius, Literarum Apoſtolicarum, videlicet Executoriae, et Diffinitivae Sententiae, ac declarationum, Inſtrumenti prædicti præſentationi, & receptioni Proceſſus, & Sententiarum inſcriptarum promulgationi, Decretorum, Mandatorum Præceptorum Subdelegationi, et omnibus aliis, et ſingulis praemiſſis una cum antedictis Teſtibus praeſens interfui, eaque ſic fieri vidi, & audivi, et de mandato ſupradicti Domini Executoris praeſentem Proceſſum in Formam publici Inſtrumenti redegi, quod meis ſigno, et nomine in Teſtimonium praemiſſorum roboravi, ſub Anno, Indictione, Menſe, die, hora, et Pontificatu quibus ſupra. Anno 1360.

XLVII.

Innocentius *PP. VI. committit Archiepiſcopo Arelatenſi, nec non Aroſienſi, & Tarbatenſi Epiſcopis, ut Cives Rigenſes a Juramento fidelitatis Ordini Crucigerorum præſtito abſolvant.* Dat. Apud Villam Novam die 17. Aug. Anno 1360. *Ex Originali.*

Innocentius Epiſcopus Servus Servorum Dei. Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopo Arelatenſi, et Aroſienſi, ac Tarbatenſi Epiſcopis, ſalutem, et Apoſtolicam benedictionem. Significavit Nobis Venerabilis Frater noſter Uromoldus Archiepiſcopus Rigenſis, quod orta dudum inter ipſum Archiepiſcopum, ac dilectos Filios Praepoſitum, et Capitulum Eccleſiae Rigenſis ex Parte una, ac Magiſtrum, Praeceptores, Commendatores, et Fratres Hoſpitalis Beatae Mariae Teutonicorum Hieroſolimitani per Livoniam conſtitutos ex altera, ſuper eo, quod Archiepiſcopus praefatus, et Capitulum Civitatem Rigenſem ad Archiepiſcopum Rigenſem pro tempore exiſtentem, et Eccleſiam ſuam Rigenſem iure Dominii, vel quaſi, pertinere, ipſosq; Magiſtrum, Praeceptores, Commendatores, et Fratres dictam Civitatem occupaſſe, et detinuiſſe, et detinent indebite occupatam. Magiſter vero, Praeceptores, Commendatores, et Fratres praedicti, Civitatem ipſam ad ſe de iure ſpectare aſſerebant, materia quaeſtionis. Nos cauſam huiusmodi cum Partes ipſae in Romana Curia praeſentes exiſterent, dilecto Filio noſtro Franciſco tituli Sancti Marci Presbytero Cardinali, ad inſtantiam dictorum Magiſtri,

Prae-

ANNO 1360. Præceptorum, Commendatorum, & Fratrum audiendam ſimpliciter, & de plano, ac ſine ſtrepitu, & figura iudicii commiſimus, & ſine debito continuandam; qui in cauſa ipſa procedens legitime per ſuam Sententiam diffinitivam, quæ nulla provocatione ſuſpenſa, in rem tranſiit iudicatam, pronuntiavit, decrevit, & declaravit dictam Civitatem Rigenſem pertinuiſſe, & pertinere iure Dominii, vel quaſi, ad dictos Archiepiſcopum, & Eccleſiam Rigenſem in ſpiritualibus, & temporalibus pleno iure, ac præfatos Magiſtrum, Præceptores, Commendatores, & Fratres a poſſeſſione Civitatis, & detentione eiusdem fuiſſe, & eſſe amovendos, & ipſos ſententialiter amovit ab ea, ac etiam pronuntiavit eosdem Magiſtrum, Præceptores, Commendatores, & Fratres debere dimittere plene, libere, & expedite ipſam Civitatem præfatis Archiepiſcopo, & Eccleſiæ, per eosdem Archiepiſcopum, & Eccleſiam libere poſſidendam, & ipſos Magiſtrum, Præceptores, Commendatores, Fratres ad dimiſſionem dictæ Civitatis condempnavit, eidemque Magiſtro, Præceptoribus, Commendatoribus, & Fratribus ſuper his perpetuum ſilentium impoſuit. Super cuius quidem Sententiæ executione iidem Archiepiſcopus præfatus, & Capitulum noſtras ad vos Literas impetrarunt. Quodque quia iidem Magiſter, & Fratres dilectos filios, Proconſules, Conſules, & alios homines dictæ Civitatis ad præſtandum eis fidelitatis Juramentum induxerunt, & compulerunt, idem Archiepiſcopus timet ſe poſſeſſionem dictæ Civitatis apprehendere, & alias huiusmodi Sententiam executioni mandari non poſſe. Quare dictus Archiepiſcopus Nobis humiliter ſupplicavit, ut providere ei ſuper hoc de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ipſius Archiepiſcopi in hac parte ſupplicationibus inclinati, Fraternitati Veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus Vos, vel duo, aut unus veſtrum per Vos, vel alium, ſeu alios ad executionem dictæ ſententiæ, iuxta dictarum Literarum continentiam, & tenorem procedentes, ipſos Proconſules, Conſules, Cives, & homines a iuramento huiusmodi, ſi, & prout iuſtum fuerit, abſolventes, faciatis eos ipſi Archiepiſcopo tanquam eorum Domino, in ſpiritualibus, & temporalibus obedire, intendere, & parere, Contradictores per Cenſuram Eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo. Non obſtante ſi eis, vel quibusvis aliis communiter, vel diviſim a Sede Apoſtolica indultum exiſtat, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per Literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum apud Villam Novam Avinionenſis Diæceſis decimo ſexto Calend. Septembris Pontificatus noſtri Anno octavo. ANNO 1360.

XLVIII.

Idem Donationes certorum Bonorum a Nicolao Epiſcopo, & Joanne Archiepiſcopo Rigenſibus Capitulo Rigenſi factas confirmat. Dat. apud Villam Novam die 17. Aug. Anno 1360. *Ex Archivo Magni Ducatus Litvaniæ.*

INNOCENTIUS Epiſcopus Servus Servorum Dei. Ad perpetuam Rei memoriam. Quæ pro divini cultus obſervantia, ac Eccleſiarum ſtatu, & ſuorum commodis Miniſtrorum piis conſiderationibus facta ſunt, & longævis temporibus obſervata, ut perpetuæ firmitatis robur accipiant, benigno Nos decet favore proſequi, eisque Apoſtolici muniminis præſidium impertiri. Sane petitio pro parte dilectorum filiorum Præpoſiti, & Capituli Eccleſiæ Rigenſis Præmonſtratenſis Ordinis Nobis exhibita continebat, quod dudum bonæ memoriæ Nicolaus, antequam Rigenſis Eccleſia in Metropoliticam erigeretur, Epiſcopus, & deinde poſt ipſius Eccleſiæ erectionem huiusmodi, Joannes Archiepiſcopus Rigenſis indigentias, quas tunc dicti Præpoſitus, & Capitulum patiebantur, paterna conſideratione penſantes, eisdem Præpoſito, & Capitulo, ut divinis melius poſſent vacare ſervitiis, nonnulla de bonis ad Epiſcopalem tunc Nicolai, & Archiepiſcopalem Joannis eorundem menſam Rigen. ſpectantibus pia largitione donarunt, & etiam aſſignarunt, ac poſtmodum Venerabilis Frater noſter VROMOLDUS Archiepiſcopus Rigenſis donationes, & aſſignationes prædictas ex certa ſcientia ratificavit, approbavit, & authoritate ordinaria confirmavit, prout in patentibus Literis inde confectis dictorum Epiſcopi, & Archiepiſcoporum Sigillis munitis, quarum tenores de verbo ad verbum præſentibus inſeri fecimus, plenius continetur. Hisque etiam præmiſſa petitio ſubiungebat, quod iidem Præpoſitus, & Capitulum huiusmodi bona eis donata, & aſſignata per quadraginta Annos, & ultra tenuerunt, & poſſederunt, prout tenent, & poſſident pacifice, & quiete. Quare pro parte ipſorum Præpoſiti, & Capituli fuit Nobis humiliter ſupplicatum, ut præmiſſis robur Apoſtolicæ

ANNO 1360. ſtolicæ firmitatis apponere cum ſupplectione defectuum, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur qui pie facta ut præmittitur Apoſtolico libenter favore proſequimur, huiusmodi ſupplicationibus inclinati, donationes, & aſſignationes præmiſſas ratas, & gratas habentes, illas authoritate Apoſtolica ex certa ſcientia confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus, ſupplentes omnem defectum, ſi quis intervenerit forſitan in eisdem. Tenores antedictarum Literarum tales ſunt. NICOLAUS Dei gratia Rigenſis Epiſcopus. Omnibus hoc ſcriptum inſpecturis in vero Salutari ſalutem. Quid eſt quod Propheta vidit animalia habentia oculos circum, & retro, niſi quod Prælati præſentibus, & futuris debent temporibus providere. Hinc eſt quod diligenti conſideratione præhabita perpendimus, quod in Lege ſcriptum eſt: . . . . oculis ſuis de publicis horreis fecit alimenta miniſtrare, Nos Eccleſiæ noſtræ, quæ hactenus laborabat in egeſtate adeo prævalida, quod panis Annis ſingulis eidem deficiebat, cum tamen ipſa ſit quaſi bos triturans, portans pondus diei, & æſtus, in his maxime quæ ad Dominum ſunt, & ſcriptum ſit, qui altari deſerviunt, de altari vivant, iurisdictionem temporalem, quam hactenus habuimus in tribus Villis videlicet *Lobgewa*, *Koltemaha*, *Jekeſeile*, in quibus ipſa Eccleſia decimas obtinebat, ipſi Eccleſiæ cum omni integritate, & iure quo ipſas poſſedimus conferimus poſſidendas perpetuo. Inſuper cedimus liti, quam habuimus hactenus ſuper quandam hæreditatem cuiusdam Livonis nomine Epelle, imo, & quod plus eſt, ſi iure competat Nobis præſcripta hæreditas, Eccleſiæ Donationis titulo liberaliter aſſignamus, ſive ſit in agris cultis, & incultis, paſcuis, piſcariis, arboribus mellifluis, pratis, & virgultis perpetuo poſſidendam. Et ne quisquam Succeſſorum noſtrorum hoc rationabile factum noſtrum valeat irritare, aſſerens, quod de iure non competebat Nobis menſam Epiſcopalem defraudare, præſenti ſcripto oppoſitioni eorum reſpondemus, quod multo plura bona de manu Laicorum redempta pecunia noſtra, quam ſecundum beneplacitum voluntatis noſtræ poteramus erogare, Menſæ addidimus Epiſcopali, ſicut luce clarius poterit demonſtrari. Præſens ſcriptum ergo noſtro Sigillo roboratum, contra malorum oppoſitiones, & ob labilitatem temporis, quæ oblivionem ſæpius inducit, Eccleſiæ noſtræ contulimus in munimen. Datum in Toreyda Anno Domini MCCLII. 11. Kalendas Septembris.

JOANNES miſeratione divina Sanctæ Rigenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus tertius. Univerſis Chriſti fidelibus tam præſentibus, quam futuris. Salutem, & benedictionem a Domino Jeſu Chriſto. Quæ manifeſta ſunt, & oculis ſubiecta fidelibus, non oportet multis narrationum probationibus explicare. Veritas enim ſibi ſufficit, & veritatis amica ſimplicitas, absque velamine prodit in publicum, ut ſimpliciter cognoſcatur. Manifeſtiſſimis igitur conſtat indiciis, quod Eccleſia noſtra Rigenſis, quæ prima extitit in plantatione fidei Chriſtianæ in partibus Livoniæ, & Eſtoniæ, aliisque Regionibus finitimis, veluti in fundamento fidei radicata, & fundata, quaſi titulus triumphalis finitimarum Gentium, poſita in ſublimi, ut ad eam tanquam ad Matrem reſpiciant, & ſolatium inveniant omnes in circuitu nationes. Conveniens eſt igitur, ut eam omnes ſublevent, & honorent, qui ab uberibus conſolationis eius tam temporaliter, quam ſpiritualiter cupiunt refoveri: nam per ſolatium eiusdem Eccleſiæ, mediante divina Clementia, propagata eſt fides Catholica, gentilitas Paganorum profligata, & ſuper omnia divinæ Religionis cultus in laudibus Creatoris, & Benedictæ Virginis frequentatur in ea, Propter quæ omnia, & alia eorum ſimilia, decet ipſam Eccleſiam congruis honoribus ampliare, & beneficiis attollere, ut ipſa poſſit benefactores ſuos attollere, & pro loco, & tempore beneficiis ſublimare. Hac igitur conſideratione permoti, ut quod aliis perſvademus, ipſi prompto animo faciamus, ad honorem Dei, & Glorioſæ Virginis Mariæ, in cuius honore iam dicta Eccleſia noſtra Cathedralis eſt conſtructa, Caſtrum dictum Dolen, ſitum in Inſula de Dolen cum omnibus pertinentiis ſuis, agris, pratis, paſcuis, arboribus melligeris, mediis piſcariis, nec non, & ipſius Inſulæ proprietatem, & temporale dominium cum plena iurisdictione civili, prout hæc omnia quondam Dominus Joannes de Dolen, & Progenitores ipſius poſſederant, & a Prædeceſſoribus noſtris Epiſcopis, & Archiepiſcopis in feudum tenuerant ab antiquo, & nunc Nobis vacantia, ſine iuris iniuria Capitulo noſtro provida deliberatione conferimus, & conferendo præſentis ſcripti patrocinio communimus, authoritate præſentium Præpoſitum dicti Capituli noſtri vice ipſius Capituli per noſtros fideles Vaſallos, ſcilicet Dominum Joannem de Ikeſkule, Valdemarum de Roſen, in corporalem poſſeſſionem mittentes, ac legitime inducentes, repreſentatis eidem clavibus dicti Caſtri. Sane ad hanc donationem facien- ANNO 1360.

ANNO 1360. faciendam eisdem, hoc Nos potiſſimum invitavit, quod propter frequentes hoſtiles incurſus, ad tantam inopiam pervenerant, & defectum, quod pro ſuis neceſſitatibus relevandis nequaquam eis facultates propriæ ſuffecerunt. Cum enim hæc omnia denuo in Laicum conferre licuerit, pro temporali ſervitio iure hæreditario perpetuo poſſidenda, multo fortius hæc noſtro licuit aſſignare Capitulo pro Nobis, & Succeſſoribus noſtris, indefeſſe ſpiritualibus armis die, ac nocte perpetuo pugnatura. Porro in hominibus noſtris, qui nec ſunt de dicto feudo, nec fuerunt, ac in hæreditatibus eorundem ubicunque conſiſtant iure noſtro per omnia Nobis ſalvo, medietatem piſcariæ totius, quæ ad dictum Caſtrum pertinere dinoſcitur, noſtris, & Succeſſorum noſtrorum uſibus reſervamus. Terrulam etiam, quæ Putilenæ dicitur, in Territorio illius Palen. quæ Vephemele nuncupatur, in agris cultis, & incultis, pratis, paſcuis, rivulis, piſcariis, melligeris arboribus, ſilvis, & virgultis plano, & buſcho, cum omnibus ſuis terminis ſicut Dominus Joannes de Dolen olim in feudo tenuerat, huic noſtræ Donationi addicimus, & Capitulo noſtro ſimiliter conferimus pleno iure. Cuius rei cauſa Præpoſitus, & Capitulum dederunt Nobis ad ſolutionem debitorum noſtrorum, quæ in Curia Romana pro noſtra confirmatione, & Pallio contraximus, centum Marcas. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtræ Donationis, vel confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire, ne indignationem Dei omnipotentis, & Beatæ Dei Genitricis Mariæ, cuius eſt ipſa Eccleſia, incurrere mereatur. Cunctis autem ſibi ſua iura ſervantibus ſit Pax, & gaudium, & communicatio Sancti Spiritus in Sæcula Sæculorum Amen. Teſtes ſunt, qui præſentes fuerunt Dominus Henricus Dunemunden. Dominus Joannes de Ikeſtule, Waldemarus de Roſen, Joannes filius Domini Alexandri, Joannes Pitkeni, Witſcelus, Jacobus Milites, & Vaſalli noſtri, Dominus Henricus de Oſtinch Dominus Svederus, Dominus Conradus, de Moren, Dominus Gerlacus gygas, Conſules Civitatis Rigenſis, & alii quam plures fide digni. Datum, & Actum in Eccleſia noſtra Rigenſi, Anno Incarnationis Dominicæ MCCLXXXVIII. Menſe Septembri Pontificatus noſtri Anno tertio. Quod initiatum antea fuerat, & promiſſum Romæ in Eccleſia Sanctæ Mariæ Virginis trans Tyberim, ad inſtantiam Prioris noſtri Joannis, & Lendene, qui Socii fuerant tunc noſtri itineris, & laboris. JOANNES miſeratione divina Sanctæ Rigenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus univerſis Sanctæ Matris Eccleſiæ filiis, ad quos præſens Scriptum pervenerit, in vero Salutari ſalutem. Cum dilecti Nobis in Chriſto Præpoſitus, & Capitulum noſtrum Rigenſe tanquam filii, & amici legitimi ſpecialiter ad Nos, & ad noſtram curam pertineant, ipſi quoque tanquam in Patrem Nos reſpiciant, & omnem merito materiam, & ſcrupulum amputare tenemur, quo inter Nos, & ipſos caritas mutari valeat, aut in indignatione ſuſcitari, quia non niſi in pacis pulchritudine rite colitur Author Pacis, & pro pace temporis, plerumque Pax perpetua, ac æternitatis quies pacifica procuratur. Conſiderantes igitur, quod quamvis in Inſula ſeu in Dominio Caſtri dicti Dolen, paucos uncos, & paucos homines teneamus, & tam Nos, quam noſtri Anteceſſores tenuimus ab antiquo, tamen cum iidem homines ad modicum fructum Nobis proſpiciant, & modicum proſpicere poterunt in futurum, ſed nihilominus lites, & contentiones cum eorum hominibus, unde noſtra Pax turbari poſſit, ſæpius habeantur, Nos de ſpeciali gratia non ſolum propter bonum Pacis ſervandæ, & ſcismata evitanda imo, & ob noſtram, ac noſtrorum, bonæ memoriæ Prædeceſſorum, ac Succeſſorum, perpetuam Memoriam, & Salutem, prædictos homines cum eorum poſſeſſionibus, & hæreditatibus ubicunq; fuerint in ipſa Inſula, ipſis in piam, ac gratioſam elemoſinam duximus conferendos, ſalvo tamen iure noſtro in Caſtro *Kencholme*, ſimiliter, & tertia parte hominum in eadem Inſula quotidie reſidentium, nec non medietate totius in Duna piſcariæ, quæ per mortem hominum in prætactis uncis reſidentium, quandoque vacare, & ad Nos, aut noſtros Succeſſores poterit pervenire. Sicut ergo memoratum Caſtrum Dolen, cum omnibus ſuis pertinentiis, villis, hominibus, poſſeſſionibus, terris cultis, & non cultis, aquis, & aquarum decurſibus, ſtagnis, ſylvis, arboribus melligeris, nemoribus, venationibus, montibus, planis, vallibus, iuſtitiis, & terminis, prout bonæ memoriæ Dominus Joannes de Dolen, ac noſtri homines memorati quiete, ac pacifice poſſederunt, medietate piſcariarum in Duna duntaxat excepta, prælibato Capitulo noſtro in donatione primitus facta, non totaliter, ſed ſine prætactis uncis dedimus, ſic, & nunc ex abundanti gratia totaliter, ac integraliter, & ex certa ſcientia noſtra damus, & præſentis Scripti patrocinio confirmamus. In cuius rei evidens teſtimonium huic Inſtrumento Sigillum noſtrum duximus apponendum. Actum in Civitate Rigenſi.

ANNO 1360.

ANNO 1360. Præsentibus Viris Venerabilibus Domino Erboro Præpoſito noſtro, Joanne Priore noſtro, & aliis pluribus de Conventu, Fratre Daniele Priore Fratrum Prædicatorum, & Socio ſuo Fratre Theodorico Gardiano Fratrum Minorum, & ſocio ſuo Domino Conrado Capellano noſtro, Fratre Evehardo Ordinis Theutonicorum Dapifero noſtro, & aliis quam pluribus fide dignis ad hoc ſpecialiter vocatis, & rogatis Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo CC. nonageſimo quarto in die Beatæ Agatæ Virginis, & Martyris, Pontificatus noſtri Anno nono. Vniverſis quorum viſum, ſeu auditum præſentia perſtrinxerit. VROMOLDUS permiſſione divina Archiepiſcopus Rigenſis ad perpetuam rei memoriam ſalutem in Domino ſempiternam. Paſtores tunc iudicantur Eccleſiaſticarum rerum fideles Diſpenſatores, cum eas in pios, atque neceſſarios uſus Fratrum, Eccleſis ſuis deſervientium laudabiliter convertunt, ne Miniſtrorum defectu cultus pereat divinus, & ipſæ Eccleſiæ deplorent incommoda ſuæ deformationis. Multa itaque olim recolendæ memoriæ Domini Nicolaus, antequam Eccleſia Rigenſis, in Metropolitanam erigeretur Epiſcopus, & Joannes poſt eius Erectionem tertius Archiepiſcopus Rigenſis, Prædeceſſores noſtri diſpenſationis pietate perluſtrati, idem Nicolaus iurisdictionem temporalem in Villis Jekeſelle, Colteſelle, & Langele, ac hæreditatem cuiusdam Livonis dicti Eypele, ad menſam ſuam ſpectantibus, & dictus Joannes primo Dolen Caſtrum ſitum in Inſula Dolen, cum omnibus pertinentiis ſuis, agris, pratis, paſcuis, arboribus melligeris, mediis piſcariis, nec non ipſius Inſulæ proprietatem, & Dominium cum plena iurisdictione Civili, ac Terram Putilene nuncupatam, ſitam in Terra Uppemele vulgariter nominata, in agris cultis, & incultis, pratis, paſcuis, rivulis, piſcariis, melligeris arboribus, ſilvis, & virgultis plano, & buſcho, cum omnibus ſuis terminis, reſervatis ſibi in Inſula præfata hominibus ſuis, qui de feudo infra ſcripto non fuerunt, ac hæreditatibus ſive uncis vel manſis eorundem, & tertia parte hominum ipſius Inſulæ, ſalvo etiam ſibi iure in Caſtro Kerholme, & medietate piſcariæ in Duna tunc vacantia, & ad eum legitime devoluta, prout hæc omnia quondam Dominus Joannes de Dolen, & Progenitores ſui poſſederant, & a Prædeceſſoribus noſtris Epiſcopis, & Archiepiſcopis in feudum tenuerant, ac deinde dictus Joannes Archiepiſcopus tum quia ipſe, & ſui Anteceſſores paucos uncos, & homines in Inſula, & Dominio Caſtrorum prædictorum habuerunt, tum quia iidem ſibi homines ad modicum fructum profecerunt, aut proficere potuerunt, & quod ipſi lites, & contentiones cum hominibus ſui Capituli Rigenſis, unde Pax turbabatur, habuerint, & ex aliis certis rationabilibus legitimis cauſis ipſum moventibus, cum poſſeſſionibus, & hæreditatibus eorundem hominum ubicunque exiſterent, tam in Inſula Dolen, quam ultra Dunam, etiam ius quod in dicto Caſtro Kercholme habuerant, retenta dundaxat medietate piſcariæ prædictæ, totaliter, & integraliter, ac ex certa ſcientia dicto Capitulo, tanquam egenti, & omnino indigenti ſucceſſive liberaliter donaverunt, ac in Ditionem dicti Capituli tranſtulerunt, per ipſum perpetuis temporibus irrefragabiliter poſſidenda, mittens dictus Dominus Joannes Prædeceſſor noſter ipſum in perſona tunc Praepoſiti Rigenſis, ac eundem Praepoſitum in perſona praedicti Capituli per quosdam Vaſallos, & fideles ſuos per traditionem clavium in poſſeſſionem Caſtrorum, & aliorum bonorum praedictorum, prout haec omnia in literis eorundem Praedeceſſorum ſuper hoc confectis latius continentur. Quodque memoratum Capitulum Rigenſe vigore Donationum, & miſſionis praedictarum, poſſeſſionem corporalem Caſtrorum, & omnium aliorum, & ſingulorum bonorum praedictorum apprehendit, ac legitime tenuit ſpatio quadraginta annorum, & ultra pacifice, & quiete, & adhuc tenet, & poſſidet ſine cuiusque moleſtatione, quemadmodum de omnibus, et ſingulis praemiſſis certam, et indubitatam notitiam habuimus, et habemus. Nos itaque attendentes Donationes, translationes, ac miſſiones praefatas per Epiſcopum, et Archiepiſcopum praedictos factas ex neceſſariis, et omnino iuſtis, et legitimis cauſis ipſos rationabiliter ad id inducentibus, ipſas, et quamlibet ipſarum approbantes ratificamus, et provida deliberatione praehabita concedimus, ac ex certa ſcientia eisdem Capitulo ad perpetuam roboris firmitatem confirmamus. Et quia triplex vinculum difficilius rumpitur, eorundem Praedeceſſorum noſtrorum veſtigiis inhaerentes, praemiſſa omnia, et ſingula bona, praemiſſo modo, et forma ſaepedicto Capitulo donata, et in ipſum translata, ſimiliter ſecundum eosdem modum, et formam ipſis donatariis ſive Capitulo noſtro Rigenſi antefato de novo conferimus, atque perpetuae Donationis, et Conceſſionis, et Collationis titulo transferimus in eosdem cum omnibus ſuppletionibus quomodolibet opportunis. Ut autem

ANNO 1360.

vetu-

Anno 1360. vetuſtas temporis non ingerat defectum probationis, praeſentes Literas noſtras ipſis dedimus noſtro pendenti Sigillo communitas, confectas ſuper omnibus antedictis, et expreſſis in perpetuum, & efficax teſtimonium eorundem. Datum, et Actum Avinione ad inſtantiam Venerabilis Viri Domini Arnoldi Eccleſiae Rigenſis Praepoſiti, ipſo a Nobis ſpecialiter, et ſine omni ſubreptione aut obreptione impetrante. Anno Domini 1355. Indictione ſeptima, die tertia Menſis Auguſti, Pontificatus noſtri Anno octavo. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrae Confirmationis, et ſuppletionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare praeſumpſerit indignationem Omnipotentis Dei, et Beatorum Petri, et Pauli Apoſtolorum eius ſe noverit incurſurum. Datum apud Villam novam Avinionen. Diaeceſis. XVI. Kalendas Septembris, Pontificatus noſtri Anno octavo.

XLIX.

STEPHANI *Arelatenſis Archiepiſcopi Executoris Sententiæ Franciſci Cardinalis Requiſitio, & Mandatum ad Crucigeros, de reddenda Archiepiſcopo Rigenſi intra dies triginta Civitate Rigenſi: cum Conſtitutione Subexecutorum ad ulteriorem Executionem. Ex Originali.*

Reverendis in Chriſto Patribus Dominis Dei Gratia Oſilienſi, Curonienſi, Sambienſi, Varmienſi, Pomezanienſi, et Culmenſi Epiſcopis, ac Religioſis Viris Magiſtro, Praeceptoribus, Commendatoribus, & Fratribus Hoſpitalis Beatæ Mariæ Theutonicorum Jeroſolimitan. per Livoniam conſtitutis, nec non Magiſtris Conſulibus, Juratis, Judicibus, ac univerſitati, & ſingulis perſonis Civitatis Rigen. ac omnibus, & ſingulis aliis, quorum intereſt, vel intereſſe poterit, & quos infraſcriptum tangit negotium, vel tangere poterit quomodolibet in futurum, tam coniunctim, quam diviſim, quibuscunque nominibus cenſeantur. STEPHANUS Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Sanctæ Arelatenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus Executor ad infraſcripta, una cum infraſcriptis Collegis noſtris cum illa clauſula *Quatenus Vos, vel duo, aut unus veſtrum per Vos, vel alium, ſeu alios, &c.* a Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatus, Salutem in Domino, & mandatis noſtris, imo verius Apoſtolicis firmiter obedire. Literas Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini noſtri Domini INNOCENTII divina Providentia Papæ VI. executorias cum cordula canapis, vera ipſius Domini noſtri Papæ bulla plumbea, more Romanæ Curiæ bullatas, ſanas, & integras, omni vitio, & ſuſpicione carentes, una cum unius diffinitivæ Sententiæ publico Inſtrumento, de quo in eisdem Literis Apoſtolicis ſpecialis, & expreſſa habetur mentio, Sigillo munito, non raſo, nec in aliqua ſui parte vitiato ut prima facie apparebat, Nobis pro parte Reverendi in Chriſto Patris Domini Vromoldi Archiepiſcopi Rigenſis, ac Venerabilium Virorum Dominorum Præpoſiti, & Capituli Eccleſiæ Rigenſis, præſentatas Nos cum ea qua decuit reverentia noveritis recepiſſe. Quarum quidem Literarum Apoſtolicarum principium dinoſcitur eſſe tale. INNOCENTIUS *Epiſcopus Servus Servorum Dei. Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopo Arelaten. & Aroſien. ac Tarbaten. Epiſcopis ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Petitio Venerabilis Fratris noſtri Vromoldi Archiepiſcopi Rigenſis, & dilectorum Filiorum Præpoſiti, & Capituli Eccleſiæ Rigenſis Nobis exhibita continebat, quod licet Civitas Rigenſis ad Archiepiſcopum Rigenſem, pro tempore exiſtentem, & Eccleſiam ſuam Rigenſem iure Dominii, vel quaſi, pertineret, prout pertinet, tamen Magiſter, Præceptores, Commendatores, & Fratres Hoſpitalis Beatæ Mariæ Theutonicorum Jeroſolimitani per Livoniam conſtituti, falſo aſſerentes prædictam Civitatem ad ſe pertinere, dictam Civitatem occuparunt, & detinuerunt, prout detinent indebite occupatam. Ortaque propterea inter Archiepiſcopum, Præpoſitum, & Capitulum ex parte una, ac Magiſtrum, Præceptores, Commendatores, & Fratres prædictos ſuper dicta Civitate ex altera, materia quæſtionis: Nos cauſam huiusmodi cum Partes ipſæ in Romana Curia præſentes exiſterent, dilecto Filio noſtro Franciſco tituli Sancti Marci Presbytero Cardinali, ad inſtantiam dictorum Magiſtri, Præceptorum, Commendatorum, & Fratrum audiendam ſimpliciter, & de plano, ac ſine ſtrepitu, & figura iudicii commiſimus, & fine debito terminandam, Coram quo Magiſtris Guilelmo Paris Archiepiſcopi. & Alberto Gutghemach Præpoſiti, & Capituli, ac Henrico Brinner Magiſtri, Præceptorum, Commendatorum, & Fratrum prædictorum Procuratoribus, quilibet eorum procuratorio nomine partis ſuæ in iudicio comparentibus, & per Guilelmum, & Albertum quondam, ac Henricum prædictos, pro parte ſua datis libellis, ac per eos lite in cauſa ipſa legitime conteſtata, ac in eiusdem Cardinalis præſentia de ca-*

ANNO 1360. *calumpnia, ac de veritate dicenda præſtitis iuramentiſ &c.* & ſic finitur. *Nos itaque ipſorum Archiepiſcopi, Præpoſiti, & Capituli ſupplicationibus inclinati, huiusmodi Sententiam utpote provide latam, ratam habentes, & gratam, eamque authoritate Apoſtolica confirmantes, Fraternitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus Vos, vel duo, aut unus veſtrum per Vos, vel alium, ſeu alios Sententiam ipſam, ſalvis tamen compoſitionibus, & declarationibus prædictis, executioni debitæ demandantes, eosdem Archiepiſcopum, Præpoſitum, & Capitulum in corporalem poſſeſſionem dictæ Civitatis Rigenſis, amotis exinde dictis Magiſtro, Præceptoribus, Commendatoribus, & Fratribus, inducatis authoritate noſtra, & defendatis inductos, facientes ſibi de ipſius Civitatis fructibus, & emolumentis ad Dominium dictæ Civitatis pro tempore pertinentibus, integre reſponderi, contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo. Datum Avinione decimo ſeptimo Calend. Aprilis Pontificatus noſtri Anno octavo.* Poſt quarum Literarum Apoſtolicarum, & Inſtrumenti prædicti præſentationem, & receptionem, Pars Dominorum Archiepiſcopi, Præpoſiti, & Capituli prædictorum, Nos cum inſtantia requiſivit, ut ad executionem ipſarum Literarum, & contentorum in eisdem procedere dignaremur, iuxta tenorem, & effectum earundem. Nos igitur STEPHANUS Archiepiſcopus, & executor præfatus volentes, ut tenemur, huiusmodi Mandatum Apoſtolicum Nobis in hac parte directum exequi reverenter, ſalvis compoſitionibus, & declarationibus in dictis Sententiæ, ac declarationum Inſtrumentis, & Literis Apoſtolicis expreſſatarum, Sententiam, Declarationes, Inſtrumenta, Literas, ac præſentes Proceſſus noſtros, & contenta in eis Vobis omnibus, & ſingulis intimamus, publicamus, inſinuamus, & notificamus, & ad veſtram notitiam deducimus, ac deduci volumus etiam per præſentes. Vosque Reverendos Patres Dominos Epiſcopos, & Religioſos Viros Magiſtrum, Præceptores, Commendatores, & Fratres Hoſpitalis prædicti per Livoniam conſtitutos, ac omnes, & ſingulos alios ſupradictos, quibus præſens noſter Proceſſus dirigitur, & quorum intereſt quomodolibet, & quos infraſcriptum tangit negotium quoquomodo authoritate Apoſtolica, qua fungimur in hac parte, tenore præſentium requirimus, & movemus coniunctim, vel diviſim, primo, ſecundo, & tertio, ac peremptorie, Vobisque nihilominus, & cuilibet veſtrum in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœnis infraſcriptis diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus intra triginta dies poſt præſentationem, publicationem, ſeu notificationem præſentium in Civitate Rigenſi, ut ſubicitur Vobis, ferias immediate ſequentes, quarum decem pro primo, decem pro ſecundo, & reliquos decem pro tertio, & peremptorio termino, ac monitione Canonica vobis, & veſtrum cuilibet tenore præſentium præfigimus, & etiam aſſignamus, Dominium dictæ Civitatis, & eius poſſeſſionem, ſeu quaſi, liberum, vacuum, & expeditum, ac liberam, vacuam, & expeditam, iuxta exigentiam, & effectum Sententiæ, & Literarum Apoſtolicarum prædictarum, ſalvis compoſitionibus, & declarationibus antedictis, quatenus, & prout ad Vos communiter, ſeu diviſim pertinet, penitus dimittatis, & obſtaculum quodcunque vobis poſſibile, quantum in vobis fuerit, amoventes prædictos Archiepiſcopum, & Eccleſiam Rigenſem, ſeu Procuratorem, ſive Procuratores ſuos pro eis, & ſuo nomine, quominus corporalem poſſeſſionem, ſeu quaſi, dictæ Civitatis Rigenſis, ſalvis tamen dictis compoſitionibus, & declarationibus, & contentis in Sententia, & Literis Apoſtolicis ſupradictis apprehendere, poſſidere, tenere, & continuare, plene, libere, ac expedite poſſint, de cætero non impediatis, nec impediri procuretis, ſeu faciatis per Vos, aut alios quovis modo, nec impedientibus, ſi qui fuerint, conſilium, auxilium, ſeu favorem, directe, ſeu indirecte, publice, vel occulte quomodolibet impendatis. Vos inſuper omnes, & ſingulos communiter, & diviſim primo, ſecundo, & tertio, ac peremptorie requirimus, & monemus, ac in virtute ſanctæ obedientiæ qua Sedi Apoſtolicæ eſtis adſtricti, & ſub pœnis infraſcriptis iniungimus, præcipimus, & mandamus, quatenus Archiepiſcopum, et Eccleſiam Rigenſem præfatos, ſeu Procuratorem, vel Procuratores ſuos pro eis, et eorum nomine, ad, et in poſſeſſionem, ſeu quaſi, dictæ Civitatis, et illorum, quæ ad Dominium eius ſpectant, ſalvis compoſitionibus, et declarationibus antedictis, absque difficultate, contradictione, ſeu oppoſitione quacunque, quatenus ad Vos communiter, vel diviſim attinet, et in vobis fuerit, ſaltim lapſis prædictis triginta diebus pacifice, plene, ac libere admittatis, ſibique de fructibus, et emolumentis quibuscunque ad Dominum dictæ Civitatis pro tempore exiſtentem, et eius Dominium pertinentibus, tam perceptis, quam percipiendis, iuxta dictarum Literarum Apoſtolicarum exigentiam, ac effectum, et non aliter, plene, et in-

ANNO 1360.

ANNO 1360. integre reſpondeatis, et reſponderi permittatis, ac etiam faciatis. Quibuscunque pactionibus, ſeu promiſſionibus contrariis, licet Juramentis vallatis, non obſtantibus, quæ omnino ceſſare debere decernimus, quatenus executioni præſenti poſſent quomodolibet obviare. Monemus itaque modo, et forma præmiſſis Vos, et veſtrum quemlibet ſpecialiter, et generaliter omnes, et ſingulos alios cuiuscunque dignitatis, præeminentiæ, ſtatus, gradus, ordinis, aut conditionis exiſtant, etiamſi Epiſcopali præfulgeant dignitate, ut præmiſſis omnibus, et mandatis noſtris, imo verius Apoſtolicis, prout fueritis, ſeu fuerint obligati, et aſtricti pareatis, et pareant cum effectu, et ne praefatis Dominis Archiepiſcopo, et Eccleſiae Rigenſi, ſeu eorum Procuratori, vel Procuratoribus in hac parte, quo minus corporalem poſſeſſionem dictae Civitatis Rigenſis cum fructibus, et emolumentis ad Dominium dictae Civitatis pro tempore quovis modo pertinentibus, integre, realiter, et pacifice, ut praemittitur, aſſequantur, praemiſſaque omnia, et ſingula, ut praemiſſa ſunt plenum, et debitum ſortiantur effectum, impedimentum, ſeu obſtaculum aliquod praeſtetis, ſeu praeſtent per Vos, aut eos, vel alium, ſeu alios directe, vel indirecte, aut clam, vel palam, ſeu ipſos Archiepiſcopum, et Eccleſiam Rigenſem in hac parte impedientibus detis, aut dent conſilium, auxilium aliquod, vel favorem etiam, ut praefertur. Alioquin in Vos Magiſtrum, Praeceptores, Commendatores, et Fratres praedictos, et omnes alios, et ſingulos ſupradictos, et monitos, qui culpabiles communiter, vel diviſim in praemiſſis, vel aliquo praemiſſorum fueritis, aut fuerint publice vel occulte, nec non in contradictores, et rebelles, ac ipſos Dominos Archiepiſcopum, et Eccleſiam, ſeu Procuratorem, vel Procuratores ſuos in hac parte impedientes ſuper praemiſſis in aliquo, ſeu eos etiam diviſim impedientibus dantes conſilium, auxilium, vel favorem quovis modo, et qui dictis monitionibus, et mandatis noſtris non paruerint cum effectu, ſingulariter in ſingulos praedicta canonica monitione praemiſſa, dictis Dominis Epiſcopis duntaxat exceptis, Excommunicationis Sententiam in his ſcriptis exnunc, prout extunc ferimus, et etiam promulgamus. Vobis vero Dominis Epiſcopis, quibus ob reverentiam Pontificalis dignitatis deferendum duximus in hac parte, ſi contra praemiſſa, vel aliquod praemiſſorum feceritis, quod abſit, per Vos, vel ſubmiſſam perſonam quoquomodo, praedicta triginta dierum canonica monitione praemiſſa, exnunc, prout extunc ingreſſum Eccleſiæ interdicimus in his ſcriptis. Et ſi huiusmodi Interdictum per duodecim dies, præfatos triginta immediate ſequentes ſuſtinueritis, vos eadem canonica monitione præmiſſa, in his ſcriptis ſuſpendimus a Divinis. Verum ſi præfatas Interdicti, & Suſpenſionis Sententias ultra per VI. dies, præfatos quadraginta duos dies immediate ſequentes ſuſtinueritis, quod abſit, animis induratis, Vos in his ſcriptis eadem monitione canonica præmiſſa, Excommunicationis Sententia Maiori innodamus, abſolutione omnium, & ſingulorum, qui ſupra, & infraſcriptas noſtras Sententias, vel earum aliquam quomodolibet incurrerint Nobis, vel Superiori noſtro Domino Romano Pontifici principaliter, & ſpecialiter tantummodo reſervata. Præfatas quoque Literas Apoſtolicas, & hunc noſtrum Proceſſum volumus penes dictos Dominos Archiepiſcopum, & Eccleſiam Rigenſem, ſeu eorum Procuratorem, vel Procuratores remanere, & non per Vos Magiſtrum, Præceptores, Commendatores, & Fratres Hoſpitalis prædicti, vel quemcunque alium contra ipſorum voluntatem detineri. Mandamus tamen eisdem, quatenus ſi eam habere volueritis, & petieritis, veſtris ſumptibus faciant copiam de præmiſſis. Cæterum cum, ad executionem præmiſſorum ulterius faciendam nequeamus ad præſens arduis noſtris, & Eccleſiæ noſtræ negotiis præpediti, perſonaliter intereſſe, Venerabilibus Viris in Valhena, & de Padis Ciſtercien. Ordinis, Tarbaten. & Revalien. dictorum Monaſteriorum Abbatibus, ac Tarbaten. & Oſilien. Eccleſiarum Præpoſitis, Decanis, Scholaſticis, Theſaurariis, & Cantoribus, ac Voldemaro de Roſis, Gherardo de Viſchenſen, Meynardo Mornelbeth, Joanni Las, Joanni Socye, Godfrido de Brahele, Joanni Varendorp, Tarbaten. ac Joanni Sternilebe, Andreæ Coſcul, Joanni Knochey, Bartholomeo de Enna, Nicolao Pruſs, & Godfrido Meſpel Oſilien. Eccleſiarum Canonicis, nec non Vniverſis, & Singulis Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Decanis, Archidiaconis, Theſaurariis, Cantoribus, Scholaſticis, Archipresbyteris, & aliis in quibuscunque dignitatibus, ſeu perſonatibus conſtitutis, nec non Cathedralium, & Collegiatarum Eccleſiarum Canonicis, Rectoribus, ſeu Vicerectoribus, perpetuis Vicariis, & earum, Presbyteris, & aliis Clericis Scholaribus, Provincialibus, Miniſtris, Prioribus, Prædicatorum, Auguſtinenſium, Carmelitarum, Guardianis Minorum Ordinum, nec non

ANNO 1360.

ANNO 1360. eorum loca tenentibus, Lectoribus, & omnibus dictorum, & quorumcunque aliorum Ordinum Religiosorum per Moguntinensem, Trevirensem, Coloniensem, Pragensem, Limdensem, Rigensem, Bremensem, Magdeburgensem, Saltzeburgensem, Tarbatensem, Osiliensem, Arosiensem, Lincopensem, Culmensem, Revaliensem, Pomesaniensem, Curoniensem, Varmiensem, Sambiensem, Caminensem, Vermiensem, Lubicensem, Reseburgensem, Mindensem, Verdensem, Hildesenensem, Halberstadensem, & Roscholdensem, Provincias, Civitates, & Diæceses, & aliis ubilibet constitutis, ac omnibus, & singulariter singulis, ad quos præsentes Literæ pervenerint, & qui cum Præsentibus nostris Processibus requisiti fuerint, quibus, & eorum cuilibet in solidum, & sic ut unus alium, seu excusationem aliquam non expectet, nec melior sit conditio occupantis, sed quod per unum, seu alterum eorum inchoatum seu inceptum fuerit, alius libere prosequi valeat, & finire super ulteriori executione dicti Mandati Apostolici, Nobis ut præfertur commissi, tenore Præsentium committimus Vices nostras, donec eas ad Nos duxerimus revocandas, ipsisque, & eorum cuilibet sub Excommunicationis pæna, quam in ipsos, & ipsorum quemlibet trina dierum Canonica monitione præmissa ferimus in his Scriptis, nisi fecerint quod mandamus, quatenus receptis, & visis his nostris Processibus, ac postquam, & prout ab ipsis Dominis Archiepiscopo, & Ecclesia Rigensi vel eorum Procuratore, vel Procuratoribus requisitus, vel requisiti extiterint, ad Vos Magistrum, Præceptores, Commendatores, & Fratres Hospitalis prædicti, & alios supradictos, & ad dictam Civitatem Rigensem, & alibi ubi expediens fuerit personaliter accedant, vel accedat, dictasque Literas Apostolicas, Sententiæ Diffinitivae Instrumentum, & hunc nostrum Processum, omniaque, & singula in eis contenta, dictis Magistro, Præceptoribus, Commendatoribus, & Fratribus Hospitalis prædicti, et quibuslibet aliis, quorum interesse poterit, ex abundanti notificent, denuntient, legant, insinuent, et publicari procurent, et exponant, intelligibiliter, si opus fuerit, etiam in vulgari, et taliter quod ad notitiam omnium, et singulorum prædictorum, et quorum interierit, possint, et debeant verisimiliter pervenire, ac eosdem Dominos Archiepiscopum, et Ecclesiam Rigensem, seu Procuratorem, vel Procuratores suos prædictos eorum nominibus, et pro eis, in, et ad corporalem possessionem, seu quasi, dictæ Civitatis, ratione Dominii supradicti, salvis semper compositionibus, et declarationibus supradictis, præmissorum triginta dierum spatio lapso indilate inducant, et tueantur inductos, amotis ab eisdem dictis Magistro, Præceptoribus, Commendatoribus, et Fratribus Hospitalis prædicti, et quolibet alio detentore, quem, et quos etiam tenore Præsentium quantum possumus, amovemus et denuntiamus etiam divisim amotos, facientes eisdem Archiepiscopo, et Ecclesiæ Rigensi de fructibus, et emolumentis prædictis ad Dominium dictæ Civitatis pertinentibus, compositionibus, ordinationibus, et declarationibus de quibus supra fuit mentio semper salvis, et iuxta earum Literarum Apostolicarum exigentiam, et effectum, plenarie satis fieri, et integre responderi. Et nihilominus omnia, et singula Nobis in hac parte commissa, plenarie exequantur, iuxta traditam, seu directam a Sede Apostolica Nobis Formam, et effectum Mandati prædicti. Ita tamen quod in præiudicium dictorum Dominorum Archiepiscopi, et Ecclesiæ Rigensis differendo, absolvendo, vel suspendendo, seu quidquam aliud faciendo, circa Sententias prædictas per Nos latas nihil valeant immutare, potestatisque Nobis in hac parte commissæ terminos non excedant. Per præsentem vero nostrum processum nolumus, nec intendimus nostris in aliquo præiudicare Collegis in hac parte, quominus ipsi, vel eorum alter servato tamen hoc nostro Processu, possint, seu possit in ipso negotio procedere, prout ipsis, vel eorum alteri visum fuerit expedire. In quorum omnium fidem, et testimonium praemissorum, praesens publicum Instrumentum, nostrum Processum huiusmodi continens, per Notarium Publicum infrascriptum scribi, et publicari mandavimus, et sigilli nostri appensione fecimus communiri. Actum, et Datum infra Fortalitium Castri nostri Sellonensis, nostrae Arelaten. Diœcesis, Anno a Nativitate Domini millesimo trecentesimo sexagesimo. Indictione XIII. Mensis Augusti die vicesima quinta. Pontificatus praefati Domini nostri INNOCENTII Papae VI. Anno octavo. Praesentibus Venerabilibus Viris, Dominis Ghislberto de Ricnen. Praepositо Vestfrisiae in Ecclesia Traiectensi. Petro Gaydelli Archidiacono de Montibus in Ecclesia Tridentina, Stephano Fabri Canonico Columbrensi, et Bernardo de Hanacho Priore de Sadone, ac Bernardo de Surno Rectore Parochialis Ecclesiae de Granis, Avinionensis, et Arelatensis Diaecesis, testibus ad praemissa vocatis, specialiter, et ro-

Anno 1360. rogatis, & dilectorum filiorum Præpositi, & Capituli Ecclesiæ Rigensis. Actum, & Datum ut supra.

Et Ego Joannes Dubricti de Mandris Clericus Lingonen. Diæcesis publicus Apostolica, & Imperiali authoritatibus Notarius prædictis Literarum Apostolicarum, & Instrumenti Sententiæ, de quibus superius fuit mentio, Præsentationi, Requisitioni, Mandatis, Præceptis, Decretis Sententiarum promulgationibus, Commissionibus, omnibusque aliis, & singulis suprascriptis dum sic, ut præmittitur, agerentur, & fierent una cum prænominatis Testibus præsens interfui, easque manu mea propria, de mandato, & authoritate dicti Domini Executoris scripsi, publicavi, & in hanc Formam publicam redegi, signoque meo consveto una cum appensione magni Pontificalis Sigilli dicti Domini Executoris signavi, requisitus, & rogatus in fidem, & testimonium omnium, & singulorum præmissorum, & *dilectorum filiorum Præpositi, & Capituli Ecclesiæ Rigen.* superius in linea per me dictum Notarium non vitio, sed errore obmissas, approbo, & per quoscunque approbari volo.

L.

1361. *Sententia ex Commissione Apostolica lata de Appellationibus Ordinis, a gravaminibus Processuum Archiepiscopi Arelatensis, Executoris Sententiæ de reddenda Archiepiscopo Rigensi Civitate Rigensi. Ex Originali.*

In Nomine Domini Amen.

Pridem Sanctissimus Pater, & Dominus noster, Dominus Innocentius Digna Dei Providentia Papa VI. causam, & causas Appellationis, seu Appellationum pro parte Religiosorum Virorum Magistri, Præceptorum, Commendatorum, & Fratrum Hospitalis Beatæ Mariæ Teutonicorum Jerosolimitanorum in Livonia, ut dicebatur in casu, quo eorum Procurator de iure potuerat appellare, interpositarum, a quibusdam gravaminibus eis, ut pretendebat illatis, ac excessivis Processibus Censuras Ecclesiasticas continentibus, nullis, & alias iniquis, & iniustis, per Reverendum Patrem Dominum Archiepiscopum Arelatensem, dicentem se Executorem cuiusdam diffinitivæ Sententiæ, per Reverendissimum Patrem Dominum Franciscum tituli Sancti Marci Presbyterum Cardinalem, in causa, quæ coram ipso vertebatur, inter Reverendum Patrem Dominum Uromoldum Archiepiscopum, Præpositum, & Capitulum Ecclesiæ Rigensis ex parte una, & dictos Religiosos de, & super Civitate Rigensi, & bonis inibi positis, & eorum occasione, ex altera, latæ, a Sede Apostolica deputatum, ad instantiam dictorum Dominorum Archiepiscopi, & Capituli, præter, & contra, & ultra, ut pretendebatur Formam, & fines Mandati, ac dictæ Sententiæ tenorem, ac fines Apostolici Mandati extendendo, & alias indebite, & de facto scriptis, & factis, atque publicari mandatis, quatenus Religiosos præfatos, imo etiam nullitatis, iniquitatis, & iniustitiæ ipsorum Processuum ad ipsorum Religiosorum Procuratorum instantiam Nobis Simoni de Sudbiria Legum Doctori, Cancellario Ecclesiæ Saresbirien sis, eiusdem Domini Papæ Capellano, suique Sacri Apostolici Palatii causarum Auditori, audiendas, & decidendas commisit, ac fine debito terminandas, cum suis dependentibus, emergentibus, & annexis, maxime tamen ut Partes prædictæ saltem per Procuratores in Romana Curia præsentes existerent. Cuius vigore Commissionis Nos ad Magistrum Volradi Luttekenborch Domini Archiepiscopi Rigensis, & Lamberti de Orsoy Magistri, Præceptorum, Commendatorum, & Fratrum Hospitalis Beatæ Mariæ Theutonicorum Jerosolimitanorum, principalium prædictorum, in supratacta Nobis facta Commissione descriptorum, ac in Romana Curia Procuratorum, de quorum mandatis per legitima Nobis constitit Documenta, propter hæc coram Nobis constitutorum instantiam, Magistrum Albertum Sudgemach in prædicta Curia, ac Dominorum Præpositi, & Capituli Ecclesiæ Rigensis prædictæ in eadem Nobis facta Commissione, principaliter descriptorum, ut dicebatur Procuratorem, personaliter apprehensum ad dicendum, opponendum, ac etiam allegandum quidquam contra prætactam Nobis factam Commissionem dicere, opponere, seu etiam allegare vellet, verbo, aut in scriptis, imo ad producendum omnia, & singula, quæ pro informatione nostra producere vellet, per certum suprascripti Domini Papæ Cursorem citari mandavimus, & fecimus, ad certum peremptorium terminum competentem. In quo quidem termino Magistris Alberto Sudge-

Anno 1361.

ANNO 1361. Sudgemach in Romana Curia, ac Dominorum Præpoſiti, & Capituli Eccleſiæ Rigenſis principalium ſupraſcriptorum ex una, ac Volrado Luttekenborch Archiepiſcopi ex alia, & Lamberto de Orſoy Procuratoribus ſupraſcriptis parte ex tertia, nominibus, quibus ſupra, coram Nobis in Judicio comparentibus, & prædictis Magiſtris Volrado, & Alberto Procuratoribus contra prænotatam Nobis factam Commiſſionem quasdam exceptiones verbotenus proferentibus, & nihilominus ipſo Alberto, & Magiſtris Volrado, & Lamberto Procuratoribus anteſcriptis, quædam iura ad informationem noſtram, ad ſatisfaciendum eidem termino, pro partibus ſuis producentibus, & poſtea per Procuratores præfatos ſuper appellatione per præfatum Magiſtrum Lambertum Procuratorem interpoſita, & exhibita, ac Proceſſu in huiusmodi cauſa facto, & habito, ex eisdem Actis impugnato, & iuſtificato, ut eſt moris, Nos illico Procuratoribus ſupraſcriptis coram Nobis iudicialiter conſtitutis, & intelligentibus ad dicendum, & opponendum quidquam contra prætacta, hinc inde pro informatione noſtra exhibita Munimenta, ſive iura, dicere, ſeu etiam opponere vellent verbo, aut in ſcriptis, tertium peremptorium duximus aſſignandum; in quo per quemlibet Procuratorum eorundem coram Nobis propter hæc, nomine, quo ſupra, in iudicio comparentem, ad ſatisfaciendum eidem termino pro parte ſua, contra ex adverſo exhibita Munimenta quibusdam in ſcriptis exhibitis Exceptoribus, & poſtea aliquali inter Partes prædictas continuato proceſſu, & per Magiſtrum Volradum Procuratorem prælibatum coram Nobis conſtitutum, quod de fructibus in Executoria prædicti proceſſus contentis, contentari vellet, proteſtato; tandem Nos ad prædicti Volradi Procuratoris inſtantiam ſibi, & Magiſtro Alberto, Procuratoribus ſupraſcriptis, coram Nobis iudicialiter conſtitutis, & intelligentibus ad audiendum voluntatem, ſeu pronuntiationem ſuper appellatione, & proceſſibus ſupradictis, terminum peremptorium præfiximus, & Magiſtrum Lambertum de Orſoy Procuratorem prælibatum per certum ſupradicti Domini Papæ Curſorem ad idem citari peremptorie mandavimus, & fecimus ad hanc diem infraſcriptam. Qua quidem die infraſcripta adveniente, & Magiſtris Volrado Luttekenborch ex una, & Alberto Sudgemach ex altera, ac Lamberto de Orſoy Procuratoribus ſupraſcriptis nominibus, quibus ſupra, coram Nobis in iudicio comparentibus, ex parte tertia, ipſi Procuratores nomine quo ſupra, voluntatem noſtram ſuper appellatione, & Proceſſibus prædictis ſe obtulerunt audituros, & per Nos ſuper eis pronuntiari cum inſtantia poſtularunt, Nos igitur Simon de Sudbiria Auditor præfatus, viſis, & diligenter inſpectis Proceſſibus, & appellatione prædictis, et Actis in huiusmodi cauſa acticatis, et habitis, ipſisque cum diligentia debita recenſitis, factaque de his omnibus, et ſingulis Sacri Apoſtolici Palatii cauſarum Coauditoribus noſtris relatione plenaria, et fideli, et intra Nos matura deliberatione prahabita, atque diligenti, per ea, quæ audivimus, et cognovimus, et quæ nunc etiam cognoſcimus, et videmus, Chriſti Nomine invocato, pro Tribunali ſedentes, habentes præ oculis ſolum Deum, de Coauditorum noſtrorum conſilio, interloquendo pronuntiamus, ordinamus, et declaramus quod prædicti proceſſus Reverendi Patris Domini Archiepiſcopi Arelatentis, Executoris prædictae Sententiae Diffinitivae, latae per Reverendum Patrem Dominum Franciſcum tituli Sancti Marci Presbyterum Cardinalem, inter Dominos Archiepiſcopum, Præpoſitum, & Capitulum Rigenſe ex parte una, & Magiſtrum, Præceptores, Commendatores, & Fratres Hoſpitalis Beatæ Mariæ Theutonicorum Jeroſolimitanorum per Livoniam conſtitutos, ex parte altera, ſuper Dominio dictæ Civitatis Rigenſis, & aliis in ea contentis, remaneat, & ſtet ſub Forma, ſub qua factus, & conceptus eſt, exceptis verbis infra ſcriptis, quæ volumus, & ordinamus ſubduci, & abradi de dicto proceſſu. Videlicet: in verſiculo ipſius proceſſus, *ſibique de fructibus &c.* tollantur verba: *tam perceptis, quam percipiendis*, poſita inter verbum: *pertinentibus*, & verba: *iuxta dictarum &c.* Item verba: *ac etiam faciatis*, & clauſula ſequens: *quibuscunque pactionibus &c.* usque ad verſiculum *monemus &c.* tollantur. Et ſi qui proceſſus facti ſunt vigore dictorum verborum ſic ſubductorum, eos in hac parte, & non ultra caſſamus, & revocamus & quidquid ob id ſecutum fuit decernimus nullius eſſe efficaciæ vel momenti. Quo autem ad omnia alia in dictis Proceſſibus contenta, decernimus, dictos Proceſſus valere, & quidquid ex eis ſecutum eſt, plenarium debere ſortiri effectum: condempnationem expenſarum omittentes, ex cauſa, qua per Nos facta Pronuntiatione, ſeu Declaratione, Nos in continenti totum ipſum Executionis negotium ad Dominum Arelatenſem Archiepiſcopum Executorem præfatum, & ſuos Collegas

ANNO 1361.

ad

Anno 1361. ad hæc deputatos, ſive deputandos ab eisdem, ſeu altero eorundem Subdelegatorum remiſimus, & etiam præſentibus remittimus ulterius exequendum, de, & ſuper quibus omnibus, & ſingulis ſuprascriptis iidem Magiſtri Volradus, & Albertus Procuratores petierunt ſibi nomine, quo ſupra, fieri publicum Inſtrumentum. In quorum omnium, & ſingulorum teſtimonium, præſentes noſtræ Pronuntiationis, ſeu Declarationis Literas, ſeu præſens publicum Inſtrumentum, huiusmodi noſtram Pronuntiationem continens, per Joannem de Stekeneyloud Clericum Norvicenſis Diæceſis, Notarium publicum, noſtrumque, & prædictæ cauſæ Scribam infraſcriptum ſubſcribi, & publicari mandavimus, & noſtri Sigilli fecimus appenſione muniri. Facta fuit Pronuntiatio, ſeu Declaratio ſupraſcripta per Nos Simonem de Sudbiria Auditorem præfatum Avinionenſem, in Palatio Cauſarum Apoſtolico, Nobis ibidem mane hora tertiarum ad iura reddendum in loco noſtro ſolito, pro Tribunali ſedentibus, ſub Anno a Nativitate Domini milleſimo trecenteſimo ſexageſimo primo. Indictione decima quarta. Die Veneris viceſima ſexta Menſis Februarii, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini noſtri, Domini Innocentii digna Dei Providentia Papæ VI. prædicti, Anno nono. Præſentibus diſcretis Viris: Magiſtro Regero Wy: & Roberto Palmeri, Clericis, Notariis publicis, & Scribis noſtris, teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter, & rogatis.

Et Ego de Skokeneylond Clericus Woynicenſis Diæceſis, publicus Apoſtolica auctoritate Notarius, prædictique Venerabilis, & circumſpecti Viri, Domini Simonis Auditoris, & præmiſſæ cauſæ Scriba, prædictis omnibus, & ſingulis, dum ſic per dictum Dominum Simonem Auditorem coram eo agerentur, & fierent, una cum prænominatis teſtibus præſens interfui, eaque ſic fieri vidi, & audivi, ac aliis occupatus negotiis, per alium ſcribi feci, de Mandato, & auctoritate Domini Auditoris præfati me ſubſcripſi, & publicari, ſignoque meo ſolito, una cum appenſione Sigilli ipſius Domini Auditoris ſignavi, rogatus in teſtimonium omnium præmiſſorum.

LI.

Interdictum in Civitatem Rigenſem, ob non admiſſam Poſſeſſionem Archiepiſcopi Rigenſis, per Joannem Decanum Lubicenſem Subexecutorem Mandati Apoſtolici latum. Ex Originali. Anno 1361.

Joannes Decanus Lubicenſis, Subexecutor ad infra ſcripta a Reverendo Patre Domino Stephano Arelatenſi Archiepiſcopo, Authoritate Apoſtolica deputatus. Venerabilibus Viris Dominis Præpoſito, & Capitulo Rigenſi, ac univerſis, & ſingulis Rectoribus, ſeu Vicerectoribus, Eccleſiarum perpetuis Vicariis, Presbyteris, & Clericis Civitatis Rigenſis, Salutem in Domino, & Mandatis Apoſtolicis firmiter obedire. Nuper Diffinitiva Sententia pro parte Dominorum Archiepiſcopi, Præpoſiti, & Capituli Eccleſiæ Rigenſis in Romana Curia ſuper Dominio Civitatis Rigenſis lata, idem Dominus Archiepiſcopus Arelatenſis ſuper dicta Sententia auctoritate Apoſtolica Executor deputatus, certos Proceſſus fecit, Excommunicationis ſententiam, & alias Cenſuras Eccleſiaſticas continentes, contra Magiſtrum, & Fratres Ordinis Beatæ Mariæ Theutonicorum in Livonia, occupatores dictæ Civitatis, ac omnes alios, & ſingulos Sententiæ huius, & mandatorum Apoſtolicorum, & proceſſuum ſuorum contradictores, & rebelles, dictis Magiſtro, & Fratribus, & nonnullis aliis contradictoribus, & rebellibus mandatorum, & Proceſſuum prædictorum, per honorabilem Virum Dominum Joannem Praepoſitum Oſilienſem Subexecutorem ad hoc deputatum, ſub paenis dictorum Proceſſuum, quod Dominium dictae Civitatis, & poſſeſſionem ipſius vacuum, et vacuam libere dimitterent poſſidendum, et poſſidendam per Archiepiſcopum, & Eccleſiam ſupradictam, monitis, et requiſitis. Ipſi tamen Magiſter, et Fratres, et rebelles praedicti, non obſtantibus praemiſſis, Dominium dictae Civitatis, et ipſius poſſeſſionem non dimiſerunt, nec dimittunt, ſaltim realiter, ſed ipſum, et ipſam tenent, et occupant prout ante Sententiam huiusmodi tenuerunt, et occuparunt minus debite, et iniuſte, Excommunicationis ſententiam in dictis Proceſſibus latam dampnabiliter incurrendo, et ipſam pertinaciter ſuſtinendo in animarum ſuarum periculum, et ſcandalum fidelium plurimorum, et praedictorum Archiepiſcopi, et Eccleſiae Rigenſis praeiudicium, et gravamen. Et quod deterius eſt, Magiſter, et Fratres praedicti, ut Dominium, et poſſeſſionem praedictam ſub quodam exquiſito colore diutius occupare valeant, et ut Archiepiſcopus, et Eccleſia Rigenſis praedictae, per lites exterminaretur immortales, ſubmiſerunt, et ſubmittunt

ANNO 1361. tunt in litem, et cauſam huiusmodi, et in, et ad locum ſuum vi, et potentia Proconſules, Conſules, Cives, et Univerſitatem Civitatis praedictae, per longa tempora, et ad praeſens poſſeſſos per Magiſtrum, et Fratres ſaepefatos, qui ſic ſubmiſſi ut praemittitur ſuſcitando novam litem, imo verius, litem, et cauſam Magiſtri, et Fratrum praedictorum continuando ad effectum praedictum, aſſerunt licet falſo, et calumpnioſe Dominium, et Civitatem praedictam ad ſe ſpectare, et pertinere, et ſe fuiſſe, et eſſe in poſſeſſione libertatis, quod notorie falſum eſt, et ad experientiam contrarium apparet, eo quod Magiſter, et Fratres praedicti, ipſos Proconſules, Conſules, et Cives per triginta annos, et ultra poſſeſſos tenuerunt, et tenent, et ipſi poſſeſſi a dicto tempore citra continue fuerunt, et ſunt, licet de facto, in ſervitute, et ſub poteſtate Magiſtri, et Fratrum praedictorum. Tandem eodem Praepoſito Oſilienſi Subexecutore propter metum, et potentiam ſubmiſſorum huiusmodi, ab ulteriori executione praeſentis negotii ſe excuſante: Nos Joannes Decanus praefatus ſuper hoc legitime requiſiti, propter ſubmiſſionem, et calumpniam notoriam huiusmodi, ut rebelles praedicti citius ad unionem Sanctiſſimae Matris Eccleſiae redirent, et Mandatis Apoſtolicis parerent, certos etiam Proceſſus fecimus, pro executione Sententiae memoratae, quorum tenorem propter ipſorum prolixitatem hic obmiſimus inſerendum, licet tam Proceſſus iſti, quam alii praedicti, in nullo profuerunt, nec proſunt; pro quo Sententia ipſa lata eſt: Rebellibus ipſis etiam in Excommunicationis Sententia, pertinacia, contumacia, et offenſa manifeſta, contra iuſtitiam, et in eluſionem Mandatorum Apoſtolicae Sedis, perdurantibus animo indurato, ſuper quibus etiam requiſiti fuimus, ut de remedio opportuno ſuper hoc providere dignaremur. Nos conſiderantes quod parum vel nihil prodeſt Parti pro ſe ferre, et obtinere Diffinitivam Sententiam, niſi Executioni debitae mandaretur, volentes ut tenemur, ex Mandato Nobis facto, ad Executionem ulteriorem procedere Sententiae memoratae, videntes etiam conſonum eſſe rationi, quod creſcente contumacia, creſcere debet et paena, et quod propter delictum occupantis, occupati puniuntur propter praemiſſa, et ipſorum occaſione in praedictam Civitatem Rigenſem Sententiam Interdicti ferimus in his ſcriptis, et ipſam Eccleſiaſtico ſubponimus Interdicto. Quare Vobis Univerſis, et Singulis praedictis, in virtute Sanctae Obedientiae, et ſub Excommunicationis paena, quam in vos, et veſtrum quemlibet canonica monitione praemiſſa ferimus in his ſcriptis, niſi Mandatis noſtris parueritis, diſtricte praecipiendo mandamus, quatenus in dicta Civitate Rigenſi ceſſetis a divinis officiis, nec ibidem celebretis, niſi ſicut a iure permittitur, donec a nobis, vel Superiori noſtro aliud habueritis in Mandatis. In quorum omnium, et ſingulorum teſtimonium praeſentes Literas fieri fecimus, et noſtri Sigilli appenſione muniri. Datum, et Actum in Civitate Lubicenſi in domo habitationis noſtrae, ſub Anno a Nativitate Domini milleſimo trecenteſimo ſexageſimo primo. Indictione decimaquarta. Menſis Novembris vigeſima ſexta, hora veſperarum, vel quaſi, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, ac Domini noſtri, Domini INNOCENTII Divina Providentia Papae VI. Anno nono. Praeſentibus diſcretis Viris Dominis Joanne Crimenſi, perpetuo Vicario Eccleſiae Bremenſis, Henrico Naghenborne, et Henrico de Baard Clericis, et Notariis publicis Moguntinis, Elbermenſis Dioeceſis, teſtibus ad praemiſſa vocatis ſpecialiter, et rogatis. ANNO 1361.

LII.

Literæ UROMOLDI *Archiepiſcopi Rigenſis, quibus Inſulam Oſtinhuſen Capitulo ſuo certis conditionibus donat. Ex Archivo Magni Ducatus Litvaniæ.* 1362.

UROMOLDUS miſeratione divina Eccleſiæ Rigenſis Archiepiſcopus. Univerſis, & ſingulis ad quos præſentes Literæ pervenerint, Salutem in Domino ſempiternam. Tenore præſentium recognoſcimus. Quod ad perpetuam Vicariam in honorem Sancti Ivonis in Eccleſia noſtra olim a Reverendo in Chriſto Patre Domino Enghelberto Anteceſſore noſtro piæ memoriæ inſtitutam, Venerabili Capitulo noſtro Rigenſi Inſulam Oſtinhuſen Holme nuncupatam ad Nos, & Eccleſiam noſtram legaliter devolutam, quam quondam Henricus Oſtinhuſen eius ultimus Poſſeſſor, qui absque hærede deceſſit, in Feudum ab Eccleſia noſtra tenuerat, dimiſimus cum omni iurisdictione, & iure temporali in agris, pratis paſcuis, ac ſua parte gurguſtii, ac omnibus aliis fructibus, & pertinentiis ſuis, quæ ad Prædeceſſorem defunctum, dum in humanis ageret, pertinebant, pro prædicta Vicaria libere, & quiete perpetuo poſſidendam, ita videlicet quod idem Capitulum Vicario perpetuo ibidem offician-

Anno cianti, ſingulis annis octo Marcas Ri-
1362. genſes, Marcam pro triginta ſex Solidis Lubicenſibus computando, quarum quatuor in Nativitatis Chriſti, & reliquas quatuor in Pentecoſtes Feſtis, ac duas in Anniverſario dicti quondam Reverendi Patris Domini Enghelberti, pro ipſius memoria, Canonicis duplum, Vicariis vero ſimplum, qui vigiliis Miſſæ, ac commendationi interfuerint plene, & integraliter ſolvere, & diſtribuere teneantur. Conditione tamen adiecta, quod ſi idem Capitulum prædictas decem Marcas præmiſſo modo perſolvendas, plene, & integraliter per unum Annum non perſolvet, quod abſit, extunc dicta Inſula cum omnibus pertinentiis ſuis ad Nos, & Succeſſores noſtros, libere revertatur, ſic tamen quod ex proventibus dictæ Inſulæ ſingulis Annis decem Marcæ Rigenſes ad uſus prædictos, ut præmittitur, per Nos, & Succeſſores noſtros plene exolvantur. Collationem vero dictæ Vicariæ ad Nos, & Succeſſores noſtros ſæpedictos perpetuis volumus temporibus pertinere. In cuius rei evidens teſtimonium Sigillum noſtrum duximus apponendum. Datum, & Actum Lubeke in hoſpitio habitationis noſtræ, ſub Anno a Nativitate Domini milleſimo trecenteſimo ſexageſimo ſecundo. Menſis Julii die viceſima. Præſentibus Venerabili Viro Domino Bernardino Beren, Canonico Lubicenſi ac diſcretis Viris Dominis Hildebrando de Longhede perpetuo Vicario Eccleſiæ Lubicenſis, & Nicolao de Sternenberch Presbytero, Petro Plalben. Friderico Beyerm. & Valdemaro de Vishuſen Laicis, & Vaſallis noſtris dilectis.

LIII.

1364. *Tranſumptum Literarum* Alberti *Epiſcopi Rigenſis Commutationis Ordinis Eccleſiæ Rigenſis, in Ordinem Premonſtratenſium, ſub titulo, & Sigillo Joannis Epiſcopi Tarbatenſis. Ex Origin.*

Univerſis Chriſti fidelibus ad quos infraſcripta pervenient. Joannes Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Tharbatenſis ſalutem in Domino, & felicitatis incremento rei geſtæ veritatem. Pateat præſentibus evidentius, quod Honorabilis Vir Dominus Syfridus Blommebergh Canonicus, & Procurator Honorabilium Virorum Dominorum Arnoldi Præpoſiti, & Laurentii Procuratoris totiusque Capituli Sanctæ Rigenſis Eccleſiæ Nuntius ſpecialis, prout in Literis patentibus vidimus aperte contineri: Coram Nobis, & Venerabilibus Viris Dominis pro teſtimonio ad hæc vocatis, & inferius nominatis, perſonaliter, & procuratorio nomine conſtitutus, quasdam patentes literas ſuper plantatione Religionis Eccleſiæ Rigenſis, ſeu commutatione in Ordinem Premonſtratenſem, confectas, Sigillo pendenti rotundo de cera viridi ex utraque parte ſigillatas, in cuius medio imago Epiſcopi Pontificalibus induti in Cathedra ſedentis, dextram manum erigentis ad benedicendum, & in ſiniſtra baculum tenentis paſtoralem, ut verius apparebat, & Literæ circumferentiales habebantur in hunc modum: Albertus *Dei gratia Livonienſis Epiſcopus*: Non cancellatas, non abolitas, non raſas, nec in aliqua ſui parte vitiatas, ſed omni prorſus vitio, & ſuſpicione carentes, Nobis prout a prædictis Dominis Præpoſito, & Capitulo in Mandatis habuit, realiter præſentavit. Qui quidem Procurator procuratorio nomine Nobis humiliter, & cum inſtantia debita ſupplicavit, ut easdem Literas ab eo recipere, legere, examinare, & auſcultare in ſui, & ſuorum Dominorum prædictorum utilitatem, & favorem, ſibique propter diverſa viarum pericula, ad perpetuam rei memoriam legale Tranſumptum, & Exemplar authenticum cum interpoſitione noſtri Decreti, & auctoritate ordinaria fieri mandare dignaremur. Quarum quidem Literarum tenor per omnia ſequitur in hæc verba: Albertus *Dei gratia Rigenſis Epiſcopus: Univerſis, ad quos hæc pagina perveniet, ſalutem in Domino.* Ad plantandam Eccleſiæ noſtræ Religionem Conventum noſtrum de Ordine Premonſtratenſi inſtituere cupientes, de conſenſu, & conſilio Domini Innocentii Summi Pontificis, eum qui hactenus in Rigenſi fuit Eccleſia, in Premonſtratenſem Ordinem decrevimus commutare. Concedimus igitur Ordini prædicto Eccleſiam noſtram Cathedralem in Riga cum omni iure, & integritate earum, quas nunc habent, poſſeſſionum, Eis, qui in ipſa Deo regulante diffinituri ſunt Canones concedentes ius Epiſcopum eligendi, fundum Eccleſiæ ad Clauſtrum faciendum in vicino Civitatis, ubi de communi poſtularunt conſilio, Fratribus aſſignavimus ſupradictis, & etiam agros quos habet Eccleſia in Inſula lapidea. Addimus eis ſilvam incultam de Dwina usque ad aquam Auſtralem, ſalvis agris, qui ibidem a Livonibus iuſte, ac proprie poſſidentur. Ut igitur hæc noſtra Donatio rata permaneat, & integra Eccleſiam noſtram Rigenſem cum omni-

Anno 1364.

Anno 1364. omnibus ſupradictis Capenbergenſi Præpoſito And. & Scheyden. Abbati Hermanno, qui eam vice Premonſtratenſis Capituli recipiant, aſſignamus. Teſtes adeantur, Prior Capenbergen. Conventus, Prior, & Conventus Scheydenſis, Henricus Sacerdos de Zen, Joannes Capellanus noſter. Datum in Capenbergh Anno Domini 1222. Kalend. Januarii. Inde vero Literis ſic ut præfertur receptis, perlectis, viſis, & examinatis, ac in perſona propria diligenter auſcultatis petitiones dicti Domini Sifridi Procuratoris rationi conſonas, & ubique admiſſiles reputantes, matura deliberatione ſuper his præhabita, præſens Tranſcriptum, ſive Tranſumptum per infraſcriptos Notarios ſub fide digno teſtimonio prætactorum, & inferius nominatorum, fieri mandavimus, noſtrumque ex certa ſcientia plenius deliberante, Decretum interpoſuimus, ac noſtram auctoritatem ordinariam ſupradictam, ut ubique in iudicio, & extra Eccleſiaſtici, vel Sæcularis fori Tranſumptum, ſive Tranſcriptum huiusmodi plenariam, & indubitatam fidem faciat, ac ſi ipſæ Literæ Originales inſertæ Superius, & deſcriptæ exhiberentur. In clariorem evidentiam omnium, & ſingulorum præmiſſorum Tranſumptum, ſeu Tranſcriptum huiusmodi per infraſcriptos Notarios fieri mandavimus, noſtrique Sigilli Maioris munimine roborari. Datum, & Actum in Caſtro noſtro Tharbatenſi, Anno Domini milleſimo trecenteſimo ſexageſ. 4to decima quarta die Menſis Januarii. Præſentibus Honorabilibus, & diſcretis Viris Dominis Thiderico de Urſcheſen Præpoſito, Thiderico Ureſen Canonico Eccleſiæ Tharbatenſis, Fratre Friderico de Wamplone Confratre ſupradictæ Eccleſiæ Rigenſis, & Joanne de Beſchoperode Notario publico ſubſcripto in iisdem dictis teſtibus ad præmiſſa vocatis, & rogatis.

Et Ego Fridericus de Bolkove Clericus Colberenſis Diæceſis publicus Imperiali auctoritate Notarius, exhibitioni, præſentationi, receptioni, lectioni, & auſcultationi perſcriptarum Literarum Originalium, ac petitioni per dictum Dominum Syfridum Procuratorem,



auctoritatis, & Decreti interpoſitioni cum omnibus aliis, & ſingulis per ſupradictos Dominos videlicet Epiſcopum, & Procuratorem in hac parte factis, & habitis una cum dictis Teſtibus præſens interfui, eaque vidi fieri, & audivi, præſens Tranſumptum cum Notario infraſcripto ad ipſas Literas Originales diligenter, & fideliter auſcultatum in hanc publicam formam de Mandato dicti Domini Epiſcopi redegi, ſignoque meo ſolito ſignavi rogatus, & requiſitus in evidentius teſtimonium omnium præmiſſorum. Anno 1364.

Et Ego Joannes de Byſcoperode Clericus eiusdem Diæceſis publicus Imperiali Auctoritate Notarius, productarum Literarum Originalium exhibitioni, præſentationi, receptioni, lectioni, examinationi, & auſcultationi, ac petitioni per dictum Dominum Syfridum Procuratorem auctoritatis, & Decreti interpoſitioni, aliisque omnibus, & ſingulis præmiſſis per ſupradictos Dominos Epiſcopum, & Procuratorem in hac parte factis, & habitis una cum Notario, & teſtibus ſupraſcriptis præſens interfui, eaque dum ſic, ut præmittitur, fierent, & agerentur, vidi, & audivi, prædictasque Literas Originales per eundem Fridericum Notarium præſentatas, &c. & quod præſens Tranſumptum, ſive Tranſcriptum, & ipſas Literas Originales concordare per omnia inveni, hinc me ut teſtem, & Notarium publicum ſubſcripſi requiſitus, & vocatus in evidens teſtimonium omnium præmiſſorum.

LIV.

Urbanus V. *PP. indulget Archiepiſcopo, & Capitulo Rigenſi, ne vel coniunctim vel diviſim inviti ad Judicium evocentur. Ex Arch. Magni Duc. Litv.* 1366.

Urbanus Epiſcopus Servus Servorum Dei. Venerabili Fratri Archiepiſcopo, & dilectis Filiis Capitulo Rigenſi, Salutem, et Apoſtolicam benedictionem. Magnæ devotionis affectus, quem ad Nos, et Romanam Eccleſiam gerere comprobamini, merito Nos inducit, ut vos ſpiritualibus gratiis, et favoribus proſequamur. Veſtris igitur in hac parte ſupplicationibus inclinati, vobis tenore præſentium indulgemus, ut prætextu quarumcunque Literarum Apoſtolicarum, iam forſan impetratarum, vel in poſterum impetrandarum, ad iudicium trahi, ſeu evocari inviti communiter, vel diviſim

ANNO 1366. visim nullatenus possitis, nisi de vobis in eisdem Literis specialis, et expressa mentio habeatur, decernentes exnunc irritum, et inane, quicquid contra Indultum huiusmodi contigerit attemptari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis, & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum VI. Kalendas Maii Pontificatus nostri Anno quarto.

LV.

CAROLUS IV. *Imperator confirmat Privilegia Archiepiscopatus Rigensis, eiusque defensionem, Daniæ, Sveciæ, Norvegiæ, ac Poloniæ Regibus, nec non Stetinensi, & Magnopolensi Ducibus committit, cum potestate procedendi, compescendi, & compellendi vice, & auctoritate Cæsarea &c.* Datum Pragæ Anno 1366. die 23. April. *Ex Originali.*

CAROLUS Quartus divina favente Clementia Rom. Imperator semper AUGUSTUS, & Bohemiæ Rex. Sereniſſimis Principibus Daniæ, Sveciæ, Norvegiæ, ac Poloniæ Regibus Fratribus suis carissimis, nec non Illustribus Stetinensi, Magnopolensi Ducibus, Principibus suis, & Sacri Romani Imperii, fidelibus dilectis gratiam suam, & omne bonum. Nuper pro parte Venerabilis Uromoldi Archiepiscopi Rigensis Principis, & devoti nostri dilecti Celsitudini nostræ oblata petitio continebat, quatenus Conservatores, & Executores Privilegiorum, Confirmationum, & Concessionum sibi, & Ecclesiæ suæ prædictæ a divis Imperatoribus, sive Regibus Romanis nostris Prædecessoribus, & Nobis confirmatis, & concessis, ac indultis, ex nostræ Maiestatis Clementia concedere, & ipsi Ecclesiæ de eis providere dignaremur. Quorum Privilegiorum, Confirmationum, et Concessionum tenores sequuntur in hæc verba:

In Nomine Sanctæ, & Individuæ Trinitatis feliciter Amen.

CAROLUS Quartus divina favente Clementia Rom. Imperator semper Augustus, & Bohemiæ Rex. Ad perpetuam Rei memoriam. Inter glorioſas Reipublicæ curas, quibus cor nostrum quotidiana sollicitudine pro subditorum salute distrahitur, ad illud præcipue aciem mentis nostræ gerimus, ad id sedulum destinamus officium, qualiter Venerandas Ecclesias, & Ecclesiasticas Personas Cæleſtis Imperatoris mancipatas obsequiis, piis protegamus præsidiis, & libertates earum continuis nostræ benignitatis favoribus foveamus, novas eis libertates, & gratias largiendo pro qualitate temporum, & rerum exigentia, vel veteres renovando. Sane pro parte Venerabilis Vromoldi Archiepiscopi Rigensis, Principis, & devoti nostri dilecti, Celsitudini nostræ oblata petitio continebat, quatenus quoddam Privilegium præclaræ memoriæ a Divo HENRICO Rom. Rege Prædecessore nostro carissimo Ecclesiæ suæ Rigensi, sibi, ac Successoribus suis concessum, seu donatum, una cum aliis Literis, Juribus, Libertatibus, ac Consvetudinibus Ecclesiæ suæ Rigensis, a Divis Rom. Regibus, & Imperatoribus, Prædecessoribus nostris indultis, seu concessis, confirmare, ratificare, approbare, innovare, & de novo concedere authoritate Imperatoria dignaremur, cuius tenor Privilegii sequitur in hæc verba. HENRICUS Dei Gratia Rom. Rex, &c. semper AUGUSTUS. Universis, Imperii fidelibus, ad quos hæ Literæ pervenerint, gratiam suam, & omne bonum. Ad petitionem Alberti Venerabilis Livonienſis Episcopi, Marchiam unam per totum eius Episcopatum, per Livoniam videlicet, Leciam, Leale, & Terras maritimas instituimus, & eundem ipsi Principatum Jure aliorum Principum munificentia Regali concessimus, dantes ei potestatem faciendi Monetam, & fundandi Civitatem in Riga, & in locis aliis in quibus eas fieri oportuerit. Si autem in partibus illis vena metalli cuiuslibet, sive thesaurus occultus manifestatus fuerit, in huiusmodi Jus nostrum speciale ipsius fidei, de consilio Principum nostrorum commisimus. Statuimus igitur, & sub interminatione gratiæ nostræ firmiter præcipimus, quatenus Episcopo prænominato de omnibus iustitiis, & rationibus ad Regalem Infeudationem pertinentibus plene respondeatis, & per omnia intendatis, scituri quod ipsum tanquam dilectum Principem Imperii sincere diligimus, & cum per eum Imperiales termini dilatentur, & barbarorum infidelitas annuente Domino, Christiano cultui subiugetur, nihil eorum omittere volumus, quæ commodo suo conducere poterunt, & honori. Huius nostræ concessionis testes sunt: Trevirensis, & Salczburgensis Archiepiscopi, Herbipolensis Augustensis, Bambergensis, Pactavienſis, & Eistetensis, Episcopi, Austriæ, Saxoniæ, Bava-

ANNO 1366. riæ, & Carinthiæ Duces, Lantgravi Thuringiæ, & alii quam plures Principes, Nobiles, & Imperii Miniſteriales. Datum apud Nuremberg Kalendis Decembris, Indictione XVII. Nos igitur attendentes ſinceræ fidei, & devotionis conſtantiam, quibus idem Archiepiſcopus erga Nos, & Sacrum Romanum Imperium usque ad hæc tempora immota conſtantia ſemper claruit, & claret experientia demonſtrante, votisque ſuis iuſtis, & rationabilibus, ac ſuæ Eccleſiæ utilitatibus de innata Nobis Clementia benignius annuentes, cum iuſte petentibus non ſit denegandus aſſenſus, ſupraſcriptum Privilegium, & omnia contenta in eodem, nec non univerſa, & ſingula Privilegia, Literas, Conceſſiones, & Gratias, Liberates, Immunitates, Jura, Feuda, Conſvetudines, & laudabiles Obſervantias, Honores, Caſtra, Munitiones, Dominia, Poſſeſſiones, Civitates, Oppida, Diſtrictus, Terras, & Loca Eccleſiæ ſuæ, antequam etiam in Metropolitanam erigeretur, ſeu Archiepiſcopatum, & Principatum ipſius, a divis Romanis Imperatoribus, & Regibus indulta, ſeu indultas, conceſſa, ſeu conceſſas prout rationabiliter, & provide proceſſerint, de certa noſtra ſcientia, via, & modo quibus melius poſſumus, de verbo ad verbum in omnibus clauſulis, tenoribus, & ſententiis, ac ſi omnium prædictorum Privilegiorum, Literarum, Gratiarum, Libertatum, Immunitatum, Conceſſionum, Donationum, Jurium, & Conſvetudinum tenores, & bonorum iuſte acquiſitorum, quibuscunque nominentur vocabulis, quæ poſt obtenta eadem Privilegia ipſe, & Eccleſia Rigenſis iuſtis titulis obtinuerit, vel obtinuerint in futurum, inſerti eſſent præſentibus, vel inſerta, approbamus, ratificamus, innovamus, & de novo concedimus, ex certa ſcientia præſentis ſcripti patrocinio confirmamus, decernentes, & volentes expreſſe omnia, & ſingula ſupradicta perpetuis temporibus obtinere inviolabilis valoris firmitatem. Nulli ergo omnino hominum, cuiuscunque Status, præeminentiæ, ſeu conditionis exiſtat, liceat hanc noſtræ Approbationis, Innovationis, Ratificationis, Donationis, & Confirmationis gratiam infringere, aut ei auſu temerario quomodolibet contraire. Si quis autem ſecus attemptare præſumpſerit, indignationem noſtræ Celſitudinis, & pænam centum Marcarum puri auri, toties, quoties temere contra factum fuerit, quarum medietatem antedictæ Rigenſi Eccleſiæ applicari volumus, ſe noverit incurſurum. *Signum Sereniſſimi Principis, & Domini, Domini* CAROLI *quarti Rom. Imperatoris invictiſſimi, & glorioſiſſimi Bohemiæ Regis.* Teſtes huiusmodi rei fuerunt ANNO 1366. Venerabiles Arneſtius Archiepiſcopus Pragenſis, Joannes Olomucenſis, & Theodorus Mindenſis Epiſcopi, Illuſtres Rudolphus Saxoniæ, Sacri Imperii Archimareſchalcus, Rudolphns Auſtriæ, Bolko Suidnicenſis, Ludovicus Lignicenſis, Joannes Opaviæ, Fridericus de Tek, & Caſimirus Teſthinenſis Duces, Ulricus de Kolffenſtein, Joannes de Retz, & Albertus de Anhalt Comites, & alii quam plures præſentium, ſub Bulla aurea, Typario Jure noſtræ Imperialis Maieſtatis impreſſi, teſtimonio Literarum. Datum Pragæ Anno Domini milleſimo trecenteſimo quinquageſimo ſexto. Nona Indictione, Calendis Menſis Septembris, Regnorum noſtrorum Anno Romanorum 11*mo*, Bohemiæ 10*mo*, Imperii vero ſecundo. Ego JOANNES Dei Gratia Luthomuſthlenſis Epiſcopus, Sacræ Imperialis Aulæ Cancellarius Vice Reverendi in Chriſto Patris Domini Gorlatii Moguntinenſis Archiepiſcopi, Sacri Imperii per Germaniam Archicancellarii, recognovi.

Item. *In Nomine Sanctæ, & Individuæ Trinitatis feliciter Amen.*

CAROLUS Quartus divina favente Clementia Rom. Imperator, ſemper AUGUSTUS, & Bohemiæ Rex. Ad perpetuam Rei memoriam. Etſi Imperialis manſvetudinis providentia curam gerens ſubditorum ad ea, quæ Reipublicæ reſpiciunt ſtatum diligenter intendere teneatur, & ſollicitudines, atque voluntarios ſubire labores, ut ſubiectus ſibi populus in optata Pacis tranquillitate requieſcat, ad illa nihilominus uberiori quodam favore mentis ſuæ aciem debet convertere, quæ Sanctarum Eccleſiarum, & Miniſtrorum Omnipotentis Dei commodum ſapiunt, & honorem. Sane ſingularis ardoris affectus, quo Eccleſiam Metropolitanam Sanctae Sedis Rigenſis multiplicatis favoribus proſequamur, noſtram ferventius induxit Serenitatem, ut ad ampliandum ipſius commoda, & honores ferventius intendamus. Eapropter univerſa, & ſingula Privilegia, Literas, Conceſſiones, Gratias, Libertates, Immunitates, Jura, Conſvetudines conſvetas, & laudabiles, nec non Honores, Feuda, Caſtra, Munitiones, Civitates, Oppida, Terras, Venerabili Uromoldo Archiepiſcopo Rigenſi, Principi, ac devoto noſtro dilecto, & Eccleſiae, ſeu Epiſcopatui ſuo in Capite, & in membris, a recolendae memoriae divis Imperatoribus & Romanorum Regibus, & ſpecialiter a HENRICO Imperatore, Praedeceſſoribus noſtris indulta, ſeu indultas, conceſſa, ſeu conceſſas de Principum,

Pro-

ANNO 1366. Procerum, & Nobilium noſtrorum maturo conſilio præhabito, & ex certa noſtra ſcientia, ac de plenitudine Poteſtatis Imperialis, de verbo ad verbum in omnibus ſuis ſententiis, & clauſulis, ac ſi prædictorum privilegiorum, literarum, libertatum, iurium, conceſſionum, & immunitatum tenores Præſentibus forent inſerti, & totaliter intercluſi, innovamus, approbamus, laudamus, ratificamus, & præſentis ſcripti patrocinio confirmamus, ſupplentes nihilominus omnem defectum authoritate Imperiali, qui continetur quomodolibet in præmiſſis, ſalvis tamen ſemper Juribus aliorum. Nullus etiam cuiuscunque conditionis, dignitatis, ſeu præeminentiæ exiſtat, vacante, ſeu non vacante Eccleſia Rigenſi, præfata bona ipſius, quæcunque in Civitate, vel extra in aliis locis ad ipſam Eccleſiam pertinent, quovis modo invadere, vel impugnare præſumat, ſeu quodcunque malum, vel violentiam in perſonis, vel bonis irrogare. Si quæ etiam Bona, Poſſeſſiones, ſeu Terras Archiepiſcopus prædictus, ſeu Eccleſia ſua ab infidelibus acquiſiverint, expugnaverint, vel quovis modo obtinuerint, eadem, & easdem prædicti Archiepiſcopus, & Eccleſia libere, & perpetuis temporibus cum utili dominio poſſidere, & habere, directo dominio, & Iure Superioritatis Nobis, & Succeſſoribus noſtris Imperatoribus, & Romanorum Regibus penitus reſervato. Decernimus etiam, quod nullus infra Diſtrictum, & Territorium Eccleſiæ prædictæ Rigenſis, Caſtrum, Fortalitium, ſeu quamvis aliam munitionem erigat, vel inſtauret, absque ipſius Archiepiſcopi, & Eccleſiæ conſenſu expreſſo, & licentia ſpeciali, nihilominus ſic erecta, & ædificata ad Archiepiſcopum, & Eccleſiam eo ipſo ſint devoluta, vel ipſe ædificans ædificia, & inſtaurata propriis ſumptibus demolire, & diruere teneatur. Sique etiam Archiepiſcopum prædictum, vel ſuos ab infidelibus detineri, vel capi contigerit, absque cuiuscunque alterius requiſitione libere poterint redimi, & exolvi. Volumus inſuper firmiter ſtatuentes, quod ſæpedictus Archiepiſcopus, & homines ſui, ac Eccleſiæ ſuæ per Terras, & Diſtrictus eorum proprios libere procedere valeant, & res ſuas deducere absque vectigalium, pedagiorum, theloniorum impoſitione, ſeu quavis alia ſolutione. Volentes, & decernentes expreſſe omnia, & ſingula ſupraſcripta, & quodlibet prædictorum perpetuis temporibus obtinere inviolabilis valoris firmitatem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc noſtræ Confirmationis gratiam, & omnia alia ſupraſcripta infringere, aut contra ea auſu temerario facere, vel quomodolibet attemptare. Si quis vero contra præmiſſa, vel aliquod præmiſſorum facere, ſeu attemptare temere præſumpſerit, ultro indignationis noſtræ aculeum, & pœnam graviſſimam in rebus, & perſonis, pro motu proprio infligendam, pœnam etiam centum librarum auri puri, & quoties contra præmiſſa, vel aliquod præmiſſorum factum fuerit, quarum medietatem Fiſco Imperiali, & aliam medietatem præfato Domino Archiepiſcopo, & Eccleſiæ ſuæ applicari volumus, ſe noverit infallibiliter incurſurum. *Signum Sereniſſimi Principis, & Domini, Domini* CAROLI *Quarti Rom. Imperatoris invictiſſimi, & glorioſiſſimi Bohemiæ Regis.* Teſtes huius rei fuerunt. Venerabiles Erneſtus Sanctæ Pragenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, Joannes Olomucenſis, Theodorus Myndenſis, Theodorus Wormacienſis, & Maurus Corbanienſis, Eccleſiarum Epiſcopi. Illuſtres Rudolphus Saxoniæ, Sacri Imperii Archimareſchalcus, Bolko Salkembergenſis, Przymislaus Teſthinenſis, Caſimirus Stetinenſis, & Bolko Opolienſis, Duces, ſpectabiles Burthardus Burgrabius Magdeburgenſis, Magiſter Curiæ noſtræ Imperialis, Burthardus, & Joannes de Retz Comites, ac Nobiles Sbinko de Hazemburg, & Haſtho de Sweretitrz Magiſtri Imperialis noſtræ Cameræ, & Czonko de Lipa Summus Regni Bohemiæ Marſchalcus, Wanko de Wartemberg, & Heinricus de Nova Domo, & alii quam plures noſtri, & Imperii Sacri Principis, Nobiles, & Fideles praeſentium, ſub bulla aurea typario Imperialis noſtrae Maieſtatis impreſſa, teſtimonio Literarum. Datum Pragae Anno Domini milleſimo trecenteſimo ſexageſimo, Indictione XIII. III. Idus Junii Regnorum noſtrorum Anno XIV. Imperii vero VI. *Ego* JOANNES *Dei Gratia Luthomuſchlenſis Epiſcopus* Sacrae Imperialis Aulae Cancellarius, *vice Reverendi* in Chriſto Patris Domini *Gerlati Moguntinenſis Archiepiſcopi, Sacri Imperii per Germaniam Archicancellarii recognovi.* Nos vero attendentes, quod inter glorioſas Reipublicae curas, quibus noſtrae Maieſtatis eminentia ſe pro ſuorum devotorum aſſidua fidelium quiete ſubditorum dignatur exponere, illam Nobis curam deſtinamus praecipuam, per quam Sanctas Eccleſias Nobis, & Romano Imperio ſubiectas, & eorum Praelatos, et Perſonas in ſuis Juribus, Privilegiis, Immunitatibus, et Libertatibus valeamus conſervare, dictamque petitionem ipſius Archiepiſcopi rationi conſonam, et ex Juris tramitibus pro-

ANNO 1366.

Anno 1366. procedentem condigne duximus exaudiendam. Vos Fratres cariſſimos Daciae, Sveciae, Norvegiae, etc. Poloniae Reges, ſincero affectu praeſentibus requirimus, et hortamur, vobisque Stetinenſi, et Magnopolenſi Ducibus ſub obtentu noſtrae Maieſtatis, et Sacri Romani Imperii gratiae communiter, diviſim, et coniunctim praecipimus, et mandamus, quatenus Vos duo, aut unus veſtrum, qui ſuper praemiſſis, aut aliquo praemiſſorum requiſiti fuerint, vel fuerit requiſitus, per vos, alium, ſeu alios toties quoties ſe locus obtulerit, Archiepiſcopo, et Eccleſiae ſuae Rigenſi praedictis efficaci defenſionis praeſidio noſtra Imperiali authoritate fideliter aſſiſtatis. Non permittentes eosdem in Bonis, Juribus, Privilegiis, Immunitatibus, et Libertatibus ad Archiepiſcopum, et Eccleſiam Rigenſem praedictos ſpectantibus per quempiam indebite quomodolibet moleſtari, inquietari, ſeu perturbari, vel eis gravamina, damna, ſeu iniurias irrogari, ſed ipſos ex noſtrae Imperialis Celſitudinis poteſtate defendere, fovere, manu tenere ſtudeatis, ac tueri. Occupatores, Detentores, Moleſtatores, Præſumptores, et iniuriatores praedictorum, ſi qui fuerint, nec non Contradictores quoslibet rebelles, et inobedientes coercendo, et contra praemiſſa, ſeu ipſorum aliqua temere in noſtrae Maieſtatis laeſionem facientes, cuiuscunque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, aut conditionis extiterint, quandocunque, et quotiescunque opus fuerit, eosdem ad paenas in dictis Privilegiis, Confirmationibus, et Conceſſionibus Praedeceſſorum noſtrorum, et noſtris expreſſatas irremiſſibiliter procedatis, ipſosque vice, et authoritate noſtra Caeſarea compeſcatis, et compellatis, ut a turbationibus, et moleſtationibus huiusmodi univerſis penitus deſiſtant. Invocato ad hoc, ſi opus fuerit, eorum auxilio, quorum videritis invocandum. Inſuper volumus, et noſtra Imperiali authoritate decernimus, quod quilibet veſtrum proſequi, et finire valeat Articulum, etiam per veſtrum alterum inchoatum, quamvis idem inchoans non fuit legitimo impedimento praepeditus, praeſentibus ad noſtrum, et Succeſſorum noſtrorum beneplacitum duraturis. Praedictis tamen Privilegiis, Confirmationibus, et Conceſſionibus in ſuo robore perpetuo permanſuris, praeſentium ſub Imperialis noſtrae Maieſtatis Sigillo teſtimonio Literarum. Datum Pragae Anno Domini milleſimo trecenteſimo ſexageſimo ſexto, Indictione IV. IX. Calendas Maii Regnorum noſtrorum Anno viceſimo, Imperii vero duodecimo.

LVI.

Anno 1367.

Pax Latrunculorum inter Wilhelmum *Magiſtrum Ordinis, & Olguerdem, ac Keyſtuten Reges Lethoviæ inita.* Dat. Rigæ An. 1367. die Dominica ante feſtum S. Martini. *Ex Originali Sigil. 2.*

Nos Frater Wilhelmus de Ernnersheim Magiſter Fratrum Domus Teuthonicorum Jeroſolimitanorum per Livoniam, & Frater Andreas de Stenbergh Lantmarſcalcus ibidem, notum facimus Vniverſis, & Singulis præſentes Literas viſuris, vel audituris. Pacem latrunculorum inter Nos, & Olgherdem, ac Keystutten Fratres Reges Lethoviæ per Nos Lantmarſcalcum prædictum, ac Commendatores de Zegewolde, de Mythovia, & de Dobelen, ac per Vice-Commendatorem Rigenſem, pro parte noſtra, nec non per Woldemarum Filium Olgherdem Regis prædicti, & per Duces Stirpeyken, & Wayſewiſt, ac Keyſtutten taliter eſſe factam, videlicet quod eadem Pax incipiat ab Ixkulle, ubi Pax prædicti Ducis Stupeyken terminatur, & protenditur Dunam, aſcendendo usque ad rivum Egelamen, & ulterius de hoc rivulo usque Videntſke, ita, quod in his limitationibus Pacis, latrunculi tam de partibus noſtris, quam de partibus Lethoviæ non tranſibunt, ſed Nos Magiſter, vel Lantmarſcalcus præfatus libere poſſumus cum Exercitu magno, vel parvo in dictis limitationibus Pacis tranſire, quocunque Nobis videbitur expedire. Simili modo Reges præhabiti videlicet Olgherden, & Keystute cum Exercitu magno, vel parvo, quandocunque temporis, vel eorum alteri expediens fuerit, tranſire poſſint licite in Pace prædicta. Quandocunque vero eadem Pax latrunculorum Nobis amplius non placuerit, extunc eam in Vilna reſignare debemus. Quandocunque etiam eadem Pax prædictis Regibus diſplicuerit, extunc eam in Riga reſignabunt, & poſt reſignationem eiusdem Pacis nullus alteri ex utraque parte infra duas ſeptimanas dampna irrogabit. Ut autem hæc ordinatio per Nos firmiter obſervetur, Sigilla noſtra videlicet Magiſtri, & Lantmarſcalci prædictorum præſentibus ſunt appenſa. Datum Rigæ Anno Domini milleſimo trecenteſimo ſexageſimo ſeptimo. Dominica die ante Feſtum Martini Pontificis glorioſi.

LVII.

ANNO 1379.

LVII.

URBANI VI. *PP. Deputatio in Conservatores, & Judices Archiepiscopo Rigensi, Episcoporum Tarbatensis, Razeburgensis, Haulbergensis, ad decennium.* Dat. Romæ die 9. Aug. An. 1379. *Ex Originali.*

URBANUS Episcopus Servus Servorum Dei. Venerabilibus Fratribus, Tarbatensi, & Razeburgensi, ac Haulbergensi, Episcopis salutem, & Apostolicam benedictionem. Ad hoc Nos Deus prætulit in Familiam Domus suæ, ut opportuna singulis provisionis auxilia fidelis servitutis innuente prudentia pro tempore dispensantes, eorum præsertim necessitatibus intendamus, & occurramus dispendiis, ipsosque ab oppressionibus relevemus, qui assumpti in partem sollicitudinis, potioris sunt dignitatis titulo insigniti. Sane Venerabilis Fratris nostri Archiepiscopi Rigensis conquestione percepimus, quod nonnulli Archiepiscopi, Episcopi, aliique Ecclesiarum Prælati, & Clerici, ac Ecclesiasticæ Personæ, tam Religiosæ, quam Sæculares, nec non Duces, Marchiones, Comites, Barones, Nobiles, Milites, & Laici, communia Civitatum, Universitates Oppidorum, Castrorum, Villarum, & aliorum locorum, & aliæ singulares personæ Civitatum, & Diœcesium, & aliarum partium diversarum occuparunt, & occupari fecerunt Castra, Villas, & alia loca, Terras, Domus, Possessiones, Jura, & Jurisdictiones, nec non fructus, census, reditus, & proventus, & nonnulla alia bona mobilia, & immobilia, spiritualia, & temporalia ad eundem Archiepiscopum, & mensam suam Archiepiscopalem Rigensem spectantia, & ea detinent indebite occupata, seu ea detinentibus præstant auxilium, consilium, vel favorem. Nonnulli etiam Civitatum, Diœcesium, & partium prædictarum, qui Nomen Domini in vanum recipere non formidant, eidem Archiepiscopo super prædictis Castris, villis, & locis aliis, terris, domibus, possessionibus, iuribus, & iurisdictionibus, fructibus, censibus, reditibus, & proventibus eorundem, & quibuscunque aliis bonis mobilibus, & immobilibus, spiritualibus, & temporalibus, ac aliis rebus ad Archiepiscopum, & Mensam suam Archiepiscopalem prædictos spectantibus, multiplices molestias, & iniurias inferunt, & iacturas. Quare dictus Archiepiscopus Nobis humiliter supplicavit, ut cum eidem valde reddatur difficile pro singulis querelis ad Apostolicam sedem habere recursum, providere sibi super hac paterna diligentia curaremus. Nos igitur adversus occupatores, detentores, præsumptores, molestatores, & iniuriatores huiusmodi, illo volentes eidem Archiepiscopo remedio subvenire, per quod ipsorum compescatur temeritas, & aliis aditus committendi similia præcludatur, Fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus vestrum per vos, vel alium, seu alios etiamsi sint extra loca, in quibus deputati estis Conservatores, & Judices præfato Archiepiscopo efficacis defensionis præsidio assistentes, non permittatis eundem super his, & quibuslibet aliis bonis, & iuribus ad ipsum, & mensam suam Archiepiscopalem prædictam spectantibus, ab eisdem, vel quibusvis aliis indebite molestari, vel eis gravamina, seu dampna, vel iniurias irrogari, facturi dicto Archiepiscopo, cum ab eo, aut Procuratoribus, vel Vicariis suis, aut eorum aliquo fueritis requisiti de prædictis, & aliis personis quibuslibet, super restitutione huiusmodi Castrorum, Villarum, Terrarum, & aliorum, locorum, Jurisdictionum, Jurium, & bonorum mobilium, & immobilium, reddituum quoque, ac proventuum, & aliorum quorumcunque bonorum, nec non de quibuslibet molestiis, iniuris, atque dampnis præsentibus, & futuris, in illis videlicet, quæ iudicialem requirunt indaginem, summarie, & de plano, sine strepitu, & figura iudicii, in aliis vero prout qualitas eorum exegerit, iustitiæ complementum, occupatores, detentores seu præsumptores, molestatores, & iniuriatores huiusmodi, nec non contradictores quoslibet, & rebelles, cuiuscunque dignitatis, status, ordinis, vel conditionis extiterint, quandocunque, & quotiescuoque expedierit, per censuram Ecclesiasticam auctoritate nostra, appellatione postposita compescendo, invocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachii sæcularis, non obstantibus tam felicis recordationis BONIFACII Papæ Octavi, Prædecessoris nostri in quibus cavetur, ne aliquis extra suam Civitatem, & Diœcesim, nisi in certis exceptis casibus, & in illis ultra unam dictam, a fine suæ Diœcesis, ad iudicium evocetur, seu ne Judices, & Conservatores a Sede deputati prædicta, extra Civitatem, & Diœcesim, in quibus deputati fuerint contra quoscunque procedere, seu alii, vel aliis vices suas committere, aut aliquos ultra unam dictam a fine Diœcesis eorumdem trahere præsumant dum modo ultra duas dictas aliquis auctoritate

ANNO 1369.

Anno 1369. præsentium non trahatur, seu quod de aliis, quam de manifestis iniuriis, & violentiis, & aliis quæ iudicialem indaginem exigunt, pœnis in eos si secus egerint, & in id procurantes adiectis, Conservatores se nullatenus intromittant, quam aliis quibuscunque Constitutionibus, a Prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, tam de Judicibus delegatis, & Conservatoribus, quam personis ultra certum numerum ad iudicium non vocandis, aus aliis editis quæ Jure possent in hac parte iurisdictioni, aut potestati, eiusque libero exercitio quomodolibet obviare, seu si aliquibus communiter, vel divisim a prædicta sit Sede indultum, quod excommunicari, suspendi, vel interdici, seu extra, vel ultra certa loca ad iudicium evocari non possint, per Literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi, & earum personis, ac locis, ordinibus, et nominibus propriis mentionem, et qualibet alia dictæ Sedis indulgentia generali, vel speciali cuiuscunque tenoris existat, per quam præsentibus non expressa vel totaliter non inserta iurisdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri, et de qua cuiusque toto tenore de verbo ad verbum habenda sit in nostris Literis mentio specialis. Cæterum volumus, et Apostolica auctoritate decernimus quod quilibet vestrum prosequi valet Articulum etiam per alium inchoatum, quamvis idem inchoans nullo fuerit impedimento Canonico præpeditus, quodque a data præsentium sit vobis, et unicuique vestrum in præmissis omnibus, et eorum singulis cæptis, et non cæptis, praesentibus, et futuris perpetuata potestas, et iurisdictio attributa, ut eo vigore, eaque firmitate possitis in praemissis omnibus caeptis, et non caeptis, praesentibus, et futuris, et pro praedictis procedere, ac si praedicta omnia, et singula coram vobis caepta fuissent, et iurisdictio nostra cuiuslibet vestrum in praedictis omnibus, et singulis per citationem, vel modum alium perpetuata legitimum, extitisset, constitutione praedicta super Conservatoribus, et alia qualibet in contrarium edita non obstante, praesentibus post decennium minime valituris. Datum Romae apud Sanctum Petrum nona Augusti, Pontificatus nostri Anno secundo.

LVIII.

1380. *Inducia inter Magistrum Livoniæ, & Magnum Regem Lettoviæ Jagellonem, cum exclusione Regis Keystuten, & Terræ Samogitiæ.* Dat. in Castro Rigæ Anno 1380. *Ex Originali.* Anno 1380.

Notum sit Universis. Quod Nos Magister Livoniæ cum consilio, & consensu nostrorum Præceptorum, per Nuntium Nostrum Hermannum, Pacem, & Treugas ordinari fecimus inter Nos, ac Terram nostram, & Magnum Regem Lettoviæ Jagellonem, & suam Terram, & illos de Plotzek usque ad Festum Pentecostes firmiter duraturas, ita videlicet quod prædictus Rex Jagello sive pedester, sive per curocinium proprie *Stroderic*, de Terra nostra ad Terram prædicti Regis Jagellonis, & Pollossensem debeat transire, nec aliquid dampni infra præscriptum Festum Pentecost: præfatis Terris inferemus, similiter Nos e Terra nostra Livoniæ, & Curonia penitus securi esse debemus pro Rege Jagellone, & omnibus suis, ac pro illis, de Ploczek, ita quod nullus Exercitus equester, sive pedester, sive per curocinium proprie *Stroderic*, de Terra Jagellonis, & illorum de Ploczek ad Terram nostram Livoniam, & Curoniam debent transire, nec aliquod dampnum nostris prædictis Terris debeant inferre, sed ordinatio Pacis, & Treugarum, firmiter durabit inter Nos, & Terras nostras Livonienſem, & Curonienſem, & Regem Jagellonem, Terram suam, & illos de Plotzek usque ad Festum Pentecost. supradictum. Ab istis vero Pace, & Treugis Rex Keystuten, sui, ac Terræ suæ, & illi de Samoythen omnino esse debeant excluſi, ita quod nullas Pacem, & Treugas inter prædictos Regem Keystuten, & illos de Samoythen volumus obtinere. In cuius rei testimonium Sigillum nostrum præsentibus est appensum. Datum in Castro nostro Rigæ, Anno Domini millesimo tercentesimo octuagesimo, feria proxima qua cantatur Oculi post Dominicam.

LIX.

Instrumentum Actus Judiciarii in Conventu Vasallorum Ecclesiæ Rigensis habiti, de non petita intra tempus legitimum Investitura Feudi paterni, & reconciliatione eiusdem cum Archiepiscopo. Ex Originali. Sigil. 3. 1385.

In Nomine Domini Amen.

Anno Nativitatis eiusdem millesimo trecentesimo octuagesimo quinto, Indictone octava, Mensis Januarii die decima, hora vesperarum, vel quasi, Pontifica-

Anno 1385. ficatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris Domini, Domini Urbani divina providentia Papæ ſexti Anno ſeptimo. Convenientibus in unum, & aggregatis iuxta edictum Reverendiſſimi in Chriſto Patris, & Domini, Domini Joannis miſeratione divina Sanctæ Rigenſis Eccleſiæ Archiepiſcopi, Præpoſito, Canonicis, & Vaſallis eiusdem Eccleſiæ, pro ſervandis placitis in termino conſveto, videlicet Dominica proxima poſt Feſtum Epiphaniæ Domini, inter eundem Dominum Archiepiſcopum ex una, & Hennickium Pytkener Vaſallum dictæ Eccleſiæ Rigenſis parte ex altera, de, & ſuper nonnullis cauſis arduis, & diſcordiis inter ipſos motis, extraiudicialis, & multiplex fuit utrobique ante litis ingreſſum repetita verbalis locutio, adeo quod propter verborum implicatam multitudinem, ac diei brevitatem, tractatus, & placita usque in ſequentem feriam ſecundam translata fuerant, ad decidendam cauſam, ſeu cauſas huiusmodi mediante iuſtitia, ac fine debito terminandas: ſequenti die, Judice videlicet Domino Bartholomæo de Tizemhuſem Milite, mane pro Tribunali ſedente Andrea Keghel, & Voldemaro de Roſen, reſidente in Roſembek, Vaſallis Eccleſiæ Rigenſis ſibi pro Aſſeſſoribus ſpecialiter deputatis, pro parte Domini Archiepiſcopi contra ipſum Hennickium fuit propoſitum, & obiectum taliter, quod Feudum ſuum patrimoniale poſt obitum Patris ſui debito tempore iuxta conſvetudinem Rigenſis Diæceſis, a Domino ſuo ſcienter, & pertinaciter, una cum Fratre ſuo Otthone poſtulare contempſit, & neglexit, cum tamen Pater eius, & alii ſui Progenitores id non feciſſent, ſed Feudum ſuum infra tempus debitum, quod tenebant a Dominis ſuis, exigere, & recipere conſveviſſent; petebatur igitur pro parte dicti Domini Archiepiſcopi pronunciari, decerni, & declarari mediante iuſtitia, an propter negligentiam, & contemptum huiusmodi, Feudum ſuum amiſiſſet, vel quid iuris eſſet. Præfatus vero Hennickius ad hanc impeditionem Domini Archiepiſcopi præciſe reſpondere diſſimulans, aliis denique exquiſitis auxiliis ſe iuvare, & defendere praetendens, aſſeruit reſpondendo, quod Dominus ſuus nunquam repudiaſſet eum a placitis, tractatibus, & conſiliis ſuis, quibus, ſicuti, & eorum diffinitionibus, Sententiarum prolationibus una cum aliis Vaſallis ſemper interfuit, ac cum in colloquiis, & ſolatiis tam in menſa, quam alibi multipliciter celebraſſet, honorifice, & ſpecialiter eum in Exercitu ſuo aliis prætuliſſet, ubi principalis exercitus extiterat, Feudo Bandorum, ſive vexillo, quæ omnia ſi eum relevare, ac ipſum in iure ſuo conſervare non poſſent, ſciret utique Dominus ſuus, quod cum quadam vice Feudum ſuum exegiſſet, & ſe infeudari ab eo poſtulaſſet, dixiſſet ſibi, quod in iure ſuo non deberet eſſe neglectus, ſed deberet circa ius ſuum permanere. Contra quæ cum Dominus Archiepiſcopus replicaſſet, & ipſius Henneckii negando, rurſus impetitio, et reſponſio huiusmodi ad Vaſallorum, atque Judicis deciſionem, et examen poſita fuerat, et deducta, Vaſalli vero Præpoſitum, et Canonicos Rigenſes a ſe nitebantur excludere, qui tractatibus, ſeu placitis maxime generalibus, una cum eis ſemper conſveverunt intereſſe, volentes cauſas huiusmodi nunc per ſe duntaxat, et non alias definire. Noviſſime tamen prædictis admiſſis Canonicis, quos forſitan propter antiquam conſvetudinem non poterant amovere, ſimul cum eis prædictarum cauſarum meritis longa deliberatione penſatis, tandem ſuper his, minus tamen concorditer, ut poſtmodum apparuit, quandam inter ſe decreverunt Sententiam, quam per Godſthalcum de Pale publice pronunciari fecerunt, talem videlicet: quod ſi dictus Henneckius per duos probos, et fide dignos Viros Vaſallos Rigenſis Eccleſiæ docere poſſet, ac Dominum Archiepiſcopum de prædictis verbis convincere, ad obtinendum ſuum patrimonium, eſſet de iure propior, in qua probatione ſi deficeret, extunc Dominus Archiepiſcopus, ad evadendum ipſum, tanquam iure potior eſſet ſibi præferendus. Unde cum Dominus Archiepiſcopus diceret ſe libenter velle ſcire, et videre teſtes huiusmodi, ſubito ad requiſitionem ipſius de Mandato Judicis per ipſum Henneckium duo teſtes in linea, ſeu gradibus conſanguinitatis, ſibi utrobique participes fuerunt nominati, videlicet Henricus Reſe, et Heydekinnus Adorcas, quos cum Dominus Archiepiſcopus vocaret, et interrogaret quid ſcirent de auditu, et veritate verborum huiusmodi, retulerunt, quod verba prædicta ab eo certis loco, et tempore taliter audiviſſent; et cum Dominus Archiepiſcopus de ubi, et quando quæreret, reſpondit Heydekinnus, quod in Caſtro Rovneborth ante caminum ſuum anno præcedenti quodam tempore, quando fuit dies Vaſallorum, hæc verba dixiſſet, quibus alius teſtis aſſenſit. Videns autem, et ſentiens Dominus Archiepiſcopus quod prædicti teſtes non intuitu iuſtitiæ, ſed magis ad inductionem, et ſubordinationem, ac favorem ipſius Heydeckii eorum conſangvinei, nec non fautorum, at- Anno 1385.

Anno 1385. que amicorum ſuorum ſingula dicerent, eis igitur aceerſitis ad ſe, ipſum Henricum Roſen contra eum ſtantem requiſivit, dicens: et tu tamen quid de verbis iſtis aſſeris, te de Nobis audiviſſe? qui licet verbis, et dictis ipſius Heydekinni ſe conformaret, addidit tamen ultra atteſtationes eorum ſupradictas, quod Dominus Archiepiſcopus hæc verba dixiſſet: præſentibus, et audientibus tunc una cum ipſis Dominis Præpoſito Rigenſi, Ioanne Vithenſi, et Ioanne de Monte Canonicis Eccleſiæ Rigenſis, et Henrico Salcze quondam Advocato Thorerdenſi, quibus etiam prædictus Heydekinnus aſſenſit. Propter quod ex parte Domini Archiepiſcopi quæſitum fuit a Judice, ex quo alii fide digni teſtes ſuperſtites eſſent, per præfatos duos teſtes, quod praeſentibus, et audientibus nominati, ne etiam illi teſtes pro corroboratione, et relevamine iuris ſui tantam fidem poſſent facere, ac veritatem dicere, quantum alii praedicti duo teſtes partem adverſam in iure ſuo iuvare. Fuit inſuper in contrarium pro parte ipſius Henneckii quaeſitum a Judice ſupradicto; cum Vaſalli de conſenſu Partium ſemel definiviſſent de duobus teſtibus iam ſupranominatis, an ultra illos, et eorum dicta, alii teſtes ad perhibendum aliud teſtimonium deberent admitti, vel quid iuris eſſet. Sed cum viceverſa pro parte Domini Archiepiſcopi negatum fuiſſet, quod Dominus Archiepiſcopus in illos duos teſtes, nec in ſententiam, utpote iniquam adhuc nequaquam conſenſiſſet, ſed inſtaret, & ſuper aliorum teſtium nominatorum teſtimonio: erat ſuper his aliquamdiu inter partes ipſas hinc inde magna contentio, quousque dicta cauſa usque ad ſequentem feriam tertiam fuerat protunc de conſenſu ſuſpenſa, manente, & ſtante tali modo prædicta ſententia, cui Dominus Archiepiſcopus noluit acquieſcere, nec conſenſum, ut præmittitur, adhibere. Die itaque tertia Judice noſtro, quo præfertur, rurſum præſidente, cum prædicta cauſa in ſtatu, quo remanſerat, de mane reincepta fuiſſet, ſurrexerunt ad ultimum, & ad partem, atque locum ſpecialem ſe contulerunt infraſcripti Venerabiles Domini, Joannes Rigenſis, Ludovicus Tarbatenſis Eccleſiarum Præpoſiti, Magiſter Nicolaus, Scholaſticus eiusdem Tarbatenſis Eccleſiae ad preces Domini Archiepiſcopi conſtituti, Borchardus Commendator Sikhevoldenſis, & Gherardus Advocatus Vendenſis Ordinis Theutonicorum, ac ſtrenuus Miles Dominus Ioannes de Roſen dictam cauſam mediare, & partes ad concordiam ordinare volentes: Tandem in ea cauſa, ſeu cauſis huiusmodi feudalibus, civilibus, criminalibus, & aliis quibuscunque per prædictos Dominos, partibus utrisque conſentientibus Ordinatio, & Compoſitio amicabilis facta eſt in hunc modum: Primo quod Dominus Hennekeynus flexis genibus coram Domino ſuo Archiepiſcopo ad terram provolutus, gratiae Domini ſui corpore, & bonis ſe deberet ſubmittere, humiliter ſupplicando, ut vexationes, & offenſas, quas verbo, vel facto, aut alias contra eum qualitercunque commiſiſſet, ſibi remittere dignaretur. Item quod dictus Hennekeynus, & frater eius Otto, ipſorumque hæredes ab impetitione *Paghaſte*, *Canemoyſe*, ceſſare, & deſiſtere, ac eam de cetero nunquam impetere deberent. Item quod pro mutilatione, & homicidio, & linguae abſciſſione, & aliorum membrorum truncatione per ipſum Hennekium, & ſuos complices in ſubditos Domini Archiepiſcopi, & eius opprobrium mortaliter perpetratis ipſi mutilato, & interfecti conſanguineis debent commendando ſatisfacere, ac pro ſalute animae dicti interfecti ad ſtructuram Eccleſiae Parochialis in Lemzelle viginti Marcas Rigen. erogare. Item ſi ſuper limitibus terrarum inter Dominum ſuum, & ipſum eſſet diſcordia, debent ſuper terras huiusmodi cum Officialibus Domini ſui convenire, ac ſe invicem amicabiliter concordare. Item quivis rancor, perſecutio, & invidia, quæ tam verbo, quam facto in iudicio, vel extra, ſeu ante occaſione eorum huiusmodi qualitercunque, & per quoscunque tam inter Officiales, & familiares ipſius Hennekini ſumpſiſſent exordium, ſopita, & extincta penitus eſſe debent. Item ſi prædictus Hennekius talia forte facta unquam de cætero contra Dominum ſuum committeret, cum propoſito tali, quo præmiſſa per eum facta ſunt, huiusmodi ordinatio, & compoſitio extunc caſſa, irrita, & nulla eſſe debebit, illaque in quibus de novo ſic excedetur, ſimul cum iſtis hic nunc ſopitis ad ſtatum priſtinum quo ante ordinationem, & compoſitionem iſtam fuerant, debebunt integraliter redire, & eſſe eo modo ſi nunquam diſcuſſa fuiſſent. Qua quidem ordinatione, & compoſitione per dictum Dominum Ioannem de Roſen publice pronunciata, per ſe, & aliorum duorum nomine, atque voluntate præfatus Hennekius per ipſum Dominum Ioannem de Roſen requiſitus de gratificatione, & ratihabitione Ordinationis, & Compoſitionis huiusmodi reſpondit ipſam Ordinationem, & Compoſitionem ratam, & firmam habere,

Anno 1385.

Anno 1385. ore, & tenere, nec ei, vel alicui ipſorum in ipſa contentorum verbo, vel facto contravenire quovis modo, & ſubito palliorum capucio exuto, ac cingulo, & cultello depoſito, flexis genibus coram præfato Domino ſuo Archiepiſcopo ad terram procidens, dando ſe gratiæ ſuæ corpore, & bonis, ac complosis manibus reverenter ſe ad gratiam recipi, & offenſas contra eum verbo, vel facto commiſſas ſibi remitti humiliter ſupplicavit. Dominus itaque Archiepiſcopus cum ad inſtantiam, & petitionem praedictorum Dominorum, ceterorumque militum Vaſallorum, & aliorum multorum circumſtantium, ac inſtanter ſupplicantium prædicta Ordinatio, & compoſitio admiſſa fuiſſet, prædictum Hennekinum coram eo geniculantem, & de bonis ſuis paternis ſe infeudari petentem, ſuſcepit ad gratiam, ipſumque primo, & fratrem ſuum Ottonem poſtmodum etiam coram eo geniculantem, & ſimiliter ſicut frater ſuus petierat, ſupplicantem, de iuſtis eorum bonis paternis ſucceſſive unum poſt alium per traditionem oſculi infeudavit, & poſtquam ſurrexiſſent, iuxta conſvetudinem erectis digitis, ad pronunciationem Domini Ioannis de Roſen ſupradicti iurantes Omagium, & Fidelitatem Domino ſuo Archiepiſcopo, mutuo præſtiterunt. Nos igitur Ioannes, & Ludovicus Præpoſiti, ac Nicolaus Scholaſticus ſupradicti ad requiſitionem, & petitionem Domini noſtri Archiepiſcopi memorati, pro recognitione, & memoria perpetua omnium, & ſingulorum præmiſſorum, noſtra Sigilla ex certis noſtris ſcientiis huic Literæ, ſeu Inſtrumento publico duximus appendenda. Acta, facta, & pronunciata fuit hæc Ordinatio, & Compoſitio Anno, Indictione, Menſe, hora, Pontificatu, & loco quibus ſupra, in noſtrorum Notariorum publicorum ſubſcriptorum præſentia, qui ad conſcribendum acta, & facta huiusmodi, ac alia quæ præmiſſa ſunt per antedictum Dominum noſtrum Archiepiſcopum fuimus requiſiti. Præſentibus honorabilibus, & diſcretis Viris Dominis Magiſtro Jacobo de Ocſtenburg Licentiato in legibus Archidiacono Brughen. Friderico Grympe, & Henrico de Eſſen Canonicis Eccleſiae Rigenſis, Ioanne Crunvater Tarbaten. & Oſilien. Eccleſiarum Canonico, ſtrenuo Milite Domino Ioanne de Vughaian, Bernardo Jhoos in Kreyden. Henrico Kruzen in Kokenhuſſen Advocatis, Domino Arnoldo Koopman Plebano Eccleſiæ Parochialis in Uwenerkhe, Hennekino de Roſis Reſidente in Ropa de Clevo, & Brunekino, Kiiſkul Ghodſchalko Ludekino, & de Klevo de Pole, Hermano, & Henrico Salcze, Nicolao Eccleſiae Rigenſis, Daniele Brakel Vaſallo Eccleſiae Tarbatenſis. Ottone Alempoys, & Andrea Pathulle Vaſallis Ordinis Theutonicorum, aliisque pluribus fide dignis, teſtibus ad præmiſſa. Anno 1385.

Et Ego Henricus Helmorshuzen Clericus Oſilienſis Diœceſis Publicus authoritate Imperiali Notarius petitioni, propoſitioni, ſeu obiectioni, reſponſioni, replicationi cauſarum, & terminorum dilationi, ſive prolationi teſtium duorum ipſius Pickener, & aliorum reſiduorum nominationi amicabilis compoſitionis, & ordinationis pronuntiationi, infeudationi iuramenti de fidelitate præſtationi, ac omnibus aliis, & ſingulis præmiſſis, dum ſic ut præmittitur agerentur, & fierent una cum prædictis teſtibus præſens fui, eaque ſic fieri vidi, & audivi unde ad requiſitionem, & Mandatum Domini mei Archiepiſcopi prædicti hic una cum aliis Notariis me ſubſcripſi in publicam Formam redigendo præſentem Literam, Signoque meo ſolito, & conſveto ſignavi in teſtimonium omnium, & ſingulorum præmiſſorum requiſitus.

LX.

Tranſumptum Literarum Joannis *Papæ XXII. quibus deſignantur Conſervatores, & Judices Magiſtro, & Ordini Theutonico in Livonia, Colonienſis, & Magdeburgenſis Archiepiſcopi, ac Epiſcopus Traiectenſis. Ex Archivo Magni Ducatus Litvaniæ.* 1387.

Berhardus de Wampen Præpoſitus Gripeſwalden. Judex, & Subconſervator una cum infraſcriptis noſtris in hac parte Collegis a Reverendiſſimo in Chriſto Patre ac Domino, Domino Friderico Sanctae Colonienſis Eccleſiae Archiepiſcopo, Sacri Imperii per Italiam Archicancellario Apoſtolicae Sedis Legato, Judice, & Conſervatore, Venerabilibus, & Religioſis Viris Magiſtro, & Fratribus Hoſpitalis Sanctae Mariae Domus Theutonicorum Ieroſolimitanenſis per Livoniam, a Sede Apoſtolica cum ſuis Collegis infraſcriptis in ſolidum ad infraſcripta deputato Deputatus. Venerabilibus Viris, ac Vniverſis, & ſingulis Dominis, Religioſis, & Sæcularibns, Ab-

ANNO 1387. batibus, Prioribus, Præpoſitis, Decanis, & Archidiaconis, Sholaſticis, Cantoribus, Theſaurariis, Canonicis, perpetuis Vicariis Monaſteriorum, Cathedralium, & Collegiatarum Eccleſiarum, nec non Plebanis Parochiarum Eccleſiarum Altarium, & aliorum beneficiorum Eccleſiaſticorum Rectoribus, & Vicerectoribus, & eorum locum tenentibus, Perſonis Eccleſiaſticis, Notariis publicis, & aliis Perſonis Spiritualibus, vel Eccleſiaſticis per Vremenſem, Lubicenſem, Ratzeburgenſem, Zwernenſem, Caminenſem, Magdeburgenſem, Brandeburgenſem, Hanerborgenſem, Lubucenſem, Culmenſem, Warmienſem, Rigenſem, Tarbatenſem, Oſilienſem, Curonienſem, Zambienſem, Revalienſem Provincias, Civitates, & Diœceſes, & alias ubilibet conſtitutis ad quos præſentes Literae pervenerint, Salutem, & Mandatis noſtris, imo verius Apoſtolicis firmiter obedire.. Literas eiusdem Reverendiſſimi in Chriſto Patris, Domini FRIDERICI Colonienſis Eccleſiae Archiepiſcopi, vero eius Sigillo cum ſubſcriptione duorum Notariorum, ſignis eorum ſolitis, & conſvetis, eius iuſſu, & mandato ſigillatas, & ſignatas, ſanas, & integras non vitiatas, non cancellatas, nec in aliqua ſui parte ſuſpectas, omni prorſus vitio, & ſuſpicione carentes nobis pro parte honorabilium Virorum fratris Robym de Eſtzo Magiſtri ſummi Ordinis Beatae Mariae Domus Theutonicorum in Livonia, Alberti de Brynke in Riga, Golſthmi de Hattenicke in Dunemunde Commendatoris, coram Notario, & teſtibus exhibitas, & præſentatas nos cum ea qua decuit reverentia noveritis in hæc verba recepiſſe. FRIDERICUS Dei Gratia Sanctae Colonienſis Eccleſiae Archiepiſcopus, Sacri Imperii per Italiam Archicancellarius, Sedis Apoſtolicae Legatus, Judex, ſeu Conſervator, una cum Reverendis in Chriſto Patribus Dominis Archiepiſcopo Magdeburgenſi, & Epiſcopo Traiectenſi ad infra ſcripta, a Sede Apoſtolica in ſolidum delegatus, Reverendis in Chriſto Patribus Dominis Zwermenſi, & Havelbergenſi Epiſcopis, nec non Præpoſito de Gripſewalden, Camynenſis Diœceſis, & eorum cuilibet in ſolidum ſalutem in Domino cum notitia Maieſtatis. Noveritis nos quasdam Literas Apoſtolicas hic inſertas nobis pro parte Venerabilium Religioſorum Virorum Magiſtri, & Fratrum Hoſpitalis Sanctae Mariae Domus Theutonicorum Ieroſolimitanenſis per Livoniam exhibitas, & oſtenſas, ſanas, & integras in nulla ſui parte corruptas, vera Bulla plumbea, & filo canapi bullatas, omnique ſuſpicione carentes recepiſſe. Poſt quarum receptionem, fuit nobis pro parte eorundem Magiſtri, & Fratrum ſupplicatum, ut dictas Literas Apoſtolicas tranſumi mandaremus, & ut ipſi Tranſumpto, quia eas in primarium forum, de loco ad locum, ac de terra ad terram tranſportare, propter multa viarum diſcrimina, & aquarum, non eſt tutum, fides plenaria tanquam originali earundem valeat adhiberi, unde ipſorum ſupplicationibus inclinati easdem Literas Apoſtolicas per Notarios Publicos infraſcriptos tranſumi, & tranſcribi mandavimus, decrevimus, & decernimus per præſentes, quatenus dicto Tranſumpto fides adhibeatur perpetuo, tanquam Originali, noſtram in præmiſſis authoritatem interponentes, pariter & Decretum. Quarum Literarum Apoſtolicarum tenor talis eſt. JOANNES Epiſcopus Servus Servorum Dei: Venerabilibus Fratribus Colonienſi & Magdeburgenſi Archiepiſcopis, ac Epiſcopo Traiectenſi ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Etſi quibuslibet Religioſis perſonis, & locis, ex iniuncto nobis ſervitutis officio, aſſiſtere defenſionis præſidio teneamur, illis tamen ſpecialius, & efficacius adeſſe Nos convenit, qui Sedi Apoſtolicae immediate ſubiecti, non habent præter Romanum Pontificem alium defenſorem. Sane dilectorum Filiorum Magiſtri, & Fratrum Hoſpitalis Sanctae Mariae Theutonicorum Ieroſolimitanenſis ad Romanam Eccleſiam pertinentium conqueſtione percepimus, quod nonnulli Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, & alii Clerici, Eccleſiaſticae Perſonæ tam Religioſae, quam Sæculares, nec non Comites, & Barones, Nobiles, Milites, & Vniverſitates, & alii Sæculares, Civitatum, & Diœceſis, ac partium vicinarum, in quibus Hoſpitale, nec non, & alia loca, eidem Hoſpitali pleno iure immediate ſubiecta, ad eandem Sedem duntaxat ſpectantia conſiſtere dinoſcuntur, occuparunt, & occupandas fecerunt Eccleſias, Grangias, Caſtra, Caſalia, Terras, Vineas, Poſſeſſiones, Cenſus, Redditus, & Proventus, Jura, Jurisdictiones, & nonnulla alia bona mobilia, & immobilia ad Domum Hoſpitalem, & ad alia prælibata eius membra, ſpectantia, ſeu eadem detinentibus, præſtant auxilium, & favorem. Nonnulli etiam Civitatis, & Diœceſis, ac partium prædictarum, qui nomen Domini in vacuum recipere non formidant, dictis Magiſtro, & Fratribus dicti Hoſpitalis in Eccleſiis, Grangiis, Caſtris, Caſalibus, Terris, Jurisdictionibus, Juribus, Bonis, & rebus aliis ad Hoſpitale prædictum ſpectantibus ANNO 1387.

Anno bus, multiplices iniurias, ac moleſtias
1387. inferunt, & iacturas. Quare dicti Magiſter, & Fratres nobis humiliter ſupplicarunt, ut cum valde difficile reddatur eisdem, & aliis membris ſuis pro ſingulis querelis ad Apoſtolicam Sedem habere recurſum, providere eis ſuper hoc prima diligentia curaremus. Nos igitur adverſus Occupatores, Detentores, Præſumptores, Moleſtatores, & Iniuriatores huiusmodi, illo volentes eis remedio ſubvenire, per quod ipſorum compeſcatur temeritas, & aliis aditus committendi ſimilia præcludatur, Fraternitati Veſtrae per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos duo, aut unus veſtrum per vos, vel alium, ſeu alios etiamſi ſint extra loca, in quibus deputati eſtis Conſervatores, & Judices, Magiſtro, Fratribus, & membris prædictis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, non permittatis eosdem ſuper his, & quibuslibet aliis bonis, & iuribus ad ipſos ſpectantibus ab eisdem, & quibuscunque aliis indebite moleſtari, vel ſibi gravamina, ſeu damna, vel iniurias irrogari, facturi ipſis cum ab eis, vel eorum aliquo, ſeu Procuratore, vel Procuratoribus eorundem, vel alicuius eorum fueritis requiſiti, de prædictis, & aliis perſonis quibuslibet ſuper reſtitutione Eccleſiarum, Grangiarum, Caſtrorum, Caſalium, Terrarum, Poſſeſſionum, Jurisdictionum, Jurium, & Bonorum mobilium, & immobilium, reddituum quoque & proventuum, & aliorum quorumcunque Bonorum, nec non & de quibuslibet iniuriis, & moleſtiis, atque damnis præſentibus, & futuris, in illis videlicet quæ iudicialem requirunt indaginem, de plano ſine ſtrepitu, & figura iudicii, in aliis vero, prout qualitas eorum exegerit, iuſtitiae complementum, Occupatores, ſeu Detentores, Moleſtatores, ſeu Præſumptores, Iniuriatores huiusmodi, nec non contradictores quoslibet, & rebelles, cuiuscunque ſtatus, & Ordinis, vel conditionis, etiamſi Archiepiſcopalis, vel Epiſcopalis dignitatis extiterint, quandocunque, & quotiescunq; expedierit, authoritate noſtra, appellatione poſtpoſita compeſcentes, invocato ad hoc ſi opus fuerit auxilio brachii ſæcularis, non obſtantibus felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. Prædeceſſoris noſtri, in quibus cavetur, ne aliquis extra ſuam Civitatem, & Diœceſim, niſi in certis exceptis caſibus, & in illis ultra unam dietam, a fine ſuae Diœceſis, ad iudicium evocetur, ſeu ne Judices, & Conſervatores, a Sede, de præſenti prædicta, extra Civitatem, & Diœceſim, in quibus deputati

fuerint, contra quoscunque procedere, Anno
ſive alii, vel aliis vices ſuas committere, 1387.
aut aliquos ultra unam dietam a fine Diœceſis eorundem trahere præſumant, ſeu quod de aliis, quam de manifeſtis iniuriis, & violentiis, quæ iudicialem indaginem exigunt, pœnis in eos, ſi ſecus egerint, & in id procurantes adiectis, Conſervatores ſe nullatenus intromittant, & tam de duabus dietis in Conſilio Generali, ultra tertiam, vel quartam dietam, ne aliquis extra ſuam Civitatem, & Diœceſim authoritate præſentium ad iudicium trahat, quam aliis quibuscunque Conſtitutionibus a Prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, tam de Judicibus delegatis, & Conſervatoribus, quam perſonis ultra certum numerum ad iudicium non vocandis, aut aliis editis, quae veſtrae poſſint in hac parte iurisdictioni, aut poteſtati, eiusque libero exercitio quomodolibet obviare, ſeu ſi aliquibus coniunctim, vel diviſim a prædicta Sede ſit indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari, ſeu extra, vel ultra certa loca, ad iudicium evocari non poſſint, per Literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de Indulto huiusmodi, ac perſonis, locis, ordinibus, & nominibus propriis mentionem, & qualibet alia dictæ Sedis indulgentia generali, vel ſpeciali cuiuscunque tenoris exiſtat, per quam præſentibus non expreſſam, vel totaliter non inſertam, veſtrae iurisdictionis explicatio valeat quoquo modo impediri, & de qua, eiusque toto tenore de verbo ad verbum in noſtris Literis habenda ſit mentio ſpecialis. Cæterum volumus, & authoritate Apoſtolica decernimus, quod quisque veſtrum perſequi valeat articulum per alium inchoatum, quamvis idem inchoans nullo fuerit impedimento canonico impeditus. Quodque a data præſentium ſit Vobis, & unicuique veſtrum in præmiſſis omnibus, & eorum ſingulis, cæptis, non cæptis, præſentibus, & futuris perpetuata poteſtas, & iurisdictio attributa, ut eo vigore, eaque firmitate poſſitis in præmiſſis omnibus cæptis, & non cæptis, præſentibus, & futuris, & pro prædictis procedere, ac ſi prædicta omnia, & ſingula coram vobis cæpta fuiſſent, & iurisdictio veſtra, & cuiusque veſtrum in prædictis omnibus, & ſingulis per citationem, vel modum alium perpetuata legitime extitiſſet, Conſtitutione prædicta ſuper Conſervatoribus, & alia qualibet in contrarium edita non obſtantibus. Datum Avenione IV. Idus Julii Pontificatus noſtri Anno tertio. Nos igitur Fredericus Archie-

Anno 1387. chiepiſcopus Conſervator prædictus, viſis, & examinatis præfatis Literis Apoſtolicis, & collatione facta debite de eisdem, quia invenimus eas eſſe veras, omnique ſuſpicione carentes, propter cauſam præmiſſam decernimus in his ſcriptis, dicto Tranſumpto tanquam ſuo Originali fidem plenariam eſſe adhibendam. Verum quod noſtris, & Eccleſiæ noſtræ Colonienſis arduis negotiis præpediti, cauſis, & querelis Magiſtri, & Fratrum prædictorum, de quibus in ipſis Literis Apoſtolicis fit mentio, ad præſens commode intereſſe non poſſimus, ut vellemus, vobis, & veſtrum cuilibet in ſolidum authoritate Literarum Apoſtolicarum prædictarum in præmiſſis omnibus, & ſingulis tenore præſentium committimus vices noſtras plenarie, donec eas ad Nos duxerimus revocandas, ipſumque tranſumptum una cum ſubdelegatione noſtra præſenti, per Notarios Publicos infraſcriptos ſubſcribi, & publicari mandavimus, & Sigillo noſtro ſigillari in teſtimonium, & evidentiam veritatis. Datum, & Actum in Caſtro noſtro Judesburgk noſtrae Diæceſis, in Cancellaria noſtra, ibidem ſub Anno Domini milleſimo trecenteſimo octuageſimo ſeptimo, Indictione nona, die viceſima tertia Menſis Auguſti, hora veſperarum, vel quaſi, Pontificatus Sanctiſſimi in Christo Patris, & Domini noſtri, Domini Urbani divina providentia Papae ſexti, Anno nono. Præſentibus ibidem Nobili Bernhardo de Heckenſtein Conſanguineo, Joanne de Xacte Xancten. noſtræ Diœceſis, & Joanne de Orſzya Sanctae Mariae, Colonienſis Eccleſiarum Canonicis, Capellanis noſtris dilectis, teſtibus ad præmiſſa. Et quia ego Vilhelmus de duobus Montibus Colonien. Diœceſis Apoſtolica, & Imperiali authoritatibus publicus, dictique Reverendiſſimi in Chriſto Patris, & Domini noſtri, Domini Friderici Dei Gratia Archiepiſcopi Colonienſis iuratus Notarius, & Scriba, dictarum Literarum Apoſtolicarum præſentationi, receptioni, examinationi, collationi, Decreti interpoſitioni, Commiſſioni, & aliis præmiſſis una cum prænominatis teſtibus præſens fui, ideoque præſentes Literas per alium ſcriptas, aliis occupatus negotiis, de mandato dicti Domini noſtri, Domini Friderici Archiepiſcopi, una cum diſcreto Viro Magiſtro Conemanno Notario infraſcripto, in Formam publicam redegi, & una cum appenſione Sigilli eiusdem Domini noſtri Archiepiſcopi me ſubſcripſi, & ſignum meum conſvetum appoſui rogatus, & requiſitus in teſtimonium præmiſſorum.

Et ego Conemannus Petri de Sobernhek Clericus Moguntinenſis Diœceſis, publicus Imperiali authoritate, dictique Reverendiſſimi Patris, & Domini noſtri, Domini Friderici Dei Gratia Archiepiſcopi Colonienſis Notarius iuratus, quia prædictarum Literarum Apoſtolicarum præſentationi, earumque receptioni, examinationi, collationi, Decreti interpoſitioni, commiſſioni, ac aliis præmiſſis una cum prænominatis teſtibus præſens interfui, ideo præſentes Literas per alium ſcriptas aliis occupatus negotiis de mandato ipſius Domini noſtri Archiepiſcopi cum diſcreto Viro Magiſtro Vilhelmo Notario ſupraſcripto, in Formam publicam redegi, & una cum appenſione Sigilli eiusdem Domini noſtri Archiepiſcopi, me ſubſcripſi, & ſignum meum apoſui rogatus, & requiſitus in teſtimonium præmiſſorum. Poſt quarum quidem Literarum in publicam formam redactarum præſentationem, receptionem, & examinationem fecimus pro parte prænominatorum per Fratrem Joannem eorum Procuratorem, cum inſtantia requiſiti, ut ad Decretum citationis, & citationem Domini Joannis Kendeneſt Præpoſiti, Decani, & Capituli Eccleſiae Lubicenſis incluſive, & conſequenter ad alia procedenda iuxta iuris ordinem procedere curaremus. Nos vero vigore Commiſſionis nobis factae contra Joannem Kendeneſt Præpoſitum, Decanum, & Capitulum Eccleſiae Lubicenſis, pro Magiſtro, & Fratribus, citandos decrevimus eos, & eum ad certum peremptorie terminum coram nobis comparituros, & compariturum, querelis Magiſtri, & Fratrum reſponſuros, & reſponſurum, per noſtras certi tenoris Literas manu Tabellionis ſubſcriptas, citari mandavimus, in certo comparitionis termino Fratre Joanne Rekelnik Ordinis Sanctae Mariae Domus Theutonicorum in Livonia, pleno Mandato Magiſtri, & Fratrum Ordinis eiusdem, nec non Domino Henrico Oltena pro parte Domini Joannis Kendeneſt, Clerici Præpoſiti, & Decani, & Capituli Lubicenſis Eccleſiæ Procuratoribus coram nobis ad iura reddenda pro Tribunali ſedente, comparentibus, noſtra iurisdictione fundata Procurator Magiſtri, & Fratrum citatorum, Inſtrumentum publicum ſuper eius executione confectum in medium ſucceſſive produxit, ac de verbo ad verbum legi fecit, procuratoriis partium Literis, & quibusdam proteſtationibus pro parte reorum præhabitis, idem Procurator petitione Magiſtri, & Fratrum in, & ſuper quibus Præpoſitus, Decanus, & Capitu-

Anno 1387.

ANNO 1387. pitulum Ecclesiae Lubicensis invitabantur, & invitantur, eisdem inscriptis, obtulit, & produxit, ac legi fecit, copiisque omnium productorum, & competenti termino ad dicendum contra producta eorum Procuratori, ipso Procuratore hæc petente, per nos Decretis præfixo in termino Procurator Præpositi, Decani, & Capituli coram nobis in iudicio, Procuratore Magistri, & Fratrum præsente, comparuit, & inter cætera quandam Papyri cedulam in modum exceptionis declinatorii fori conscriptam produxit, huiusmodi exceptionis copia Procuratori Magistri, & Fratrum ipso Procuratore petente per nos decreta, & termino parti actrici, ad contradicendum statuto, & assignato, nobis adhuc pro Tribunali sedentibus, dictus Procurator Præpositi, Decani, & Capituli nos quodam instrumento publico, nullius authoritate Judicis transumpto, Processus Venerabilis Patris, ac Domini Arosiensis Episcopi, & excommunicationis, interdictorum, & suspensionis sententias ad instantiam Archiepiscopi, ac Præpositi, & Capituli Rigensis Ecclesiae, contra Magistrum, Commendatores, & Fratres de Livonia, per Venerabilem Procuratorem Dominum Archiepiscopum Arelatensem, eius Coexecutorem latas, de, & super ponenda Civitate Rigensi ad manus, & liberam dispositionem Domini nostri Papæ, in se continente, ad huius Instrumenti executionem faciendam requisivit, quo exhibito, & lecto pro parte Magistri & Fratrum Commendatorum allegatum fuerat, & demum omnes, & singulos processus excommunicationis, interdictorum, suspensionis, & aliarum censurarum Ecclesiasticarum sententias continentes, factas per Venerabilem Patrem Dominum Episcopum Arosiensem, & per alios, per eum, seu quosvis alios deputatos, de, & super ponenda Civitate Rigensi ad manus, & liberam dispositionem Domini nostri Papæ, contra Magistrum, Præceptores, Commendatores, & Fratres, Ecclesias, loca, terras, & subditos eorundem per Reverendissimum Dominum, Dominum FRANCISCUM tituli Sancti Marci Presbyterum Cardinalem ad hæc Commissarium specialiter deputatum, fore revocatos, totaliter amotos, & sublatos, & eorundem Magistri, & Fratrum Procurator petiit sibi terminum ad producendam revocatoriam per Nos statui, & assignari, dictumque Dominum Henricum Oltena Procuratorem Præpositi, Decani, & Capituli Ecclesiæ Lubicensis per nos viva voce citari, & ad videndum revocatoriam produci, eidem certum terminum ad producendum revocatoriam de Jurisperitorum consilio nobis assidentium statuimus, & assignavimus, & eundem Dominum, Dominum Henricum Oltena Procuratorem ad hunc terminum, ad videndum produci revocatoriam citavimus viva voce, subsequenter vero Fratre Joanne Procuratore Magistri, & Fratrum, in termino comparente, instante, & contumaciam Domini Henrici, Procuratoris Præpositi, Decani, & Capituli, & ipsorum non comparentium contumaciam accusante. Nos exigente iustitia ipsos prout merito erat reputavimus contumaces, et in eorum contumaciam Frater Ioannes Procurator Magistri, & Fratrum quandam revocatoriam processuum, Sigillo Reverendi Domini, Domini FRANCISCI Cardinalis supradicti sigillatam produxit, & sub hac verborum forma legi fecit. Vniversis, & singulis Archiepiscopis, Episcopis, Clericis, Abbatibus, Prælatis, Prioribus, Decanis, Plebanis, Ecclesiarum Rectoribus, eorum Vicariis, & loca tenentibus per Livoniam, Lethiam, Semigalliam, Estoniam, Prussiam, Almaniam, & alibi ubilibet constitutis ad quos Literae præsentes pervenerint. FRANCISCUS miseratione Divina tituli Sancti Marci Presbiter Cardinalis, ad infrascripta Commissarius per Sedem Apostolicam specialiter deputatus, salutem, sinceram in Domino charitatem, & Mandatis nostris, imo verius Apostolicis firmiter obedire. Pridem Sanctissimus in Christo Pater, & Dominus noster, Dominus INNOCENTIUS divina Providentia Papa sextus nobis inter cætera vocis vivae commisit oraculo, quatenus omnes, & singulos processus Censurarum Ecclesiasticarum sententias continentes, contra Venerabiles, & Religiosos Viros Magistrum, Præceptorem, Commendatores, & Fratres Beatae Mariae Theutonicorum in Livonia, ipsorum Ecclesias, Terras, loca et subditos ad instantiam Venerabilis Patris Domini Uromoldi Archiepiscopi, ac Præpositi, et Capituli Rigensis Ecclesiae etiam divisim, authoritate quacunque factos, quidquid exinde secutum est, cum omnibus suis, effectu, et sequela suspendere, tollere, et revocare, ac quoscunque petentes ab ipsis sententiis Ecclesiasticis absolvere, et easdem censuras Ecclesiasticas tam interdicti, quam alias suspendere, et etiam relaxare possemus, etiam ad cautelam, et super his si expediret in partibus Commissariorum deputare, contradictores, et rebelles per censuram Ecclesiasticam, et alias, prout opportunum fuerit compescendo. Post quæ con-

ANNO 1387. convocatis, et præsentibus coram nobis certa die Venerabili Patre Domino Archiepiscopo prædicto, et Procuratore Præpositi, et Capituli iam dictorum, ex una parte, nec non Procuratore Magistri, et Fratrum præfatorum ex altera, et eisdem partibus commissionem huiusmodi approbantibus nobis factam, et sponte renuntiantibus omni iuris solemnitati, Nos partibus ipsis ad audiendum nostram voluntatem, et ordinationem super præmissis assignavimus certam diem, in qua partibus sæpedictis coram nobis in iudicio constitutis, Nos FRANCISCUS Cardinalis et Commissarius antedictus, Procurator dictorum Magistri, et Fratrum, authoritate Apostolica nobis data, omnes, et singulos processus Excommunicationum, Interdictorum, suspensionis, et aliarum Censurarum Ecclesiasticarum Sententias continentes, factas per Venerabilem Patrem Dominum Episcopum Arosiensem, et alios, per eum, seu quosvis alios deputatos, de, et super ponenda Civitate Rigensi ad manus, et liberam dispositionem Domini nostri Papæ Prædecessoris, contra Magistrum, Præceptorem, Commendatorem, et Fratres, Ecclesias, loca, terras, et subditos eorundem, et alia contra alios etiam ipsorum occasione, authoritate Apostolica, quæ diversis temporibus emanarunt, vigore, quorum si, et quatenus ipsi Magister, Præceptores, Commendatores, et Fratres, aut alii faventes eisdem, dictas Sententias, et omnia Interdicta in quascunque Civitates, Ecclesias, Terras, et Loca, vigore dictorum processuum promulgata, occasione præfata, vel prolata relaxandas, et totaliter duximus amovendas per nostras certi tenoris Literas, sive Instrumentum publicum, ac omnes, et singulos, si qui dictas Excommunicationum, Interdictorum, Suspensionis vel alias, seu aliqua earum sententias incurrerunt, voluimus, et ordinavimus per Commissarios, quos ad hæc deputaremus, ab eisdem Sententiis sine difficultate, si poterint, absolvi, etiam simpliciter ad cautelam, dictosque processus tunc tollendos duximus, et totaliter submovendos, ac cessare, et conquiescere decrevimus, et mandavimus, ne de cætero quisquam vigore, vel authoritate ipsorum processuum ligaretur, inhibentes ipsi Domino Archiepiscopo, et aliis Executoribus, super his authoritate Apostolica deputatis, ne deinceps aliqua facerent, vel ad quascunque Sentencias, vel ipsarum denuntiationes procederent, vigore processuum eorundem, ac decernentes extunc irritum, et inane quidquid contra præsentem nostram inhibitionem per quoscunque contigerit attentari, ipsius Domini Episcopi Arosiensis, et aliorum Executorum potestatem, quo ad præmissa et authoritatem revocamus penitus antedictam. Nos itaque FRANCISCUS Cardinalis, et Commissarius sæpedictus volentes, prout decens esse censemus, huiusmodi Sententiarum Interdicti, et ipsorum Interdictorum, ac Processuum, et Censurarum Ecclesiasticarum relaxationem, amotionem, sublevationem, ac voluntatem, et ordinationem, Mandata, inhibitionem, Decretum, et revocationem, ac omnia, et singula suprascripta ad cunctorum, quos tangit, vel tangere poterit, devenire notitiam, ut ipsi sibi salubriter consulere possint, et ut divinus cultus propterea non tardetur, Vobis nihilominus in virtute Sanctæ obedientiæ authoritate Apostolica prædicta mandantes, quatenus cum Literæ præsentes venerint ad Vos, & pro parte, seu nomine supradictorum Magistri, Præceptoris, Commendatoris, et Fratrum, sive eorum Procuratoris, aut Nuntiis fueritis requisiti, in Ecclesia vestra, aut aliis Ecclesiis, Civitatibus, locis, atque terris, in quibus huiusmodi Interdicta, occasione præfata posita, ac Processus Censuræ Ecclesiasticæ, quicunque facti, et lati fuerint, authoritate Apostolica supradicta Sententias Interdicti, et omnium Interdictorum, ac Processuum, et Censurarum Ecclesiasticarum præfatarum relaxationem, amotionem, sublationem, et submotionem, nec non voluntatem, et ordinationem, ac omnia, et singula, dicta authoritate facta, et ordinata, sicut prædicitur, per vos, vel alium, seu alios quomodo opus fuerit publicare, et intimare curetis, ac publicetis, et omnibus publice intimetis, ita quod unus vestrum in his exequendis alium, vel alios non expectet. Committimus vobis insuper, et vestrum cuilibet in solidum authoritate prædicta, et in virtute dictæ sanctæ obedientiæ mandamus, quatenus omnes, et singulos, qui forsan supradictas sententias quomodolibet incurrissent, et qui a vobis absolutionis beneficium postulabunt, authoritate præfata etiam simpliciter, et ad cautelam sine difficultate qualibet absolvatis, alioquin si Mandatis nostris, imo verius Apostolicis non parueritis cum effectu, contra vos, et singulos vestrum per Censuram Ecclesiasticam, et alias, prout iustum fuerit, procedemus. In quorum omnium testimonium præsentes Literas nostri Sigilli munitas appensione, Magistro, et Fratribus memoratis duximus concedendas.

ANNO 1387.

Da-


ANNO 1387. Datum Avinione in hoſpitio noſtræ habitationis. Anno a Nativitate Domini milleſimo trecenteſimo ſexageſimo. Indictione XIII. Pontificatus Domini noſtri Papæ Anno ſeptimo, die XXVIII. Menſis Decembris. Qua lecta, et diligenter examinata idem Frater Ioannes Procurator exſuper abundanti, quoddam Inſcriptum publicum manu Erbordi Ruſzen de Elbinge Tabellonis conſcriptum in iudicium exhibuit, per quod fidem fecit, et ſententias Cenſurarum Eccleſiaſticarum per Reverendum in Chriſto Patrem Dominum Stephanum Archiepiſcopum Arelatenſem Coexecutorem, contra Magiſtrum, Commendatores, et Fratres de Livonia, de et ſuper ponenda Civitate Rigenſi, ut ſuperius, latas, per eundem Reverendum in Chriſto Patrem Dominum Stephanum Archiepiſcopum Arelatenſem, eſſe revocatas, quam revocatoriam petiit exequi, et executioni demandari. His exhibitis, et productis, decrevimus utrumque mandatum, primo proceſſum Epiſcopi Aroſienſis, deinde revocatoriam proceſſuum dicti Epiſcopi Aroſienſis, et aliorum executioni fore mandandum, quæ per Magiſtrum Gherardum Schednik, Capellanum noſtrum in noſtra Eccleſia Gripesvaldenſi fecimus executioni demandari. Demum ad inſtantiam dicti Fratris Ioannis Procuratoris, Dominum Henricum Oltena Procuratorem Venerabilis Domini Ioannis Kendenſt olim Præpoſiti, Decani, et Capituli Eccleſiæ Lubicenſis, coram nobis conſtitutum, nobis pro Tribunali ſedente viva voce ad certum peremptorium terminum, cum dierum competentibus intervallis citavimus, ad dicendum, allegandum, et opponendum contra revocatoriam quicquam, nomine Præpoſiti, Decani, et Capituli, ſi contra revocatoriam dicere, allegare, et opponere voluerit: in huiusmodi termino dictus Dominus Ioannes Præpoſitus, Decanus, et Capitulum, minime per dictum Dominum Henricum Oſtena eorum Procuratorem, vel per ſe, aut per alium comparere curaverunt, Fratre Ioanne Procuratore coram nobis comparente, inſtante, et contumaciam in perſonam Procuratorum citatorum non comparentium accuſante, iuſtitia exigente ipſos reputavimus contumaces, et in eorum contumaciam revocatoriam proceſſuum alias productam produxit, quam Nos, prout petitum erat, examinandam diligenter cum nobis aſſidentibus examinavimus, et eam, ut reperimus, pronunciavimus, et decrevimus non vitiatam, non cancellatam, ſed omni prorſus vitio, et ſuſpicione carentem, atque per Heningum Vilden publicum Notarium, noſtra authoritate tranſumendam, & exemplandam, & in publicam Formam redigendam, & executioni demandandam. Poſt huiusmodi vero pronunciationem, Procurator Magiſtri, & Fratrum nobis humiliter ſupplicavit, ut ad executionem procedere dignaremur, & eam exequi faceremus. Nos igitur Enhardus Præpoſitus, Judex, & Subconſervator, authoritate Apoſtolica, qua fungimur in hac parte, vos, & veſtrum cuilibet in virtute ſanctæ obedientiae, & ſub Excommunicationis pœna, quam in vos, & quemlibet veſtrum, & quoslibet alios Contradictores, & rebelles trium dierum canonica monitione præmiſſa, ferimus in Dei Nomine in his ſcriptis, ſi ea, quæ vobis in hac parte præcipimus, & committimus, neglexeritis, vel recuſaveritis, aut plus debito diſtuleritis contumaciter adimplere, diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus vos, vel alter veſtrum, qui ſuper hoc pro parte Magiſtri, & Fratrum Ordinis Beatæ Mariæ Domus Theutonicorum de Livonia fueritis requiſiti, aut fuerit requiſitus, ita quod ad hæc agenda unus alterum non expectet, nec aliter pro reliquo ſe excuſet infra prædictum trium dierum ſpatium, quorum dierum pro primo unum, pro ſecundo alterum, reliquum pro tertio, & peremptorio termino, ac monitione canonica aſſignamus, Literas Reverendi in Chriſto Patris, & Domini noſtri FRANCISCI tituli Sancti Marci Presbyteri Cardinalis præinſertas, ſolemniter in Eccleſiis veſtris, dum maior ibi aderit populi multitudo, & in ſermonibus publicis, & alibi, ubi & quoties expediens fuerit, diebus Dominicis, & feſtivis publicetis, inſinuetis, intimetis, & notificetis, quas vobis, & cuilibet veſtrum publicamus, inſinuamus, intimamus, notificamus, & ad veſtrum, & cuiuslibet veſtrum notitiam deducimus, & deduci volumus per præſentes, mandantes vobis inſuper, & veſtrum ſingulis, pœna, & monitione canonica præmiſſis, ut proceſſus Reverendi Patris, & Domini Magiſtri Epiſcopi Aroſienſis, & aliorum in ſe continentes Sententias Excommunicationis, Interdictorum, & Suſpenſionis contra Magiſtrum, Præceptorem, Commendatores, & Fratres Ordinis Sanctæ Mariæ Domus Theutonicorum in Livonia, Eccleſias, Loca, Terras, & Subditos eorundem, ad inſtantiam Archiepiſcopi, Præpoſiti, & Capituli Rigenſis Eccleſiæ latas, de & ſuper ponenda Civitate Rigenſi ad manus, & ad liberam diſpoſitionem Domini noſtri Papæ, protunc

ANNO 1387.

ANNO 1387. tunc per antedictum Reverendum in Christo Patrem Dominum FRANCISCUM Cardinalem ad hæc Commissarium a Sede Apostolica specialiter deputatum, & potestatem executoriam Episcopi Arosiensis, & aliorum Coexecutorum eiusdem revocatas, totaliter amotas, & sublatas, revocatam penitus, sublatam, & amotam fore, & Magistrum, Præceptores, Commendatores, & Fratres Ordinis Sanctæ Mariæ Domus Theutonicorum in Livonia prætextu dictorum processuum in similibus & extra non esse evitandos, singulis Dominicis diebus, & festivis in vestris Ecclesiis multitudine populi aggregata publice nuntietis, & nuntiandum faciatis, quos et nos etiam tenore præsentium simili modo denuntiamus. Quidquid autem de et super præmissis feceritis, nobis per vestras certi tenoris Literas authenticas vestris Sigillis sigillatas, aut præsens Inscriptum, seu præsentia inscripta harum nostrarum Literarum seriem, seu certam designationem continentes, seu continentia, cum remissione præsentium, si opus fuerit, et requisiti fueritis, fideliter intimare curetis, præfatas quoque Literas, et hunc nostrum processum penes dictos Magistrum, et Fratres, aut eius Procuratorem volumus remanere, & non per vos, vel aliquem vestrum, aut quemvis alium contra ipsorum, vel Procuratoris sui voluntatem quomodolibet detineri, contrarium vero facientes trium dierum canonica monitione præmissa in his scriptis Excommunicationis sententia innodamus, absolutionem vero omnium præmissorum nobis, & superioribus, modo speciali, & expresse reservantes. In quorum omnium fidem, & testimonium præsentes Literas, seu præsens publicum Transumptum huiusmodi nostrum processum continens, per Notarium publicum infrascriptum scribi, & publicari mandavimus, ac nostri Sigilli fecimus appensione muniri. Datum & Actum Gryspeswald Anno Domini millesimo trecentesimo LXXXVII. Indictione decima, Mensis Februarii, die XXV. hora vesperarum vel quasi, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, ac Domini nostri, Domini URBANI divina providentia Papæ VI. Anno nono, Præsentibus honorabilibus Viris Dominis Magistro Joanne Sundis Presbytero, Joanne Joden, Mathia Vokenetzen, Roperto Deghedn, & Ulrico Scaden Clericis Notariis publicis Caminensis, et Tarbatensis Diœcesis, testibus ad præmissa vocatis, specialiter et rogatis.

Et Ego Henricus dictus Vilde Clericus Caminensis Diœcesis Publicus Imperiali authoritate Notarius præmissis omnibus, et singulis, dum sic per Venerabilem Virum Dominum, et Magistrum Euchardum de Wampen Præpositum Gryspelvaldensem præfatum, ut præmittitur, agerentur, et fierent, una cum prænominatis testibus præsens interfui, eaque sic fieri vidi, et audivi, et de Mandato eiusdem Domini, et Magistri Euchardi Præpositi in hanc publicam Formam redegi, quam manu mea propria conscripsi, signoque et nomine meis solitis, et consvetis una cum appensione Sigilli dicti Domini Euchardi Præpositi signavi, et roboravi rogatus, et requisitus in testimonium omnium, et singulorum præmissorum. ANNO 1387.

fic in Originali.



LXI.

BONIFACIUS *Papa* IX. *innovat Literas* ALEXANDRI IV. *quibus possessiones, quas enumerat, ac Episcopatus subiectos, nec non prærogativas Archiepiscopales Archiepiscopatus Rigensis confirmat, sub alia renovatione* CLEMENTIS IV. Dat. Romæ, die 10. Junii. Anno 1389. *Ex Originali.* 1389.

BONIFACIUS Episcopus Servus Servorum Dei ad futuram rei memoriam. Exigunt merita sinceræ devotionis, et fidei, quam Venerabilis Frater noster Joannes Archiepiscopus Rigensis ad nos, et Romanam gerit Ecclesiam, ut votis suis, in his præsertim, quæ suorum, suæque Rigensis Ecclesiæ Jurium conservationem respiciunt, favorabiliter annuamus. Sane dudum felicis recordationis ALEXANDER Papa IV. Prædecessor noster, Archiepiscopo Rigensi, qui tunc erat, eiusque Successoribus canonice substituendis, certum Privilegium concessit, prout in patentibus Literis piæ memoriæ CLEMENTIS Papæ IV. Prædecessoris nostri, in quibus tenor dicti Privilegii de verbo ad verbum est insertus, plenius continetur. Quare pro parte dicti Joannis Archiepiscopi nobis fuit humiliter supplicatum, ut cum literæ huiusmodi incipiant vetustate consumi, Privilegium ipsum innovare de benignitate Apostolica

Anno 1389. ca dignaremur. Nos igitur huiusmodi ſupplicationibus inclinati, Privilegium prædictum, cum Literas ipſas, quarum tenor de verbo ad verbum inferius annotatur, in Cancellaria noſtra inſpici fecerimus diligenter, auctoritate Apoſtolica innovamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Per hoc autem nullum alicui de novo Jus acquiri volumus, ſed antiquum tantummodo conſervari. Tenor vero dictarum literarum talis eſt. Clemens Epiſcopus Servus Servorum Dei. Venerabili Fratri Archiepiſcopo Rigenſi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Tenorem cuiusdam Privilegii felicis recordationis Alexandri Papæ Prædeceſſoris noſtri, repertum in Regeſtro ipſius, ad tuæ ſupplicationis inſtantiam, de verbo ad verbum præſentibus fecimus annotari, qui talis eſt: Alexander Epiſcopus Servus Servorum Dei. Venerabili Fratri Archiepiſcopo Rigenſi, eiusque Succeſſoribus canonice ſubſtituendis in perpetuum. Cum univerſis Eccleſiae Sanctæ filiis debitores ex iniuncto nobis, a Deo Apoſtolatus officio exiſtamus, illis tamen locis, atque perſonis propenſiori Nos convenit caritatis ſtudio adeſſe, quæ ad Sedem Apoſtolicam noſcuntur ſpecialius pertinere. Quo circa Venerabilis in Chriſto Frater Archiepiſcope, tuis iuſtis poſtulationibus clementer annuimus, & Eccleſiam Rigenſem, cui Deo Actore præeſſe dinoſceris, ſub Beati Petri, & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti Privilegio communimus, ſtatuentes, ut quascunque poſſeſſiones, quæcunque bona eadem Eccleſia in præſentiarum iuſte, ac canonice poſſidet, aut in futurum conceſſione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium, ſeu aliis iuſtis modis præſtante Domino poterit adipiſci, firma tibi, tuisque Succeſſoribus, & illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: Locum ipſum, in quo præfata Eccleſia ſita eſt, cum omnibus pertinentiis ſuis, Civitatem Rigenſem, cum pertinentiis omnibus ſuis, ſalvo iure dilectorum filiorum Magiſtri, & Fratrum Hoſpitalis Sanctae Mariae Theutonicorum, Caſtra quæ Thoreda, Lennebarde, Reſculæ, Rennin, Dolen, Kerpolmæ, Cotenhuſen, Aſſucen, & Lepene vulgariter nuncupantur, cum omnibus pertinentiis eorundem, montem Gerzuchen communiter appellatum, cum omnibus pertinentiis ſuis, domos, terras, prata, nemora, ſilvas, poſſeſſiones, piſcarias, paſcua, molendina, & decimas, quæ habetis in locis Semigalliæ, ſalvo iure dictorum Magiſtri, & Fratrum Hoſpitalis Sanctae Mariae Theutonicorum, Upemolle, Merzepole, Telowe, & Seloniae vulgariter appellatis, cum terris, pratis, nemoribus, uſuagiis, & paſcuis in boſce, & plano, in aquis, & molendinis, in viis, & ſemitis, & omnibus aliis libertatibus, & immunitatibus ſuis. Epiſcopatus quoque inferius annotatos, Rigenſi Eccleſiae, prout dicitur, Metropolitico iure ſubiectos, tibi, Succeſſoribusque tuis iure Romanae Eccleſiae, ac prædictorum Magiſtri, & Fratrum Hoſpitalis Sanctae Mariae Theutonicorum, in omnibus, & per omnia ſemper ſalvo, authoritate Apoſtolica confirmamus, videlicet Epiſcopatum Oſſilienſem, Tharbatenſem, Curonienſem, Vironienſem, Culminenſem, Varmienſem, Pomeſanienſem, Sambienſem, Ruthemenſem, & Verfanienſem, uſum quoque Pallii Pontificalis, videlicet Officii plenitudinem, tuæ Fraternitati, Apoſtolicæ Sedis liberalitate largimur, quo infra Eccleſiam tuam utaris diebus inferius annotatis: videlicet in Nativitate Domini, feſtivitate Protomartyris Stephani, Circumciſione Domini, Epiphania, Dominica in Ramis Palmarum, Cœna Domini, Sabbatho Sancto, Paſcha, feria ſecunda poſt Paſcha, Aſcenſione, Pentecoſten, tribus feſtivitatibus Beatae Mariae, Natali Beati Joannis Baptiſtae, ſolemnitatibus omnium Apoſtolorum, Commemoratione omnium Sanctorum, Dedicationibus Eccleſiarum, Anniverſario tuæ Conſecrationis die, Eccleſiae tuae Principalibus feſtivitatibus, Conſecrationibus Epiſcoporum, & Ordinationibus Clericorum. Ad hæc Cimeteria Eccleſiarum, & Eccleſiaſtica Beneficia nullus hæreditario iure poſſideat, quod ſi quis facere præſumpſerit, cenſura canonica compeſcatur. Præterea quod communi aſſenſu Capituli tui, vel partis conſilii ſanioris in tua Diœceſi, per te vero, vel Succeſſores tuos, fuerit canonice inſtitutum, ratum, & firmum volumus permanere. Prohibemus inſuper, ne excomunicatos, vel interdictos tuos ad officium, vel communionem eccleſiaſticam ſine conſcientia, & aſſenſu tuo quisquam admittat aut contra Sententiam tuam canonice promulgatam, aliquis venire præſumat, niſi forte periculum mortis immineat, aut dum præſentiam tuam habere nequiverit, per alium ſecundum formam Eccleſiæ, ſatisfactione præmiſſa, oporteat ligatum abſolvi. Sacrorum quoque Canonum authoritatem ſequentes, ſtatuimus, ut nullus Epiſcopus vel Archiepiſcopus abſque tuo conſenſu conventus celebrare, cau-

Anno 1389.

ANNO 1389. causas etiam vel Ecclesiastica negotia in tua Diœcesi, nisi per Romanum Pontificem, vel eius Legatum fuerit eidem iunctum, tractare præsumat, statuentes præterea, ut nullus cuiuscunque Ordinis Clericus Ecclesias sibi concessas ad ius Rigensis Archiepiscopi pertinentes, sine conscientia, & consensu tuo, seu Successorum tuorum, faciat censuales, vel in cuiusquam transferat potestatem, & si factum fuerit, irritum habeatur. Libertates quoque, & Immunitates, & antiquas, & rationabiles consvetudines Ecclesiae tuae acceptas, & hactenus observatas, ratas habere, & eas perpetuis temporibus permanere sancimus, porro Crucem, & vexillum Dominicum, scilicet per Provinciam, & Episcopatus tibi Metropolitico iure subiectos, ante te deferendi licentiam impertimur. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatam Ecclesiam temere perturbare, aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, imminuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione, ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura. Salva Sedis Apostolicae authoritate. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica, Secularisque persona hanc nostrae Constitutionis paginam, sciens contra eam temere venire tempraverit, secundo, tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis, honorisque sui careat dignitate, reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo Corpore, & Sanguine Dei, & Domini Redemptoris nostri JESU CHRISTI aliena fiat, atque in extremo examine districtae subiaceat ultioni. Cunctis autem eodem loco sua iura servantibus sit Pax Domini nostri JESU CHRISTI, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum iudicem præmia æternae pacis inveniant *Amen, Amen, Amen.* Datum Neapoli per manum Guilhelmi Magistri Scholarum Parmensium, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vicecancellarii, secundo Calendas Aprilis, indictione decima tertia, Incarnationis Dominicæ Anno 1255. Pontificatus Domini Alexandri Papæ quarti, anno primo. Nolumus autem per hoc ius novum acquiri alicui, sed antiquum tantummodo conservari. Datum Viterbii secundo Idus Martii, Pontificatus nostri anno tertio. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ Innovationis, Confirmationis, & Voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum quarto Idus Junii, Pontificatus nostri anno primo. ANNO 1389.

LXII.

Aggravatio Magistri, & Fratrum Ordinis Theutonici in Livonia, quod post latam Sententiam de reddenda Archiepiscopo Rigensi Civitate Rigense, triginta annis Sententiam excommunicationis sustinuerint. Datum Romæ die 10. Novembr. Anno 1390. *Ex Originali.* 1390

VNiversis, & singulis Christi Fidelibus, & præsertim Almaniæ Nationis. BARTHOLOMÆUS Miseratione divina tituli Sanctae Potentianae, Sanctae Romanae Ecclesiae Presbyter Cardinalis, Judex Executor, sive Commissarius a Domino nostro Papa ad infrascripta specialiter deputatus, salutem in Domino sempiternam, & præsentibus fidem indubiam adhibere, nostrisque huiusmodi, imo verius Apostolicis firmiter obedire mandatis. Dudum tempore felicis recordationis Domini INNOCENTII divina Providentia Papæ VI. coram bonæ memoriæ Domino FRANCISCO quondam tituli Sancti Marci Presbytero Cardinali, ex Commissione Apostolica super hæc, per dictum quondam Dominum INNOCENTIUM Papam sibi facta, inter Reverendum in Christo Patrem Dominum Uromoldum quondam Archiepiscopum Rigensem ex parte una, & Religiosos Viros Magistrum, Præceptores, Commendatores, & Fratres Hospitalis Beatae Mariae Theutonicorum Ierosolimitanensis per Livoniam constitutos de & super Civitate Rigensi, seu iure Dominii eiusdem, & rebus aliis in ea ipsa deductis, & ipsorum occasione, parte ex altera orta, seu mota causa, sive quæstionis materia, tandem ipse quondam Dominus FRANCISCUS Cardinalis, Judex, & Commissarius in ipsa causa, seu causis cum partibus antedictis, seu earum legitimis Procuratoribus, & inter partes ipsas legitime procedens, servatis servandis, suam in causa ipsa infrascriptam tulit definitivam Sententiam, & promulgavit, per quam inter cætera pronunciavit, decrevit, & declaravit, prædictam Civitatem Rigensem pertinuisse, & pertinere iure Dominii, seu quasi, ad prædictum Dominum Archiepiscopum Rigensem, et ipsius

ANNO 1390. us Eccleſiam Rigenſem, in ſpiritualibus, et temporalibus pleno iure, ac præfatos Magiſtrum, Præceptores, Commendatores, et Fratres dicti Hoſpitalis, a poſſeſſione, et detentione Civitatis eiusdem fuiſſe, et eſſe amovendos, et ipſos finaliter amovit, ac etiam pronunciavit eosdem Magiſtrum, Præceptores, Commendatores, et Fratres dimittere debere plene, et libere, ac expedite ipſam Civitatem præfato Domino Archiepiſcopo, et eius Eccleſiae Rigenſi, per eosdem Archiepiſcopum, et eius Eccleſiam libere, et pacifice poſſidendam, ac ipſos Magiſtrum, Præceptores, Commendatores, et Fratres ad dimiſſionem huiusmodi dictae Civitatis finaliter condempnavit, eisdemque Magiſtro, Præceptoribus, Commendatoribus, et Fratribus ſuper his ſilentium perpetuum impoſuit. Et deinde idem quondam Dominus FRANCISCUS Cardinalis Judex, et Commiſſarius vigore cuiusdam alterius Commiſſionis Apoſtolicae ſibi ſuper hoc expoſt factae, ſic primum dictam Sententiam inter cætera interpretatus eſt, et declaravit, quod præfatis Magiſtro, Præceptoribus, Commendatoribus, et Fratribus ſuper ſuis redditibus, bonis, et iuribus, ſi quae eis forſitan in dicta Civitate competerent, Dominium tamen dictæ Civitatis non tangentibus, quae ipſi habebant ante Annum Domini milleſimum, trecenteſimum viceſimum, nullum voluerit præiudicium generare. Super Caſtro vero quod dicti Magiſter, Præceptores, Commendatores, et Fratres iure habent, et tenent in dicta Civitate, pronunciavit, decrevit, et declaravit, quod dictus Archiepiſcopus infra quatuor annos a die Reſurrectionis Dominicae Feſti tunc immediate ſequentis, conſtrueret, et reædificaret ſæpedictis Magiſtro, Præceptoribus, Commendatoribus, et Fratribus in loco apud Sanctum Georgium, Caſtrum tale ſive Domum, quale ipſi antea habebant in Civitate, et loco præmiſſis, et ſi dictus Archiepiſcopus idem Caſtrum prædictum infra dictos quatuor annos non conſtrueret, et perficeret, quod extunc dicti Magiſter, Præceptores, Commendatores, et Fratres dictum Caſtrum prout tenent, et poſſident, in antea potuiſſent tanquam ſuum proprium tenere, niſi ſtetiſſet per ipſos, vel ipſi impedimentum præſtitiſſent per ſe, vel alium, ſive alios quomodolibet, publice, vel occulte, directe, vel indirecte, quominus Dominus Archiepiſcopus dictum Caſtrum, ſive Domum infra ſæpedictos quatuor annos conſtruere, et reædificare potuiſſet, vel ſi per dictos Magiſtrum, Præceptores, Commendatores, & Fratres ſteterit, quominus ipſi huiusmodi Domum, & Caſtrum, quod tunc erat, reædificandum habere potuiſſent, quod extunc Caſtrum, quod nunc in dicta Civitate tenent, & poſſident, demoliri, & deſtruere debent, & tenentur ſuis propriis ſumptibus, et expenſis, prout hæc, & alia in ipſius bonæ memoriæ quondam Domini FRANCISCI Cardinalis, Judicis, & Commiſſarii Sententia, et eius declaratione latius, & ſerioſius continentur. Qua quidem, ut præfertur, lata definitiva Sententia, cum ſua declaratione ulla approbatione ſuſpenſa, in rem iudicatam transacta, & ſuper ipſa Literis Apoſtolicis Executorum, dicto felicis recordationis Domino INNOCENTIO Papa VI. adhuc in humanis agente, per partem dicti Domini Archiepiſcopi impetratis, & obtentis, dictis ſuper hæc Executoribus deputatis, bonae memoriae Dominus Stephanus quondam Arelatenſis Archiepiſcopus, Executor una, cum quibusdam ſuis in hac parte Collegis, cum illa Clauſula: *Quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, per vos, vel alium, ſeu alios &c.* in dictis Literis Executorialibus ſpecialiter deputatus, volens Mandatum Apoſtolicum huiusmodi, prout tenebatur, debitæ executioni demandare, ſuos ſuper prædictis Literis Apoſtolicis, ſuper dicta executione obtentos, debitos fecit, & fieri mandavit proceſſus, per quos authoritate Apoſtolica, qua fungebatur in hac parte, monuit, & requiſivit primo, ſecundo, & tertio peremptorie, communiter, & diviſim præfatos Magiſtrum, Præceptores, Commendatores, & Fratres, eisque in virtute ſanctae obedientiae, & ſub Excommunicationis pœna, quam in ipſos Magiſtrum, Præceptores, Commendatores, & Fratres, & eorum quemlibet tulit, & promulgavit in ſcripto, niſi facerent, & adimplerent, quæ mandabat, diſtricte præcipiendo mandavit, quatenus infra tertium competentem terminum, eis, & eorum cuilibet communiter, & diviſim propterea per ipſum Dominum Archiepiſcopum Executorem ſtatutum, & aſſignatum Dominium dictae Civitatis Rigenſis, & eius poſſeſſionem, ſeu quamlibet eorum, vacuum, & expeditum, liberam, vacuam, & expeditam, iuxta tenorem & efficaciam ſupradictae definitivae Sententiae, ac huiusmodi ſuorum proceſſuum, prout ad ipſos Magiſtrum, Præceptores, Commendatores, & Fratres, & eorum quemlibet pertinebat, penitus dimitterent, quod facere minime curaverint, & dictis monitionibus, & Mandatis dicti Domini quon-

ANNO 1390.

ANNO 1390. quondam Executoris, imo verius Apostolicis parere, & obedire contemserint, dictam Excommunicationis Sententiam in eos, et quemlibet eorum, ut præmittitur, latam damnabiliter incurrerunt. Quam quidem Excommunicationis Sententiam ipsi sic excommunicati, per triginta annos sustinuerunt, prout adhuc sustinent, in clarum Sanctae Matris Ecclesiae contemptum, omniumque Christi fidelium pernicioſum exemplum, ac suarum animarum damnabile detrimentum. Deinde vero dicto felicis recordationis Domino INNOCENTIO Papa VI. ac sanctae memoriae Domino URBANO Papa V. & piae recordationis Domino GREGORIO Papa XI. nec non recolendae memoriae Domino URBANO Papa VI. prout Altissimo placuit Creatori, successive de medio sublatis, & Sanctissimo in Christo Patre, & Domino nostro, Domino BONIFACIO divina providentia Papa IX. ad apicem Summi Apostolatus assumpto, ipsique Domino nostro Papæ, pro parte Reverendi in Christo Patris Domini Joannis Archiepiscopi Rigensis, & ipsius Ecclesiae in Consistorio publico expositio, & supplicatio fuit facta, prout et quemadmodum eiusdem expositionis, sive supplicationis cedula ipsi Domino nostro Papae porrecta, latius, & serioſius continetur, eiusdemque cedulae tenor de verbo ad verbum dignocitur esse talis: *Beatissime Pater: exponitur Sanctitati Vestræ pro parte devoti Viri Archiepiscopi, & Ecclesiæ suæ Rigensis. Licet dudum, scilicet de Anno Domini millesimo trecentesimo quinquagesimo nono, de Mense Octobri, per bonæ memoriæ Dominum* FRANCISCUM *tituli Sancti Marci Presbyterum Cardinalem, pro eodem Archiepiscopo, & Ecclesia sua Rigensi, lata fuit definitiva Sententia, contra, & adversus Magistrum, Præceptores, Commendatores, Conventum, & Fratres Sanctæ Mariæ Ordinis Theutonicorum, quæ ulla appellatione suspensa, in rem transivit iudicatam, per quam ipsa Civitas dicto Archiepiscopo, & Ecclesiæ Rigensi in spiritualibus, & temporalibus pleno iure fuerat adiudicata, dictique Magister, Præceptores, Commendatores, & Fratres ad ipsius Civitatis liberam, & expeditam dimissionem, ipsique Archiepiscopo libere possidendam, fuerunt condempnati, ipsiusque Sententiæ Declaratio die Mensis Decembris, Anni supradicti per eundem Cardinalem fuerat subsecuta, pro cuius Executione Reverendi Patres, & Domini Archiepiscopi Arelatensis, & Arosiensis, ac Tarbatensis Episcopus cum clausula: Quatenus vos, vel duo, aut unus vestrum, per vos, seu alium, vel alios &c. fuerunt deputati, qui per se, & suos subexecutores coniunctim, & divisim, plures, & divisos processus contra dictos Magistrum, Præceptores, Commendatores, & Fratres pro executione dictæ Sententiæ fulminarunt; quandoquidem processus antedictis Magistro, Præceptoribus, Commendatoribus, & Fratribus de Anno Domini millesimo, trecentesimo sexagesimo primo die X. Mensis Maij fuerunt solenniter publicati, & diligenter intimati, quibus a tempore dictæ publicationis, & intimationis parere minime curaverunt, sicut adhuc non curant hodierno die, quinimo Sententias excommunicationis, & pœnas dictorum processuum damnabiliter incurrerunt, in quibus usque ad triginta Annos notorie sorduerunt, & steterunt indurati, quorum processuum vigore, iidem Magister, Præceptores, Commendatores, & Fratres in Civitate, & Diœcesi Rigensi, ac in pluribus Civitatibus maritimis, per nonnulla templa publice denunciabantur excommunicati, & hodie ut tales vitantur in divinis; quare supplicatur Beatitudini Vestræ pro parte dicti Archiepiscopi, & Ecclesiæ vestræ Rigensis, quatenus alicui de Reverendissimis Prælatis, & Dominis Cardinalibus committere dignetur, & mandare, quatenus dictos processus observet, & continuet, observarique, & continuari faciat, ipsosque aggravet, & reaggravet, ponendo in Castro Rigensi, Zeghelwaldensi, Vendensi, ac aliis eorum Castris, & Oppidis Diœcesis Rigensis Ecclesiarum, interdicendo, ac mandando eisdem sub magna, & gravi pœna pecuniaria, Cameræ Apostolicæ applicanda, ac sub pœna infractionis, & amissionis omnium suorum Privilegiorum, nec non omnis commoditatis, & lucri, si quod ex Sententia supradicti Domini Cardinalis quovis modo poterant consequi, aut reportare, quatenus dictæ Sententiæ infra terminum temporis eis præfigendum, realiter, et integre pareant cum potestate insinuandi, publicandi, & exequendi Processus super hæc fulminandos, per eandem Ecclesiam in locis distantibus ultra unam, vel duas dietas, de quibus tamen verisimile sit, quod huiusmodi publicatio, insinuatio, & executio, ad dictorum Magistri, Præceptorum, Commendatorum, & Fratrum, vel suorum Procuratorum notitiam poterit pervenire, cum ad ipsos pro huiusmodi processibus exequendis tutus non pateat accessus, non obstantibus Constitutionibus de una, vel duabus dietis, & aliis Privilegiis, dicto Ordini concessis, et indultis, etiamsi de eis expressa mentio foret habenda, ac cæteris in contrarium editis non obstantibus* ANNO 1390.

qui-


ANNO 1390. *quibuscunque.* Ipſe Dominus noſter Papa Reverendiſſimo in Chriſto Patri, & Domino, Domino BARTHOLOMÆO tituli Sancti Martini in montibus Presbytero Cardinali, Reatinenſi vulgariter nuncupato, vivae vocis oraculo, ſuper hoc ſibi facto commiſit, & mandavit, quod ſuper expoſitis in dicta expoſitionis, ſive ſupplicationis cedula, ſe informaret, ſi, & prout de iure foret. Etſi Magiſter, Præceptores, Commendatores, & Fratres dicti Hoſpitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum Ieroſolimitani in dicta expoſitionis, ſive ſupplicationis cedula nominati non venirent abſolvendi, quod ipſe Dominus Cardinalis Judex, & Commiſſarius Sententias, & Proceſſus, de quibus in dicta expoſitionis cedula mentio haberetur, & in locis de quibus in prædicta cedula expoſitionis fit mentio, aggravaret, & reaggravaret, & aggravari, & reaggravari faciat, etiam per Edictum, prout in eadem expoſitionis, ſive ſubſcriptionis cedula extat petitum. Quo ſic dicto Domino Cardinali REATINO Judici Executori, & Commiſſario, iuxta commiſſum, antequam ipſe Dominus Cardinalis Executor, & Commiſſarius in cauſa, ſeu negotio huiusmodi ad aliquos actus proceſſiſſet, idem ſe a Curia Romana abſentavit, poſt cuius abſentationem prælibatus Dominus noſter Papa Reverendiſſimo in Chriſto Patri, & Domino, Domino Ludovico Sancti Adriani Sacræ Romanæ Eccleſiæ Diacono Cardinali, Fliſco nuncupato, propter dicti Domini Cardinalis Reatinenſis abſentiam, cauſam, ſeu negotium huiusmodi oraculo vivæ vocis ſuper hoc ſibi facto, prout Domino Cardinali Reatinenſi, ut præmittitur, extiterat commiſſum, commiſit, & huiusmodi Commiſſione dicto Domino Cardinali de Fliſco Executori, & Commiſſario, ut præmittitur facta, ipſosque antequam in cauſa huiusmodi ad aliquem actum procederet, etiam a Romana Curia notorie abſentato, ſæpedictus Sanctiſſimus in Chriſto Pater, & Dominus noſter, Dominus BONIFACIUS divina Providentia Papa IX. propter ipſius Domini Cardinalis de Fliſco abſentiam, nobis Bartholomæo Cardinali, Judici, Executori ſive Commiſſario præfato cauſam, & negotium huiusmodi nobis commiſit reſumendum, & ulterius exequendum, ac fine debito terminandum, prout & quemadmodum ſupradictis Dominis Reatinenſi, & de Fliſco Cardinali ſucceſſive fuerat commiſſum, cum omnibus, & ſingulis ſuis contingentiis, incidentiis, dependentibus, & concernentibus. Cuius quidem nobis factæ Commiſſionis vigore, & authoritate Nos in cauſa, ſeu negotio huiusmodi ulterius debite procedere volentes, tandem de, & ſuper omnibus, & ſingulis in præſcripta Expoſitionis ſive Supplicationis cedula contentis, & deſcriptis, & etiam de non tuto acceſſu nobis ſufficienter, & legitime informatis, die, & hora inferius annotatis, fuimus per honorabilem Virum Magiſtrum Hermanum Keyſer in Curia Romana Procuratorem Principalem, ac Procuratorem, & procuratorio nomine ſupradicti Reverendi Patris Domini Archiepiſcopi Rigenſis, & eius Eccleſiae prædictae, prout de ſuæ Procurationis mandato nobis legitimam fecit fidem, per legitima documenta, circa revocationem Procuratorum, alias per ipſum ſubſtitutorum, cum inſtantia debita requiſiti, quatenus ad continuationem Proceſſuum prædictorum, & aggravationem Excommunicationis, ſive Sententiae prælibatae procederemus, ſibique Literas aggravatorias per Edictum publicum in Romana Curia, & in vicinis partibus affigendum, in forma ſolita, & conſveta decernere, & concedere dignaremur. Nos igitur BARTHOLOMÆUS Cardinalis, Executor, & Commiſſarius præfatus, attendentes, requiſitionem huiusmodi fore iuſtam, & conſonam rationi, & quia creſcente malitia, creſcere debet & pœna, & ne ipſi ſic excommunicati ulterius in ſua malitia glorientur, & ne etiam, eorum perverſitas aliis tranſeat in exemplum, authoritate Apoſtolica ſupradicta, qua fungimur in hac parte, tenore præſentium, & per huiusmodi præſens publicum Edictum, in iudicio publico Literarum Apoſtolicarum dicti Domini noſtri Papæ publice legendum, ac valvis, ſeu portis Eccleſiae Sancti Michaelis Archangeli, pro audientia publica cauſarum Sacri Palatii Apoſtolici deputatae, ac Baſilicae Principis Apoſtolorum de Vrbe, nec non in Civitate Lubicenſi, & Oppido Sundenſi, Vermenſis Diœceſis, tanquam in locis vicinis affigendos ſupradictos proceſſus, & Sententiam Excommunicationis prædictam, in prædictos Magiſtrum, Præceptores, Commendatores, & Fratres, ac eorum quemlibet latam, & promulgatam, duximus aggravandos, & aggravamus per præſentes. Monemus etiam per idem publicum Edictum primo, ſecundo, & tertio peremptorie omnes, univerſos, & ſingulos Chriſticolas utriusque ſexus ubicunque conſtitutos, communiter, & diviſim, eisque nihilominus, & eorum cuilibet in virtute Sanctae obedientiae, & pœna infraſcripta

ANNO 1390.

ANNO 1390. pta diſtricte præcipiendo, mandamus, ne de cætero ipſi, vel eorum alter cum prædictis Magiſtro, Præceptoribus, Commendatoribus, ac Fratribus ſeu eorum quolibet, ſicut præmittitur excommunicatis, & aggravatis in aliquo participationis ritu participare, ſeu communicare præſumant, ſeu præſumat, alioquin in ipſos, & eorum quemlibet, niſi a participatione huiusmodi, infra triginta dierum ſpatium, a die publicationis, & affictionis Præſentium computando, omnino deſiſterent, ſeu deſiſtat, quorum triginta dierum decem pro primo, decem pro ſecundo, & reliquos decem dies pro tertio, & peremtorio termino, ac monitione canonica eis univerſis, & ſingulis præfigimus, & aſſignamus, ſingulariter in ſingulos Excommunicationis Sententiam ferimus in his ſcriptis, & etiam promulgationis: Certificantes nihilominus eosdem ſic excommunicatos, & aggravatos, ac alios cum eisdem contra huiusmodi noſtri Mandati, imo verius Apoſtolici tenorem participantes, quod niſi huiusmodi paruerint Mandatis, nos contra ipſos, & eorum quemlibet ad reaggravationem Sententiarum huiusmodi, & alias arctius procedemus, prout iuris fuerit, atque rationis. Loca vero audiendi publice, ac valvarum, ſeu portarum, tanquam publica, & idonea ad huiusmodi noſtras Literas aggravatorias, ad inſtar Edictorum publicorum, quæ olim in albo Prætorum ſcribebantur, duximus eligenda, quae præſentes noſtras Literas ſuo quaſi ſonoro præconio, & patulo indicio publicabunt, in quibus ipſas noſtras Literas præmiſſo termino decrevimus publicandas, ne præfati ſic excommunicati, & aggravati, ac requiſiti, vel eorum aliquis, de prædictis, & inſra ſcriptis excuſationem, ſeu ignorantiam prætendere valeant aliqualem, cum non ſit veriſimile apud ipſos incognitum remanere, quod tam patenter, & notorie omnibus extitit publicatum. Volentes nihilominus, & prædicta authoritate Apoſtolica decernentes, quod prædicta omnia, & ſingula præfatos excommunicatos, & aggravatos, ac monitos, & requiſitos ſic arceant, & adſtringant, & perinde valeant, ac ſi in eorum propriis perſonis huiusmodi noſtrae Literae fuiſſent, & eſſent executæ. Mandamus inſuper, & expreſſe præcipimus authoritate Apoſtolica ſupradicta, Reverendis in Chriſto Patribus, & Dominis, Dominis Archiepiſcopis, Epiſcopis, nec non univerſis, & ſingulis Dominis Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Decanis, Archidiaconis, Theſaurariis, Cantoribus Scholaſticis, Miniſtris, Gardianis, Præceptoribus quibusvis, Canonicis tam Cathedralium, quam Collegiatarum, ſeu Parochialium Eccleſiarum Rectoribus, Vicariis perpetuis, curatis, et non curatis, ac loca tenentibus, ſive vices gerentibus, eorundem Capitulis, Collegiis, Vniverſitatibus, Altariſtis, cæterisque Presbyteris, & Capellanis beneficiatis, et non beneficiatis, ac Notariis, ſive Thabellonibus publicis ubilibet conſtitutis, cuiuscunque dignitatis, ſtatus, gradus, aut conditionis exiſtant, & eorum cuilibet in ſolidum in virtute ſanctae obedientiae, & ſub pœnis infraſcriptis, quatenus infra ſex dies poſt publicationem præſentium ipſis, ſeu alteri ipſorum factam immediate ſequentes, quorum ſex dierum duos pro primo, duos pro ſecundo, & reliquos duos dies pro tertio, & peremptorio termino, ac monitione canonica eis univerſis, & ſingulis præfigimus, & aſſignamus, ut præfatos Magiſtrum, Præceptores, Commendatores, & Fratres, ut præmittitur, excommunicatos, & aggravatos, in eorum Eccleſiis, dum inibi divina celebrabuntur officia, & fidelis populus ad ipſa divina audienda ibidem convenerit, campanis pulſatis, & candelis accenſis, & demum extinctis, palam, & publice ſingulis diebus Dominicis, & Feſtivis denuntient, ſeu denuntiari faciant, quos nos etiam ſic tenore præſentium denuntiamus, ut a cunctis Chriſti Fidelibus arctius evitentur, & evitari faciant, & procurent, & etiam a denuntiatione huiusmodi non ceſſantes, donec iidem ſic excommunicati, et aggravati ad gremium Sanctae Matris Eccleſiae redierint, & prædictis Mandatis Apoſtolicis paruerint, ac ſuum abſolutionis beneficium meruerint obtinere. Quodſi forte huiusmodi noſtris Mandatis imo verius Apoſtolicis non paruerint, ſeu eorum alter non paruerit cum effectu, Nos in ipſos, & eorum quemlibet, ſingulariter in ſingulos, dicta ſex dierum canonica monitione præmiſſa, exnunc, prout extunc, et extunc, prout exnunc excommunicationis Sententiam ferimus in his ſcriptis, et etiam promulgamus; dictis vero Dominis Archiepiſcopis, Epiſcopis, quibus deferendum duximus in hac parte, ſi huiusmodi Mandatis non paruerint, ſeu eorum alter non paruerit, dicta ſex dierum canonica monitione præmiſſa, ipſis, et eorum cuilibet ingreſſum Eccleſiae interdicimus in his ſcriptis. Etſi huiusmodi Interdictum per alios ſex dies prædictos immediate ſequentes ſuſtinuerint, vel eorum alter ſuſtinuerit, dicta canonica monitione præmiſſa, ipſos, et ANNO 1390.

ANNO 1390. et quemlibet ipſorum non parentium ſuſpendimus a divinis. Verum ſi præfatas Interdicti, et Suſpenſionis Sententias per alios ſex dies præfatos, duodecem immediate ſequentes, animo, quod abſit, ſuſtinuerint, ſeu eorum alter ſuſtinuerit indurato, eos, & quemlibet ipſorum inobedientes, ſimili canonica monitione præmiſſa, in his ſcriptis excommunicationis Sententia innodamus, abſolutionem vero omnium, & ſingulorum, qui præfatas noſtras Sententias, vel earum aliquam incurrerint quoquo modo, Nobis, vel Superiori noſtro tantummodo reſervamus. In quorum omnium, & ſingulorum fidem & teſtimonium præmiſſorum, præſentes noſtras Literas ſeu præſens publicum Inſtrumentum exinde fieri, & per Magiſtrum Petrum Notarium Publicum, & Scribam noſtrum infraſcriptum ſubſcribi, & publicari mandavimus, & in abſentia noſtri Sigilli, cum Sigillo Reverendiſſimi in Chriſto Patris, & Domini, Domini Landulfi Sancti Laurentii in Carcere Tulliano Diaconi Cardinalis, duximus appenſione muniri. Datum & Actum Romæ in hoſpitio habitationis noſtræ, ſub Anno a Nativitate Domini milleſimo trecenteſimo nonageſimo. Indictione tertia decima, die decima Menſis Novembris, hora veſperarum vel quaſi. Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini noſtri, Domini BONIFACII Papæ IX. prælibati, Anno ſecundo. Præſentibus ibidem Reverendo in Chriſto Patre Domino Bertrando Epiſcopo Eugubino, ac Venerabilibus, ac diſcretis Viris Fratre Benedicto de Terdona Monacho Monaſterii Nonantulani, & Oſwaldo Anzelmi Clerico Argeſtinenſi, teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter, & rogatis.

Et Ego Petrus de Avagone Clericus Lamberienſis Diœceſis Apoſtolica, & Imperiali authoritate Notarius, eiusdemq; Domini Cardinalis Judicis, & Commiſſarii Scriba, qui omnibus, & ſingulis ſupradictis, dum et prout per præfatum Dominum Cardinalem, Judicem, & Commiſſarium concederentur, & fierent, præfatisque aggravationibus, excommunicationibus, dum, & ſic, ut præmittitur, prolatis, una cum prænominatis teſtibus præſens perſonaliter interfui, & ea de mandato, & authoritate dicti Domini Cardinalis Judicis, & Commiſſarii recepi, & in hanc Formam publicam redegi, ſed me aliis occupato negotiis, per alium fidelem meum ſcribi feci, ſignoque meo ſolito ſignavi requiſitus, & rogatus in teſtimonium præmiſſorum. ANNO 1390.



LXIII.

BONIFACIUS PP. IX. *Sibiricenſi, & Zvernenſi Epiſcopis committit, ut Decretum in cauſa inter Capitulum Rigenſe, & Proconſules, ac Communitatem Civitatis Rigenſis latum, executioni mandent. Ex Archivo Magni Ducatus Litvaniæ.* 1391.

BONIFACIUS Epiſcopus Servus Servorum Dei. Venerabilibus Fratribus Sibiricenſi, & Zvernenſi Epiſcopis, ac dilecto Filio Præpoſito Eccleſiae Lubicenſis ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Petitio dilectorum Filiorum Ioannis Præpoſiti, Decani, & Capituli Eccleſiae Rigenſis, Ordinis Sancti Auguſtini Nobis exhibita continebat, quod licet ius, ſeu poteſtas, & facultas tenendi, & teneri faciendi, videlicet in ambitu maioris unam, & aliam, Scholas prope Cimiterium Parochialis Sancti Petri, Rigenſis Eccleſiae pro tam iuvenibus, & adultis, quam quibuscunque aliis Scholaribus inſtruendis in Grammatica, Logica, Muſica, & aliis primitivis, ac liberalibus artibus, & ſcientiis, ac inſtrui faciendi in Scholis ipſis Scholares pro tempore antedictos, in artibus, & ſcientiis antedictis, ad eosdem Præpoſitum, Decanum, & Capitulum etiam de antiqua, ac approbata, & hactenus pacifice obſervata conſvetudine, ſolum & inſolidum pertineat, & tam ipſi Præpoſitus, Decanus, & Capitulum, quam etiam eorum Prædeceſſores, qui fuerunt pro tempore in eadem Maiori Eccleſia, fuiſſent, & tunc eſſent in pacifica poſſeſſione, vel quaſi, iuris, & poteſtatis, ac facultatis huiusmodi, etiam a tempore, cuius memoria non exiſtit, tamen Theodericus de Halle, Volfardus Ravenſlach Proconſules, Hermanus Vintermaſt, Theodericus Grave, et Hermanus de Hideuſce Conſules, ac Communitas Civitatis Rigenſis falſo aſſerentes, ius deputandi Rectorem pro tempore huiusmodi Scholae prope Cimiterium antedictum,

ANNO 1391. ctum, pro inſtruendo Scholares in huiusmodi artibus, et ſcientiis ad eos pertinere, prædictos Præpoſitum, Decanum, et Capitulum, eisdem iure, ac poteſtate, et facultate, videlicet tenendi, et teneri faciendi pro inſtructione Scholarium prædictorum in eisdem artibus, et ſcientiis penes idem Cimiterium de facto ſpoliarunt, ac Rectorem pro inſtruendis eisdem Scholaribus in artibus, et ſcientiis antedictis in eadem Schola penes dictum Cimiterium deputarunt, et mandarunt, quod de cætero illi, qui in artibus, et ſcientiis antedictis inſtrui vellent in eadem Civitate, non illam in dicto ambitu, ut præfertur, ſed penes dictum Cimiterium ſcholas ſitas huiusmodi de cætero frequentare, et viſitare deberent, et etiam nonnullas inhibitiones, et præcepta alia fecerunt, per quae ſecus agentibus diverſas pœnas tunc expreſſas comminabantur, et impoſuerunt, ortaque propterea inter Præpoſitum, Decanum, et Capitulum ex una parte, nec non Proconſules, Conſules, et Communitatem prædictos ſuper Scholis, ac iure, et poteſtate, nec non inhibitionibus, mandatis, edictis, præceptis, pœnarum impoſitionibus, comminationibus, et ſpoliationibus antedictis, et eorum occaſione, ex altera materia quæſtionis, felicis recordationis VRBANUS Papa VI. Prædeceſſor noſter cauſam huiusmodi quondam Hermano de Inſula, Capellano Sedis Apoſtolicae, et Auditori Cauſarum Palatii Apoſtolici, ad inſtantiam Præpoſiti, Decani, et Capituli prædictorum, audiendam commiſit, et fine debito terminandam, non obſtante, quod cauſa ipſa de ſui natura ad Romanam Curiam legitime devoluta, et apud eam tractanda, et finienda non eſſet, et voluit ipſe Prædeceſſor, quod idem auditor ſummarie, ſimpliciter, et de plano, ac ſine ſtrepitu, et figura iudicii procederet in cauſa prædicta, et ſubſequenter ſicut Altiſſimo placuit, eodem Prædeceſſore vita functo, Nos divina favente Clementia ad apicem ſummi Apoſtolatus aſſumpti, omnibus Auditoribus cauſarum dicti Palatii commiſimus, ut omnes, et ſingulas cauſas, quas ex Commiſſionibus eiusdem Prædeceſſoris audiebant, et quae tempore obitus eiusdem Prædeceſſoris coram eis indeciſae pendebant, in eo ſtatu, in quo tempore huiusmodi obitus coram eis remanſerant, reſumerent, easque audirent, et fine debito terminarent, iuxta tenores Commiſſionum factarum eisdem. Coram quo quidem Hermano Auditore, Magiſtris Jacobo de Subinago, ſubſtituto per Magiſtrum Hermanum Keyſer Procuratorem Præpoſiti, Decani, & Capituli quotiens ipſum abeſſe contingeret, prout ad hoc idem Hermanus Keyſer ab ipſis Præpoſito, Decano, & Capitulo ſufficiens mandatum habebat, & eidem Auditori legitime conſtabat, ac Ioanne Gacztolw Procuratore Proconſulum, Conſulum, & Communitatum prædictarum in iudicio comparentibus, dicto Hermano Procuratore tunc abſente, & per Jacobum, ac Ioannem prædictos datis libellis, ac per eos de calumnia, & veritate dicenda in ipſius Auditoris præſentia, præſtitis iuramentis, traditisque per eos quibusdam poſitionibus, & articulis, & per ipſum Ioannem Procuratorem contra easdem poſitiones, & articulos, ſibi adverſe quibusdam exceptionibus datis, eodem Jacobo tunc exceptiones aliquas contra easdem poſitiones, & articulos partis ſibi adverſae dari non curante, productisque per eos quibusdam Literis authenticis, Inſtrumentis publicis, aliisque Juribus, & Munimentis, quibus partes ipſae uti voluerunt, & contra huiusmodi producta certis exceptionibus hinc inde datis pro parte ſua in cauſa huiusmodi in terminis ad hoc datis, tandem Nos cauſam huiusmodi dilecto filio Magiſtro Hermano de Bikwelt Capellano noſtro, et Auditori cauſarum Palatii prædicti, ex certis cauſis audiendam commiſimus, & fine debito terminandam, coram quo Jacobo, & Ioanne Procuratore prædictis in iudicio comparentibus, eodem Hermano Procuratore tunc abſente, ac Jacobo in cauſa huiusmodi concludi petente, Ioanne vero Procuratore concludere non curante, in termino ad hoc dato, memoratus Hermanus de Bykwelt Auditor cum eodem Jacobo in huiusmodi cauſa concludente, concluſit, & habuit pro concluſo, & ad eiusdem Jacobi inſtantiam prædicto Hermano Procuratore tunc abſente, præfatum Ioannem Procuratorem ad ſuam in huiusmodi cauſa diffinitivam Sententiam audiendam, per quendam Curſorem noſtrum citari fecit, ad certam diem peremptoriam competentem. In qua eodem Jacobo coram prædicto Hermano de Bykwelt Auditore in iudicio comparente, præfato Hermano Procuratore tunc abſente, & prædicti Ioannis Procuratoris non comparentis contumaciam accuſante, & in eius contumaciam Sententiam ipſam ferri petente, ſæpedictus Hermanus de Bykwelt Auditor, reputans eundem Joannem Procuratorem quo ad actum huiusmodi, prout erat, merito contumacem, in eius contumaciam, viſis, et diligenter inſpectis ANNO 1391.

ANNO 1391. ctis omnibus, & ſingulis actis, acticatis, habitis, & productis in cauſa huiusmodi, ipſisque cum diligentia recenſitis, & examinatis, & facta ſuper his omnibus Coadiutoribus ſuis dicti Palatii relatione plenaria, & fideli, de ipſorum Coadiutorum conſilio, & aſſenſu per ſuam diffinitivam Sententiam pronuntiavit, decrevit, & declaravit, prout hæc omnia in prædicto libello eorundem Præpoſiti, Decani, & Capituli in huiusmodi cauſa exhibita fuerant, inhibitionem, edictum, præcepta prædicta, pœnarum impoſitiones, comminationes, ac ſpoliationem prædicta fuiſſe, & eſſe temeraria, illicita, & præſumpta, ipſosque Proconſules, Conſules, & Communitatem ab huiusmodi iure, ſeu poteſtate, & facultate ponendi Rectorem in ipſa Schola circa prædictum Cimiterium amovendos fore, & quantum potuit, amovit, dictosque Præpoſitum, Decanum, & Capitulum ad poſſeſſionem, ſeu quaſi, iuris, ſeu poteſtatis huiusmodi tenendi, & teneri faciendi ſolum, & inſolidum huiusmodi Scholam pro dictis ſcientiis, & artibus diſcendis per Scholares antedictos, ac deputandi, & deputari faciendi Rectores, & per Rectores faciendi eas regi, ut præfertur, reſtituendos, et reintegrandos fore, ac quantum potuit, reſtituit, et reintegravit, nec non inhibitiones, præcepta, mandata, comminationes, pœnarum impoſitiones, ac Proconſulum, Conſulum, et Communitatum, prædictorum Rectorum dictae Scholae prope huiusmodi Cimiterium deputationem, ut præmittitur facta, tollenda, caſſanda, revocanda, et anullanda fore, et ſuſtulit, caſſavit, revocavit, et annullavit, ipſisque prænominatis Proconſulibus, Conſulibus, et Communitati præcipiendum, mandandum, et inhibendum fore, ac præcepit, mandavit, et inhibuit, ne in futurum talia, vel ſimilia attemptarent, nec præſumerent, ac ipſis Proconſulibus, Conſulibus, et Communitati inde, et ſuper inhibitionibus editis, præceptis, mandatis, comminationibus, pœnarum impoſitionibus, et deputatione Rectorum per eos facta, ſpoliationibus, et occupationibus prædictis, perpetuum ſilentium imponendum fore, et impoſuit, ipſosque Proconſules, Conſules, et Communitatem in expenſis in huiusmodi inſtantia legitime factis, condemnandos fore, et condemnavit, ipſarum expenſarum taxatione ſibi inpoſterum reſervata, a qua quidem Sententia, pro parte dictorum Proconſulum, Conſulum, et Communitatis fuit ad Sedem prædictam appellatum, Nosque cauſam appellationis huiusmodi dilecto filio, Petro Electo Sagonenſi, tunc Capellano noſtro et Auditori cauſarum Palatii prædicti audiendam commiſimus, et fine debito terminandam. Coram quo eodem Jacobo, et Magiſtro Friderico Rathardi ſubſtituto, per eundem Ioannem Procuratorem, prout ad hoc idem Ioannes Procurator ab eisdem Proconſulibus, Conſulibus, et Communitate ſufficiens mandatum habebat, et eidem Electo tunc Auditori apud acta huiusmodi cauſae legitime conſtabat, coram præfato Electo tunc Auditore in iudicio comparentibus, eodem Hermano Procuratore tunc abſente, et per quemlibet eorum quodam dato libello, et de calumnia, ac de veritate dicenda, in ipſius Electi tunc Auditoris præſentia præſtitis iuramentis, ac per eos quibusdam poſitionibus, et articulis traditis, nec non contra huiusmodi poſitiones, et articulos, certis exceptionibus utrinque datis, productisque per eos nonnullis Literis authenticis, Inſtrumentis publicis, aliisque Juribus, et Munimentis, quibus Partes ipſae uti voluerunt, et contra huiusmodi producta, certis exceptionibus hinc inde datis, in cauſa huiusmodi in terminis ad hæc aſſignatis idem Electus tunc Auditor ad inſtantiam prædicti Jacobi, eodem Hermano Procuratore tunc abſente, prædictum Fridericum ad concludendum, et concludi videndum in cauſa huiusmodi, vel dicendum cauſam rationabilem, quare in ea concludi non debere, per quendam Curſorem noſtrum citari fecit ad certum terminum peremptorium, in quo eodem Jacobo coram dicto Electo tunc Auditore in iudicio comparente, et prædicti Friderici non comparentis contumaciam accuſante, et in eius contumaciam in cauſa huiusmodi concludi petente, præfatus Electus tunc Auditor reputans eundem Fridericum quo ad actum huiusmodi, prout erat, merito contumacem, in eius contumaciam cum eodem Jacobo in cauſa huiusmodi concludente, concluſit, et habuit pro concluſo, et ad eiusdem Jacobi inſtantiam prædicto Hermano Procuratore tunc abſente, prædictum Fridericum ad ſuam in huiusmodi cauſa diffinitivam Sententiam audiendam, per quendam Curſorem noſtrum citari fecit ad certam diem peremptorie competentem, in qua eodem Jacobo coram prædicto Electo tunc Auditore in iudicio comparente, ac prædicti Friderici non comparentis contumaciam accuſante, et in eius contumaciam Sententiam ipſam ferri petente, ſæpedictus Electus tunc Auditor, reputans

ANNO 1391.

ANNO 1391. eundem Fridericum, quo ad hoc, prout erat, merito contumacem, in eius contumaciam visis, et diligenter inspectis omnibus, et singulis actis, acticatis, habitis, et productis in causa huiusmodi, ipsisque cum diligentia recensitis, et examinatis, et facta super his omnibus Coadiutoribus suis dicti Palatii relatione fideli, de ipsorum Coadiutorum consilio, et assensu per suam diffinitivam Sententiam pronunciavit, decrevit, et declaravit per eundem Hermanum de Bykwelt Auditorem in causa huiusmodi bene, et legitime fuisse, et esse processum, sententiatum, et definitum, eiusque sententiam confirmandam fore, et confirmavit, et pro parte Proconsulum, Consulum, et Communitatis prædictorum, ab eadem Sententia dicti Hermani Auditoris male fuisse, et esse appellatum, et eosdem Proconsules, Consules, et Communitatem in expensis coram se in huiusmodi causa legitime factis, condemnandos fore, et condemnavit, ipsarum expensarum taxatione sibi in posterum reservata. Cumque a prædicta Sententia ipsius tunc Auditoris, pro parte prædictorum Proconsulum, Consulum, et Communitatis ad Sedem prædictam fuisset appellatum, Nos causam huiusmodi ultimae appellationis dilecto filio Magistro Nicolao de Unnanis Capellano nostro, et Auditori causarum prædicti Palatii audiendam commisimus, et fine debito terminandam, coram quo Jacobo, et Friderico prædictis in iudicio comparentibus, eisdem Hermano, et Joanne Procuratoribus tunc absentibus, et per quemlibet eorum quodam dato libello, pro parte sua in huiusmodi causa in termino ad hoc dato, præfatus Nicolaus Auditor ad instantiam prædicti Jacobi præfatum Fridericum, eisdem Hermano, et Ioanne Procuratoribus tunc Absentibus, ad præstandum et per aliam partem præstari videndum iuramentum de calumnia, et de veritate dicenda per quendam Cursorem nostrum citari fecit ad certum terminum peremptorie competentem, in quo prædictus Jacobus coram eodem Nicolao Auditore in iudicio comparens, prædicti Friderici non comparentis contumaciam accusavit, et in ipsius contumaciam, in eiusdem Nicolai Auditoris præsentia, pro parte sua prædictum in causa huiusmodi præstitit iuramentum, et deinde prædictis Hermano Procuratore, et Friderico coram eodem Nicolao Auditore in iudicio comparentibus, eodem Ioanne Procuratore tum absente, et a quolibet eorum nonnullis positionibus, et articulis hincinde exhibitis, ac contra huiusmodi positiones, et articulos quibusdam exceptionibus datis, productisque per illos nonnullis Literis authenticis, Instrumentis publicis, aliisque Juribus, & Munimentis, quibus partes ipsae uti voluerunt, & contra huiusmodi producta certis exceptionibus utrinque datis, pro parte sua in huiusmodi causa in certis terminis, ad hæc ipsis successive, & peremptorie per ipsum Nicolaum Auditorem assignatis, idem Nicolaus Auditor ad instantiam prædicti Jacobi, eodem Hermano Procuratore tunc absente, dictum Fridericum ad concludendum, & concludi videndum in causa huiusmodi, vel dicendum causam rationabilem, quare in ea concludi non deberet, per quendam Cursorem nostrum citari fecit ad certum terminum peremptorie competentem, in quo eodem Jacobo coram præfato Nicolao Auditore in iudicio comparente, & prædicti Friderici non comparentis contumaciam accusante, et in eius contumaciam in huiusmodi causa concludi petente, sæpedictus Nicolaus Auditor, reputans eundem Fridericum, quo ad hoc, prout erat, merito contumacem, in eius contumaciam, cum eodem Jacobo in huiusmodi causa concludente conclusit, & habuit pro concluso, & ad instantiam prædicti Jacobi eundem Fridericum ad suam in huiusmodi causa diffinitivam Sententiam audiendam per quendam Cursorem nostrum ad certam diem peremptorie competentem citari fecit. In qua eodem Jacobo coram prædicto Nicolao Auditore in iudicio comparente, et prædicti Friderici non comparentis contumaciam accusante, & in eius contumaciam Sententiam ipsam ferri petente, sæpedictus Nicolaus Auditor, reputans eundem Fridericum quo ad hoc prout erat, merito contumacem, in eius contumaciam, visis, & diligenter inspectis omnibus, & singulis actis, acticatis, exhibitis, & productis in causa huiusmodi, ipsisque cum diligentia recensitis, & examinatis, & facta super his omnibus Coauditoribus suis dicti Palatii relatione fideli, de ipsorum Coauditorum consilio, & assensu per suam diffinitivam Sententiam pronunciavit, decrevit, & declaravit per eundem Electum tunc Auditorem in causa huiusmodi bene, & legitime fuisse, & esse processum, sententiatum, & definitum, ipsiusque Sententiam confirmandam fore, & confirmavit, & pro parte dictorum Proconsulum, Consulum, & Communitatis ab eadem Sententia dicti Electi tunc Auditoris male fuisse, & esse appellatum, ipsosque Proconsules, Con-

ANNO 1391.

Anno 1391. Conſules, & Communitatem in expenſis coram ſe in huiusmodi cauſa legitime factis condemnandos fore, & condemnavit, ipſarum expenſarum taxatione ſibi in poſterum reſervata. Et ſubſequenter dilectus filius Magiſter Thomas de Walgingten Capellanus noſter, & Auditor cauſarum Palatii prædicti, cui ex certis cauſis commiſimus, ut Inſtrumentum ſuper dicta Sententia eiusdem Hermani de Bykwelt Auditoris, confectum ſigillaret, & expenſas prædictas coram dicto Hermano de Bykwelt Auditore factas, taxaret coram eodem Hermano Auditore in ſeptuaginta, & Electus tunc coram ſe in quadraginta quinque, ac Nicolaus Auditores prædicti coram ſe factas expenſas huiusmodi in viginti quinque florenis auri de Camera, boni, & iuſti ponderis, in contumaciam dicti Friderici de Thome, & Electi tunc, ac Nicolai Auditoris prædictorum Mandatorum, ad inſtantiam prædicti Jacobi eodem Hermano Procuratore tunc abſente per quosdam Curſores noſtros, ad videndum taxari expenſas huiusmodi, ſucceſſive citari, & non curantis comparere, prædicto Jacobo coram eisdem Thoma, & Electo tunc atque Nicolao Auditoribus in iudicio comparente, & dicti Friderici non comparentis contumaciam accuſante, & in eius contumaciam expenſas ipſas taxari petente, ſucceſſive providis moderationibus taxarunt, prædicti Jacobi ſuper eisdem expenſis iuramentis ſecutis, prout in prædicto, & quibusdam aliis publicis Inſtrumentis ſuper Electi tunc, ac Nicolai Auditoris Sententiis, & eorum, ac Thomae Auditoris prædictarum expenſarum taxationibus antedictis, confectis, eorundem Thomae, & Electi tunc, ac Nicolai Auditoris Sigillis munitis, dicitur plenius contineri. Nos itaque ipſorum Præpoſiti, Decani, & Capituli ſupplicationibus inclinati quæ ſuper his ab eodem Hermano de Bykwelt, & Electo tunc, nec non Nicolao, & Thoma Auditoribus provide facta ſunt, rata habentes, & grata, Diſcretioni veſtrae per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus Vos, vel duo, aut unus veſtrum per Vos, vel alium, ſeu alios præmiſſa executioni debitae demandantes, eosdem Præpoſitum, Decanum, & Capitulum ad poſſeſſionem ſeu quaſi, iuris, poteſtatis, & facultatis huiusmodi, amotis exinde prædictis Proconſulibus, Conſulibus, & Communitate, authoritate noſtra reſtituatis, & reintegretis, ipſosque reſtitutos, & reintegratos iuxta iuris exigentiam defendatis, facientes ipſos hu-

iusmodi iuris, poteſtatis, & facultatis pacifica poſſeſſione gaudere, ipſisque de prædictis florenorum Summis pro eisdem expenſis, iuxta prædictorum Inſtrumentorum, earundem condemnationum, & taxationum tenores, plenam, & debitam ſatisfactionem impendi, contradictores per Cenſuram Eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo. Datum Romae apud Sanctum Petrum, V. Nonas Octobris Pontificatus noſtri Anno ſecundo. Anno 1391.

LXIV.


Innovatio, & Confirmatio Privilegii Alberti *Rigenſis Epiſcopi, quo aream ad conſtruendum Monaſterium, Eccleſiæ Cathedrali Rigenſi aſſignavit, per* Joannem *Archiepiſcopum Rigenſem facta. Ex Archivo Magni Ducatus Litvaniæ.* 1391.

Permiſſione divina Sanctæ Rigenſis Eccleſiae Archiepiſcopus Joannes quartus, ad perpetuam rei memoriam. Exigit ordo rationis, & iuſtitiae, ut ad ea quae ſunt pro conſervatione Jurium, & Libertatum Eccleſiae noſtrae, & perſonarum in ea Deo deſervientium ferventius intendamus. Hanc dudum piæ memoriae Albertus Epiſcopus Rigenſis Prædeceſſor noſter, Fundator Civitatis, et Eccleſiae noſtrae Rigenſis, quae ante erectionem Civitatis Rigenſis, et Eccleſiae, in eo loco, qui nunc eſt ipſa Eccleſia, Livonienſis nuncupabatur, quæ nunc Rigenſis eſt, et Archiepiſcopali inſignitur dignitate, aream ad conſtruendum Monaſterium, et Clauſtrum cum domibus neceſſariis ſibi, et Eccleſiae ſuae Cathedrali, protunc extra murum Civitatis aſſignavit, et certis diſtinxit limitibus. Ita ſane ut quidquid continetur inter murum Dwinam, et foſſatum quod ultra domum lateritiam circulariter, et directe concurrit ad cornu muri, et citra portam magnam, et viam, ad aream pertineat ſupradictam, eligendo, conferendo, luſtrando, et conſecrando eundem locum Beatae Mariae Virgini, et ſuae Eccleſiae Cathedrali, eadem hora percellendo omnem hominem, ſub anathematis vinculo, qui Eccleſiam in poſterum ſuper eadem area præſumeret moleſtare, prout in Literis prædicti Epiſcopi Alberti, dictae Eccleſiae Fundatoris, quas ſanas, et integras, vero ſuo Sigillo ſigillatas perſpeximus, et per Notarium publicum infraſcriptum Sanderum Taxonis, Clericum Hildelſemenſem, de verbo ad verbum tranſumi fe-

ANNO 1391. cimus, & transcribi, & præsentibus inseri mandavimus, plenius continetur. Quare pro parte venerabilium, & dilectorum nostrorum in Christo, Dominorum Præpositi, & Capituli Ecclesiae nostrae Rigensis, nobis fuit humiliter supplicatum, ut cum huiusmodi Literae incipiant vetustate consumi, eas authoritate ordinaria innovare, approbare, ratificare, & confirmare dignaremur. Quarum Literarum tenor sequitur in hæc verba: ALBERTUS Dei gratia Rigensis Episcopus, vniversis ad quos præsens pagina pervenerit, in vero salutari salutem. Cum a prima fundatione Rigensis Civitatis, Jus habuimus conferendi areas ad habitandum singulis competentes, poscente tandem tempore, aream quoque, quam decuit ad construendum Monasterium, & Claustrum, cum domibus necessariis nobis, & Ecclesiae nostrae Cathedrali placuit assignare, in die Beati Jacobi Apostoli, Pontificalibus induti, cum reliquis crucibus, & processione solenni Cleri, & populi processimus ad locum, ubi extra murum Civitatis Livones habitationem habebant, cum consensu omnium eligentes, conferentes, lustrantes, & consecrantes eundem locum Beatae Virgini Mariae, & Ecclesiae Cathedrali. Ita sane ut quidquid continetur intra murum Dwinam, & fossatum quod ultra domum latericiam circulariter & directe concurrit, ad cornu muri citra portam magnam, & viam ad aream pertinentem supradictam, areas autem quas ibidem Livones, seu Theutonici habuerant, recompensatione aliarum arearum, seu empto pretio comparavimus ab eisdem, eadem hora solenniter, & districte sub anathematis vinculo percellentes omnem hominem, qui in posterum Ecclesiam super eadem area indebite præsumeret molestare. Testes sunt Joannes Præpositus Rigensis, Mauricius, Helias, Arnoldus, Daniel, & totus Conventus Peregrinorum, Joannes de Branstorp, Hermanus de Molve, Theodoricus Wrot, Walterus quondam Dapifer, Philippus Advocatus, Jordanus, Albertus, & alii quam plures Cives, & Peregrini. Acta sunt hæc Anno Dominicae Incarnationis millesimo CCXI. VIII. Kalendas Augusti, Pontificatus nostri Anno XIV. Nos vero attendentes petitionem huiusmodi fore consonam rationi, & ex iustis tramitibus procedentem, prædictas Literas, sive Privilegium, & omnia in eis contenta, authoritate, qua fungimur, melioribus viis, et modis, quibus possumus, & debemus, & ex certa nostra scientia innovamus, approbamus, laudamus, ratificamus, de novo concedimus, & præsentis scripti patrocinio confirmamus, volentes, & decernentes omnia præmissa, & singula obtinere perpetui roboris firmitatem. In cuius rei testimonium præsentes Literas nostræ innovationis, approbationis, ratificationis, concessionis, & confirmationis per supradictum Notarium subscribi, & Sigillo nostro muniri fecimus, Præsentibus Venerabili Præposito Ecclesiae nostrae, Joanne, ac Dominis Joanne Vend, & Ioanne Boheym Canonicis nostris, nec non Honorabilibus, et discretis Viris Domino Syfrido Vickonis, perpetuo Vicario Ecclesiae Beatae Mariae Virginis Lubitensis, et Ioanne Tekelenborch Presbytero Caminensis Diœcesis Capellano nostro, atque Arnoldo dicto Summo, et Ioanne Stumpel Clericis Rigensis, et Revaliensis Diœcesis, testibus ad præmissa vocatis, specialiter atque rogatis. Data et Acta sunt hæc in Civitate Lubicensi in domo habitationis nostrae, Anno Domini millesimo trecentesimo nonagesimo primo, Indictione decima quarta, die Lunae, quinta Mensis Iunii, hora vesperarum, vel quasi, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, ac Domini nostri, Domini BONIFACII divina providentia Papae VIIII. Anno secundo.

ANNO 1391.

Et Ego Sandericus Saxonis Clericus Hildelsheimensis, publicus Imperiali authoritate Notarius, huiusmodi Literarum productioni, perspectioni, et eius lectioni, Sigilli recognitioni, supplicationi, approbationi, innovationi, ratificationi, et confirmationi, omnibusque aliis, et singulis dum sic ut præmittitur fierent, et agerentur, una cum prænominatis testibus præsens interfui, eaque sic fieri vidi, et audivi et de Mandato Reverendi in Christo Patris, ac Domini nostri Ioannis Sanctae Ecclesiae Rigensis Archiepiscopi, de verbo ad verbum debite transumpsi, ac me subscripsi, et in hanc publicam Formam, propria manu conscribendo redegi, nec non Sigillo suo authentico, seu maiori sigillavi, ac signo, et nomine meis solitis, et consvetis signavi, rogatus, et requisitus in testimonium omnium præmissorum.



LXV.

ANNO 1391.

LXV.

BONIFACIUS PP. IX. *prohibet alienationes Feudorum, & Bonorum in terris Archiepiſcopatus, & Capituli Rigenſis, extra Dominium Eccleſiæ Rigenſis, ſub Cenſuris Eccleſiaſticis.* Datum Romæ die 10. Maij. Anno 1391. *Ex Originali.*

BONIFACIUS Epiſcopus Servus Servorum Dei ad futuram rei memoriam. Ad providam Chriſti Vicarii præſidentis in ſpecula Apoſtolicae dignitatis circumſpectionem pertinet, ſic Eccleſiarum, præſertim Cathedralium, ac Eccleſiaſticarum perſonarum qualitates attendere, ſicque illarum invigilare profectibus, ut omnis auferatur materia turbationis ab eis, ac ipſarum commoditatibus congrue conſulatur. Sane petitio Venerabilis Fratris noſtri Joannis Archiepiſcopi Rigenſis, et dilectorum filiorum Præpoſiti, Decani, et Capituli Eccleſiae Rigenſis nobis nuper exhibita continebat, quod nonnulli Nobiles, et Vaſalli, ac Feudotarii Archiepiſcopi, Præpoſiti, Decani, et Capituli prædictorum, qui ab Archiepiſcopo, Præpoſito, Decano, et Capitulo communiter, vel diviſim, nec non Eccleſia prædictis, Feuda tenere, nec non ſub temporali dominio eorundem Archiepiſcopi, et Eccleſiae, bona immobilia diverſa dinoſcuntur habere, et etiam quidam alii dictorum Archiepiſcopi, et Eccleſiae mediate, vel immediate ſubditi, propriis terminis non contenti, atque neſcientes debito modo gaudere conceſſis, ſed præſumptione damnabili, ac improba temeritate, nec non exquiſitis fraudibus, Feuda, ſeu bona huiusmodi in plerasque alias perſonas potentiores ipſis, aut univerſitates Oppidorum, Caſtrorum, et Villarum, vel Capitula, ſeu Collegia Eccleſiaſticarum perſonarum, etiam ſæcularium, aut Religionum diverſarum communiter, vel diviſim extra huiusmodi temporale Dominium Archiepiſcopi, et Eccleſiæ Rigenſis prædictorum, conſiſtentes, de quorum manibus per eosdem Archiepiſcopum, Præpoſitum, Decanum, et Capitulum coniunctim, vel diviſim Feuda, aut bona ipſa recuperari non poſſunt, pignoris, venditionis, permutationis, arrendationis, ſeu ſub aliis diverſis alienationum titulis, etiam præter, et citra conſenſum eorundem Archiepiſcopi, Præpoſiti, Decani, et Capituli, temerariis auſibus, nec non de facto transferre, ac Eccleſiaſticae perſonae, Collegia, Capitula, et Univerſitates prædicti, communiter, et diviſim huiusmodi Feuda, aut bona in ipſos ſic translata de facto ſuis uſibus applicare, illaque detinere, et occupare protextu translationum earundem ſimiliter de facto præſumunt, in gravem Divinae Maieſtatis offenſam, animarum ſuarum periculum, deſtructionem, et enervationem Eccleſiae Rigenſis, ac Archiepiſcopi, Præpoſiti, Decani, et Capituli prædictorum detrimentum non modicum, et gravamen. Nos igitur huic morbo obviare, atque auſus huiusmodi refrenare, etiam pœnarum adiectione, atque Archiepiſcopi, Præpoſiti, Decani, Capituli, et Eccleſiae Rigenſis prædictorum, præſentibus, et futuris indemnitatibus præcavere volentes, ipſorum Archiepiſcopi, Præpoſiti, Decani, et Capituli in hac parte ſupplicationibus inclinati, tenore præſentium, authoritate Apoſtolica prohibemus Nobilibus, Vaſallis, Feudotariis, et Subditis aliis antedictis quibuslibet, præſentibus, et futuris, ne Feuda, quae ab eisdem Archiepiſcopo, Præpoſito, Decano, et Capitulo communiter, aut diviſim tenent, ſeu etiam alia bona immobilia huiusmodi, quae ſub temporali dominio mediate, vel immediate eorundrm Archiepiſcopi, et Eccleſiae habent, ut præfertur, aut qualitercunque poſſident, ſeu habuerint, aut poſſederint quomodolibet in futurum, in alias perſonas, aut Capitula, Collegia, vel Univerſitates huiusmodi, communiter, vel diviſim, extra prædictum Dominium Archiepiſcopi, et Eccleſiae Rigenenſis prædictorum conſiſtentes ipſorum Archiepiſcopi, Præpoſiti, Decani, et Capituli expreſſo, et communi conſenſu ſuper hoc per eos prius non habito, ſub huiusmodi pignoris, venditionis, permutationis, aut cuiuscunque alterius alienationis titulo, ſeu quocunque quæſito colore transferre, obligare, aut alias quomodolibet alienare, ac etiam perſonis, Capitulis Collegiis, et Univerſitatibus antedictis communiter, vel diviſim ne huiusmodi feuda, aut bona immobilia ab eisdem Nobilibus, Vaſallis, Feudotariis, et Subditis communiter, vel diviſim, ſub huiusmodi pignoris, aut emptionis, ſeu permutationis, aut alio quovis titulo, in præiudicium prædictorum Archiepiſcopi, Præpoſiti, Decani Capituli, ac Eccleſiae Rigenſis, ac eis irrequiſitis, aut contradicentibus, recipere quoquo modo præſumant, alioquin tam illos ex Nobilibus, Vaſallis, Feudotariis, et Subditis antedictis ſingula-

ANNO 1391.

Anno 1391. gulariter ſingulos, qui Feuta, ſeu Bona huiusmodi pignoris, vendidionis, permutationis, ſeu aliis alienationum titulis huiusmodi, in Perſonas, Capitula, Collegia, & Univerſitates huiusmodi, communiter, vel diviſim extra huiusmodi temporale Dominium dictorum Archiepiſcopi, & Eccleſiae conſiſtentes, ut pæmittitur, transferre præſumpſerint, Maioris Excommunicationis Sententiam incurrere, ac Feuda, ſeu Bona præfata ad ius, & proprietatem Archiepiſcopi, & Eccleſiae Rigenſis præfatorum reverti volumus ipſo facto, & nihilominus Perſonae, Capitula, Collegia, & Univerſitates præfati, & alii quicunque extra huiusmodi Dominium prædictorum Archiepiſcopi, & Eccleſiae conſiſtentes communiter, vel diviſim, qui Feuda, ſeu Bona prædicta, vel eorum aliqua, ab eisdem Nobilibus, Vaſallis, Feudotariis, & Subditis, pignoris, aut aliis titulis antedictis, contra prohibitionem huiusmodi recipient, ſeu acquirent, alias quam, ut præſertur, illa Archiepiſcopo, Præpoſito, Decano, Capitulo, & Eccleſiae Rigenſi præfatis effectualiter, & expedite per Archiepiſcopum Rigenenſem, qui erit pro tempore, prius ſuper hoc moniti, reſtituere teneantur, etſi Perſonae, Collegia, Capitula, & Univerſitetes huiusmodi communiter & diviſim, qui aliqua ex huiusmodi Feudis, ſeu Bonis contra prohibitionem eandem a Nobilibus, Vaſallis, Feudotariis, & Subditis antedictis, modis ſupradictis, aut aliquo eorundem, ſeu quovis quæſito colore acquirent, per eundem Archiepiſcopum pro tempore taliter moniti, Feuda, aut Bona huiusmodi Archiepiſcopo, Præpoſito, Decano, & Capitulo, ac Eccleſiae Rigenſi prædictis, aut illi, vel illis ex eis, ad quem, vel ad quos directum Dominium, aut Feudum huiusmodi bonorum, & Feudorum communiter, vel diviſim pertinuerit, effectualiter, & expedite non reſtituerint, ut præfertur, extunc tam prædictae, quam etiam aliae ſingulares perſonae ex Capitulis, Collegiis, & Univerſitatibus huiusmodi, qui Feuda, ſeu Bona huiusmodi dictorum Archiepiſcopi, ac Præpoſiti, Decani, & Capituli pro tempore contra huiusmodi prohibitionem acquiſiverunt, communiter, vel diviſim, etiam cuiuscunque ſtatus, gradus, Ordinis, Religionis, ac conditionis exiſtant, ſimilem Excommunicationis, Capitula vero, & Collegia etiam communiter, & diviſim Supenſionis, nec non ipſi, ac Univerſitates huiusmodi Interdicti Sententitias ſimiliter incurrant, eo ipſo nullo eis contra præmiſſa, vel aliquod præmiſſorum venientibus communiter, vel diviſim exemptionis, vel quovis alio Privilegio ſub quacunque forma verborum conceſſo aliqualiter ſuffragante. Nos enim ne ſub ſpe veniae conſequendae incentivum delinquendi facilius in præmiſſis forſan præbeatur, abſolutionem ab huiusmodi Excommunicationis Sententia, ac relaxationem Suſpenſionis, & Interdicti prædictorum, Nobis, vel Succeſſoribus noſtris Romanis Pontificibus canonice intrantibus tantummodo reſervamus, ita videlicet, ut nullus præterquam in mortis articulo, quendam illorum ab Excommunicationis Sententia huiusmodi abſolvere poſſit, & inſuper exnunc irritum decernimus, & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attemptari: Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrae prohibitionis, voluntatis, reſervationis, & conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præſumſerit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe noverit incurſurum. Datum Romae apud Sanctum Petrum ſexto Idus Maij Pontificatus noſtri Anno ſecundo. Anno 1391.

LXVI.

Edictum publicum Citationis in Curiam Romanam Hermanni Vaſalli Archiepiſcopatus Rigenſis, & Magiſtri, ac Fratrum Ordinis, quod Hermannus Caſtrum Ixkul Feudi Archiepiſcopatus Rigenſis, Magiſtro, & Ordini tradiderit, ipſique illud ſic occupatum detinerent, per Franciſcum Tit. S. Zuzannæ Cardinalem Judicem, & Commiſſarium. Datum Romæ die 27. Jun. 1392. *Ex Originali.* 1392.


Franciscus miſeratione divina tituli Sanctae Zuzannae, Sanctaeque Romanae Eccleſiae Presbyter Cardinalis, cauſae, & partibus infraſcriptis Judex, et Commiſſarius a Domino noſtro Papa ſpecialiter deputatus. Vniverſis, et ſingulis Chriſti Fidelibus præſentes Literas, ſeu præſens publicum Edictum inſpecturis, et præſertim Almanae nationis, ſalutem in Domino, et præſentibus fidem indubiam adhibere. Noveritis quod nuper pro parte Reverendi Patris Archiepiſcopi Rigenſis, ac Præpoſiti, Decani, &

ANNO 1392. et Capituli Eccleſiae Rigenſis, et ipſius Eccleſiae, Sanctiſſimo in Chriſto Patri, et Domino noſtro, Domino BONIFACIO divina providentia Papae nono, expoſitum fuit, prout in quadam ſupplicatione, ſive expoſitionis cedula plenius continetur, cuius tenor ſequitur, et eſt talis. *Beatiſſime Pater: exponitur Sanctitati veſtræ pro parte devotorum Oratorum veſtrorum, Dominorum Reverendiſſimi Patris Archiepiſcopi, Præpoſiti, Decani, & Capituli Eccleſiæ Rigenſis, ac ipſius Eccleſiæ, quod licet Hermannus de Ixkule miles, olim Vaſallus Archiepiſcopi, & Eccleſiæ prædictorum, ab ipſo Archiepiſcopo, & Eccleſia teneret in feudum Caſtrum Ixkul Rigenſis Diœceſis, cum ſuis territoriis, villis, poſſeſſionibus, iuribus, & pertinentiis, & non ignoraret Magiſtrum, Præceptorem, Commendatorem, Conventum, & Fratres Ordinis Beatæ Mariæ Theutonicorum in Livonia eſſe magnos, & duros adverſarios, ac inimicos dictorum Dominorum Archiepiſcopi, Præpoſiti, Decani, & Capituli, ac Eccleſiæ, nihilominus cum Vaſallus debitum non ſervans, ſed potius infideliter agens, præter & contra voluntatem, ſcitum, ſeu licentiam tam dicti Reverendiſſimi Patris Domini Archiepiſcopi, quam Dominorum Præpoſiti, Decani, & Capituli ipſius Rigenſis Eccleſiæ, quosdam confictos ſibi aſſumens colores, ipſum Caſtrum cum ſuis territoriis, villis, poſſeſſionibus, iuribus, & pertinentiis ad manus dictorum Magiſtri, Præceptoris, Commendatoris, Conventus, & Fratrum, etiam ſcientium, ut creditur, Dominum Hermannum, dictorum Reverendiſſimi Patris Domini Archiepiſcopi, & Eccleſiæ Rigenſis nunc Vaſallum, tenere dictum Caſtrum in feudum ab ipſis Archiepiſcopo, & Eccleſia, tradidit, ipſique Magiſter, Præceptores, Commendatores, Fratres, & Conventus illud occupaverunt, & pro ſe alius, ſeu alii eorum nomine occupatum detinuerunt, & detinent, in grave, dampnum dictorum Dominorum, Reverendiſſimi Patris Archiepiſcopi, Præpoſiti, Decani, Capituli, & Eccleſiæ Rigenſis, cum etiam arctetur præmiſſis utile Dominium; ſupplicatur itaque Veſtræ Sanctitati pro parte dictorum Reverendiſſimi Patris Archiepiſcopi, Præpoſiti, Decani, Capituli, & Eccleſiæ Rigenſis tam coniunctim, quam diviſim, quatenus omnes, & ſingulas cauſas, quas tam coniunctim, quam diviſim movent, ſeu movere intendunt, tam dicto Hermanno, quod declarent ipſum a feudo cecidiſſe, & ipſo privatum fuiſſe, quam dictis Magiſtro, Præceptori, Commendatori, Conventui & Fratribus, tam coniunctim, quam diviſim de, & ſuper prædictis omnibus, & ſingulis, & ea concernentibus & eorum occaſione, committere dignetur de Reverendiſſimis Patribus, Domino Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinali, tam coniunctim, quam diviſim audiendas, decidendas, & fine debito terminandas, cum omnibus incidentiis, emergentiis, dependentiis, & connexis, cum poteſtate citandi dictos Magiſtrum, Præceptorem, Commendatorem, Conventum, Fratres, & Hermannum Militem, tam coniunctim quam diviſim in Curia, & extra, & ad præſens in Curia Romana, & vicinis partibus affigendi, cum ad eos non pateat tutus acceſſus, & cum poteſtate procedendi ſummarie, ſimpliciter, & de plano, ſine ſtrepitu, & figura iudicii, & ſi placet committatur Reverendiſſimo Patri Domino Cardinali* REATINO, *coram quo dicuntur eſſe nonnullæ aliæ Commiſſiones tangentes præmiſſa, non obſtante quod cauſa, vel cauſæ non ſint ad Curiam Romanam devolutæ, nec in ea de ſui natura tractandæ.* Præfatus Dominus noſter Papa huiusmodi ſupplicationis, & expoſitionis cedula, & contentis in ea plenius intellectis, nobis FRANCISCO Cardinali Judici, & Commiſſario præfato vivae vocis oraculo ſuper hoc nobis facto, commiſit, ut cauſam, & cauſas in eadem ſupplicationis, ſive expoſitionis cedula contentas, & quae vertitur, ſeu verti, & eſſe ſperatur inter eosdem Reverendum Patrem Archiepiſcopum, Præpoſitum, Decanum, & Capitulum Eccleſiae Rigenſis, ac ipſam Eccleſiam, ex una parte, & Hermannum de Ixkule Militem, olim Vaſallum Archiepiſcopi, & Eccleſiae Rigenſis prædictorum, nec non Magiſtrum, Præceptorem, Commendatorem, Conventum, & Fratres Ordinis Beatae Mariae Theutonicorum in Livonia, principales in eadem ſupplicatione, ſive expoſitionis cedula principaliter nominatos, ſuper contentis, & narratis in eadem cedula, & eorum occaſione parte ex altera, audiremus, decideremus, et fine debito terminaremus, cum poteſtate citandi eundem Hermannum Militem, nec non Magiſtrum, Præceptorem, Commendatorem, Conventum, et Fratres Ordinis prædictos etiam per Edictum, ſi conſtaret extra Romanam Curiam, et ad partes quotiens opus eſſet, et iuſtitiam faceremus. Poſt quam quidem conceſſionem nobis, ut præmittitur, factam, per diſcretum Virum Magiſtrum Hermannum Cæſaris, præfatorum Archiepiſcopi, Præpoſiti, Decani, et Capituli Eccleſiae Rigenſis, et ipſius Eccleſiae Syndicum Procuratorem, prout de ipſius Syndicatus, et Procurationis Manda- ANNO 1392.

Anno 1392. to nobis verificata extitit facta fides, coram nobis constitutum, nonnullis testibus fide dignis ad informandum animum nostrum, de, et super in præfata Commissionis, sive expositionis cedula contentis, eisque per nos in forma testium recipiendorum receptis, iuratis, et de Mandato nostro examinatis, eorumque dictis, et depositionibus in scripto fideliter redactis, et postmodum per nos visis, subsequente vero die, et hora infrascriptis fuimus per eundem Magistrum Hermannum Syndicum, et Procuratorem, nomine quo supra, cum instantia debita requisiti, ut sibi, et Dominis suis prædictis, et eorum nomine citationem legitimam, et prædictam in Romana Curia, et in vicinis partibus extra Provinciam Rigensem affigendam, contra, et adversus præfatos Hermannum de Ixkul Militem, nec non Magistrum, Præceptorem, Commendatorem, Conventum, et Fratres Ordinis Beatae Mariae Theutonicorum, ex adverso principales, in præfata supplicatione, sive expositionis cedula principaliter nominatos, iuxta ipsius supranominatae cedulae formam, et tenorem decernere, et concedere dignaremur. Nos igitur Franciscus Cardinalis Judex, & Commissarius præfatus, attendentes requisitionem huiusmodi fore iustam, et consonam rationi, volentesque in causa, et causis huiusmodi rite, et legitime procedere, ac partibus ipsis iustitiam ministrare ut tenemur, et quia per informationem prædictam per Nos habitam, et præsertim ex dictis, et depositionibus testium super hæc receptorum, et examinatorum, ut præfertur, inveneramus, quod ad prædictum Hermannum de Ixkul Militem, nec non Magistrum, Præceptorem, Commendatorem, et Fratrum domicilia, et ad ipsum Conventum per huiusmodi citationem exequendam contra eos in Diœcesi, et Provincia Rigensi tutus non pateat accessus, authoritate Apostolica nobis in hac parte commissa, per hoc præsens publicum Edictum in audientia publica Literarum Domini nostri Papae supradictarum, legendarum, ac valvis, seu foribus Basilicae S. Petri, Principis Apostolorum de urbe, ac valvis, seu portis Palatii causarum Apostolici, et in partibus circumvicinis Provinciae Rigensis, videlicet valvis Cathedralis Lubicensis, et Parochialis Sanctae Mariae in Rostoch, et S. Nicolai in Sundis Severmensis Diœcesis, Ecclesiarum ubi tute fieri poterit, affigendarum prænominatos Hermannum de Ixkul Militem, nec non Magistrum, Præceptorem, Commendatorem, Conventum, et Fratres S. Mariae Theutonicorum principales tenore præsentium peremptorie citamus, quatenus centesima die post lecturam, seu publicationem, et affixionem præsentium, in audientia publica literarum supradictarum, ac valvis, seu portis antedictis modo prædicto factas, immediate sequente, si dies ipsa centesima iuridica fuerit, et Nos, vel Judex, et Commissarius loco nostri forsitan surrogandus, ad iura reddenda Romae, vel alibi, ubi forsitan Dominus noster Papa cum sua Curia residebit, sederimus, vel sederit. Alioquin proxima die iuridica extunc immediate sequente, qua nos, vel surrogatum prædictum ad iura reddenda pro tribunali sedere contigerit, hora vesperarum consveta, in domo habitationis nostrae compareant, in iudicio legitime coram Nobis, vel surrogando prædicto per se, vel Procuratorem, seu Procuratores suos idoneos ad causam, vel causas huiusmodi sufficienter instructos, cum omnibus, et singulis actis, acticatis, literis, iuribus, instrumentis, et munimentis, causam, et causas huiusmodi tangentibus, et continentibus, præfatis Archiepiscopo, Præposito, Decano, et Capitulo Ecclesiae Rigensis aut ipsorum Syndico, et Procuratori legitimo, de, et super omnibus, et singulis in dicta nobis facta Commissione contentis, de iustitia responsuri, & in toto negotio, ac causa, & causis huiusmodi ad omnes, & singulos actus gradatim, & successive, usque ad diffinitivam Sententiam inclusive, debitis, & consvetis terminis, & dilationibus præcedentibus, processuri, & procedere visuri, aliasque dicturi, visuri, audituri, & recepturi, quod iustitia svadebit, & ordo dictaverit rationis. Certificamus nihilominus eosdem citatos, quod sive in dicto citationis termino, ut præmittitur, comparuerint, sive non, nos in negotio, & causa, seu causis huiusmodi, elapsis termino, & die supradictis, contra ipsos citatos, ad Partis coram nobis comparentis, & causam huiusmodi prosequentis instantiam procedemus, seu dictus surrogandus Judex, & Commissarius procedet, ipsorum citatorum absentia, seu contumacia non obstante. Loca vero audiendi publice ac valvarum, seu portarum, tanquam publica, & idonea, ad citationem huiusmodi publicandam, ad instar Edictorum publicorum, quae olim in albo prætorum scribebantur, duximus eligenda, quae præsentem nostram citationem suo quasi sonoro præconio, & patulo iudicio publicabunt, in quibus ipsam Anno 1392.

Anno 1392. ipsam citationem modo prædicto decrevimus, & decernimus publicandam, ne prænominati citati, quod nostra citatio huiusmodi ad ipsorum notitiam non devenerit, seu quod eam ignoraverint, in futurum aliqualem ignorantiam prætendere valeant, seu etiam allegare, cum non sit verisimile apud ipsos citatos remanere incognitum, quod tam patenter, & notorie exstitit omnibus publicatum: Volentes insuper & decernentes, quod hæc prior nostra citatio modo præmisso executa, præfatos citatos, & eorum quemlibet taliter arceat, & astringat, ac si ipsi fuissent personaliter citati, & ipsa citatio fuisset eis personaliter intimata, & in ipsorum Provincia publice lecta. De publicationis vero, & affixionis huiusmodi, modo, quo supra expressum est, volumus, & mandamus unum vel plura fieri publica Instrumenta, quae omnibus fidem plenariam faciant de præmissis. In quorum omnium, & singulorum fidem, & testimonium præsentes nostras Literas, seu præsens Publicum Instrumentum, huiusmodi nostram citationem in se continentem, seu continentes, per Gerardum Notarium Publicum, nostrumque, & huiusmodi causae coram nobis Scribam infrascriptum fieri, subscribi, & publicari mandavimus, nostrique Sigilli fecimus appensione muniri. Datum & Actum Romæ in hospitio habitationis nostrae, apud hospitale Sancti Spiritus, sub Anno Nativitatis Domini millesimo, trecentesimo nonagesimo secundo, Indictione quinta decima, die vero Jovis vicesima septima Mensis Junii, hora tertiarum, vel quasi, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri, Domini Bonifacii divina providentia Papae IX. Anno tertio, Præsentibus ibidem Venerabilibus, & discretis Viris Dominis Fratre Nicolao de Elben Abbate Montis Sanctae Mariae Ordinis Cisterciensis, Nolanae Diœcesis, & Basilio de Palma, Literario Domini nostri Papae Scriptore, testibus ad præmissa vocatis specialiter, & rogatis.

Et Ego Gerardus Crys Clericus Monasterienſis Diœcesis Publicus authoritate Apostolica Notarius, ac praedicti Reverendissimi in Christo Patris, & Domini, Domini Francisci Cardinalis Judicis, & Commissarii, ac prædictae causæ coram eo Scriba Prædictæ citationis petitioni, eiusque concessioni, et Decreto, omnibusque aliis, & singulis præmissis dum sic, ut præmittitur, per Dominum, Dominum Cardinalem Judicem, & Commissarium, ac coram eo agerentur, & fierent, una cum prænominatis testibus præsens interfui, eaque sic fieri vidi, & audivi, ideoque hoc præsens publicum Instrumentum per alium, me aliis occupato negotiis, fideliter scriptum exinde confeci, publicavi, & in hanc publicam Formam redegi, signoque meo solito, & consveto una cum præfati Domini Cardinalis Judicis, & Commissarii appensione Sigilli, signavi rogatus, & requisitus, in fidem, & testimonium omnium, & singulorum præmissorum. Anno 1392.



LXVII.

Venceslai *Rom. & Bohemiæ Regis Literæ ad Præpositum, & Capitulum Rigense, quibus eis mandat, ut exemplo Joannis sui Archiepiscopi, de Controversiis cum Magistro, & Fratribus per Livoniam, in eum compromittant.* Datum Pragæ, die 2. Maij. Anno 1392. *Ex Originali.* 1392.

Venceslaus Dei gratia Rom. Rex semper Augustus & Bohemiæ Rex. Venerabilibus Præposito, & Canonicis Rigensis Ecclesiæ, devotis suis dilectis Gratiam Regiam, & omne bonum: Devoti, dilecti. Quia Venerabilis Joannes Rigen. Archiepiscopus, nec non Imperii Sacri Princeps, devotus dilectus, de, & super universis, & singulis displicentiis, controversiis, litibus, seu causis, quæ inter ipsum, vos Capitulum, & Ecclesiam Rigensem ab una, & Venerabilem Magistrum, & Fratres Ordinis Sanctae Mariae Domus Theutonicae per Livoniam, parte ab altera, usque in præsentem diem sunt exortae, in Nos tanquam Romanorum Regem de alto, & basso compromisit, spondens nihilominus Diffinitioni nostrae stare, & realiter obedire, prout datae per ipsum Archiepiscopum desuper Literae manifeste declarant, idcirco Devotioni vestrae serioſe præcipimus, & expresse mandamus; quatenus, & vos de parte vestra super Compromisso huiusmodi Literas patentes Capituli ve-

Anno 1392. veſtri dare, vosque in eisdem obligare debeatis, ut videlicet, quidquid per Nos ab utraque parte diffinitum, ſeu tractatum fuerit, quod hoc ipſum ratum tenere debeatis, & firmum, & huiusmodi obligationis Literam Sigillo veſtri Capituli ſigillatam, ei, qui vobis præſentem Literam noſtram exhibuerit, dare, & aſſignare debeatis, ad Nos per ipſum ulterius deferendam, nominatim, & expreſſe volumus, ut mox, poſtquam a captivitate vos abſolvi, & liberari contigerit, ad noſtram præſentiam procedere ſine dilatione qualibet debeatis, & interim in præiudicium Magiſtri, & Fratrum Ordinis præfati in Romana Curia, ſeu extra in Foro Eccleſiaſtico, ſeu alio quovis modo quidquam attemptare, ſeu contra ipſos verbo, vel facto publice, vel occulte attemptare quidpiam præſumatis, tamdiu, donec vobis utrinque ad Nos venientibus, per Nos pronunciatum inter vos fuerit, & diffinitum. Datum Pragae die ſecunda Maij Regnorum noſtrorum Anno Bohemiae XXX. Romanorum vero decimo ſeptimo.

LXVIII.

1394. Venceslaus *Rom. Rex committit Swantiborio Duci Stetinenſi, ut Electionem, & Poſtulationem Filii ſui Ottonis Senioris ad Eccleſiam Rigenſem conſervet, & eum in poſſeſſionem bonorum dictæ Eccleſiæ, amotis inde detentoribus quibusvis inducat.* Dat. Pragæ, die 9. Nov. Anno 1394. *Ex Originali.*

Venceslaus Dei gratia Romanorum Rex, ſemper Auguſtus, et Bohemiae Rex. Illuſtri Swantiborio Duci Stetinenſi, Principi Conſanguineo noſtro chariſſimo, Gratiam Regiam, & omne bonum. Princeps Conſanguinee chariſſime. Pervenit ad audientiam noſtram, qualiter honorabiles Præpoſitus, Decanus, & Capitulum Eccleſiae Rigenſis, devoti noſtri dilecti, eidem Rigenſi Eccleſiae variis, & gravibus attritae diſpendiis, ipſius quoque ſubditis hominibus providere cupientes, accedente ad hoc Venerabilis Joannis Rigenſis Archiepiſcopi expreſſo conſenſu, Illuſtrem Ottonem Seniorem natum noſtrum in ſuum, & Rigenſis Eccleſiae communiter, & concorditer elegerunt Archiepiſcopum, & Paſtorem, prout in Decreto Electionis deſuper confecto plenius continetur. Verum quia temporalium diſpoſitio præfatae Rigenſis Eccleſiae ad Nos tanquam Romanorum Regem, & neminem alium ex primæva ipſius Eccleſiae fundatione ſpectat, & pertinet, Nos de Electione prædicta Ottonis contenti, tuae Dilectioni virtute præſentium committimus, & ſub Regii favoris obtentu diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus præfatum Ottonem in iure ſibi ex Electione præmiſſa competenti conſervare, in poſſeſſionem nihilominus Caſtrorum, Civitatum, Villarum, & Bonorum ad ipſam Eccleſiam ſpectantium inducere debeas, amoto ab eis quolibet illicito detentore, invocando nihilominus, quo ad hoc, auxilium Regum, Ducum, & Principum, quos tenore præſentium ſerioſe requirimus, noſtris quoque, & Imperii Sacri fidelibus, & ſubditis expreſſe mandamus, ut tibi in hoc caſu, quotiens opportunum fuerit, aſſiſtere debeant conſiliis, & auxiliis opportunis. Datum Pragae Anno Domini milleſimo trecenteſimo nonageſimo quarto, die nona Novembris Regnorum noſtrorum Anno Bohemiae triceſimo ſecundo, Romanorum vero decimo nono. Anno 1394.

LXIX.

Eiusdem alterae Literae ad eundem in eodem negotio. Dat. Pragæ, feria tertia proxima poſt diem Palmarum. Anno 1396. *Ex Originali.* 1396.

Venceslaus Dei gratia Romanorum Rex, ſemper Auguſtus, & Bohemiae Rex. Illuſtri Swantiborio Duci Stetinenſi, Principi, Conſangvineo noſtro chariſſimo, gratiam regiam, & omne bonum. Princeps Conſanguinee chariſſime. Pervenit ad audientiam noſtram, qualiter honorabiles Præpoſitus, Decanus, & Capitulum Eccleſiae Rigenſis, devoti noſtri dilecti, eidem Rigenſi Eccleſiae variis, ac gravibus attritae diſpendiis, ipſiusque ſubditis, & hominibus providere cupientes, accedente ad hoc Venerabilis Joannis Rigenſis Archiepiſcopi expreſſo conſenſu, Illuſtrem Ottonem Seniorem natum noſtrum in ſuum, & Rigenſis Eccleſiae communiter, & concorditer elegerunt, ſeu poſtularunt Archiepiſcopum, et Paſtorem, prout in Decreto electionis, ſeu poſtulationis deſuper confecto plenius continetur, verum quia temporalium diſpoſitio præfatae Rigenſis Eccleſiae ad Nos tanquam Rom. Regem, & neminem alium ex primæva ipſius Eccleſiae fundatione ſpectat, & pertinet, Nos de electione, ſeu poſtulatione prædicti Ottonis contenti, tuae Dilectioni virtute præſentium committimus, & ſub Regii favoris obten-

Anno 1396. obtentu diſtricte præcipiendo mandamus quatenus præfatum Ottonem in iure ſibi ex electione, ſeu poſtulatione præmiſſa competenti conſervare, in poſſeſſionem nihilominus Caſtrorum, Civitatum, Villarum, & Bonorum ad ipſam Eccleſiam ſpectantium pacificam inducere debeas, amoto ab eo quolibet alio detentore, ſeu detentoribus, cuiuscunque præeminentiae, ſtatus, gradus, Ordinis, aut Religionis extiterint, etiamſi fuerint Fratres Ordinis Domus Theutonicorum, vel alii quicunque, invocando nihilominus ad hoc, auxilium Regum, Ducum, Principum, quorumcunque duxeris invocandum, quos tenore præſentium coniunctim, & diviſim ſerioſe requirimus, Proconſulibusque, Conſulibus, & Communitatibus Lubicenſis, Sundenſis, Rigenſis, & Tarbatenſis Civitatum, ac aliis quibuscunque Imperii Sacri fidelibus, & ſubditis, etiam coniunctim, & diviſim ſub pœna Banni Imperialis expreſſe mandamus, ut tibi in hoc caſu, quotiens opus fuerit, aſſiſtere debeant cum omni potentia ſua realiter, et cum effectu, ac etiam conſiliis, & auxiliis opportunis præſentium ſub Regiae noſtrae Maieſtatis Sigillo teſtimonio Literarum. Datum Pragae Anno milleſimo trecenteſimo nonageſimo ſexto. Feria tertia proxima poſt diem Palmarum, Regnorum noſtrorum Anno Bohemiae trigeſimo tertio, Romani vero vigeſimo.

LXX.

1396. *Idem committit defenſionem Theodorici Epiſcopi, & Eccleſiæ Tarbatenſis adverſus Crucigeros eidem Swantiborio Duci Stetinenſi.* Dat. Pragæ, feria tertia proxima poſt diem Palmarum. Anno 1396. *Ex Originali.*

Venceslaus Dei gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus, et Bohemiae Rex. Illuſtri Swantiborio Duci Stetinenſi, Principi Conſanguineo noſtro dilecto gratiam Regiam, & omne bonum. Princeps Conſanguinee dilecte. Pati nolentes, ut Venerabilis Theodoricus Tarbatenſis Epiſcopus, Princeps, devotus noſter dilectus, homines, ſeu ſubditi eiusdem Eccleſiae, quae ad noſtram, & Sacri Imperii protectionem ſpecialem ſpectat, & pertinet, a quibuscunque perſonis in iuribus ſuis, & libertatibus, temporalibus aliquibus turbetur incommodis, ſeu, quod abſit, ſubiaceat diſpendiis, & iacturis, Tuae Dilectioni tuitionem, atque defenſionem

præfati Epiſcopi, & Eccleſiae ſuae Tarbatenſis, bonorum, iurium, & libertatum ipſius providimus, ex certa ſcientia committentes, volentes, & tibi virtute præſentium, & ſub Regii favoris obtentu ſerioſe præcipiendo mandamus, quatenus huiusmodi tuitionem tibi aſſumere, præfatumque Epiſcopum, Eccleſiam ſuam, homines, ſubditos, Bona, Jura, & Libertates ipſorum ab univerſis, & ſingulis impetitoribus, violentis oppreſſoribus, occupatoribus, ſeu moleſtatoribus cuiuscunque præeminentiae, ſtatus, conditionis, ordinis, ſeu religionis extiterint, etiamſi fuerint Fratres Ordinis Domus Theutonicorum, debeas noſtro nomine fideliter defenſare, invocando ad hoc auxilium Regum, Ducum, Principum, quorumcunque duxeris invocandum, quos tenore præſentium communiter, & diviſim ſerioſe requirimus. Proconſulibus quoque, Conſulibus, & Communitatibus Lubicenſis, Sundenſis, & Rigenſis Civitatum, ac aliis quibuscunque Sacri Imperii fidelibus, & ſubditis, etiam coniunctim & diviſim, ſub pœna Banni Imperialis expreſſe mandamus, ut tibi in hoc caſu, quotiens opus fuerit, aſſiſtere debeant realiter, & cum effectu, conſiliis, & auxiliis opportunis. Tibi etiam Epiſcopo Tarbatenſi ſub obtentu Regiae gratiae ſerioſe præcipiendo mandamus, quatenus prædictis univerſis, & ſingulis impetitoribus, violentis oppreſſoribus, occupatoribus, ſeu moleſtatoribus fortius reſiſtas, Bona, Jura, & Libertates Imperiales, & Eccleſiae tuae Nobis et Sacro Romano Imperio, ut præfertur, in temporalibus ſubiectae conſtantiſſime defenſando, præſentium ſub Regiae noſtrae Maieſtatis Sigillo teſtimonio Literarum. Datum Pragae Anno Domini milleſimo trecenteſimo nonageſimo ſexto, feria tertia proxima poſt diem Palmarum. Regnorum noſtrorum Anno Bohemiae triceſimo tertio, Romani vero viceſimo.

Anno 1396.

LXXI.

Tranſumptum Literarum Fridrici *Archiepiſcopi Rigenſis, de Concordia inter Magiſtrum, & Ordinem, ac Civitatem Rigenſem, per Iſarnum Archiepiſcopum Lindenſem, Sveciæ Primatem Anno 1304. facta. Ex Authentico quod extat in Archivo Theſauri Regni.* 1399.

Henricus Valerius & Albertus Rodenborg Sanctae Eccleſiae

ANNO 1399. Lubicenſis Adminiſtratores, & Vicarii in ſpiritualibus, & temporalibus eiusdem Lubicenſis Eccleſiae ſede vacante, univerſis, & ſingulis præſentes Literas conſpecturis in ſalutis Auctore ſalutem. Notificamus, quod coram nobis, & in Notarii Publici, ac teſtium infradictorum præſentia perſonaliter conſtitutus, honorabilis Vir Dominus Joannes de Eymeren, Sanctae Rigenſis Eccleſiae Canonicus, quandam Literam patentem, vero, et integro Sigillo Reverendiſſimi in Chriſto Patris, et Domini, Domini FRIDERICI Sanctae Rigenſis Eccleſiae Archiepiſcopi de peſſula pargamenea pendente ſigillatam, non corruptam, non vitiatam, ſed ſanam, et integram, ac omni prorſus vitio, & ſuſpicione carentem produxit, exhibuit & legi fecit, cuius tenor de verbo ad verbum fuit, et eſt talis. Venerabili in Chriſto Fratri Domino Engelberto Dei gratia Tarbatenſi Epiſcopo: Frater FREDERICUS eadem gratia Sanctae Rigenſis Eccleſiae Archiepiſcopus, ſinceram in Domino charitatem, virtutem, prudentiam. Omnibus modis, quibus poſſumus, requirimus, quod Domini Iſarni noſtri Prædeceſſoris Arbitrium, & Ordinationem infradictam obſervari faciatis, & ea, quæ ad nos ſunt devoluta per ipſam, a Magiſtro, & Fratribus cum effectu repetatis, nam nos præſentes tunc in eius fuimus Pœnitentiariis, quum per dictum Prædeceſſorem noſtrum extitit ordinata, & facta, cuius tenor de verbo ad verbum dinoſcitur eſſe talis.

In Nomine Domini Amen.

Nos Iſarnus Permiſſione Divina Lindenſis Archiepiſcopus, Sveciae Primas, quondam Rigenſis Archiepiſcopus, Arbiter, Arbitrator, ſeu amicabilis compoſitor communiter electus a religioſis Viris, Magiſtro, & Fratribus Ordinis Sanctae Mariae Theutonicorum in Livonia ex parte una, ac Civibus, & Civitate Rigenſi ex altera ſuper omnibus guerris, & diſcordiis motis inter eos, ac dampnis pluribus, captivitatibus, iniuriis, expenſis, litibus, cauſis, et intereſſe tam in Romana Curia, quam alibi inde ſecutis, intendentes paci, & concordiae partium prædictarum, receptis earum petitionibus, & articulis, ac iuxta qualitatem negotii, & traditam nobis formam, ab ipſis diligenti informatione tam per confeſſiones Partium, quam Inſtrumentorum, & Teſtium habita ſuper ipſis, quia, licet conſtat nobis præfatam diſcordiam ipſis Partibus dampna plurima, & ſtrage, & captionibus hominum, locorum incendiis, bonorum rapinis, & animalium praedis hactenus intuliſſe, quodque ipſae Partes, quod læti referimus, Divina Gratia ſalubriter diſponente abolita iniuria, & omni rancore dimiſſo, huiusmodi dampnorum oblitae amicabiliter ſe admittentes, cohabitantes, & pertractantes, et ſicut amicus amico communicat bona ſua, de puritate dictorum Magiſtri, & Fratrum, ac devotione Civium prædictorum plenam in Domino fiduciam obtinentes, quod prædicta caritatis opera per mutuam cohabitationem, & laudabilem converſationem dante Deo, concordiae, ac Pacis Autore, ſemper in ipſis pullulabunt, & creſcent, diligenti, ac frequenti deliberatione habita in prædictis, & communicato nobis Venerabilium Patrum, Dominorum Joannis tituli Sanctorum Marcellini, et Petri, ac Fratris Gentilis tituli S. Martini in Montibus Presbyterorum Cardinalium, ad haec nobis per Sanctiſſimum Patrem, & Dominum, Dominum BENEDICTUM Divina Providentia Papam Undecimum deputatorum conſilio, & aſſenſu, ſuper ipſis, ut noſtrum arbitrium, diffinitio, compoſitio, ſeu ordinatio de vultu Dei prodeat, & oculi noſtri videant æquitatem: *In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen.* Arbitrando, diffiniendo, ordinando, & componendo, poteſtate, a dictis Partibus nobis conceſſa, & omni iure, & cauſa, quibus melius poſſumus, pro bono Pacis, & Concordiae, ac ad favorem Religionis, & Fidei Chriſtianae incrementum, cuius proceſſus per dictam diſcordiam noſcitur retardatus, & per concordiam creditur propagandus, dampna huiusmodi pari compenſatione tollenda procurando dictorum Magiſtri, & Fratrum, & ipſos in perſona ipſius, ac petitione Procuratorum dictorum Civium, & ipſos Cives in Perſona ipſius, & petitionem dictorum Fratrum quo ad dicta dampna, iniurias, & expenſas, & omne intereſſe inde ſecutum abſolvimus, & quitamus, aſſignantes dictis Magiſtro, & Fratribus, reſtituenda eisdem omnia bona ædificata, & non ædificata, quae tempore motae diſcordiae inter ipſos, & Cives prædictos in Civitate Rigenſi, & Marchia eiusdem habuiſſe noſcuntur, proviſo quod inter Civitatem prædictam, ac domum, ſeu curiam, quam dicti Fratres inhabitabunt, fiat murus ad expenſas Fratrum, decenter ſpiſſus, altitudinis ſex ulnarum ſine præimpedimento viarum, & platearum Civitatis eiusdem, præſertim viae, quae eſt inter Eccleſiam Sancti Georgii, & domum, in qua habitabat Dominus Woldemarus, dictus de Reza, Miles, & quod nul- ANNO 1399.

Anno 1399. nullam habitationem habeant in dicta Civitate, nisi infra murum huiusmodi intercluſam, & quod posticus quatuor pedum latitudinis, & sex altitudinis relinquetur in eo, per quam unus homo cum victualiis emptis, vel aliter acquisitis, pro sustentatione Fratrum prædictorum intrare valeat liber, & exire, nullam aliam, sive in Ecclesia, sive alibi hactenus portam, quam unam, seu ostium habeant in muro Civitatis eiusdem, sicut ante discordiam habuerunt, & quod ultra viginti Fratres, cum totidem servitoribus duntaxat non morentur in ea, nec parlamentum, seu Capitulum faciant in eadem, nisi semel in anno, & tunc qui occasione veniunt huiusmodi, quinquaginta numerum non excedant, prohibentes, ne ostium in dicto muro, parlamentum in dicta Civitate Fratres faciant supradicti, donec murus inter dictam domum ipsorum Fratrum, & Civitatem, ut præmittitur, sit completus. Item ordinamus, quod surguſtium in flumine dicto Semigalera, sit commune in fructu piscium, & expensis, Fratribus, & Civibus supradictis, & quod Magister, & Fratres prædicti, nullum fortalitium, seu turrim faciant per se, vel per alios in Civitate, vel Marchia supradicta, ponte per dictos Cives ædificato pro utilitate Reipublicae Civitatis prædictae, seu constructo in flumine dicto Riga, nihilominus remansuro. Proviso tamen quod naves dictorum Magistri, & Fratrum parvae, & magnae possint libere pertransire. Simili modo pronuntiamus, quod dicti Magister, & Fratres permittant dictos Cives, & dicti Cives prædictos Fratres, & Familiam, ac Vasallos eorum libere emere, vendere, & agere in suis mercimoniis, nec redire, & morari per Terras, & Districtum suum ad invicem, & quantum ad ipsos spectabit mutuo, & benigne se recipient, pertractent, protegant, & defendant, & sine dispendio, iustitiae faciant complementum. Nulla nova pedagia, theolonia, seu quasvis alias novas exactiones alter ab altero per se, vel per alios quomodolibet exigentes pro personis, vel de bonis ipsorum mobilibus, cuiuscunque qualitatis existant, quae de approbata consvetudine, vel authoritate Sedis Apostolicae non sunt impositae, vel in posterum imponantur. Quodsi dicti Magister, & Fratres per se, vel per alios prædictos Cives interfecerint, violaverint, vel mala ceperint captione, nec non si dictam Civitatem obsederint, vel impugnaverint, corpore, quod Deus avertat, omnibus bonis, & iuribus, quae in dicta Civitate obtinent, seu obtinuerunt, sint privati, & Bona ipsa, & Jura Rigensi Ecclesiae, & Archiepiscopo, qui pro tempore fuerit in eadem, ipso facto penitus devolvantur. Item partes prædictas super mille quingentis uncis Terrarum, quos in *Curonia*, & centum in *Pſylia* a dictis Fratribus vendicant dicti Cives, ad Sedem Apostolicam remittimus, & sibi super iis finale iudicium reservamus. Acta fuerunt Romae, Anno Domini milleſimo trecenteſimo quarto, duodecimo Kalendas Aprilis, præsentibus Venerabili in Christo Patre, ac Domino H. Dei gratia Revalienſi Episcopo, ac discretis Viris Dominis Bernardo de Warniola Archipresbitero Carcaſſenſi, Henrico dicto de Lubek Canonico Rigenſi, Porrina de Casulis, Jacobo de Casulis, & Magistro Petro de Sancto Benedicto, Doctoribus, in Romana Curia Advocatis, & aliis quam pluribus Clericis, & Laicis fide dignis, testibus ad hoc specialiter vocatis, & rogatis. In quorum omnium testimonium, & caeterorum Joannes Pstinthusen Civis Rigensis, tunc in Romana Curia Procurator Civitatis Rigensis, hoc Arbitrium, seu amicabilem Compositionem ex parte dictorum Rigensium Civium, præsente Hermanno Trullio, prædictae Rigensis Ecclesiae Clerico, nunc Sacerdote, recepit. In quorum evidentiam nostrum Sigillum præsentibus est appensum. Datum Avinione Anno Domini milleſimo trecenteſimo sexto, sexto Nonas Julii. Qua Litera sic producta, exhibita, atque lecta, idem Dominus Joannes nobis humiliter supplicavit, quatenus cum ipse in diversis longinquis, atque remotis partibus, nomine Ecclesiae, & Capituli Rigensis Nuntiis opus haberet, de eadem eam fideliter transcribi, & transumi mandaremus, eique transcriptae, & transumptae Decretum, & authoritatem nostram interponere dignaremur. Nos vero attendentes petitionem dicti Domini Joannis iuri consonam, & rationi, prædictam Literam in stylo, sigillo, & aliis requisitis, et de iure considerandis, diligenter inspecta, examinata, et considerata, eaque vera in omnibus, et per omnia reperta, atque dictus Dominus Joannes dictam Originalem Literam propter viarum discrimina, et multa alia pericula ausus portare, vel mittere ad eadem loca, seu easdem remotas partes, nos si mandavimus eam fideliter per Notarium infradictum transcribi, et transumi, ac se pro maiore evidentia subscribi, qua sic fideliter, et diligenter transcripta, et transumpta, & Anno 1399.

Anno 1399. et facta collatione diligenti cum huiusmodi transumpto et ipsa vera Originali Litera, huiusmodi transumpto authoritatem nostram ordinariam, et Decretum decrevimus interponendum, et interponimus per præsentes, sic quod huiusmodi nostrae Literae, et præsenti transumpto fides plenaria tam in iudiciis, quam extra adhibeatur tanquam ipsi verae Literae Originali supradictae. Descriptio vero Sigilli sequitur, et est talis. Sigillum rotundum de cera rubea interius, et exterius, in cuius medio apparebat imago cuiusdam Episcopi, Pontificalibus induti, in sede sedentis, dextram manum ad dandam benedictionem erigentis, et in sinistra manu baculum habentis, in cuius summitate crux apparebat, et sub cruce in eodem baculo vexillum elucebat, et in huius Sigilli circumferentia hae Literae legebantur: *S. Fratris Friderici, Ordinis Fratrum Minorum, Dei Gratia Sanctæ Rigensis Ecclesiæ Archiepiscopi.* In quorum omnium, et singulorum præmissorum testimonium præsentem Literam, seu præsens transumptum per Notarium infradictum subscribi, et publicari mandavimus, et Sigilli nostri Vicariatus, appensione fecimus communiri. Datum et Actum in Civitate Lubicensi, Anno Domini millesimo trecentesimo nonagesimo nono. Indictione septima, Mensis Maij die duodecima. Præsentibus honorabilibus Viris, Dominis Joanne Gaal Lubicensi, Henrico Sthuthen Utynen. Lubicensis Diœcesis Ecclesiarum Canonicis, et Godfrido de Crempe perpetuo Vicario in prædicta Lubicensi Ecclesia, et pluribus aliis fide dignis testibus ad præmissa vocatis specialiter, et rogatis.

Et Ego Henricus Hobthusen Clericus Hildesemensis Diœcesis, Publicus Imperiali auctoritate Notarius, prædictae Literae Reverendissimi in Christo Patris, et Domini, Domini Friderici Sanctae Rigensis Ecclesiae Archiepiscopi, productioni, exhibitioni, præsentationi, petitioni, receptioni, transumptioni, Sigillorum examinationi, auctoritatis, et Decreti interpositioni, omnibusque aliis, et singulis, dum sic ut præmittitur agerentur, et fierent, una cum suprascriptis testibus præsens interfui, ac ea taliter fieri vidi, et audivi, et inde hoc transumptum ex originali Litera supradicta, manu propria transumpsi, et ipsum transumptum diligenter auscultavi, cum ipsa Litera Originali, atque utrumque concordare inveni, ut eidem transumpto adhibeatur de cætero plena fides, de Mandato Venerabilium Virorum Dominorum Henrici, et Alberti Ecclesiae Lubicensis in spiritualibus, et temporalibus Vicariorum Sede vacante, supradictum huiusmodi Transumptum in hanc publicam Formam redegi, signoque et nomine meis solitis, et consvetis signavi una cum appositione Sigilli Vicariatus dictorum Venerabilium Virorum Dominorum Henrici, et Alberti rogatus, et requisitus in fidem, et testimonium omnium, et singulorum præmissorum. Anno 1399.

LXXII.

Literæ Martini PP. V. *quibus Heningum a Capitulo Rigensi Electum Archiepiscopum Rigensem confirmat.* Dat. Romæ d. 15. Octob. 1423. *Ex Origin.* 1423.

Martinus Episcopus Servus Servorum Dei Dilectis filiis Capitulo Ecclesiæ Rigensis, salutem, & Apostolicam benedictionem. Divina disponente Clementia, cuius inscrutabili Providentiæ ordinatione reguntur universa, in Apostolicæ Sedis specula licet immeriti constituti, ad universas Orbis Ecclesias aciem nostræ considerationis extendimus, & pro eorum statu salubriter dirigendo, Apostolici favoris auxilium adhibemus, sed de illis propensius cogitare Nos convenit, quas propriis carere pastoribus intuemur, ut eis iuxta cor nostrum viri præficiantur idonei, qui commissos sibi populos per suam circumspectionem providam salubriter dirigant, & informent, ac Ecclesias ipsas non solum gubernent utiliter, sed etiam multimodis efferant incrementis. Dudum siquidem bonæ memoriæ Joanne Archiepiscopo Rigensi regimini Ecclesiæ vestræ præsidente, Nos cupientes eidem vestræ Ecclesiæ, cum vacaret, per operationis nostræ ministerium utilem, & idoneam præsidere personam, provisionem eiusdem Ecclesiæ vestræ ordinationi, & dispositioni nostræ duximus ea vice specialiter reservandam, decernentes extunc irritum, & inane, si secus super his per quoscunque, quavis authoritate scienter, vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero præfata Ecclesia vestra per obitum dicti Archiepiscopi, qui extra Romanam Curiam debitum naturæ persolvit, Pastoris solatio destituta, Vos Reservationis, & Decreti forsan prædictorum

Anno 1423. rum ignari, dilectum Filium Heningum Electum Rigensem, tunc dictæ Ecclesiæ vestræ Præpositum in Subdiaconatus Ordine constitutum, in Archiepiscopum vestrum elegistis, licet de facto, ipseque Electus Reservationis, & Decreti prædictorum similiter inscius, electionis huiusmodi illius sibi præsentato Decreto, consensit etiam de facto, & demum huiusmodi Electionis negotium proponi fecit in Consistorio coram Nobis. Nos igitur Electionem huiusmodi, & quæcunque inde secuta, utpote post, & contra Reservationem, ac Decretum prædicta de facto, ut præmittitur, attemptata, irrita, prout erant, & inania reputantes, & ad provisionem ipsius Ecclesiæ vestræ celerem, & felicem, de qua nullus præter Nos ea vice se intromittere poterat, sive poterant, Reservatione, & Decreto obsistentibus supradictis, ne eadem vestra Ecclesia longioris vacationis exponeretur incommodis, paternis, & sollicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam super his cum Fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad præfatum Electum, cui de literarum scientia, Religionis zelo, iure, munditia, honestate, morum spiritualium providentia, & temporalium circumspectione, ac aliis virtutum donis apud Nos fide digna testimonia perhibentur, direximus oculos nostræ mentis, quibus omnibus, nec non vobis ipsum Electum eligentium concordi voluntate, attenta meditatione pensatis, de persona dicti Electi Nobis, & dictis Fratribus ob suorum exigentiam meritorum, accepta eidem Ecclesiæ vestræ de ipsorum Fratrum consilio authoritate Apostolica providimus, ipsumque illi præfecimus, & præficimus in Archiepiscopum, & Pastorem, curam, & administrationem sibi in spiritualibus, & temporalibus plenarie committendo. In illo, qui dat gratias, & largitur præmia confidentes, quod eadem Ecclesia vestra per ipsius Electi circumspectionis industriam, & providentiam circumspectam, sub suo felici regimine dextera Domini sibi assistente propitia salubriter, & prospere dirigetur, ac grata in eisdem spiritualibus, & temporalibus suscipiet incrementa. Quocirca Discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus eidem Electo tanquam Patri, & Pastori animarum vestrarum humiliter intendentes, ac exhibentes sibi obedientiam, & reverentiam debitam, & devotam, eius salubria monita, & mandata suscipiatis devote, & efficaciter adimplere curetis, alioquin Sententiam quam idem Electus rite tulerit in rebelles, ratam habebimus, & faciemus Authore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem Idus Octobris Pontificatus nostri Anno septimo. Anno 1423.

LXXIII.

Idem abrogat Privilegium per Bonifacium IX. *Ordini Theutonico in Livonia concessum, quo ille Ecclesiam Rigensem, & alias Ditionis Hospitalis iure Dominii cum certis prærogativis eidem Ordini attribuerat.* Dat. Romæ d. 22. Dec. 1423. *Ex Originali.*

Martinus Episcopus Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Etsi de cunctis Orbis Ecclesiis, quarum Nobis cura, Divina disponente Clementia generalis incumbit, Nos sedulo cogitare conveniat, de statu tamen Metropolitanarum Ecclesiarum prospere conservando, eo perpensius solicitudo Nos urget, quo præ cæteris excellentiori sunt præditæ dignitate, unde si quando aliqua in earum præiudicium, vel læsionem facta, aut innovata esse comperimus, præcipue cum ex his oriri contentiones, & scandala formidantur, illa curamus de medio submovere. Dudum siquidem pro parte dilectorum filiorum modernorum Præpositi, Decani, & Capituli Ecclesiæ Rigensis Nobis expositum, quod quondam Bonifacius Nonus nuncupatus, ex certis causis eum moventibus, motu suo proprio, per quasdam Literas statuerat, & ordinaverat, quod perpetuis futuris temporibus nullus in Canonicum, seu Præpositum, aut Decanum, vel ad aliquam aliam dignitatem, seu personatum, vel officium cum cura, vel sine cura dictæ Ecclesiæ, tunc Ordinis Sancti Augustini, quocunque nomine nuncuparetur, recipi posset, aut deberet, nisi prius regularem Professionem per Fratres Hospitalis Beatæ Mariæ Theutonicorum Jerosolimitanensium emitti consvetam emisisset, quodque postquam omnes Canonici præfatæ Ecclesiæ, nec non Præpositus, & Decanus praedicti, aliique dignitates, personatus, vel officia obtinentes in eadem, vel saltim maior pars eorum, huiusmodi professionem emisissent, Ecclesia ipsa extunc non dicti Ordinis, sed regularis observantiae praefati Hospitalis censeretur existere, & perpetuo nuncuparetur, ac Canonici, & alii, dignitates, personatus, & officia in dicta Ecclesia extunc in posterum obtenturi, habitum Fratrum dicti Hospita-

ANNO 1423. lis geſtare tenerentur, ac etiam quilibet recipiendus de caetero in Canonicum dictae Eccleſiae, a Magiſtro pro tempore exiſtente domorum praefati Hoſpitalis in Livoniae partibus conſiſtentium, in quibus Eccleſia ipſa conſiſtit, poſtulari, & per illum approbari deberet, prout recipiendi in Canonicos, certarum, videlicet Culmenſis, Pomeſanienſis, & Sambienſis Eccleſiarum, eidem Hoſpitali ſubiectarum, in partibus Pruſſiae conſiſtentium, a Generali Magiſtro eiusdem Hoſpitalis poſtulari, & per illum approbari conſueverant, quodque idem BONIFACIUS Nonus per alias ſuas Literas, eidem Magiſtro partium Livoniae, & Fratribus Hoſpitalis praedictorum conceſſerat, quod Canonici, & Capitulum dictae Eccleſiae Rigenſis, poſtquam illa regularis obſervantiae Hoſpitalis huiusmodi reputata foret, ut praefertur, extunc in antea perpetuis futuris temporibus per Viſitatores eiusdem Hoſpitalis ſuper diſciplina, obedientia, & regulari obſervantia profeſſionis ipſius Hoſpitalis duntaxat viſitari poſſent, & deberent, prout Canonici, & Capitula earundem Culmenſis, Pomeſanienſis, & Sambienſis Eccleſiarum dicto Hoſpitali, ut præfertur, ſubiectarum, viſitabantur tunc, ſeu poterant quomodolibet viſitari, & ſucceſſive per ipſos modernos Præpoſitum, Decanum, & Capitulum Nobis ſubiuncto, quod ex huiusmodi Conſtitutionibus, & Ordinationibus dicti BONIFACII præfata Rigenſis Eccleſia, & illius Archiepiſcopus pro tempore exiſtens, honoris, & dignitatis ſuae diſpendia patiebantur, præſertim cum ſatis abſonum, & indecens videretur, quod a Magiſtro dictarum partium Livoniae, qui Laicalis perſona eſt, deberent Canonici eiusdem Rigenſis Eccleſiae poſtulari, & per eum approbari, ac ad huiusmodi profeſſionem recipi, & admitti, & per Viſitatores dicti Hoſpitalis ſuper huiusmodi diſciplina, obedientia, & obſervantia viſitari, & licet præfata Eccleſia Rigenſis in membris ſuis per Magiſtrum Livoniae, aut Viſitatores eosdem prætextu dictarum Literarum usque tunc viſitata non foret, tamen iidem Præpoſitus, Decanus, & Capitulum per ipſos Magiſtrum, & Viſitatores, viſitationem ipſam in eorum Eccleſia fieri formidabant, ex qua non caritas, vel recta correctio, ſed contentiones, iurgia, & ſcandala gravia inter eos ſequi præſumebantur. Demum vero pro parte modernorum Præpoſiti, Decani, & Capituli præfatorum Nobis humiliter ſupplicatum, ut eorum, & dictae Eccleſiae Rigenſis ſtatui ſuper præmiſſis oportune conſulere dignaremur, Nos cupientes huiusmodi contentionibus, & ſcandalis obviare, & ex certis aliis cauſis tunc expreſſis, præfatas Literas, & Proceſſus habitos per easdem, quousque per Sedem Apoſtolicam in præmiſſis foret aliter ordinatum, per alias noſtras Literas ſuſpendimus, ac Canonicos dictae Eccleſiae Rigenſis ab eodem Magiſtro Livoniae poſtulari, & per eum approbari, ac ad Profeſſionem recipi, & Viſitationem huiusmodi interim fieri diſtrictius inhibuimus, & alia fecimus, & ſtatuimus prout in dictis noſtris Literis plenius continetur. Cum autem ſicut exhibita Nobis nuper pro parte Venerabilis Fratris noſtri Joannis Archiepiſcopi Rigenſis, nec non modernorum Præpoſiti, Decani, & Capituli prædictorum petitio continebat, ipſi ex præfata ſuſpenſione magnum ſuſceperint relevamen, videntes ſe, & eorum Eccleſiam in ſtatum debitum reformari, cupiantque propterea ipſa ſuſpenſione ad perpetuam firmitatem reducta invicem reuniri, ac a iurisdictione, & ſuperioritate de poſtulandis ab ipſo Magiſtro Livoniae, & per eum approbandis, & recipiendis Canonicis dictae Eccleſiae Rigenſis, nec non Viſitatione huiusmodi perpetuo abſolvi, & liberari, ex quibus manifeſte cenſuerunt eis, & eorum Eccleſiae magnum profectum, & commodum in poſterum proventurum, ſeque ex hac reductione, & univerſas perſonas Eccleſiaſticas dictae Eccleſiae Rigenſis plurimum conſolari, pro parte Joannis Archiepiſcopi Præpoſiti, Decani, & Capituli præfatorum, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eorum, & dictae Eccleſiae Rigenſis ſtatui, & quieti ſuper his opportune, & paternaliter providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur qui Eccleſiarum omnium, & illis pro tempore præſidentium ſtatum reddi pacificum, & quietum ſupremis deſideriis affectamus, quique poſtmodum de præmiſſis fuimus diligentius informati, conſiderantes quod praemiſſa per eundem BONIFACIUM Nonum ſtatuta, & ordinata in Eccleſiae Rigenſis, & Archiepiſcopi praedictorum nimis grave diſpendium redundare noſcuntur, huiusmodi ſupplicationibus inclinati, praefatam ſuſpenſionem per Nos, ut praemittitur, factam, & proceſſus deſuper ſubſecutos, ad perpetuam firmitatem reducentes, authoritate Apoſtolica ex certa ſcientia, tenore praeſentium perpetuo ſtatuimus, & etiam ordinamus, quod de caetero Canonici dictae Eccleſiae Rigenſis ab eodem Magiſtro Livoniae nullatenus poſſint, aut debeant poſtulari, nec per ipſum approbari neque ad huiusmodi pro-

ANNO 1423.

Anno 1423. professionem recipi quoquo modo, ipsamque visitationem per Magistrum, et Visitatores praedictos, aut quosvis alios Fratres Hospitalis eiusdem, in dicta Ecclesia Rigensi fieri, eosque ipsius Bonifacii Noni Literis, et processibus huiusmodi per se, vel per alios de caetero quomodolibet uti super praemissis, authoritate praedicta districtius inhibemus, statuentes, et etiam decernentes, quod moderni Praepositus, Decanus, et Capitulum ipsius Rigensis Ecclesiæ, eorumque Successores, prout antequam circa hoc Literae eiusdem Bonifacii Noni emanarent, facere consveverunt, personas idoneas in Canonicos eiusdem Ecclesiae Rigensis eligere, & electos recipere, receptosque investire, & ab eis regularem Professionem per Canonicos eiusdem Ecclesiae Rigensis, iuxta illius antiqua statuta, & Consvetudines emitti consvetam, si eam sponte emittere voluerint, recipere valeant, & admittere, quodque ipsi Præpositus, Decanus, & Capitulum per neminem, quacunque potestate, vel authoritate munitum, prætextu Literarum dicti Bonifacii Noni, sed per ipsum duntaxat Archiepiscopum existentem pro tempore, super disciplina, obedientia, & observantia prælibatis, quoties opus fuerit, possint, & debeant visitari, mandantes exnunc, & etiam inhibentes Magistro pro tempore existenti, & Fratribus dicti Hospitalis, partium Livoniae prædictarum, & quibuscunque aliis, ne de cætero praetextu Literarum dicti Bonifacii Noni, directe, vel indirecte, aut quovis quæsito colore aliquid contra Ecclesiam Rigensem, Archiepiscopum, Præpositum, Decanum, & Capitulum supradictos, eorumque res, iura, & bona communiter, vel divisim, per se, vel alium, seu alios quovis modo attemptare, seu in eos Jurisdictionem, vel Superioritatem, aut Visitationem aliquam exercere, seu ipsos, vel eorum aliquem in personis, rebus, aut bonis suis, præmissorum occasione molestare, seu perturbare præsumant, non obstantibus dictis Literis eiusdem Bonifacii Noni, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non Statutis, & Consvetudinibus dicti Hospitalis, præfata, vel quacunque alia authoritate roboratis, quae quo ad praemissa pro infectis haberi volumus, ac perinde censeri, acsi nullatenus emanassent, quorumcunque tenorum existant, etiamsi de illis, & eorum totis tenoribus, & de verbo ad verbum habenda foret in præsentibus mentio specialis, cæterisque contrariis quibuscunque. Nos insuper exnunc irritum decernimus, & inane, si-

secus super his a quoquam, quavis au- Anno
thoritate scienter, vel ignoranter contige- 1423.
rit attemptari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae Reductionis, Statuti, Ordinationis, Inhibitionis, Constitutionis, Mandati, Voluntatis, & Decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Romae apud Sanctum Petrum undecimo Kalendas Januarii, Pontificatus nostri Anno septimo.

LXXIV.

Idem committit executionem Absolutionis Rigensium a Juramento Ordini præstito, Archiepiscopo Arelatensi, & Arosiensi, Tarbatensique Episcopis. 1424.
Dat. Romæ die 12 Maij. 1424.
Ex Originali.

Martinus Episcopus Servus Servorum Dei. Venerabilibus Fratribus Archiepiscopo Arelatensi, & Arosiensi, ac Tarbatensi Episcopis, salutem, et Apostolicam benedictionem. Justis supplicum votis libenter annuimus illaque favoribus prosequimur opportunis. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte Venerabilis Fratris nostri Heningi Archiepiscopi Rigensis, et dilectorum filiorum Præpositi, et Capituli Ecclesiae Rigensis petitio continebat, quod dudum bonae memoriae Vromoldus Archiepiscopus Rigensis, ipsius Heningi Archiepiscopi Prædecessor, nec non Præpositus, qui tunc erat, et Capitulum prædicti in causa per eos contra dilectos filios Magistrum, Præceptores, Commendatores, et Fratres Hospitalis Beatae Mariae Theutonicorum Ierosolimitanorum per Livoniam constitutos super eo, quod Vromoldus Archiepiscopus, ac Præpositus tunc temporis existens, et Capitulum præfati, Civitatem Rigensem ad Archiepiscopum Rigensem pro tempore existentem, et Ecclesiam suam Rigensem, iure Dominii, vel quasi, pertinere asserebant, quamque etiam Magistri, Præceptores, Commendatores, et Fratres prædicti detinebant indebite occupatam, mota, et in Romana Curia coram bonæ memoriae Francisco tit. Sancti Marci Presbytero Cardinali, ex Commissione felicis recordationis Innocentii Papae sexti Prædecessoris nostri diutius ventilata, diffinitivam, per quam idem Cardinalis pronuntiavit, decrevit, et declaravit, dictam Civitatem Ri-

ANNO 1424. Rigenſem pertinuiſſe, et pertinere iure dominii vel quaſi ad dictos Vromoldum Archiepiſcopum, et Eccleſiam Rigenſem in ſpiritualibus, et temporalibus pleno iure, ac præfatos Magiſtrum, Præceptores, Commendatores, et Fratres a poſſeſſione, et detentione Civitatis eiusdem fuiſſe, et eſſe amovendos, et amovit, ipſosque ad dimittendum dictis Archiepiſcopo, et Eccleſiae dictam Civitatem condemnavit, nec non eisdem Magiſtro, Præceptoribus, Commendatoribus, et Fratribus ſuper præmiſſis perpetuum ſilentium impoſuit, Sententiam reportarunt, et ſuper executione ipſius Sententiae, quae nulla provocatione ſuſpenſa, in rem tranſivit iudicatam, dicti Prædeceſſoris noſtri, ad vos ſub certa forma Literas impetrarunt, quodque poſtmodum eidem Prædeceſſori noſtro pro parte Uromoldi Archiepiſcopi, nec non Præpoſiti, et Capituli prædictorum expoſito, quod iidem Magiſter, et Fratres, dilectos filios Proconſules, Conſules, Cives, et alios homines Civitatis prædictae, ad præſtandum eis fidelitatis Juramentum induxerant, et compulerant, et propterea timebat idem Uromoldus Archiepiſcopus ſe poſſeſſionem ipſius Civitatis apprehendere, et alias Sententiam huiusmodi executioni debitae demandari non poſſe, idem Prædeceſſor noſter aliis ſuis Literis vobis dedit in Mandatis: *Quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum per vos, vel alium, ſeu alios ad executionem dictæ Sententiæ iuxta primo dictarum Literarum huiusmodi continentiam, & tenorem procedentes, ipſosque Proconſules, Conſules, Cives, & homines a iuramento huiusmodi ſi, & prout iuſtum foret, abſolventes faceretis eos ipſi Archiepiſcopo tanquam eorum Domino in ſpiritualibus, & temporalibus obedire, intendere, & parere:* prout in eisdem Literis plenius continetur. Cum autem ſicut eadem petitio ſubiungebat, Proconſules, Conſules, Cives, et homines prædicti vigore ultimo dictarum, a iuramento præfato non fuerint realiter abſoluti, et alias ad plenam tam eorundem, quam etiam primo dictarum Literarum huiusmodi executionem, nondum extiterit proceſſum, timeantque Heningus Archiepiſcopus, Præpoſitus, et Capitulum præfati, occaſione iuramentorum in præiudicium executionis huiusmodi præſtitorum, quam plurimum impediri, pro parte Heningi Archiepiſcopi, Præpoſiti, et Capituli prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut providere ſuper hoc opportune de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur huiusmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati veſtrae per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum per vos, vel alium, ſeu alios Sententiam prædictam ubi, et quando expedire videritis, authoritate noſtra ſolenniter publicantes ad plenariam illius executionem, nec non etiam ad Proconſulum, Conſulum, Civium, et hominum prædictorum eis ab huiusmodi per eos, ut præfertur, nunc vel pro tempore præſtitis communiter, vel diviſim iuramentis impertiendam, eadem auctoritate abſolutionem, quotiescunque opus erit, procedere curetis, facientes eos præfato Heningo Archiepiſcopo tanquam eorum Domino in ſpiritualibus, et temporalibus obedire, intendere, et parere iuxta Sententiam, et Literarum prædictarum ſeriem, et tenorem, contradictores per Cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis, non obſtante ſi præfatis Magiſtro, Præceptoribus, Commendatoribus, et Fratribus, vel quibusvis aliis communiter, vel diviſim a Sede Apoſtolica ſit indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, per Literas Apoſtolicas non facientes plenam, et expreſſam, ac de verbo ad verbum de Indulto huiusmodi, et eorum perſonis, locis, ordinibus, et nominibus propriis mentionem. Datum Romae apud Sanctos Apoſtolos, quarto Idus Maij. Pontificatus noſtri Anno octavo. ANNO 1424.

LXXV.

Decretum ex Commiſſione Sedis Apoſtolicæ contra Magiſtrum & Ordinem Theutonicum in Livonia latum, quo Civitas Rigenſis Archiepiſcopo, & Capitulo Rigenſi addicitur, & pœnæ conſtituuntur in eos, qui Sententiæ huic contravenerint. Datum & Actum in Palatio Bonomen. die 24. Octobr. Anno 1425. *Ex Originali.* 1425.

Illuſtriſſimis, Sereniſſimis Principibus, ac Dominis Dominis SIGISMUNDO Romanorum ſemper Auguſto, et Hungariae, Dalmatiae, Bohemiae ac Croaciae etc. et ERICO Daciae, Sveciae, Norvegiae, Sclavorum, ac Gottorum, nec non VLADISLAO Poloniae Regibus, Regnorum veſtrorum felicis proſperitatis augmentum, ac Reverendis

in

Anno 1425. in Christo Patribus Magdeburgensis, Treverensis, Moguntinensis, Coloniensis, Broniensis, Lundensis, Upsalensis, Nidiosiensis, et Gnesnensis Ecclesiarum Archiepiscopis, nec non Hildesenienſi, Caminenſi, Lubicenſi, Zwernienſi, Osilienſi, Tarbatenſi, Revalienſi, Curonienſi, Warmienſi, Sambienſi, Culmenſi, Posnanienſi, Razeburgenſi, Verdenſi, Halberstadenſi, Monasterienſi, Wratislavienſi, Wladislavienſi, Rypenſi, Cracovienſi, Aboenſi, Slosvicenſi Episcopis, eorumque, et cuilibet ipsorum in spiritualibus et temporalibus Vicariis, et Officialibus Generalibus, ac universis et singulis Dominis Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Decanis, Archidiaconis, Scholasticis, Cantoribus, Custodibus, Thesaurariis, Sacristis, Canonicis, tam Cathedralium, quam Collegiatarum, Parochialiumque Ecclesiarum Rectoribus, et loca tenentibus eorundem, Monasteriorum quorumcunque, et Religiosorum Virorum Ministris Generalibus, Provincialibus, Vicariis, Custodibus, Gvardianis, ac Sancti Joannis Ierosolimitanensis Magistro, Priori, Commendatoribus, Præceptoribus, et ipsius Domus Fratribus, ac Conventualibus, Prædicatorum, Minorum, Eremitarum Sancti Augustini, et Beatae Mariae Carmelitarum, et quorumcunque aliorum Ordinum Fratribus, Presbyteris, curatis, et non curatis, Vicariis perpetuis, Altaristis tam Regularium, quam Sæcularium exemptis, & non exemptis, Clericis, Notariis, Tabellionibus publicis, nec non Illustribus Principibus, Ducibus, Comitibus, Baronibus, Militibus, Nobilibus, Armigeris, Justitiariis, Judicibus, & Officialibus, ac quorumcunque tam spiritualium quam temporalium Curiarum, Civitatum, Terrarum, Opidorum, Castrorum, Villarum, & Universitatum Advocatis, Capitaneis, Scultetis, Proconsulibus, Consulibus, Civibus, Opidanis, Incolis, Servientibus, Scabinis, Procuratoribus quorumcunque Districtuum ac per prædicta Regna, ac dictorum Dominorum Archiepiscoporum, & Episcoporum, ac Nobilium Civitates, Diæceses, Districtus, & præsertim per Livoniam, ac Civitatem, & Diæcesim Rigensem, ac alias ubilibet constitutis, & specialiter Magistro, Mareschalco, Præceptoribus, Commendatoribus, & aliis Fratribus Hospitalis Beatae Mariae Theutonicorum per Livoniam constitutis, principalibus, omnibusque aliis, & singulis, quorum interest, vel intererit, quosque infrascriptum tangit negotium, seu tangere poterit quomodolibet in futurum, quibuscunque nominibus censeantur, & quacunque præfulgeant dignitate, communiter, vel divisim. Ludovicus *miseratione Divina Archiepiscopus Arelatensis Executor, una cum nostris in hac parte Collegis per clausulam*, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios &c. a Sede Apostolica specialiter deputatus, Salutem in Domino, & præsentibus fidem indubiam adhibere, ac mandatis nostris huiusmodi, imo verius Apostolicis firmiter obedire. Literas felicis Recordationis Innocentii Papae VI. unam in forma: *Petitio.* aliam vero in forma *Significavit.* ac deinde Sanctissimi in Christo Patris, & Domini, Domini nostri Martini Papae V. in forma *Exhibita* nuncupatas executorias, diffinitivae Sententiae, in Causa, quae olim inter bonae memoriae Vromoldum tunc Archiepiscopum Rigensem, & Venerabiles, ac Religiosos Viros Dominos, Præpositum, & Capitulum Ecclesiae Rigensis ex una, & Magistrum, Præceptores, Commendatores, & Fratres Hospitalis Beatae Mariae Teutoniconum Jerosolimitanensium per Livoniam constitutos, super Civitate Rigensi, & illius Dominio in Romana Curia coram bonae memoriae Francisco tit. Sancti Marci Presbytero Cardinali vertebatur, & illorum occasione, partibus ex altera, per eundem Franciscum tunc Cardinalem pro Archiepiscopo Rigensi, & Præposito, & Capitulo eiusdem Ecclesiae Rigensis, ac contra Magistrum, Præceptores, Commendatores, & Fratres supradictos latae, Nobis pro parte Reverendi Patris Domini Heningi Archiepiscopi Rigensis, & Capituli prædictorum, coram Notario publico, & testibus infrascriptis præsentatas, Nos cum ea, qua decuit, reverentia recepisse noveritis. Quarum quidem Literarum videlicet Innocentii Sexti, unius in forma: *Petitio*, tenor de verbo ad verbum sequitur, & est talis. Innocentius *Episcopus Servus Servorum Dei, Venerabilibus dilectis Fratribus Archiepiscopo Arelatensi, & Arosiensi, ac Tarbatensi Episcopis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.* Petitio Venerabilis Fratris nostri Vromoldi Archiepiscopi Rigensis, & Dilectorum Filiorum Præpositi, & Capituli Ecclesiae Rigensis Nobis exhibita continebat, quod licet Civitas Rigensis ad Archiepiscopum Rigensem protempore existentem, & Ecclesiam suam Rigensem iure Dominii, vel quasi pertineret, prout pertinet, tamen Magister, Præceptores, Commendatores, & Fratres Hospitalis Beatae Mariae Teutonicorum Jerosolimitani, per Livoniam constituti, falso asserentes prædictam Civitatem ad se pertinere, dictam Civitatem

Anno 1425.

ANNO 1425. otem occuparunt, & detinuerunt, prout detinent indebite occupatam, ortaque propterea inter Archiepiſcopum, Praepoſitum, & Capitulum ex parte una, ac Magiſtrum, Præceptores, Commendatores, & Fratres prædictos ſuper dicta Civitate ex altera materia quæſtionis, Nos cauſam huiusmodi, cum Partes ipſae in Romana Curia præſentes exiſterent, dilecto Filio noſtro FRANCISCO Tituli Sancti Marci Presbytero Cardinali, ad inſtantiam dictorum Magiſtri, Præceptorum, Commendatorum, & Fratrum audiendam ſimpliciter, & de plano, ac ſine ſtrepitu, & figura iudicii commiſimus, & fine debito terminandam. Coram quo Magiſtris Vilhelmo Paris, Archiepiſcopi, & Alberto Guthemach Præpoſiti, & Capituli, ac Henrico Brinner Magiſtri, Præceptorum, Commendatorum, & Fratrum prædictorum Procuratoribus, quolibet eorum procuratorio nomine partis ſuae in iudicio comparentibus, et per Vilhelmum, et Albertum quondam, ac Henricum prædictos, pro parte ſua datis libellis, ac per eos lite in Cauſa ipſa legitime conteſtata, ac in eiusdem Cardinalis præſentia de calumpnia ac veritate dicenda, præſtitis iuramentis, ac traditis quibusdam poſitionibus, et articulis, et ad poſitiones ipſas nonnullis reſponſionibus factis hincinde, in terminis eis ad ſingulos actus huiusmodi per Dominum Cardinalem, peremptorie, et ſucceſſive aſſignatis, ac Alberto, et Henrico prædictis coram præfato Cardinali in iudicio comparentibus, et per eos productis nonnullis Juribus, et Munimentis, quibus partes ipſae volebant in huiusmodi cauſa uti, et contra eadem, productis nonnullis exceptionibus utrinque datis, terminis eis ad ſingulos actus huiusmodi per dictum Cardinalem peremptorie, et ſucceſſive aſſignatis, ac tandem præfatis Procuratoribus coram dicto Cardinali in iudicio comparentibus, et voluntarie in cauſa huiusmodi concludentibus, dictus Cardinalis cum eis in Cauſa ipſa concluſit, et habuit pro concluſo, in termino ad hoc ſtatuto, et ad ipſius Henrici inſtantiam præfatos Archiepiſcopum, et Albertum per quendam Curſorem ſuum iuratum, ad ſuam in cauſa huiusmodi diffinitivam ſententiam audiendam citari fecit ad certam diem peremptorie competentem, in qua dictis Archiepiſopo, Alberto, et Henrico corameodem Cardinali in Judicio comparentibus, et Sententiam huiusmodi feri petentibus, idem Cardinalis viſis, et diligenter inſpectis omnibus, et ſingulis actis, acticatis, habitis, et productis in cauſa huiusmodi, coram eo, eisque cum diligentia recenſitis, et examinatis, et habito ſuper his conſilio cum peritis, per ſuam diffinitam Sententiam pronuntiavit, decrevit, et declaravit, prout hæc omnia in libello producto pro parte ipſorum Archiepiſcopi, et Capituli in cauſa huiusmodi exhibito, petita fuerant, dictam Civitatem Rigenſem pertinuiſſe, et pertinere iure Dominii videlicet, vel quaſi, ad dictos Archiepiſcopum, et Eccleſiam Rigenſem, in ſpiritualibus, et temporalibus pleno Jure, ac præfatos Magiſtrum, Præceptores, Commendatores, & Fratres a poſſeſſione, & detentione Civitatis eiusdem fuiſſe, & eſſe amovendos, & ipſos ſententialiter amovit, ac etiam pronuntiavit eosdem Magiſtrum, Præceptores, Commendatores, & Fratres debere dimittere plene, ac libere, & expedite ipſam Civitatem præfatis Archiepiſcopo, & Eccleſiæ, per eosdem Archiepiſcopum, & Eccleſiam libere poſſidendam, & ipſos Magiſtrum Præceptores, Commendatores, & Fratres ad dimiſſionem dictae Civitatis condemnavit, eisdemque Magiſtro, Præceptoribus, Commendatoribus, & Fratribus ſuper his perpetuum ſilentium impoſuit, non intendens tamen per huiusmodi Sententiam quomodolibet derogare Ordinationi, Compoſitioni, ſeu Tranſactioni olim factae perbonæ memoriæ Vilhelmum Epiſcopum Mutinenſem tunc Apoſtolicae ſedis Legatum, nec dictis Magiſtro, Præceptoribus, Commendatoribus, & Fratribus ſuper eorum redditibus, bonis, & Juribus aliis, ſiquae eis forſitan in Civitate prædicta competerent, dominium tamen dictae Civitatis non concernentibus, aliquod præiudicium generare, ac deinde Nos ex certa ſcientia eidem Cardinali commiſimus, quod huiusmodi ſententiam interpretari, declarare, & in ea addere, minuere, detrahere, illamque corrigere, & mutare, & alias ordinare poſſet, quidquid, & prout eidem Cardinali viſum foret expedire, ac bona, reddituſ, & iura, quae dicti Magiſter, Præceptores, Commendatores, & Fratres in dicta Civitate habuerant, & habebant, exprimere, & declarare, ſummarie, ſimpliciter, & deplano, ſine ſtrepitu, & figura iudicii, prout ipſi Cardinali placeret, procedendo, quodque ipſe omnes, & ſingulos proceſſus, cenſurarum Eccleſiaſticarum ſententias continentes contra ipſos Magiſtrum, & Fratres ipſorumque Eccleſias, terras, & loca, ac ſubditos ad inſtantiam præfatorum Archiepiſcopi, Præpoſiti, et Capituli, etiam diviſim factas, & quidquid inde ſecutum eſſet, cum omnibus ſuis effectu, & ſequela, ſuſpendere, vel tollere, & revocare, ac quoſcunque petentes abipſis ſen-

ANNO 1425. sententiis absolvere, & easdem Censuras Ecclesiasticas tam Interdicti quam alias suspendere, & etiam relaxare posset, etiam ad cautelam. Idemque Cardinalis Procuratoribus ipsis præsentibus in iudicio coram eo, ac volentibus, & consentientibus, ac omni ordinis iudiciarii solennitati, quae in his requirentur, prout ad hæc a Dominis suis sufficientia mandata habebant, renuntiantibus, ad audiendum voluntatem, Ordinationem, Declarationem, & Interpretationem suam, quam super haec facere vellet, certam diem assignavit, in qua dictis Procuratoribus coram eodem Cardinali in iudicio comparentibus, & huiusmodi Declarationem, Interperetationem, & Ordinationem fieri petentibus, idem Cardinalis visis, & examinatis Juribus, & Munimentis productis in causa huiusmodi coram eo, & super his cum peritis, & intra se habita deliberatione, declaravit, & interpretatus fuit eandem Sententiam in ea parte, in qua prælibatis Magistro, Præceptoribus, Commendatoribus, & Fratribut super suis redditibus, bonis, & iuribus aliis, siquae eis in dicta Civitate competerent, dominium ramen dictæ Civitatis non concernentibus, noluit præiudicium generare, intellexisse, & intelligere de redditibus bonis, & Juribus aliis, quæ ipsi Magister, Præceptores, Commendatores habebant, & Fratres tenebant, & possidebant, in ipsa Civitate, ante Annum Domini millesimum trecentesimum vicesimum, ac insuper super certo Castro, quod Dicti Magistri, Præceptores, Commendatores, & Fratres habebant, & tenebant in dicta Civitate, de quo dicti Archiepiscopus, Præpositus, & Capitulum conquesti fuerant, & mentionem fecerant in libello in huiusmodi causa dato, pronuntiavit, & declaravit, quod dictus Archiepiscopus infra quatuor Annos a die Festi Resurrectionis Dominicae proxime futuri inchoandos, & extunc immediate sequendos, reaedificaret, & construeret suis propriis sumptibus, & expensis, sæpedictis Magistro, Præceptoribus, Commendatoribus, & Fratribus in prænominata Civitate, in loco dicto ad Sanctum Georgium, Castrum tale sive Domum, in omnibus, & per omnia, quale, vel qualem immediate ante destructionem eiusdem Castri, dicti Magister, Præceptores, Commendatores, & Fratres habebant, seu possidebant in Civitate, et loco præmissis, et cum eisdem, seu similibus domibus, hospitiis, officinis, commodis, utilitatibus, et pertinentiis, quibus dictum Castrum, sive Domus, immediate, ante dictam destructionem fundatum, constructum, et stabilitum erat, et si dictus Archiepiscopus infra dictos quatuor annos, dictum Castrum sive domum, tale, vel qualem, ante destructionem sæpedictam cum eisdem suis similibus domibus, hospitiis, commodis, utilitatibus, et pertinentiis, et alias, ut prædicitur, reaedificaret, et construeret, prælibati Magister, Præceptores, Commendatores, et Fratres dictum Castrum, quod tunc tenebant, et inhabitabant in ipsa Civitate, et omnia ædificia, et hortos, contigua, et adiacentia eidem Castro in ipsa Civitate, et in ipsius Castri constructione, seu citra per ipsos Fratres erecta infra Civitatem eandem, cum effectu, et realiter, dimitere plene, et libere tenerentur infra unum mensem, computandum a die, qua Castrum, sive domus prædicta cum Domibus, hospitiis, officinis, commodis, utilitatibus, et pertinentiis sicut, præfertur, constructa forent, et completa in dicto loco apud Sanctum Georgium, per Archiepiscopum antedictum, et ad dictum Castrum sive domum sic constructum vel constructam, ut præmititur, dicti Magister Præceptores, Commendatores, et Fratres valerent, et deberent se transferre, et possent illam recipere tanquam sua, et postquam ipsius Castri sive Domus, ut prædicitur possessionem haberent, infra tres menses, computando a die, qua ipsam possessionem haberent, vel quo minus haberent, staret per eosdem; Castrum quod tunc in dicta Civitate tenebant, et possidebant, demolire, et destruere deberent et tenerentur suis propriis sumptibus, et expensis, dimisso tamen muro Castri, quod linealiter concordat cum muro Civitatis, pro clausura dictae Civitatis, et si murus ille aliqualiter curvus, vel ventrosus existeret, nihilominus pro clausura prædicta solum, et aream, in quibus dictum Castrum nunc ædificatum est, cum adiacentibus supradictis libere, et expedite dimitterent: Si vero præfatus Archiepiscopus Castrum, seu domum in dicto loco, apud Sanctum Georgium, cum domibus, hospitiis, commodis, utilitatibus, et pertinentiis, ut narratur, infra prædictos quatuor annos, a dicta die Resurrectionis Dominicae, ut prædicitur, numerandos, non reædificaret, seu construeret, extunc ordinavit, atque decrevit, quod prælibatum Castrum sive domus, cum domibus, ædificiis, hospitiis, commodis, officinis, & utilitatibus, ac pertinentiis præmissis, reaedificatum seu reædificandum, si perfectum non foret per ipsum Archiepiscopum, ut supra, & infra dicitur, perpetuo remanerent Archiepiscopo, & Ecclesiae supradictis, & ANNO 1425.

ANNO 1425. illa tenere, poſſidere, et recipere valerent, tanquam ſua, & quod Caſtrum, quod tunc iidem Magiſter, Præceptores, Commendatores, & Fratres tenebant, remaneret apud eos, cum adiacentibus ſupradictis, & quod ipſum poſſent in antea perpetuo retinere, & ut ſuum proprium poſſidere, niſi ſtaret per ipſos, vel ipſi impedimentum præſtaret perſe, vel alium, ſeu alios quomodolibet, publice, vel occulte, directe, vel indirecte, quominus dictus Archiepiſcopus, dictum Caſtrum, ſive domum, cum domibus, ædificiis, officinis, commodis, utilitatibus, & pertinentiis infraſæpedictos quatuor annos conſtruere, & reædificare valeret, & quod ubi dubium oriretur, vel eſſet contentio inter partes prædictas, quod ſæpedictum Caſtrum, ſive domus, cum hoſpitiis, domibus, officinis commodis, utilitatibus, & pertinentiis per eundem Archiepiſcopum conſtruendum, perfecte conſtructa, & reædificata non forent, vel in ipſis Caſtro, vel domo, & aliis prædictis aliquis diceretur, vel allegaretur defectus, ſuper his, & ſuper impedimentis quibuslibet, quæ præſtari dicerentur, vel præſtarentur per Magiſtrum, Præceptores, Commendatores, & Fratres memoratos, nec non an per eos ſtaret, quominus præmiſſa omnia, & ſingula fierent, & fieri poſſent, ſtari, & credi, ordinavit, voluit, & mandavit, iudicio, arbitrio, & determinationi Proconſulum, & Conſulum dictæ Civitatis, qui erunt pro tempore, vel maioris partis eorum, iuramento fidelitatis, aut quacunque obligatione alia, alteri, vel utrique dictarum Partium, per ipſos Proconſules, vel Conſules præſtitis, non obſtante, nec prætextu defectus, qui reperiretur in Caſtro, vel domo, & aliis prædictis, in aliis Ordinationibus, & Declarationibus ſuis, ſuper, & infra ſcriptis, reſcindi nolens, Ordinationem prædictam, nec recedi per aliquam dictarum partium aliquatenus ab eadem, ac ipſis Proconſulibus, & Conſulibus vel eorum maiori parti credi voluit, & mandavit per omnia in præmiſſis, & quod a iudicio, ordinatione, determinatione, vel arbitrio ſupradictorum Proconſulum, & Conſulum, vel maioris partis eorum, aliqua partium dictarum, vel abinde reclamare, vel appellare non valerent, vel contra ea vocem impugnationis cuiuslibet, vel contradictionis habere. Et quia multi proceſſus Excommunicationum, Interdictorum, Suſpenſionum, & aliarum Cenſurarum Eccleſiaſticarum, ſententias continentes facti per Aroſienſem Epiſcopum, & alios deputatos, de, & ſuper ponenda dicta Civitate Rigenſi ad manus, & libe-

ram diſpoſitionem noſtram, contra dictos Magiſtrum, Præceptores, Commendatores, & Fratres, Eccleſias, Loca, Terras, & ſubditos eorundem, & alia contra alios, etiam ipſorum occaſione authoritate Apoſtolica diverſis temporibus emanarant, vigore quarum, tam ipſi Magiſter, Praeceptores, Commendatores, & Fratres, & alii faventes eisdem dictas Sententias, vel aliquam earum forſan incurrerunt, idem FRANCISCUS Cardinalis extunc, quaſcunque Interdicti Sententias, & omnia Interdicta, in quaſcunque Civitates, Eccleſias, Terras, & Loca vigore dictorum Proceſſuum promulgata, occaſione præfata, vel prolata relaxavit, & totaliter amovit, & omnes, et ſingulas qui dictas Excommunicationem, Interdictionem, vel alias, ſeu, aliquam earundem Sententias incurriſſent, voluit, et ordinavit per Commiſſarios, quos ſuper hoc deputaret, ab eisdem Sententiis, ſive difficultate abſolvi, ſi peterent, etiam ſimpliciter, et ad cautelam: dictos autem Proceſſus omnino ſuſtulit, et totaliter ſubmovit, ac ceſſare, et conquieſcere decreevit, et mandavit, et ut de cætero quisque eorum Proceſſuum vigore, vel authoritate non ligaretur, omnibus Executoribus ſuper his deputatis, authoritate noſtra inhibuit, ne deinceps aliquid facerent, aut ad quaſcunque Sententias, vel ipſarum denuntiationem, procederent, vigore Proceſſuum eorundem, ac decrevit extunc irritum, et inane, quidquid contra præſentem ſuam inhibitionem, per quoſcunque contingeret attemptari, ipſorumque Executorum poteſtatem, quo ad præmiſſa, authoritate prædicta penitus revocavit, prout in Scripto publico, inde confecto, dicti Cardinalis Sigillo munito, dicitur plenius contineri. Nos itaque ipſorum Archiepiſcopi, Præpoſiti, & Capituli ſupplicationibus inclinati, huiusmodi Sententiam, utpote provide latam, ratam habentes, & gratam, eamque authoritate Apoſtolic aconfirmantes, Fraternitati veſtrae per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, Vos vel duo, aut unus veſtrum, per Vos vel alium, ſeu alios Sententiam ipſam, ſalvis tamen compoſitionibus, & declarationibus prædictis, executioni debitae demandantes, eosdem Archiepiſcopum, Præpoſitum, & Capitulum in corporalem poſſeſſionem dictae Civitatis Rigenſis, amotis exinde dictis Magiſtro, Præceptoribus, Commendatoribus, & Fratribus, inducatis authoritate noſtra, & defendatis inductos, facientes ſibi de ipſius Civitatis, fructibus, & emolumentis ad Dominium dictae Civitatis pro tempore pertinentibus, integre reſpon-

ANNO 1425.

Anno 1425. ſponderi, contradictores per Cenſuram Eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo. Datum Avinione decimo ſeptimo Kalendas Aprilis. Pontificatus noſtri Anno octavo. Alterius vero literae eiusdem Innocentii in Forma *Significavit*, tenor etiam de verbo ad verbum ſequitur, & eſt talis. Innocentius *Epiſcopus Servus Servorum Dei. Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopo Arelatenſi, & Aroſienſi ac Tarbatenſi Epiſcopis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.* Significavit Nobis Venerabilis Frater noſter Uromaldus Archiepiſcopus Rigenſis, quod orta dudum inter ipſum Archiepiſcopum, ac dilectos Filios Præpoſitum, & Capitulum Eccleſiae Rigenſis ex parte una, ac Magiſtrum, Præceptores, Commendatores, & Fratres Hoſpitalis Beatae Mariae Teutonicorum Jeroſolimitani per Livoniam conſtitutos ex altera, ſuper eo, quod Archiepiſcopus, præfatus, & Capitulum, Civitatem Rigenſem, ad Archiepiſcopum Rigenſem pro tempore exiſtentem, & Eccleſiam ſuam Rigenſem iure Dominii, vel quaſi pertinere, ipſosque Magiſtrum, Præceptores, Commendatores, & Fratres dictam Civitatem occupaſſe, & detinuiſſe, & detinent indebite occupatam: Magiſter vero Præceptores, Commendatores, & Fratres prædicti, Civitatem ipſam ad ſe de iure ſpectare aſſerebant, materia quæſtionis: Nos cauſam huiusmodi, cum partes ipſæ in Romana Curia præſentes exiſterent, dilecto Filio noſtro Francisco Tituli S. Marci Præsbytero Cardinali, ad inſtantiam dictorum Magiſtri, Præceptorum, Commendatorum, & Fratrum audiendam ſimpliciter, & de plano, ac ſine ſtrepitu, & figura iudicii, commiſimus, & ſine debito terminandam. Qui in cauſa ipſa procedens legitime, per ſuam Sententiam diffinitivam, quae nulla provocatione ſuſpenſa in rem tranſiit iudicatam, pronuntiavit, decrevit, et declaravit dictam Civitatem Rigenſem pertinuiſſe, & pertinere iure Dominii, vel quaſi, ad dictos Archiepiſcopum, & Eccleſiam Rigenſem in ſpiritualibus, & temporalibus pleno iure, ac præfatos Magiſtrum, Præceptores, Commendatores, & Fratres, a poſſeſſione Civitatis, & detentione eiusdem fuiſſe, & eſſe amovendos, & ipſos ſententialiter amovit ab ea, ac etiam pronuntiavit, eosdem Magiſtrum, Præceptores, Commendatores, & Fratres debere dimittere plene, libere, & expedite ipſam Civitatem præfatis Archiepiſcopo, & Eccleſiæ, per eosdem Archiepiſcopum, & Eccleſiam libere poſſidendam, & ipſos Magiſtrum, Præceptores, Commendatores, & Fratres ad dimiſſionem dictæ Civitatis condempnavit, eidemque Magiſtro, Præceptoribus, Commendatoribus, & Fratribus ſuper his perpetuum ſilentium impoſuit. Super cuius quidem Sententiae executione, iidem Archiepiſcopus præfatus, & Capitulum noſtras ad vos Literas impetrarunt. Quodque, quia iidem Magiſter, & Fratres dilectos filios Proconſules, Conſules, & alios homines dictae Civitatis ad præſtandum eis fidelitatis iuramentum induxerunt, & compulerunt, idem Archiepiſcopus timet ſe poſſeſſionem dictae Civitatis apprehendere, & alias huiusmodi Sententiam executioni mandari non poſſe. Quare dictus Archiepiſcopus Nobis humiliter ſupplicavit, ut providere ei ſuper hoc de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ipſius Archiepiſcopi, in hac parte ſupplicationibus inclinati, Fraternitati veſtrae per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, per vos vel alium, ſeu alios, ad executionem dictae ſententiae iuxta dictarum Literarum continentiam, & tenorem, procedentes, ipſos Proconſules, Conſules, Cives et homines a juramento huiusmodi, ſi, et prout iuſtum fuerit, abſolventes, faciatis eos, ipſi Archiepiſcopo, tanquam eorum Domino, in ſpiritualibus et temporalibus obedire, intendere et parere, contradictores per Cenſuram Eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo. Non obſtante ſi eis, vel quibusvis aliis communiter vel diviſim a Sede Apoſtolica indultum exiſtat, quod interdici, ſuſpendi vel excommunicari non poſſint, per Literas Apoſtolicas non facientes plenam, et expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum apud Villam novam, Avinionenſis Diœceſis, decimo ſexto Kalendas Septembris, Pontificatus noſtri Anno octavo. Tenor vero Literarum dicti Domini noſtri, Domini Martini Papæ V. in Forma, *Exhibita:* ſequitur, et eſt talis. Martinus *Epiſcopus Servus Servorum Dei, Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopo Arelatenſi, & Aroſienſi ac Tarbatenſi Epiſcopis, Salutem & Apoſtolicam Benedictionem.* Juſtis ſupplicum votis libenter annuimus, illaque favoribus proſequimur opportunis. Exhibita ſiquidem nobis, nuper pro parte Venerabilis Fratris noſtri Henningi Archiepiſcopi Rigenſis, et dilectorum filiorum Præpoſiti, et Capituli Eccleſiae Rigenſis, petitio continebat, quod dudum bonae memoriae Uromaldus, Archiepiſcopus Rigenſis, ipſius Henningi Archiepiſcopi Præ-

Anno 1425.

ANNO 1425. deceſſor, nec non Præpoſitus, qui tunc erat, et Capitulum prædicti, in cauſa per eos, contra dilectos Filios Magiſtrum, Præceptores, Commendatores et Fratres Hoſpitalis Beatae Mariae Teutonicorum Ieroſolimitanorum, per Livoniam conſtitutos, ſuper eo, quod Uromaldus Archiepiſcopus, ac Præpoſitus tunc temporis exiſtens, & Capitulum præfati, Civitatem Rigenſem ad Archiepiſcopum Rigenſem, pro tempore exiſtentem, & Eccleſiam ſuam Rigenſem, iure Dominii, vel quaſi pertinere aſſerebant, quamque etiam Magiſtri, Præceptores, Commendatores & Fratres prædicti detinebant indebite occupatam, mota, & in Romana Curia, coram bonae memoriae FRANCISCO Tituli Sancti Marci Presbytero Cardinali ex commiſſione felicis recordationis INNOCENTII Papæ VI. Prædeceſſoris noſtri diutius ventilata, diffinitivam, per quam idem Cardinalis pronuntiavit, decrevit, & declaravit, dictam Civitatem Rigenſem pertinuiſſe, & pertinere, iure Dominii, vel quaſi ad dictos Uromaldum Archiepiſcopum, & Eccleſiam Rigenſem in ſpiritualibus, & temporalibus pleno iure, ac præfatos Magiſtrum, Præceptores, Commendatores, & Fratres a poſſeſſione, & detentione Civitatis eiusdem fuiſſe, & eſſe amovendos, & amovit, ipſosque ad dimittendum dictis Archiepiſcopo, & Eccleſiae dictam Civitatem condemnavit, nec non eisdem Magiſtro, Præceptoribus, Commendatoribus, & Fratribus ſuper præmiſſis perpetuum ſilentium impoſuit, Sententiam reportarunt, & ſuper executione ipſius Sententiae, quae nulla provocatione ſuſpenſa in rem tranſivit iudicatam, dicti Prædeceſſoris noſtri ad vos ſub certa forma Literas impetrarant, quodque poſtmodum eidem Prædeceſſori noſtro pro parte Uromaldi Archiepiſcopi, nec non Præpoſiti, & Capituli prædictorum, expoſito, quod iidem Magiſter, & Fratres, dilectos Filios, Proconſules, Conſules, Cives, & alios homines Civitatis prædictae, ad præſtandum eis fidelitatis iuramentum induxerant, & compulerant, & propterea timebat idem Uromaldus, Archiepiſcopus, ſe poſſeſſionem ipſius Civitatis apprehendere, & alias Sententiam huiusmodi executioni debitae demandari non poſſe idem Prædeceſſor noſter, aliis ſuis literis vobis dedit in mandatis, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, per vos, vel alium, ſeu alios ad executionem dictae Sententiae, iuxta primo dictarum literarum huiusmodi continentiam, & tenorem, procedentes, ipſos Proconſules, Conſules, Cives, & alios homines, a juramento huiusmodi, ſi & prout iuſtum foret, abſolventes, faceretis eos ipſi Archiepiſcopo, tanquam eorum Domino in ſpiritualibus, & temporalibus obedire, intendere, & parere, prout in eisdem Literis plenius continetur. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubiungebat, Proconſules, Conſules, Cives & homines prædicti, vigore ultimo dictarum a juramento præfato non fuerant realiter abſoluti, & alias ad plenam tam earundem, quam etiam primo dictarum Literarum huiusmodi executionem nondum extiterit proceſſum, timeantque Henningus Archiepiſcopus, Præpoſitus, & Capitulum præfati, occaſione juramentorum, in præjudicium executionis huiusmodi præſtitorum, quam plurimum impediri, pro parte Henningi Archiepiſcopi, Præpoſiti, & Capituli prædictorum, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut providere ſuper hoc opportune de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur huiusmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati Veſtrae per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo aut unus veſtrum, per vos, vel alium, ſeu alios, ſententiam prædictam ubi, & quando expedire videritis, authoritate noſtra ſolenniter publicantes, ad plenariam illius executionem, nec non etiam ad Proconſulum, Conſulum, Civium & hominum prædictorum, eis ab huiusmodi per eos, ut præfertur, nunc vel pro tempore præſtitis, communiter, vel diviſim iuramentis, impertiendam eadem authoritate abſolutionem, quotiescunque opus erit, procedere curetis, facientes eos præfato Henningo Archiepiſcopo, tanquam eorum Domino, in ſpiritualibus, & temporalibus obedire, intendere, & parere, iuxta Sententiæ, & Literarum prædictarum ſeriem, & tenorem, contradictores per Cenſuram Eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis, non obſtante, ſi præfatis Magiſtro, Præceptoribus, Commendatoribus, et Fratribus, vel quibusvis aliis, communiter, vel diviſim, a Sede Apoſtolica ſit indultum, quod interdici, ſuſpendi vel excommunicari non poſſint per Literas Apoſtolicas, non facientes plenam, et expreſſam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi et eorum perſonis, locis, ordinibus et nominibus propriis mentionem. *Datum Romæ apud Sanctos Apoſtolos quarto Idus Maii, Pontificatus noſtri Anno octavo.* Poſt quarum quidem Literarum Apoſtolicarum præſen- ANNO 1425.

Anno 1425. sentationem, et receptionem, nobis, et per nos, ut præmittitur, factas, allegato prius coram nobis, quod per Dominos Archiepiscopum, Præpositum, et Capitulum dictae Ecclesiae Rigensis pro tempore existentium, nusquam steterit, neque stat, quinimo quod Domini Magister, Præceptores, Commendatores, & Fratres Ordinis præfati tunc existentes, impedimentum præstiterint, quominus Castrum, sive domus apud Sanctum Georgium Rigensem, in prænarrata Sententia seu eius declaratione designatum, vel designata, per ipsos Archiepiscopum, Præpositum, et Capitulum, statuto in ipsa Sententia, seu eius declaratione, termino, fuerit reædificatum, vel constructum, fuimus pro parte præfatorum Dominorum Henningi Archiepiscopi, ac Præpositi, et Capituli Rigensis, debita cum instantia requisiti, quatenus ad earundem Literarum, nec non præfatæ Sententiae diffinitivae, et in eisdem contentorum executiones procedere dignaremur, iuxta decretam a Sede Apostolica nobis formam. Nos igitur Ludovicus Archiepiscopus et Executor præfatus, attendentes, quod iusta petentibus non est denegandus assensus, quodque parum prodesset, Sententias ferri, nisi executioni debitae demandentur, et quod iuramenta in præiudicium Ecclesiarum quomodolibet præstita, iuxta Canonica instituta temeraria, et illicita existere dinoscantur. Volentes mandata Apostolica Nobis in hac parte decreta reverenter exequi, ut de iure possumus, et tenemur; Idcirco authoritate Apostolica Nobis in hac parte commissa, vos Magistrum, Præceptores, Commendatores, et Fratres Hospitalis Beatæ Mariae Teutonicorum Ierosolimitanorum per Livoniam constitutos, supra dictos, et vestrum quemlibet ab eiusdem Civitatis Rigensis, et ipsius Civitatis Dominii, et Regiminis, aliorumque bonorum, redituum, iurium, et proventuum, maxime ipsum Dominium contingentium totali possessione, occupatione, et detentione per præfatum Dominum Cardinalem vobis sententialiter adiudicatorum, amovimus, et tenore præsentium penitus amovemus, et denuntiamus amotos, Vosque Proconsules, Consules, Cives et alios homines eiusdem Civitatis Rigensis, et vestrum quemlibet ab omnibus fidelitatis, et obedientiae iuramentis, quibus præfatis Magistro, Præceptoribus, Commendatoribus, et Fratribus forsitan hucusque fueratis, vel saltem repræsentabamini ratione Civitatis, et Dominii prædictorum, astricti, et alligati, per vos, eis, aut alicui ipsorum, præsertim in prædictæ Sententiæ et dictarum Literarum Apostolicarum, et præsentis nostri Processus executionis præiudicium, communiter, vel divisim quomodolibet præstitis, absolvimus, et in his scriptis vos, et quemlibet vestrum declaramus, et denuntiamus absolutos. Vosque Reverendum Patrem Dominum Henningum Archiepiscopum, ac Præpositum, et Capitulum Rigense, nomine ipsius Ecclesiae, et ipsam Ecclesiam Rigensem, in et ad corporalem, realem, et actualem, ac plenam, et liberam eiusdem Civitatis Rigensis, ac ipsius pleni Dominii in spiritualibus, et temporalibus, ac redituum, bonorum, et iurium huiusmodi possessionem, ipsi Ecclesiae Rigensi sententialiter ut præfertur adiudicatorum, quantum in nobis est, et ad Nos pertinet, iuxta, et secundum dictarum literarum Apostolicarum continentiam, formam, et tenorem induximus, et inducimus per præsentes. Quæ omnia et singula, nec non dictas Literas Apostolicas, ac diffinitivam Sententiam, et Absolutionem huiusmodi, et hunc nostrum Processum, omniaque et singula in eis contenta, vobis omnibus, et singulis supradictis, communiter, vel divisim intimamus, insinuamus, et notificamus, ac ad vestram, et cuiuslibet vestrum notitiam deducimus, et deduci volumus, per præsentes. Quocirca vos omnes, et singulos, quibus præsens noster processus, dirigitur, et vestrum quemlibet, in solidum tenore præsentium requirimus, et monemus, primo, secundo, tertio, et peremptorie, vobis, et vestrum cuilibet in solidum, in virtute sanctae obedientiae sub infra scriptis pœnis districte præcipiendo mandamus, quatenus infra triginta dierum spatium, post præsentationem, seu notificationem præsentium, vobis, aut alteri vestrum factas, et postquam pro parte præfatorum Dominorum Archiepiscopi, Præpositi, et Capituli Ecclesiae Rigensis, vigore præsentium super hoc fueritis requisiti, seu alter vestrum fuerit requisitus, immediate sequentium, quorum triginta dierum, decem pro primo, decem pro secundo, et reliquos decem dies, vobis omnibus et singulis supradictis pro tertio, et peremptorio termino ac monitione Canonica præfigimus, et assignamus. Ita tamen, quod in his exequendis, unus vestrum alium non exspectet, nec unus pro alio se excusset, præfatos Dominos Archiepiscopum, Præpositum, et Capitulum aut eorum Syndicum, seu Procuratorem pro eis ad hoc legitime con- Anno 1425.

ANNO 1425. ſtitutum, in & ad corporalem, realem, & actualem, Civitatis Rigenſis & eiusdem pleni Dominii, in ſpiritualibus, & temporalibus plenam & liberam poſſeſſionem redituum, bonorum, iurium, & pertinentiarum huiusmodi dictae Civitatis, præfatis Archiepiſcopo, ac Præpoſito & Capitulo Rigenſi, ut præmittitur, adiudicatorum, maxime ad ipſius Civitatis Dominium pro tempore pertinentium, ſine difficultate, oppoſitione, rebellione, & impedimentis quibuscunque, inducatis, recipiatis, admittatis, ac veſtrum quilibet recipiat, inducat, & admittat, ac ab aliis recipi, & induci faciatis, ac faciat, amotis exinde Magiſtro, Præceptoribus, Commendatoribus, & Fratribus ſupradictis, quos & Nos, ut præfertur, in quantum potuimus, amovimus, & denuntiamus amotos, ipſique Domino Archiepiſcopo, Præpoſito, & Capitulo Rigenſi, aut eorum legitimo Syndico, ſeu Procuratori, pro ipſis, & nulli alteri de ipſius Civitatis Rigenſis ac bonorum et iurium huiusmodi fructibus, reditibus, proventibus, & emolumentis, maxime ad ipſius Civitatis Dominium pro tempore pertinentibus, prout ad vos, & veſtrum quemlibet pertinet, communiter, vel diviſim, integre, & plenarie reſpondeatis, & ab aliis quantum in vobis fuerit, plenarie faciatis, & quilibet veſtrum faciat reſponderi. Vosque Magiſter, Præceptores, Commendatores, & Fratres ſupradicti, & alii quicunque dictae Civitatis Rigenſis, & eiusdem Regiminis, & Dominii, nec non bonorum, redituum, fructuum, & emolumentorum huiusmodi, maxime ad ipſius Civitatis Dominium pro tempore pertinentium, occupatores, & detentores, infra triginta dierum terminum, poſtquam ſuper hoc fueritis legitime requiſiti, immediate ſequentium, quorum decem pro primo, decem pro ſecundo, & reliquos decem dies pro tertio, & peremptorio termino, ac canonica monitione vobis præfigimus, & peremptorie aſſignamus, poſſeſſionem corporalem, & realem eiusdem Civitatis Rigenſis, & ipſius Dominii, & Regiminis ac redituum, & bonorum, iuriumque, & pertinentiarum, prædictorum, eisdem Dominis Archiepiſcopo, Præpoſito, & Capitulo, nec non Caſtrum, & omnia ædificia, ac areas, ipſi Caſtro contigua, & adiacentia, quae vos Magiſter, Præceptores, Commendatores, et Fratres in Civitate Rigenſi retinetis, iuxta, & ſecundum præfatae Sententiae, & eius Declarationis tenorem, plene, libere, expedite, & realiter cum effectu, absque difficultate, ſub pœnis, & cenſuris infraſcriptis, dimittatis, & relaxetis, & quilibet veſtrum, quantum in eo eſt, dimittat, & relaxet; præcipientes nihilominus vobis Magiſtro, Præceptoribus, Commendatoribus, & Fratribus prædictis eadem authoritate Apoſtolica, ſub ſimilibus infraſcriptis pœnis, ut de cætero Vos de dicta Civitate Rigenſi, & Dominio, & regimine ipſius, ac reditibus, bonis, & iuribus, huiusmodi fructibus, emolumentis, & aliis univerſis, ad eiusdem Civitatis Dominium pro tempore pertinentibus, ac Caſtro, & eius adiacentibus, prædictis non intromittatis, aut aliquis veſtrum ſe intromittat, ſed a poſſeſſione, detentione, & occupatione Regiminis, ac Dominii ipſius Civitatis ac redituum, bonorum, & iurium ac Caſtri, et adiacentium huiusmodi ulteriore penitus, et omnino deſiſtatis, et abſtineatis, ac veſtrum quilibet abſtineat, et deſiſtat, et Civitatem eandem, cum eius pleno Dominio et regimine, in ſpiritualibus, et temporalibus, nec non reditus, bona, et iura huiusmodi, præfatis Dominis Archiepiſcopo, Præpoſito, et Capitulo, et nulli alteri per ipſos plene, et libere poſſidendum, dimittatis, et quilibet veſtrum dimittat, realiter, et cum effectu. Monemus inſuper, modo et forma præmiſſis, ac ſub eisdem pœnis, Sententiis, et Cenſuris infraſcriptis, Vos Proconſules, Conſules, Cives, et alios homines dictae Civitatis Rigenſis, a iuramento fidelitatis, quibus præfatis Magiſtro, Præceptoribus, Commendatoribus, et Fratribus eratis, ſeu reputabamini aſtricti, per Nos, ut præmittitur, abſolutos, coniunctim, et diviſim, quatenus de cætero præfato Domino Henningo, et cuilibet alteri pro tempore Archiepiſcopo Rigenſi, tanquam ipſius Civitatis Rigenſis, ac veſtro in ſpiritualibus, et temporalibus vero Domino, infra ſex dies, poſtquam fueritis requiſiti, immediate ſequentes, quorum duos pro primo, duos pro ſecundo, et reliquos duos dies, pro tertio, et peremptorio termino, ac monitione canonica peremptorie præfigimus, et aſſignamus, fidelitatis iuramentum, ac reverentiam et obedientiam debitas præſtetis, faciatis, et exhibeatis, ipſique, et ſuis monitis, et mandatis, in ſpiritualibus, et temporalibus, prout ad vos, et veſtrum quemlibet de iure, ſeu conſvetudine pertinet, obediatis, intendatis, et pareatis, eiusque monita, et mandata in ſpiritualibus, et temporalibus ſuſcipiatis humiliter, et efficaciter adimplere curetis, ſibique fidelitatem ſolitam, nec

ANNO 1425.

non

ANNO 1425. non conſveta ſervitia a vobis, veſtro vero Domino debita, exhibere integre ſtudeatis, & exhibeatis, ac ab aliis exhiberi faciatis, ipſique Domino Henningo, & cuilibet alteri Archiepiſcopo Rigenſi pro tempore exiſtenti, ſeu eius Procuratori legitimo, de reditibus, bonis, & iuribus huiusmodi, ac aliis univerſis, & ſingulis ipſius Civitatis fructibus, & emolumentis, ad Dominium eiusdem Civitatis pro tempore pertinentibus, integre, & plenarie reſpondeatis, & ab aliis, quantum in vobis fuerit, & ad vos pertinet, reſponderi procuretis, faciatis, & permittatis. Inhibemus inſuper modo, & forma præmiſſis, Vobis omnibus, & ſingulis ſupradictis, & præſertim Magiſtro, Præceptoribus, Commendatoribus, & Fratribus, & aliis quibuscunque, tam eccleſiaſticis, quam ſæcularibus perſonis, cuiuscunque ſtatus, gradus, ordinis, vel conditionis, aut præeminentiae fueritis, ſeu exiſtant, ne præfato Domino Henningo, aut cuicunque alteri, pro tempore Archiepiſcopo Rigenſi, aut eius Procuratori legitimo, quominus ipſe nomine eiusdem Eccleſiae Rigenſis poſſeſſionem plenariam, & liberam Civitatis Rigenſis, nec non regiminis & Dominii, ac redituum, bonorum, & iurium huiusmodi, cum omnibus pertinentiis ſuis, ipſum Dominium contingentibus, realem, & actualem, & corporalem, plene, libere, & quiete aſſequi valeat, & quominus ſibi de reditibus, bonis, & iuribus huiusmodi, ac fructibus, & emolumentis ipſius Civitatis, ad Dominium eiusdem Civitatis pro tempore pertinentibus, integre, & plenarie reſpondeatur, & quominus omnia & ſingula ſupradicta ſuum debitum ſortiantur effectum, impedimentum aliquod præſtetis, præſtent; ſeu alter veſtrum, vel eorum præſtet, per vos, vel alium, ſeu alios, publice, vel occulte, directe, vel indirecte, mediate, vel immediate, aut alias, principaliter, vel conſecutive, aut occaſionaliter, ſive per iuramentorum exactionem, ſeu præſtationem, vel alio quovis colore quæſito, neque ipſum Dominum Henningum, aut quemcunque alium pro tempore Archiepiſcopum Rigenſem, vel Procuratorem eius, huiusmodi ſuper præmiſſis impedientibus in aliquo detis, vel dent, neque etiam aliquis veſtrum, vel eorum det auxilium, conſilium, vel favorem. Quodſi forte præmiſſa omnia & ſingula, prout ad vos, & veſtrum quemlibet pertinent, communiter vel diviſim, non adimpleveritis, ſeu diſtuleritis, aut alter veſtrum non adimpleverit, ſeu diſtulerit contumaciter adimplere, ac monitionibus, & mandatis noſtris huiusmodi, imo verius Apoſtolicis non parueritis, paruerint, ſeu paruerit, realiter, & cum effectu, Nos in vos omnes, & ſingulos ſupradictos, nec non in contradictores quoslibet in hac parte, & rebelles, et alios, qui in præmiſſis culpabiles fuerint, vel fuerit, et præſertim in Magiſtrum, Præceptores, Commendatores, et Fratres ſingulos ſupradictos, nec non Proconſules, Conſules, Cives, et alios homines quoscunque dictae Civitatis Rigenſis, qui in præmiſſis culpabiles fueritis, vel fuerint, niſi infra ſupradictos terminos, vobis, et ipſis ad id per Nos, ut præmittitur, præfixos, ſinguli videlicet veſtrum prout vos, et eos concernit, ab impedimentis, rebellione, auxilio, conſilio, et favore huiusmodi omnino deſtiteritis, et deſtiterint, ac Mandatis, et monitionibus noſtris huiusmodi, imo verius Apoſtolicis ſupra, et infra ſcriptis, parueritis, ſeu paruerint realiter, et cum effectu, dictarum dierum canonica monitione præmiſſa, exnunc prout extunc, et extunc, prout exnunc ſingulariter in ſingulos ſupradictos excommunicationis, in Capitula vero, Collegia, et Vniverſitates, et præſertim Fraternitatem Hoſpitalis Beatae Mariae Theutonicorum Ieroſolimitanorum per Livoniam conſtitutos a divinis, ac Conſulatum, et Vniverſitatem Rigenſem, ſi in his deliquerint, ſeu deliquerit, ab actibus legitimis ſuſpenſionis, et in ipſorum delinquentium, præſertim Magiſtri, Præceptoris, Commendatoris, et Fratrum prædictorum Eccleſias, Monaſteria, Capellas, Civitates, Oppida, Caſtra, Terras, Villas, et loca alia, et præſertim, in quibus Magiſter, Præceptores, Commendatores, et Fratres prædicti, aut eorum alter, ſpiritualem, et temporalem iurisdictionem, per ſe, vel alium, ſeu alios, de conſvetudine, iure, ſeu facto quomodolibet, exercent, ſeu exercet, et præſertim in dictam Civitatem Rigenſem, exnunc prout extunc, et extunc prout exnunc Interdicti Sententias ferimus in his ſcriptis, et etiam promulgamus; Proviſo, quod ſi occaſione dicti Caſtri cum adiacentibus ſuis ſupradictis, ut præmittititur, dimittendi vos Domini Magiſter, Præceptores, Commendatores et Fratres in aliquo, per præmiſſa ſenſeritis vos gravatos, extunc cauſam gravaminis huiusmodi coram Reverendo in Chriſto Patre, et Domino, Domino Epiſcopo Tarbatenſi Collega noſtro, nec non Venerabilibus Viris, Dominis, Præpoſito, et Theſaurario

ANNO 1425.

Annorio Ecclesiae Tarbatensis, Subdelegatis 1425. nostris infrascriptis, vel saltem Reverendo Patre Domino Abbate in Walskena Tarbatensis Diœcesis, etiam uno ex subdelegatis nostris huiusmodi, aut altero eorundem, coram quo malueritis, possitis, et debeatis infra terminum superius vobis ad dimittendum præfixum allegare, qui demum seu alter eorum, si causa allegata meruerit, Proconsules, et Consules Civitatis Rigensis prædictae, ad arbitramenta sua super his pronuncianda, iuxta vim, et tenorem Sententiae, et Declarationis prædictarum possint et debent, seu alter eorum possit, et debeat compellere virtute huiusmodi nostrae subdelegationis infrascriptae. Vobis vero Reverendis Patribus, Dominis Archiepiscopis, et Episcopis, quibus ob reverentiam Vestrarum Pontificialium Dignitatum deferimus in hac parte, si contra præmissa, vel præmissorum aliquod feceritis, per vos, vel submissam personam, prædicta triginta dierum monitione præmissa, ingressum Ecclesiæ interdicimus in his scriptis. Si vero huiusmodi Interdictum per sex dies, dictos triginta dies immediate sequentes, sustinueritis, vos simili canonica monitione præmissa in his scriptis suspendimus a Divinis; verum si præfatas Interdicti, et Suspensionis sententias per alios sex dies, dictos sex dies immediate sequentes, animis, quod absit, sustinueritis induratis, vos simili canonica monitione præmissa, Excommunicationis Sententia innodamus. Et si forte præfati Magister, Præceptores, Commendatores, et Fratres, nec non Proconsules, Consules, Cives, et alii homines Civitatis Rigensis supradicti, et quicunque alii huiusmodi nostris processibus, et mandatis, infra assignatum eis terminum non paruerint realiter, et cum effectu, dictam nostram Excommunicationis Sententiam propterea damnabiliter incurrendo, extunc vos Dominos Abbates, Priores, Præpositos, Decanos, Thesaurarios, et alias Ecclesiasticas Personas supradictas, ad executionem ulteriorem dictarum Literarum Apostolicarum, et contentorum in eisdem, in his saltem, in quibus nondum prædicta Sententia plenarie executioni demandata existit, ac præmissorum omnium, et infrascriptorum, ad huiusmodi omnia, et singula facienda, tanquam Subdelegatis nostris, committimus plenarie, et in solidum vices nostras, donec eas ad Nos duxerimus revocandas. Ita tamen, quod in præiudicium dictorum Dominorum Archiepiscopi, Præpositi, et Capituli Rigensis, vobis nil liceat quomodolibet attemptare, nec circa Processus nostros huiusmodi per Nos habitos, et Sententias per Nos latas absolvendo, vel suspendendo aliquid immutare: In illis enim vobis omnibus et cuilibet vestrum potestatem omnimode denegamus. Authoritate Apostolica prædicta tenore præsentium requirimus, et monemus, vobis et vestrum cuilibet districte præcipiendo mandamus, quatenus singulis diebus Dominicis, et Festivis in vestris Ecclesiis, Monasteriis, et Capellis, quotiens, et quando visum fuerit expedire, infra missarum solemnia, dum ibidem multitudo populi convenerit ad Divina, præfatos Magistrum, Præceptores, Commendatores, et Fratres, Proconsules, Consules, Cives, et alios homines, et quoscunque alios supradictos, sic excommunicatos, publice nuntietis, et ab aliis ita nuntiari faciatis, donec, et quousque absolutionis beneficium a nobis meruerint, vel superiori nostro obtinere. Si vero præfati Magister, Præceptores, Commendatores, et Fratres, Proconsules, Consules, Cives, et homines Rigenses, cæterique contradictores in hac parte et rebelles dictam Excommunicationem, tanquam salutis suae immemores, per decem dies, post dictam denunciationem, seu publicationem, ut præmittitur, factas, immediate sequentes, animis sustinuerint induratis, ad sanctae Matris Ecclesiae gremium reduci non curantes, extunc, quia crescente contumacia, crescere debet et pœna, ne facilitas veniae audaciam tribuat delinquendi, Processus nostros huiusmodi merito aggravantes, authoritate prædicta vos omnes, et singulos supradictos requirimus, et monemus, vobisque, et vestrum cuilibet modo, et forma præmissis, et sub dictis pœnis, et Sententiis præcipimus, et mandamus, quatenus, singulis diebus Dominicis, et Festivis, quotiens, et quando pro parte præfatorum Dominorum Archiepiscopi, Præpositi, et Capituli Rigensis fueritis requisiti, seu alter vestrum fuerit requisitus, infra Missarum, et aliarum Canonicalium horarum Solemnia, dum ibidem populi multitudo convenerit ad audiendum Divina, prædictam denunciationem innovantes, præfatos Magistrum, Præceptores, Commendatores, et Fratres, nec non Proconsules, Consules, Cives, et homines huiusmodi, qui in his culpabiles fuerint, aliosque in hac parte contradictores, et rebelles, ut præfertur, Excommunicatos, et denunciatos campanis pulsatis, candelis accensis, ac demum

Anno 1425.

ANNO 1425. mum extinctis, et in terram proiectis, Cruce erecta, et vexillo induta, aqua benedicta aspergendo, ad fugandum dæmones, qui sic eos detinent alligatos, orando, quod Dominus noster JESUS CHRISTUS ipsos ad Catholicam fidem, et Sanctae Matris Ecclesiae gremium reducere dignetur, ne eos in tali duricia, et perversitate permittat dies eorum finire, cum decantatione Responsorii: *Revelabunt Cœli iniquitatem Judæ &c.* ac Psalmi *Deus laudem nostram ne tacueris:* cum Antiphona: *Media vita &c.* et huiusmodi totaliter finito, ad Januas Ecclesiarum vestrarum, una cum Clericis, et Parochianis vestris accedendo, ad terrorem, ut ipsi Magister, Præceptores, Commendatores, et Fratres, Proconsules, Consules, Cives et homines, aliique contradictores in hac parte, et rebelles, ut præmittitur, excommunicati, denuntiati et aggravati, eo citius ad obedientiam redeant, tres lapides versus domos habitationum suarum proiiciendo, in signum maledictionis æternae, quam Deus dedit, Dathan, et Abiron, quos terra vivos absorbuit, etiam post Missam, et in vesperis, et aliis quibuscunque horis Canonicis, sermonibus, et prædicationibus, solenniter publicetis, & denuncietis, & ab aliis ita denuntiari, & publicari, & ab omnibus Christi Fidelibus ut excomnnicatos, denunciatos, & aggravatos arctius evitari faciatis, & mandetis, quousque aliud a Nobis, vel Superiori nostro receperitis, seu habueritis in mandatis. Si vero præfati Magister, Præceptores, Commendatores, et Fratres, nec non Proconsules, Consules, Cives, et homines, aliique contradictores et rebelles per alios decem dies, præfatos decem dies immediate sequentes, præfatas excommunicationis, et aggravationis Sententias, ad ipsorum notitiam deductas, animis, quod absit, sustinuerint induratis, quia exigit perversorum audacia præsumptiva, ut ex unica pœna non contenti, fortioribus arceantur, ne forte fides illorum laedatur, qui semper suis Superioribus debitam obedientiam impenderunt, extunc Processus nostros huiusmodi reaggravando, authoritate praefata, ac modo, et forma praemissis, omnes, et singulos utriusque sexus homines, notos, vicinos, coniunctos, amicos eorundem excommunicatorum, denunciatorum, et aggravatorum, de his, qui vobis, seu alteri vestrum fuerint nominati, prout vobis subsunt, usque ad numerum sexaginta, cuiuslibet ipsorum rebellium ex parte nostra, imo verius Apostolica, primo, secundo, tertio, et peremptorie requiratis, et moneatis, et quilibet vestrum moneat, et requirat, quos et Nos etiam tenore praesentium sic requirimus, et monemus, ipsis & eorum cuilibet districtius inhibentes, et praesertim familiaribus, et servitoribus praefatorum excommunicatorum, denuntiatorum, et aggravatorum, quatenus infra sex dierum spatium post monitionem, et requisitionem vestras ipsis factas immediate sequentium, quorum sex dierum duos pro primo, duos pro secundo, et reliquos duos pro tertio, et peremptorio termino, ac monitione canonica assignamus, ipsi CHRISTI Fideles, familiares, et servitores, ac quilibet eorum, a participatione, et communione ipsorum excommunicatorum, denunciatorum, et aggravatorum penitus, et omnino desistant, et quilibet ipsorum desistat, nec cum eisdem excommunicatis, denunciatis, et aggravatis, aut eorum alteri serviendo, loquendo, sedendo, stando, ambulando, salutando, hospitando, comedendo, bibendo, cibum, potum, aquam, vel ignem ministrando, aut aliquo humanitatis solatio, praeterquam in casibus a iure permissis, participare præsumant, aut alter eorum præsumat, & si contrarium fecerint, nos in eos & eorum quemlibet cum dictis excommunicatis, denunciatis et aggravatis, et reaggravatis rebelliter participantes, aut contrafacientes, exnunc prout extunc, et extunc prout exnunc, dicta sex dierum canonica monitione præmissa, Excommunicationis Sententiam ferimus in his scriptis, et etiam promulgamus. Et nihilominus vos omnes, et singulos supradictos, modo, et forma præmissis requirimus, et monemus, ac vobis sub dicta Excommunicationis pœna mandamus, quatenus singulis diebus Dominicis, et festivis, quotiens expediens fuerit, in vestris Ecclesiis, Monasteriis, et Capellis infra Missarum, et aliarum Horarum Ecclesiasticarum Solemnia, praefatos Christi fideles, familiares, et servitores, qui cum dictis excommunicatis, denunciatis, aggravatis, et reaggravatis rebelliter participaverunt, excommunicatos publice denuncietis, et ab aliis CHRISTI fidelibus arctius evitari faciatis, donec, et quousque a participatione huiusmodi totaliter se abstinuerint, et debitae absolutionis beneficium desuper meruerint obtinere. Si vero praefati excommunicati, denunciati, aggravati, et reaggravati, per decem dies proximos, dictos decem dies immediate sequentes, et postquam constiterit huiusmodi reaggravationem ad eorum notiti-

ANNO 1425.

ANNO 1425. titiam perveniſſe, praedictas noſtras Sententias ſuſtinuerint, admodum aſpidum putidarum, aures ſuas obdurantium, ne vocem audiant incantantis, Nos exnunc, prout extunc, et extunc, prout exnunc lapſis terminis antedictis, Civitates, Terras, Caſtra, Villas, Suburbia, et quarumcunque Eccleſiarum Collegia, et Parochias, et generaliter loca, in, et ſub quibus dictos excommunicatos, denunciatos, aggravatos, et reaggravatos, vel eorum alterum morari, vel declinare contigerit, quamdiu ibidem fuerint, ſeu aliquis eorum fuerit, in his ſcriptis Eccleſiaſtico ſupponimus Interdicto; Mandantes vobis omnibus, & ſingulis, modo, & forma præmiſſis, ac ſub pœnis, & Sententiis antedictis, quatenus extunc, quamdiu dicti excommunicati, denunciati, aggravati, & reaggravati, ſeu eorum aliquis, in locis prædictis fuerint, ceſſetis, et ab aliis ceſſari faciatis, apertis ianuis a Divinis. Quam quidem ceſſationem per tres dies continuos, poſt ipſorum excommunicatorum, denunciatorum, aggravatorum, & reaggravatorum, vel alterius eorundem receſſum obſervetis, & continuetis, & ab aliis obſervari, & continuari faciatis, ita, & taliter, quod huiusmodi ſtante Interdicto, nulla Sacramenta Eccleſiaſtica in, & ſub eisdem locis, quibus prædicti excommunicati, denunciati, aggravati, & reaggravati fuerint, aut alter eorum fuerit, penitus miniſtrentur, niſi Pœnitentia, & Baptiſmus indifferenter, Euchariſtia infirmis tantum, & Matrimonium ſine Eccleſiaſtica ſolennitate contrahatur. Volumus etiam, & præcipimus authoritate Apoſtolica, qua ſuper, & mandamus, ſub pœnis infratactis, quod nullus eisdem Magiſtro, Præceptoribus, Commendatoribus, & Fratribus, ac Proconſulibus, Conſulibus, Civibus, hominibus Rigenſibus, & aliis rebellibus, & inobedientibus, ſic, ut prædicitur, excommunicatis, denunciatis, aggravatis, et reaggravatis, & interdictis, quam diu in huiusmodi rebellione perſtiterint, ſeu aliquis eorum perſtiterit, eis, vel eorum alteri, obedire, vel obtemperare per ſe, vel alium, ſeu alios, aut ſuper debitis, ſeu negotiis aut cauſis in foro Eccleſiaſtico, vel Sæculari reſpondere præſumat, ſed eis ut præmittitur rebellibus, omnis Juris ordo, ſeu Actus iudicialis penitus præcludatur, & negetur, nec eorum teſtimonio fides adhibeatur quovis modo, ſed ipſi aliis omnimode reſpondere teneantur, & ſint penitus ab omnibus actionibus, actibus, & participationibus fidelium ſecluſi, ut ad debitam ſatisfactionem, & reconciliationem, & gratiam obtinendam, facilius acclinentur, & revertantur. Si vero prænominati excommunicati, denunciati, aggravati, & reaggravati, & interdicti, infra alios decem dies, proxime dictos decem dies immediate ſequentes proceſſibus, & mandatis noſtris huiusmodi, imo verius Apoſtolicis non paruerint realiter, & cum effectu, quod Deus avertat, Nos attendentes, quod mucrone non proficiente Eccleſiaſtico, in ipſius ſuffragium temporalis gladius non immerito veniet expoſcendus, & quos timor Dei à malo non revocat, temporalis ſaltem ſeveritas coerceat diſciplinae. Igitur Vos Sereniſſimos Principes & Dominos Dominos, Reges, tanquam Principales huiusmodi gladii vibratores, & præfamoſos iuſtitiae Zelatores, et vos Dominos Archiepiſcopos, & Epiſcopos, Abbates, & omnes alios ſupradictos, & Perſonas Eccleſiaſticas, quascunque vos Illuſtres Principes, Duces, Comites, Barones, Milites, Nobiles, omnesque alios & ſingulos ſupradictos, quibus præſentes noſtrae Literae diriguntur, & præſertim Vos Illuſtrem Principem & Dominum, Dominum VITOLDUM Ducem Magnum Litvaniae, quos merito retributionis, huiusmodi Sententiae Executionis, Juſtitiae ab altiſſimo conſiderantes fore participes, hortamur in Domino, requirimus, & monemus, & nihilominus authoritate Apoſtolica, primo, ſecundo, tertio, & peremptorie communiter, & diviſim, Vobis et veſtrum cuilibet in virtute ſanctae Obedientiae, & ſub infraſcriptis Sententiarum pœnis præcipimus, & mandamus, quatenus infra ſex dies poſt lapſum ultimo dictorum decem dierum terminum, poſtquam huiusmodi Literae ſeu præſens noſter Proceſſus vobis, aut alteri veſtrum, aut in veſtris Jurisdictionibus, Territoriis et Diſtrictibus fuerint publicatae, ſeu fuerit publicatus, quorum duos pro primo, duos pro ſecundo, & reliquos duos dies pro tertio, & peremptorio termino, ac canonica monitione vobis, & cuilibet veſtrum aſſignamus, Vos omnes, & ſinguli Domini, tam Eccleſiaſticae, quam Sæculares Perſonae, & alii ſupradicti, & veſtrum quilibet, quorum omnium et ſingulorum, ſuper hoc brachii ſæcularis auxilium invocamus, prout quotiens, et quando, pro parte præfatorum Dominorum Archiepiſcopi, Præpoſiti, et Capituli Rigenſis fueritis requiſiti, ſeu alter veſtrum fuerit requiſitus, in Juris ſubſidium, contra Praefatos Magiſtrum, Præ-


ANNO 1425.

ANNO 1425. Præceptores, Commendatores, et Fratres, nec non Proconſules, Conſules, Cives et homines Rigenſes, et alios excommunicatos, denunciatos, aggravatos, reaggravatos et interdictos, ac ipſorum complices, et fautores, nec non contradictores quoslibet, et rebelles in hac parte, de quorum perſonis vobis conſtiterit, authoritate Apoſtolica per captionem, invaſionem, incarcerationem, & detentionem perſonarum, corporum, & rerum, dictorum Magiſtri, Præceptorum, Commendatorum, & Fratrum, nec non Proconſulum, Conſulum, Civium, & hominum huiusmodi, eorumque complicum, adhærentium, & fautorum, ac per arreſtationem, ac occupationem rerum, & bonorum aliorum, quorumcunque rebellium in hac parte, tam Eccleſiaſticarum, quam Sæcularium Perſonarum, procedatis, & procedat, ipſorumque perſonas, corpora, & res, nec non Civitates, Caſtra, Oppida, Villas, Terras, Poſſeſſiones, & alia quæcunque Bona, & Loca eorundem, & cuiuslibet ipſorum invadatis, incarceretis, arreſtetis, & occupetis, per Vos, & alium, ſeu alios, aut alter veſtrum requiſitus, capiat, invadat, incarceret, occupet, & arreſtet libere, ſuper quibus omnibus & ſingulis vobis licentiam, & poteſtatem plenariam, authoritate Apoſtolica praedicta concedimus per praeſentes, praefatos Magiſtrum, Præceptores, Commendatores, & Fratres præfatae Civitatis Rigenſis, & ipſius Dominii occupatores, & detentores, nec non Proconſules, Conſules, Cives, & homines huiusmodi inobedientes, et rebelles, ac alios ſupradictos, et eorum adhærentes, complices, et fautores, in eorum perſonis, et bonis proſequimini, compellatis, et adſtringatis potenter, etiam manu forti, tamdiu, donec ipſi Magiſter, Præceptores, Commendatores, et Fratres, ac Proconſules, Conſules, Cives, et homines huiusmodi, ad debitam ſatisfactionem venerint, Deoque, et Sanctae Matri Eccleſiae, et Nobis pro dictis contemptibus, præfatisque Dominis Archiepiſcopo, Præpoſito, et Capitulo, et Eccleſiae Rigenſi, de, et ſuper omnibus, et ſingulis prædictis ſatisfecerint, et abſolutionis beneficium a prædictis Sententiis obtinuerint. Proviſo tamen, ne Magiſtri, Præceptorum, Commendatorum, et Fratrum rebellium prædictorum culpa, et delictum in dicti Ordinis cedat perpetuum detrimentum, quod ipſius Ordinis Civitates, Oppida, Caſtra, Villae, et Poſſeſſiones huiusmodi, authoritate, et vigore præſentium forſan captorum, detentorum, ſeu arreſtatorum, dictis Dominis Archiepiſcopo, Præpoſito, et Capitulo Rigenſi aſſignentur per ipſos, ſub firma cuſtodia tenenda et obſervanda, quodque, poſtquam ipſi Magiſter, Præceptores, Commendatores, et Fratres, ac alii prædicti, Sententiae, Literis Apoſtolicis, et Proceſſibus noſtris huiusmodi, plene, ac realiter, et cum effectu paruerint, ac de præmiſſis omnibus, et ſingulis iuxta Sententiae, Literarum, ac Proceſſuum huiusmodi exigentiam, et tenores, plenarie ſatisfecerint, abſolutionisque beneficium a prædictis Sententiis obtinuerint, Civitates, Oppida, Caſtra, Villae, Terrae, et Poſſeſſiones huiusmodi dicti Ordinis, per Vos, aut aliquem veſtrum, authoritate, et vigore praeſentium, ut præmittitur, forſan captorum et arreſtatorum, occupatorum, vel detentorum, ad eundem Ordinem libere revertantur, quodque, ſi forte Vos Principes Illuſtriſſimi inter omnes Sæculares, Principes Magnifici, Executores iuſtitiae præſentis noſtri Proceſſus, ac Mandati Apoſtolici transgreſſores, contradictores, vel neglectores fueritis, quod tamen veſtrarum Serenitatum praefulgidarum, quam dudum per totum orbem divulgatarum, obedientia ſuſpicari non ſinit, proculdubio etiam iudicium iuſti Judicis offenderitis, et præmium alias vobis pro executione huiusmodi ſanctae Juſtitiae a Deo reſervatum, nihilominus amitteretis; Vos huiusmodi noſtris Sententiis ligari nolumus, Vobis ob Maieſtatem veſtram, merito deferentes. Intuitu tamen iuſtitiae, et ob Sedis Apoſtolicae reverentiam Veſtras Serenitates ad præfatam executionem efficacem, prout ad Veſtra Culmina Sereniſſima pertinet, in Domino exhortamur. Verum ſi vos Reverendi Patres Domini Archiepiſcopi, Epiſcopi, caeterique Praelati, et aliae Perſonae Eccleſiaſticae, et Saeculares, quibus praeſentes noſtrae Literae diriguntur, praemiſſa omnia, et ſingula, prout ſuperius, vobis, et cuilibet veſtrum mandantur, exequi non curaveritis, ſeu neglexeritis, et non adimpleveritis, vel aliquod in contrarium feceritis, ſeu monitionibus, et mandatis noſtris huiusmodi, imo verius Apoſtolicis non parueritis cum effectu, in hac parte Vobis Dominis Archiepiſcopis, et Epiſcopis praedictis, quibus ob reverentiam Pontificalium Dignitatum deferre volumus in hac parte, ſingulariter ſingulis, dicta ſex dierum canonica monitione praemiſſa, ingreſſum Eccleſiae interdicimus, in his ſcriptis. Et ſi huius-

ANNO 1425.

ANNO 1425. iusmodi Interdictum per alios sex dies sustinueritis, Vos, et vestrum quemlibet, dicta canonica monitione praemissa, in his scriptis suspendimus a Divinis. Verum si praefatas Interdicti et suspensionis Sententias per alios sex dies, praefatos duodecim dies immediate sequentes, animis quod absit, sustinueritis induratis, in vos Dominos Archiepiscopos, et Episcopos, nec non Abbates, Priores, Praepositos, Decanos, Scholasticos, Archidiaconos, Thesaurarios, Cantores, et alias Personas Ecclesiasticas, nec non Duces, Comites, Barones, Milites, Nobiles, quarumcunque Curiarum saecularium, Civitatum, Castrorum, et locorum quorumcunque Maiores, Magistros, Consiliarios, Gubernatores, Capitaneos, Scultetos, Officiales, servientes, omnesque alios et singulos praenominatos, nec non in quoscunque alios contradictores, et rebelles cuiuscunque status, gradus, praeeminentiae, vel conditionis existant, quibuscunque nominibus censeantur, Excommunicationis, in Civitates vero, Oppida, Castra, Villas, et alia loca, ipsorum rebellium, Interdicti Sententias exnunc, prout extunc, et extunc, prout exnunc, authoritate Apostolica ferimus in his scriptis, et etiam promulgamus. Verum si contingat Nos super praemissis in aliquo procedere, de quo Nobis omnimodam potestatem reservamus, nolumus nec intendimus propterea commissionem seu subdelegationem nostram suprascriptam, in aliquo revocare, nisi de revocatione ipsa specialem, et expressam in nostris Literis fecerimus mentionem. Nolumus etiam, neque intendimus per processum nostrum huiusmodi nostris in aliquo praeiudicare Collegis, quominus ipsi, vel eorum alter, servato tamen hoc nostro Processu in praemissis procedere possint, vel possit, prout eis vel eorum alteri visum fuerit expedire, per se, vel alium, seu alios dictos Processus nostros prosequendo, seu continuando, vel etiam novos faciendo, praefatas quoque Literas Apostolicas, ac processum nostrum huiusmodi nec non alia iura, et munimenta praesens negotium concernentia, volumus penes praefatos Dominos Archiepiscopum, Praepositum, et Capitulum Rigense, vel Procuratorem, seu Syndicum suum, eorum nomine remanere, et non per Vos, vel aliquem vestrum, seu quemvis alium, contra ipsorum voluntatem quomodolibet detineri. Contrarium vero facientes praefatis nostris Sententiis, prout per Nos in scriptis latae sunt, ipso facto volumus subiacere. Mandamus tamen copiam fieri de praemissis ipsam petentibus, et habere debentibus, petentium siquidem sumptibus, et expensis. Absolutione vero omnium et singulorum, qui praefatas nostras Sententias, aut earum aliquam incurrerint, seu incurrerit, quoquomodo Nobis, vel Superiori nostro tantummodo reservamus. In quorum omnium et singulorum fidem et testimonium praemissorum praesentes Literas seu praesens publicum Instrumentum, huiusmodi nostrum Processum in se continentes, sive continens, exinde fieri, et per Notarium publicum infrascriptum subscribi, publicari, nostrique Sigilli iussimus appensione communiri. Datum, et Actum in Palatio Bonomen. sub anno a Nativitate Domini millesimo quadringentesimo vicesimo quinto. Indictione tertia, die vero Mercurii, vicesima quarta Mensis Octobris, Pontificatus Sanctissimi in CHRISTO Patris et Domini nostri, Domini MARTINI divina providentia Papae praefati Anno octavo. Praesentibus ibidem Venerabilibus, et Discretis Viris, Dominis Alberto de Alberten. Decretorum, Petro de Aldermund, Nicolao de Adrioste utriusque iuris, Francisco de Urbe, Philippo de Ilno, Artium, et Medicinae Doctoribus, Bonone, Commorane, et Nicolao Bustron, perpetuo Vicario in Ecclesia Lubicensi, Testibus ad praemissa vocatis, specialiter et rogatis. ANNO 1425.

Et Ego Joannes Stormer de Dasle



Clericus Moguntinensis Diœcesis, Publicus Imperiali Authoritate Notarius, quia praedictarum Literarum Apostolicarum praesentationi, et receptioni, Processusque præscripti petitioni, eiusque Decreto, Sententiarumque fulminationi, ac aliis præmissis omnibus & singulis dum sic, ut præmittitur, per Reverendum in Christo Patrem, & Dominum, Dominum, LUDOVICUM Archiepiscopum præfatum, ac coram eo fierent, & agerentur, una cum prænominatis testibus præsens fui, eaque sic fieri vidi, & audivi, ideoque præsens publicum Instrumen-

Annomentum, huiusmodi Proceſſum in ſe
1425. continens, per alium ſcriptum, exinde confeci, ſignoque, & nomine meis ſolitis, & conſvetis una cum appenſione Sigilli Domini Archiepiſcopi, & Executoris præfati ſignavi, & ſubſcripſi, rogatus & requiſitus, in fidem & teſtimonium omnium & ſingulorum præmiſſorum.

LXXVI.

1426. *Henningus Archiepiſcopus Rigenſis, præſtito* Sigismundo *Romanorum Regi fidelitatis Juramento, infeudatur.* Datum in Tatha die 15. Maii. Anno 1426. *Ex Archivo Magni Ducatus Litvaniæ.*

Sigismundus Dei Gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, &c. Rex. Notum facimus tenore præſentium univerſis. Etſi Regalis Dignitatis clementia univerſorum fidelium, quos Imperii Sacri latitudo complectitur, felicibus profectibus, gratis commodis, & ſperatis augmentis favorabiliter dignatur intendere, ad illorum tamen profectus, & commoda diligentiori ſtudio clementius inclinari conſvevit, quorum fides, merita, promptæque devotionis integritas, continuatis ſtudiis cæteros antecedunt. Sane cum Venerabilis Henningus Archiepiſcopus Rigenſis, noſter, & Imperii Sacri Princeps, devotus, dilectus, propter viarum pericula, & locorum diſtantiam accedere non poſſit perſonaliter noſtrae Regiae Maieſtatis præſentiam, pro ſuis, & Eccleſiae ſuae Feudis, & Regalibus a Nobis, & Sacro Romano Imperio dependentibus relevandis, Celſitudini noſtrae ex parte ſui per legitimos ſuos Procuratores, videlicet honorabiles Jacobum Gronowe, & Joannem Faulhaver Presbyteros, in eadem Eccleſia Rigenſi beneficiatos, ad hoc authoritate Procuratorii, eis in ſolidum conceſſi, plenum Mandatum habentes, extitit cum inſtantia ſupplicatum, quatenus eidem Henningo Archiepiſcopo omnia ſua, & Eccleſiae ſuae Rigenſi Regalia, ſive Feuda conferre, ipſumque de eisdem inveſtire gratioſius dignaremur. Nos itaque, qui quorumlibet iuſte petentium vota libenter complectimur, & gratioſe, præſertim cum iuſta petentibus non ſit denegandus aſſenſus, animo deliberato, ſanoque Principum, Comitum, Baronum, Nobilium, ac Procerum fidelium noſtrorum accedente conſilio, de certa noſtra ſcientia, authoritateque Romana Regia, recepto prius ſingulariter ab eisdem Procuratoribus, fidelitatis, ſubiectionis, & obedientiae in animam prædicti Henningi Archiepiſcopi iuramento debito, & conſveto, per omnia in hæc verba. *Ego Jacobus, & ego Joannes nomine procuratorio iuro ad Sancta Dei Evangelia, in animam Reverendi in Chriſto Patris Domini Henningi Archiepiſcopi Rigenſis, quod ipſe ab hac die in antea fidelis erit, & obediens Vobis glorioſiſſimo, & invictiſſimo Principi, & Domino, Domino* Sigismundo *Romanorum &c. Regi, Domino ſuo gratioſo, nec non omnibus Romanorum Imperatoribus, ſive Regibus, Succeſſoribus veſtris, & ipſi Sacro Romano Imperio, contra omnem hominem, & quod auxilium, vel conſilium nunquam dabit, nec conſentiet contra ſtatum, vitam, Perſonam, aut ſalutem veſtram, & quod honorem veſtrum, Succeſſorum veſtrorum, & Sacri Imperii pro poſſe ſuo fideliter procurabit, damnum quoque, & periculum Status, & Perſonæ, ac honoris veſtri, & Succeſſorum Veſtrorum, ac Sacri Imperii avertet, proditoribus, & rebellibus veſtris, & Succeſſorum Veſtrorum, ac ipſius Sacri Imperii non conſentiet, imo Maieſtatem Veſtram, & Succeſſorum Veſtrorum in talibus, ubi ſciverit, fideliter præmuniet, defendet, & Vobis, ac Veſtris Succeſſoribus pro viribus aſſiſtet, & omnia alia & ſingula erga Sacram Coronam veſtram, generaliter attendet, & efficaciter obſervabit, qua fidelis Sacri Imperii Princeps; ſuo vero Domino Romanorum Regi, ſeu Imperatori ſecundum Sacras Leges, & laudabiles conſvetudines iurare, & præſtare tenetur, & quæ per Anteceſſores ſuos Archiepiſcopos Rigenſes divis Imperatoribus, & Regibus Romanorum, Veſtris Prædeceſſoribus iurari ſunt ſolita, & præſtari, & quæ in Juramento Fidelitatis, in corpore Sacrarum Legum inveniuntur expreſſa, ſic eum Deus adiuvet, & Sancta Dei Evangelia.* Præfato Henningo Regalia, nec non Temporalia, ſive Feudum dictae Sanctae Eccleſiae Rigenſis, quae ſingulare quoddam, & inſigne Membrum Sacri Romani Imperii exiſtit, cum univerſis, & ſingulis ſuis attinentiis, ac mero, & mixto Imperio, ac etiam exercitio Jurisdictionis temporalis, nec non univerſis ſuis iuribus, honoribus, conſvetudinibus, obſervantiis, & pertinentiis, ſicut eadem bonae memoriae ſui Prædeceſſores Archiepiſcopi Rigenſes hactenus poſſederunt, contulimus, & inveſtivimus, conferimus, ac ipſum de eisdem tenore Præſentium inveſtimus, man-

Anno 1426.

Anno 1426. dantes universis, & singulis Comitibus, Baronibus, Nobilibus, Militibus, Clientibus, Vasallis, Officialibus, cæterisque Terrarum, Civitatum, Oppidorum, & Locorum dicti Archiepiscopatus, & Ecclesiae Rigensis subditis nostris, & Imperii Sacri fidelibus, quatenus eidem Heningo Archiepiscopo Rigensi, tanquam vero, & legitimo suo Domino in omnibus, & singulis tam in iudiciis, quam in aliis exercitium Jurisdictionis temporalis concernentibus, reverenter, firmiter, & debite parere, & obedire debeant, & intendant, supplentes nihilominus omnem defectum, si quis ex defectu verborum, sententiarum obscuritate, aut Solennitatis obmissae, seu ex sua absentia personali, aut negligentia susceptionis Feudorum, & lapsu temporis compertus fuerit, quomodolibet in præmissis, de plenitudine Romanae Regiae potestatis, præsentium sub nostri Sigilli appensione, testimonio Literarum. Datum in Tatha Vesprumensis Diœcesis Anno Domini millesimo quadringentesimo vigesimo sexto, die XV. Mensis Maii, Regnorum nostrorum, Anno Hungariae &c. quadragesimo, Romanorum sexdecimo, & Bohemiae VI.

Ad Mandatum Domini Regis.

Franciscus Vicecancellarius.

LXXVII.

1430. *Protestatio Theodorici Episcopi Tarbatensis, quod si quid dixerit, aut fecerit, contra Ordinationem Papæ de restitutione Regulæ S. Augustini in Ecclesiam Rigensem, id non faciet sponte, sed metus causa.* Dat. in Voldemer, die 14. Octobris 1430. *Ex Originali.*


In Nomine Domini Amen.

Anno Nativitatis eiusdem millesimo quadringentesimo tricesimo, Indictione octava, die vero Mensis Octobris decima quarta, hora tertiarum vel quasi, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri, Domini Martini Papae Quinti, Anno eius tertio decimo. In nostrorum Joannis Osleneseen, & Henrici Lubeker, Notariorum infrascriptorum præsentia personaliter constitutus Reverendus in Christo Pater, & Dominus, Dominus Theodoricus Episcopus Tarbatensis, proposuit, & dixit, quod quia proh dolor! gravis dissensionis materia inter Reverendissimum Patrem, & Dominum, Dominum Henningum Archiepiscopum, suumque venerabile Capitulum Sanctae Rigensis Ecclesiae ex una, & Venerabilem Magistrum Livoniae, suosque Præceptores, ac Fratres Ordinis Beatae Mariae Theutonicorum partibus ex altera, propter depositionem habitus Ordinis præfati Theutonicorum, ac reasumptionem habitus, & Ordinis Canonicorum Regularium Sancti Augustini, qui ab antiquo in eadem Sancta Rigensi Ecclesia laudabiliter viguit sub observantia regulari, authoritate, & ordinatione iuxta Literas eiusdem Domini nostri Papae Martini, lis exorta fuisset, ipseque Reverendus Pater tanquam amicabilis Compositor, & Mediator, non intercipiendi, & referandi, in quantum in eo esset, ut asserunt, talis modi dissensionis, & rancorum materias, ad Oppidum Voldemer infradictum, Rigensis Diœcesis, ubi Partes praeexpressae ad tractandum huiusmodi materias congregatae fuerant, se transtulisset, percepit, & intellexit, ut asseritur ex actibus, & tractatibus ibidem inter ipsas Partes hincinde, quod ipse Dominus Magister, suique Præceptores Ordinis præfati tunc præsentes omnino conabantur arctare per minas, ac varias impressiones eundem Reverendissimum Patrem Dominum Archiepiscopum dictae Sanctae Rigensis Ecclesiae, ad recedendum ex toto a Privilegiis, sive huiusmodi Apostolica Ordinatione, cuius vigore præfatus Archiepiscopus, suique Canonici Rigenses habitum, & professionem, ut præmittitur, Ordinis Sancti Augustini reasumpserunt, ideoque idem Reverendus Pater Episcopus Tarbatensis protestabatur modo, quo potuit meliori, quod si contingeret ipsum aliqua tractare, dicere, facere, vel admittere in læsionem, sive annullationem huiusmodi Ordinationis Apostolicae Libertatis, aut Privilegiorum Sanctae Rigensis Ecclesiae, quod talia facturus, vel admissurus esset propter metum validum, etiam talem, qui cadere posset in constantem, nec suae intentionis esset quovis modo sponte tractare, svadere, aut admittere talia, per quae Juribus, & Libertatibus Ecclesiae Rigensis posset præiudicium quomodolibet afferri. Acta hæc sunt in prædicto Oppido Voldemer, dictae Rigensis Diœcesis in æstuario domus Joannis Pospendik Proconsulis Oppidi præfati, Anno, Indictione, Mense, Die, Hora, ac Pontificatu, quibus supra. Præsentibus ibidem Nobilibus Viris Domino Petro de Thisenlinsen, ac Odoardo Samigue eiusdem Ecclesiae Tarbatensis Vasal-

Anno 1430.

Anno 1430. Vaſallis, teſtibus ad præmiſſa vocatis, ſpecialiter & rogatis.

Et Ego Joannes Oſlenenſis, Clericus Mindenſis Diœceſis, publicus Imperiali authoritate Notarius. Quia huiusmodi compoſitioni, ac proteſtationi, ſive metus allegationi, omnibusque aliis, & ſingulis, dum ſic, ut præmittitur, fierent, & agerentur una cum prænominatis teſtibus præſens interfui, una cum Connotario meo infraſcripto, ideoque hoc praeſens publicum Inſtrumentum manu propria ſcripſi, ac ſubſcripſi, & in hanc publicam formam redegi, ſignoque, & nomine ſolitis, & conſvetis ſignavi rogatus, & requiſitus in fidem, & teſtimonium omnium, & ſingulorum præmiſſorum.



Et Ego Henricus Lubeker Clericus Bremenſis Diœceſis, Imperiali authoritate Notarius, quia huiusmodi proteſtationibus, omnibusque aliis, & ſingulis, dum ſic, ut præmittitur, agerentur, una cum prænominatis teſtibus præſens interfui, eaque ſic fieri vidi, ideoque hoc præſens publicum Inſtrumentum, per alium fidelem ſcribi feci, ſigno, & nomine meis ſolitis conſignavi, rogatus, & requiſitus in teſtimonium omnium præmiſſorum.

LXXVIII.

1434. *Citatio Magiſtri, & Fratrum Ordinis Theutonici in Livonia ad Concilium Baſilienſe, quod Ordinem S. Auguſtini de Eccleſia Rigenſi vi dimovere, & eum Ordini ſuo Theutonico incorporare nixi fuerint.* Dat. Baſileæ die 19. Mart. Anno 1434. *Ex Originali.*

Sacroſancta Generalis Synodus Baſilienſis, in Spiritu Sancto legitime congregata, univerſalem Eccleſiam repræſentans, ad futuram rei memoriam. Ad hoc Spiritus Sancti gratia præcipue convenimus in unum, & omni ſumus diligentia ſoliciti, ut in grege Dominico quibusvis diſſenſionum, quæſtionumque ſublatis diſpendiis, pacis, & concordiae commoda procuremus. Nuper ſiquidem Venerabilis Henningi Archiepiſcopi Rigenſis, nec non dilectorum Eccleſiae filiorum Præpoſiti, Decani, & Capituli, ſingulorumque Canonicorum, & perſonarum Eccleſiae Rigenſis, lamentabili inſinuatione per Nos accepto, quod licet Præceptor, Commendatores, & Fratres Hoſpitalis Beatae Mariae Theutonicorum Ieroſolimitanorum per Livoniam conſtituti, pro eo, quod olim in primæva dotatione domorum ſuarum in partibus Livoniae conſiſtentium, a prædicta Eccleſia tertia pars territorii, quod tunc ad eam pleno iure pertinebat, eisdem Domibus perpetuo collata fuit, ipſique Archiepiſcopo, & Eccleſiae, eiusque perſonis in eorum iuribus, libertatibus, præeminentiis, ac rebus, & bonis defenſandis, ac manutenendis, & conſervandis utique deberent aſſiſtere, tamen ipſi tam Archiepiſcopi, quam Eccleſiae, ac perſonarum ipſarum oppreſſioni potius intendentes, illis quam plurima ſuper rebus, & bonis, ac iuribus & libertatibus huiusmodi, etiam ſuper hoc, quod in dicta Eccleſia, quae olim erat, prout eſt Ordinis Sancti Auguſtini, Ordo huiusmodi extingueretur, ipſique Archiepiſcopus, vel Eccleſia, ac Perſonae Hoſpitali prædicto, ipſorumque Præceptorum, Commendatorum, & Fratrum viſitationi, & correctioni, ac eorum delationi habitus ſubiicerentur, intulerunt damna, violentias, & iacturas, ac pro parte eorundem Henningi Archiepiſcopi, Præpoſiti, Decani, Capituli, Canonicorum, & perſonarum Nobis humiliter ſupplicato, ut ſuper his, eis, ac eorum, & dictae Eccleſiae ſtatui, nec non Juribus, & Libertatibus conſervandis, eorumque recuperandis rebus, & bonis huiusmodi, ac ne ipſi, & eorum poſteri ad prædicti ſuſceptionem habitus indebite arctarentur, providere dignaremur. Nos, qui pro pace, & quiete inter Chriſti fideles procuranda ſumus quorumlibet in miniſtranda iuſtitia debitores, Venerabilibus Joanni Patriarchae Antiochenſi, Gerardo Laudenſi, & Conczoni Olomucenſi Epiſcopis, ac dilecto Eccleſiae Filio, Magiſtro Joanni de Bolamos Abbati de Medmacelin in Eccleſia Seguntina Decretorum Doctori nobiscum conſtitutis, & Vniverſalis Eccleſiae negotia gerentibus, commiſimus, ut poſtquam Partes coram eis forent legitime convocatae, ea, quae hinc inde per eas proponerentur, audirent, & ſuper huiusmodi propoſitis, probationibus, & Documentis receptis legitimis, nobis ea referrent, extunc in his facturis, quod iuſtitia dictaret, aut æquitas ſvaderet rationis. Quocirca inter prædictos Archiepiſcopum, Præpoſitum, De-

Anno 1434.

Anno 1434. Decanum, Capitulum, Canonicos, & Perſonas, ac Præceptorem, Commendatores, & Fratres ſubortas, præmiſſorum occaſione, quæſtiones, iuſtitiae, & æquitatis libramine, prout id magis expedire perſpexerimus, decidere volentes, Præceptorem, Commendatores, & Fratres prædictos harum ſerie citamus, & mandamus eisdem, quatenus infra nonaginta dies poſt executionem præſentium immediate ſequentes, quos eis pro peremptorio termino aſſignamus, per perſonam, vel perſonas idoneam, vel idoneas, ſpeciali, & ſufficienti ad hoc ab eis Mandato ſuffultam, vel ſuffultas, coram prædictis, vel aliis interim per Nos forſan in huiusmodi cauſa deputandis Commiſſariis, cum omnibus Juribus, & Munimentis ſuis cauſam huiusmodi concernentibus compareant, in cauſa huiusmodi usque ad relationem huiusmodi per ipſos Commiſſarios nobis faciendam, coram eis proceſſuri, volentes, & eisdem Præceptori, Commendatoribus, & Fratribus, præſentibus intimantes, quod etiamſi, quod abſit, ipſi contumaciter non comparuerint, dicti Commiſſarii in eorum contumaciam procedent, & Nos poſtmodum relatione huiusmodi per eosdem Commiſſarios nobis facta, iuxta producta, ac probata in cauſa huiusmodi procedemus, prout fuerit faciendum, ipſis Præceptore, Commendatoribus, & Fratribus ad hoc aliter non vocatis. Præterea, cum ſicut accepimus, ad ipſorum Præceptoris, Commendatorum, & Fratrum præſentiam pro executione, & inſinuatione Præſentium tutus haberi nequeat acceſſus, Nos illas per Edictum publicum, locis affigendum publicis, & vicinis, de quibus ſit veriſimilis coniectura, quod ad eorundem Præceptoris, Commendatorum, & Fratrum notitiam pervenire valeant, quibusvis faciendi plenam, & liberam concedimus facultatem, ac volumus, quod huiusmodi per Edictum facta inſinuatio, & publicatio perinde arctet ipſos Præceptorem, Commendatores, & Fratres, acſi eis præſentiabiliter, & perſonabiliter intimatae fuiſſent, Conſtitutionibus Apoſtolicis, nec non Privilegiis, & Indultis Hoſpitali, & Domibus, ac Præceptori, Commendatoribus, & Fratribus prædictis, Apoſtolica, & alia quacunque authoritate conceſſis, etiamſi de illis præſentibus habenda foret mentio ſpecialis, & aliis contrariis non obſtantibus quibuscunque. Datum Baſileæ decimo quarto Kalendas Aprilis, Anno a Nativitate Domini milleſimo, quadringenteſimo triceſimo quarto.

LXXIX.

Anno 1435.

Literæ Concilii Baſilienſis, quibus Eccleſiam Rigenſem protectioni Regis Poloniæ commendat. Dat. Baſileæ 29. Mart. 1435. *Ex Originali.*

Sacroſancta Generalis Synodus Baſilienſis in Spiritu Sancto legitime congregata Vniverſalem Eccleſiam repræſentans cariſſimo Eccleſiae Filio Regi Poloniae Illuſtri, ſalutem, & Omnipotentis Dei benedictionem. Inter cætera laudabilium operum, quae Tuam valeant decorare Excellentiam, illud præcipuum cenſeri poſſet, ut Eccleſias, & Eccleſiaſticas Perſonas infra tuae poteſtatis, & circa illius limites conſtitutas, aut vicinas, benigne ſuſcipias in ſuis Juribus, & Libertatibus ab omni turbatione commendatas, easque de Tuae Excellentiae promptitudine favorabiliter proſequaris; ex hoc enim Altiſſimo reddderis acceptior, Tibique in hoc ſæculo uberioris honoris, & ſtatus quotidie provenient incrementa, hinc eſt quod Eccleſiam Rigenſem in Ruthenorum, & Schiſmaticorum, aliorumque infidelium confinibus conſtitutam, & ab illis ſæpius turbatam, quam felicis recordationis nonnulli Romani Pontifices, & divi Imperatores, tuis protectionibus, ut accepimus, commendarunt, Tuae Excellentiae ducimus commendandam, Dominationem tuam rogantes, & in Domino exhortantes attente, quatenus tu circa defenſionem, & conſervationem Jurium, bonorum, libertatum, privilegiorum, ac Perſonarum dictae Eccleſiae pro noſtra, & univerſalis Eccleſiae reverentia, favoris, & aſſiſtentiae tuae partes, contra quoscunque adeo efficaciter impendas, quod apud Deum creſcere meritis, & apud Nos, & univerſalem Eccleſiam huiusmodi uberioris laudis præconium valeas promereri, ipſaque Eccleſia Rigenſis, & Perſonae tuis ſuffulti auxiliis, & favoribus, ſe poſſint tam in Spiritualibus, quam temporalibus utiliter, & quietius exercere. Datum Baſileae quarto Kalendas Aprilis, Anno a Nativitate Domini milleſimo quadringenteſimo trigeſimo quinto.

LXXX.

Concilium Baſilienſe hortatur Archiepiſcopum Rigenſem, ut vigore Commiſſionis a ſe Epiſcopo Tarbatenſi, & Oſilienſi factæ, lites, & contentiones cum Magiſtro, 1435.

ANNO 1435. *giſtro, & Ordine Theutonicorum in Livonia, per Concordiam finiri patiatur.* Datum Baſileæ 24. April. Anno 1435. *Ex Archivo Magni Ducatus Litvaniæ.*

Sacroſancta Generalis Synodus Baſilienſis, in Spiritu Sancto legitime congregata, Vniverſalem Eccleſiam repræſentans, Venerabili Archiepiſcopo Rigenſi, & dilectis Eccleſiae Filiis Præpoſito, Decano, et Capitulo Eccleſiæ Rigenſis, ſalutem, & omnipotentis Dei benedictionem. Regis pacifici Eccleſiae, quam repræſentamus, Catholicae Cœleſtis Sponſi, & qui ſibi ſubditos pia miſeratione diſpoſuit fore pacificos, & mutua charitate unitos, tam ſalubre diſpoſitionis Mandatum ubilibet, prout ad id efficiendum in unum convenimus, diligenter exequi cupientes, exulem inter ſubditos ipſos Pacem, ſtudiis aſſiduis in propria revocare, iurgiorumque, ac litigiorum noxios conatus nonnunquam rigore iuſtitiae, quandoque etiam concordiae mediis utiliter reprimere, & feliciter propulſare ſatagimus, prout id conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Hinc eſt, quod cum inter Nos ex una, & dilectos Eccleſiae filios Magiſtrum Hoſpitalis Beatae Mariae Theutonicorum Ieroſolimitanenſis, ac Præceptorem, Commendatores, & Fratres Hoſpitalis eiusdem per Livoniam conſtitutos, ex alia partibus, a plerisque transactis annis ſuper diverſis dominiis, aliisque poſſeſſionibus, & rebus, nec non tam mobilibus, quam immobilibus bonis, ac etiam ſuper delatione habitus per Fratres prædictos geſtari ſoliti, ad quam eosdem Præceptores, Commendatores, & Fratres, Vos indebite conſtringere velle aſſeritis, & illorum occaſione graves diſcordiae, diſſenſiones, & lites ſuſcitatae fuerint, ac ſuper huiusmodi habitus delatione, lis coram Nobis pendeat indeciſa, & ſicut experimento edoceri aſtruitur, Vos, ac Præceptor, Comendatores, & Fratres prædicti a tempore ſuſcitationis diſſenſionum, & diſcordiarum huiusmodi, non mediocria propterea ſubieritis diſpendia, & iacturas, formideturque veriſimiliter exinde graviora ſuccreſcere poſſe, ac per Nos accepto, quod dilectiſſimus Eccleſiae filius LUDOVICUS tituli Sanctae Eccleſiae Presbyter Cardinalis, & Venerabilis Joannes Epiſcopus Lubicenſis apud Nos conſtituti, ad perſvaſionem quorundam ex nobis concordiam inter Vos, ac dictos Magiſtrum, Præceptores, Commendatores, & Fratres ſinceris perſequentes affectibus, pro ea ſortienda, certa media conceperant, illaque arbitrentur fore laudabilia, & honeſta. Nos, qui etiam perſtringimur ex diſſenſionum, & diſcordiarum huiusmodi fomite, novellam Chriſtiani nominis, & fidei Catholicae in Livoniae partibus plantationem, per infidelium, & Schismaticorum, in quorum eſtis faucibus conſtituti, invaſionem, vobis, ac eisdem Præceptore, Commendatore, & Fratribus, cum veſtris, & eorum ſubditis ab invicem ſciſſis, nec inter vos mutua contra infideles, & ſchiſmaticos defenſionis præſidia communicantibus, ſuccindi, ſeu ſaltem plantationis eiusdem, quod vobis in pace, & charitate unitis excreſcere ſperaretur, incrementum impediri miſerabiliter poſſe, malis huiusmodi feliciter ſubigendis, prout ex ſollicitudinis noſtrae debito tenemur, diligenter intendentes, ac recenſentes maiorem inter Vos, ac eosdem Magiſtrum, Præceptores, Commendatores, & Fratres amicitiae, & charitatis nutricem confoveri, rancorisque, & odii levius evelli poſſe reliquias, ſi inter Vos concordiae mediis huiusmodi ſopiantur diſſenſiones, & diſcordiae, quam ſi illae iuſtitiae rigore deberent terminari: Venerabilibus Tarbatenſi, & Oſilienſi Epiſcopis, ac dilectis Eccleſiae filiis Tarbatenſis, ac Oſilienſis Eccleſiarum Capitulis, noſtris dedimus Literis in commiſſis, ut inter Vos, ac Magiſtrum, Præceptores, Commendatores, & Fratres prædictos, quibus etiam ſuper hoc dirigimus Scripta noſtra, huiusmodi concordiam, per prædictos Cardinalem, & Epiſcopum Lubicenſem conceptam, quam ipſi vobis, & eisdem Magiſtro, Præceptoribus, Commendatoribus, & Fratribus ſub ſuis Sigillis transmittunt, promoverent, & pertractarent, ſeque ſuper hoc per bonorum Virorum, partium illarum, Pacis zelatorum, quorum plerique ad hoc ſuos, ut accepimus, offerunt labores, aſſumpta patrocinia interponerent, Vosque ac eosdem Magiſtrum, Præceptores, Commendatores, & Fratres, ac alios, quos ad hoc utiles, ac proficuos arbitrarentur, pro huiusmodi Concordiae tractatibus convocarent, eaque facerent, quae ſuper his proſpicerent fore opportuna. Quo circa Vos in Domino attentius exhortamur, quatenus ad ſopiendas, & ſubigendas diſcordias, & diſſenſiones præfatas, concordiae viis huiusmodi intendatis, eamque promptius, & celerius amplecti ſtudeatis, ut Pace adepta poſſitis in illius

ANNO 1435.

ANNO 1435. amœnitate proſperari. Recepturi proinde etiam præter humanae laudis, quod exinde conſequemini præconium, Vniverſalis Eccleſiae benevolentiam, & meritum pacificis a Largitore gratiarum omnium repromiſſum. Nos enim, ſi Concordiam huiusmodi per Vos, ac dictos Magiſtrum, Præceptores, Commendatores, & Fratres amplecti contigerit, quae pro illa per prædictos Cardinalem, & Epiſcopum Lubicenſem, ac etiam alias provide, & honeſte ordinata fuerint, approbare curabimus, & ea facere perpetuis temporibus inviolabiliter obſervari. Datum Baſileae VIII. Kalendas Maii Anno a Nativitate Domini milleſimo quadringenteſimo tricesimo quinto.

LXXXI.

1454. *Transactio inter Archiepiſcopum Rigenſem & Magiſtrum ac Ordinem Domus Theutonicorum Ieroſolimitanorum ratione Civitatis Rigenſis utrinque facta, ea lege, ut ad utrumque ipſorum Civitas Rigenſis pertineat, a* NICOLAO *Pontifice Romano confirmatur.* Datum Romæ, die 17. Januar. An. 1454. *Ex Archivo Magni Ducatus Litvaniæ.*

NICOLAUS V. Epiſcopus Servus Servorum Dei. Venerabilibus Fratribus Pomeſanienſi, & Curonienſi, ac Sambienſi Epiſcopis, Salutem, & Apoſtolicam benedictionem. Hodie emanarunt literae noſtrae tenoris ſubſequentis. NICOLAUS *Epiſcopus Servus Servorum Dei. Ad futuram rei memoriam.* Sane pro parte Venerabilis Fratris noſtri SYLVESTRI Archiepiſcopi ac dilectorum Filiorum Capituli Rigenſis, nec non JOANNIS de Mengede, alias Oſchoff Magiſtri, & univerſorum Præceptorum Domus Hoſpitalis Beatae Mariae Theutonicorum Ieroſolimitanenſium per Livoniam conſtitutorum, Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ipſi quæſtionum, & diſſenſionum materias, quae a multis annis inter Capituli & Archiepiſcopi ex una, ac Magiſtri, & Præceptorum ipſorum Prædeceſſores ex alia partibus, ſuper Dominio Civitatis Rigenſis, quod quælibet earundem Partium ad ſe ſpectare aſſerebat, & illius occaſione cum gravi Partium ipſarum diſpendio agitatae fuerunt, medio amicabilis concordiae ſopire cupientes, ſuper illis inter ſe compoſitionem inierunt, ſub modis & formis, prout in Literis authenticis Archiepiſcopi, et Capituli, ac Magiſtri, et quorundam ex dictis Præceptoribus Sigillis munitis, quarum Tenorem de vulgari Theutonico in latinum fideliter translatum, prius illo diligenter in Cancellaria Apoſtolica examinato, Literisque huiusmodi debite recognitis de verbo ad verbum inſeri fecimus, plenius continetur. Quare pro parte Archiepiſcopi, et Capituli, nec non Magiſtri, et Præceptorum aſſerentium, quod huiusmodi Compoſitio per eos hinc inde ſponte ſuſcepta, et tam in Eccleſiae et Domorum prædictarum, quam etiam totius Livoniae in evidentem cedat utilitatem, ac ſtatum pacificum, et tranquillum, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus huiusmodi Compoſitioni, cum omnibus in ea, et in dictis Literis contentis Capitulis, Apoſtolicae Confirmationis robore communire de benignitate apoſtolica dignaremur. Nos igitur huiusmodi in hac parte ſupplicationibus inclinati, Compoſitionem prædictam cum omnibus huiusmodi Capitulis, Authoritate Apoſtolica confirmamus, et præſentis Scripti patrocinio communimus, ſupplentes omnes defectus, ſi qui forſan intervenerint in eisdem. Non obſtantibus Conſtitutionibus Apoſtolicis, nec non Statutis et Stabilimentis Hoſpitalis prædictorum, et conſvetudinibus eorundem, iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis, cæterisque contrariis quibuscunque. Tenor vero prædictarum Literarum talis eſt. Nos SYLVESTER, ex Dei et Apoſtolicae Sedis gratia Sanctae Rigenſis Eccleſiae Archiepiſcopus Ordinis Theutonicorum, et Nos JOANNES de Mengode, aliter dictus Oſchoff Magiſter Ordinis Theutonicorum per Livoniam, notum facimus, et manifeſtamus omnibus, qui ſcripturas iſtas viderint, audiverint, aut legerint, quod ſicuti proh dolor! ultra centum annos amarae, et grandes diſcordiae, tam in Curia Romana in Judicio, quam in aliis locis inter Nos Archiepiſcopum, et Noſtros prædeceſſores felicis memoriae, ac noſtram Eccleſiam ex una, et Nos Magiſtrum Livoniae prædictum, noſtrosque Prædeceſſores, et Ordinem partibus ex alia, fuerunt ex parte Dominii noſtrae Civitatis Rigenſis, quia quælibet Pars præſcripta putabat Dominium Civitatis Rigenſis duntaxat pro ſe habere. Ita quod in huiusmodi noſtrorum Prædeceſſorum diſcordia, et litibus, Advocatus, Magiſtri, Civium, Conſulatus, et Communitas prætactae noſtrae ANNO 1454.

Anno 1454. noſtræ Civitatis Rigenſis ultra continentiam Privilegiorum ipſorum, ac iuſtitiam, quæ Dominio de iure pertinent, ac pertinere debent, uſurpaverant. Hinc igitur Nos Sylvester Archiepiſcopus, cum noſtro Capitulo & Vaſallis, & Nos Joannes Magiſter Livoniæ, cum noſtris Præceptoribus, & Ordine perpendimus, ac perſpeximus primam Fundationem, & Conventionem ſuper Dominio noſtræ Civitatis Rigenſis, atque comperimus, quod ab initio Fundationis noſtræ Civitatis Rigenſis Nos præſcriptae ambae Partes, utpote Archiepiſcopus Rigenſis, & Magiſter Livoniæ ius habuimus, & debemus habere ad Civitatem Rigenſem, & propterea, ac ſuper huiusmodi Dominio eiusdem Civitatis Rigenſis amicabiliter, & funditus concordavimus, modo, & forma, ſicut poſterius ſcriptum eſt, ita, quod Nos præfatum Dominium Civitatis æqualiter inter Nos diviſimus, cum his, quæ ad huiusmodi Dominium de iure ſpectare poſſint, & propterea Advocatum, Magiſtros Civium, Conſulatum & Communitatem præfatæ noſtræ Civitatis Rigenſis cum noſtris impetitionibus requiſivimus, & monuimus, ex quo Nos Sylvester Archiepiſcopus ex parte noſtri, & noſtrae Eccleſiae, ac ex Apoſtolicis, & Imperialibus, atque Regalibus Privilegiis, & gratiis ex primæva fundatione noſtræ Civitatis Rigenſis: Et Nos Joannes Magiſter Livoniae ex parte noſtri Ordinis, loco quondam Fratrum de Spada etiam ex indulgentia Apoſtolicorum, & Imperialium Privilegiorum Civitatis Rigenſis veri naturales Domini fueramus, & eſſe debemus, quod Nobis ambabus Partibus prædictis, & cuilibet Parti ſeorſim Advocatus, Magiſtri Civium, Conſulatus, & Communitas Juramentum Fidelitatis veluti eorum veris Dominis, quibus id de iure tenentur, facere, & præſtare vellent, & Nobis e converſo reſtituere, quidquid a Nobis in huiusmodi diſcordia inter noſtros Prædeceſſores, & Nos hactenus perdurante occupaviſſent. Hinc itaque prænominati Advocatus, Magiſter Civium, Conſulatus, & Communitas noſtrae Civitatis Rigenſis nobiſcum amicabiliter concordaverunt, & nobis ambabus Partibus, & cuilibet ſeorſim debitum Juramentum Fidelitatis fecerunt, & præſtiterunt, atque Nobis etiam promiſerunt, vigore Literarum deſuper expeditarum, ac Sigillis eorum ſigillatarum hujusmodi Juramentum Fidelitatis facere, & præſtare omnibus noſtris Succeſſoribus, in prima eorum Suſceptione perpetuis diebus. Et quod nobis ambobus eorum Dominis veris, & noſtris Succeſſoribus æqualiter obedientes, & obſequioſi eſſe deberent in omnibus cauſis, quas jurati ſubditi veris Dominis eorum facere obligantur. Sin autem fieret, quod Magiſter facere in futurum haberet, converſus contra ſuos inimicos, & Dominus Archiepiſcopus huiusmodi guerris non adeſſet, debet tamen æque bene Civitas Rigenſis Domino Magiſtro obligata eſſe in hujusmodi guerris ad ſuccurrendum in omni forma, ac ſi Dominus Archiepiſcopus perſonaliter in campo eſſet. In conſimili forma debent ſe Rigenſes e converſo habere erga Dominum Archiepiſcopum. Et Nos præfati ambo Domini, & noſtri Succeſſores etiam ſuper moneta in noſtra Civitate Rigenſi concordavimus, eandem æqualiter ad habendum, ac retinendum: viceverſa Nos Sylvester Archiepiſcopus præfatus cum conſilio & conſenſu noſtri Capituli ex parte noſtra, & noſtræ Eccleſiæ ex una, Et Nos Joannes Magiſter Livoniæ prædictus, etiam cum conſilio & conſenſu noſtrorum Præceptorum, ex Parte noſtri Ordinis, Advocato, Magiſtris Civium, Conſulatui, & Communitati noſtræ Civitatis Rigenſis, noſtris dilectis Fidelibus innovavimus, & confirmavimus omnia eorum Privilegia, Libertates, & Jura, quæ eisdem prioribus temporibus ſunt conceſſa a noſtris Prædeceſſoribus Archiepiſcopis, & Magiſtris de Spada, per admiſſionem quondam Domini Legati Mutinenſis, tam quæ loquuntur ſuper Judiciis, Libertatibus, & *Mardre* vulgariter dictis, noſtræ Civitatis Rigenſis, quam ſuper aliis libertatibus, in quantum non contradicunt iſtis, ante, & poſterius ſcriptis Articulis, in præſenti Litera tactis, juxta tenorem Literarum a Nobis deſuper datarum, & ſigillatarum. Verum tamen ſicuti in quodam Privilegio, quod Civitati noſtræ Rigenſi a Prædeceſſoribus noſtris Epiſcopis, atque Archiepiſcopis, ac Fratribus de Spada in conſenſu Domini Legati Mutinenſis conceſſo, ſcriptum eſt, quod Cives libere Judicem Civitatis eligere poſſint, ac Electum Epiſcopo præſentare, & Epiſcopus deberet eundem inveſtire; inde Nos Sylvester Archiepiſcopus cum Domino Magiſtro, & Ordine taliter concordavimus, quod in futuris temporibus, ſic debeat obſervari, quando a Civibus Advocatus ipſis eligitur, illum debent Nobis ambobus Dominis, & noſtris Succeſſoribus, dum primo conveniemus, exhibere, & præſentare, quem Nos quidem coniunctim, & ſeparatim eodem tempore confirmare, & inveſtire faciemus, ita tamen, quod æque bene infra huiusmodi tempus, & antequam huiusmodi electus Ad-

Anno 1454.

ANNO 1454. Advocatus a Nobis ambobus Dominis confirmabitur, in noſtra Civitate Rigenſi iudicare debeat. Etſi futuris temporibus fieret, quod unus ex Nobis prænominatis Dominis, aut noſtris Succeſſoribus, extra, & non in illa Provincia eſſet, tunc reliquus debet ex noſtra amborum parte poteſtatem habere, huiusmodi Electum Advocatum confirmandi, atque inveſtiendi. Etiam debet poſt huiusmodi confirmationem, tunc idem Advocatus a duobus, videlicet uno de noſtris Archiepiſcopi, & alio de noſtris Magiſtri, & noſtrorum Succeſſorum prædictorum ſupra Prætorium in noſtra Civitate Rigenſi duci, præſentari, & ibidem etiam ſuper conſuetum Tribunal collocari, & Judicium ex parte noſtrorum amborum Dominorum, & Succeſſorum noſtrorum committi. Ita, quod Confirmatio, & Inveſtitura Advocati Nobis Dominis ambobus, & noſtris Succeſſoribus æqualiter pertineant, & manere debeant perpetuis diebus. Et idem Advocatus a Nobis ambobus Dominis ſic confirmatus, debet, & poteſt etiam ex parte noſtra amborum, & noſtrorum Succeſſorum tunc deinde unum Subadvocatum conſtituere pro tempore, quando illius neceſſe, & opus eſt, iuxta continentiam eorum Privilegii deſuper conceſſi. Et quandoquidem noſtrorum amborum Dominio in ſolidum, & pro quolibet diviſim, pertinet in noſtra Civitate Rigenſi Salvos Conductos dare, ideo volumus tunc etiam, & eodem tempore, quando Nobis, & noſtris Succeſſoribus hunc electum Advocatum præſentabunt, & adducent, eidem committere Salvos Conductus in noſtra Civitate Rigenſi, & concedere, malarum mercium confutatores, vulgariter *Wraker*, & ponderatores, ac alios communes Officiales conſtituere, quod quidem prædictis Advocato, Magiſtris Civium, Conſulatui, & Communitati noſtræ Civitatis Rigenſis ex vigore eorundem Privilegiorum, Libertatum, & Jurium non eſt permiſſum ad faciendum, neque ad exercendum. Idem Advocatus ex parte noſtra amborum Dominorum, & noſtrorum Succeſſorum inveſtitus, debet etiam a Magiſtris Civium, Conſulatu, & inhabitatoribus noſtræ Civitatis Rigenſis, ſicut Superior, & præcipuus in Civitate, ſecundum antiquam conſuetudinem reputari, & haberi. Etiam volunt, & poſſunt ſupraſcripti ambo Domini coniunctim, & diviſim, & noſtri Succeſſores Salvum Conductum in noſtra Civitate Rigenſi dare, non tamen ad diſplicentiam, ac damnum noſtris dilectis Fidelibus. Et pro tunc in Privilegio NICOLAI Archiepiſcopi Prædeceſſoris noſtri, Conſulatui Civitatis noſtræ Rigenſis indultum eſt, Gotlandicum Jus meliorare, prout viderint, & videre poterint expedire honori Dei, ſi contingeret quidem in futuris temporibus, quod Conſulatus noſtræ Civitatis Rigenſis Gotlandicum Jus in Sententiis eorum non melioraret, prout expediret honori Dei, ob id, ut is, qui putaret, quod gravatus eſſet cum noſtræ Civitatis Rigenſis iure, non haberet opus de huiusmodi iure conqueri, aut extra Patriam alia iura, & Tribunalia quærere, utique decet, & convenit, quod propinquius Dominium illius iuris deberet propterea viſitari, & ideo debet liberum eſſe cuilibet in cauſis, quæ tangunt honorem, & perpetuam deſtructionem ſuorum bonorum Nos præfatos Dominos implorare, & viſitare. Et quod tunc in noſtra præſcriptorum amborum Dominorum informatione, noſtræ Civitatis Rigenſis Conſulatus pro iure dixerit, ita manere debet, & obſervari, nec extra Patriam ulterius quæri debet. Etiam nullatenus debent, & poſſunt, Advocatus, Magiſtri Civium, Conſulatus, & Communitas noſtræ Civitatis Rigenſis Plebiſcita, Arbitria, ac Statuta ſtatuere ex ſe ipſo, niſi cum conſenſu, & iuſſu Domini Vicecommendatoris Rigenſis, & Advocati Civitatis, ex parte noſtra amborum Dominorum, & noſtrorum Succeſſorum, prout ipſi quidem ab inſtitutione Civitatis non habuerunt poteſtatem id faciendi, veluti id Privilegium a noſtro Prædeceſſore NICOLAO eis conceſſum oſtendit, qui eis neceſſarias Conſtitutiones edidit, & confirmavit, nominatim in immobilibus fundis, qualiter illi Eccleſiaſticis Perſonis poſſint applicari; eaedem autem Ordinationes, & Conſtitutiones Nos etiam volumus, quod deinceps taliter robur habere debeant, & obſervari. Et ſi quid unquam contingeret, futuris temporibus, quod Nos ambo Domini, aut noſtri Succeſſores, quod Deus prohibeat, diſcordaremus, tunc debet noſtra Civitas Rigenſis nulli Parti conſilio, aut opere adhaerere, nec aſſiſtere in huiusmodi diſcordiarum cauſis, ſed debet diligentia inniti & cum utriuſque Domini fidelitate laborare, ita quod huiusmodi diſcordia ſeponatur, & ſedetur. Etiam fuerunt nonnullæ diſſenſiones diu inter Nos Archiepiſcopum, & Capitulum, ac Nos Magiſtrum, & Ordinem, & noſtram Civitatem Rigenſem, nominatim videlicet, quod aliqui Cives in noſtra Curia in Riga ædificaverant, hunc defectum cum Advocato, Magiſtris Civium, Conſulatu, & noſtra Civitate ita concordavimus, ſopi-

ANNO 1454.

Anno 1454. ſopivimus: Nos cum conſenſu Capituli noſtri donavimus eis unam aream vulgariter *Cnehoneſtede*, & locum retro noſtrum ſtabulum ſituatum, qui noſtro Capitulo pertinebat, ad hæc ſuas areas cum domibus, in loco vulgariter *Ellelbrock* nuncupato, retro S. Joannem ſituatas, ac ad hæc centum antiquas Marcas Rigenſes, ſi quod nunc deinceps ab area eſt noſtri ſtabuli in noſtra Curia ſiti, uſque ad plateam Macellariorum nuncupatam, vulgariter de *Kuterſtrate*, & conſequenter verſus Dwinam, omnia loca in his concluſa, perpetuo apud noſtram Eccleſiam, & noſtram Curiam manere, & ad eam ſpectare debent. Deinde Nos Sylveſter Archiepiſcopus a noſtra Civitate Rigenſi repetivimus locum ad S. Georgium in eadem Civitate ſituatum, Eccleſiam cum omnibus ædificiis, & locis ad eam pertinentibus, intus, & extra Civitatem, quae quidem loca, Eccleſia, & manſiones Nobis, & noſtræ Eccleſiæ Rigenſi memoratæ perpetuo apud eam manſura, in Curia Romana per ſententiam, & iuſtitiam adiudicata ſunt. Itaque idem Advocatus, Magiſtri Civium, & Conſulatus noſtrae Civitatis Rigenſis, per ſe, noſtram, & noſtrae Eccleſiae iuſtitiam cognoverunt, & Nobis praenominatum locum ad Sanctum Georgium, cum omnibus pertinentiis intus, & extra Civitatem Rigenſem ſituatis, amicabiliter, & ſponte reſtituebant, & Nos eis e converſo promiſimus, quod ibidem Eccleſiam faciemus reconciliari, & eandem Curiam ad Sanctum Georgium cum ſuis pertinentibus, intus, & extra Civitatem ſituatis Nos dimittemus, munere, ad hoſpitale infirmorum, & pauperum perpetuis temporibus: ſuper quo hoſpitali Nobis, Succeſſoribus noſtris, & Eccleſiæ duntaxat Dominium reſervamus, & authoritatem curatores ibidem inſtituendi, præter quos neminem alium habere debeat perpetuis diebus. Et per hoc Nos renuntiamus etiam aliis impetitionibus, quas Nos, & Eccleſia noſtra habuimus, ſuper hoſpitali Sancti Spiritus, quod noſtra Civitas Rigenſis noſtro iudicio Venerando Ordini conſcripſerat, vulgariter *Vorſehrenenhefft*, atque hoſpitale ante tempora Sancti Lazari, etiam prænominatae noſtrae Civitati Rigenſi condonavimus, & dimiſimus cenſum piperis, & cenſum cerae, intus, & extra noſtram Civitatem Rigenſem, ubicunque Nobis ille de iure poterat pertinere, pro eo ipſi debent Nobis annuatim ad diem Sancti Martini tres libras piperis, vulgariter *Lispunt*, in recognitionem expedire, atque dare. Rurſus habuimus Nos Joannes de *Mengede*, aliter dictus *Oſchoff*, Magiſter Ordinis Teutonicorum in Livonia ex parte noſtra, & noſtri Ordinis impetitiones ad Civitatem noſtram Rigenſem ſuper nonnullis villis, quas noſter Ordo ſupra memoriam hominum diu poſſederat, & prænominata noſtra Civitas Rigenſis in neceſſitatibus, dum Ordo noſter ſuccubuerat, in *Liſnania* a Nobis extorſerat, cum aliis pratis, & terris; ſuper his Nos & noſter Ordo, cum eis ita concordavimus, ipſi Nobis amicabiliter, & ſponte huiusmodi villas e converſo reſtituerunt & reddiderunt, etiam reſtituerunt Nobis omnia prata, inſulas, locum dictum vulgariter *Palelode*, prope Portum Dunamunde ſituatas, hortos, paſcua, & terras, quæ Ordini noſtro pertinebant, & Ordini noſtro ab eorum Prædeceſſoribus conſcripta ſunt, vulgariter *Vorſehreven*, ſicut in illa Litera de *Senebreſt* vocata, eandem Literam ipſi Nobis, & etiam Ordini noſtro promiſerunt, plene, & integre, ac inviolabiliter obſervari, excepto iuramento, quod ipſi noſtro Ordini hactenus præſtiterant, pro illo debent Nobis, & noſtro Ordini præſtare iuramentum homagii, prout prætactum eſt, verumtamen, ſicuti in prædicta Litera ſcriptum eſt, quod ipſi Nobis, & Ordini noſtro dimiſerant medietatem omnium iudiciorum Civitatis, cuicunq; Fratrum Magiſter id commiſerit, ille debet ſedere cum Advocato ad iudicandum, ſecundum noſtræ Civitatis iura, omnes exceſſus, caſus, & pænalia, ad utilitatem utriusque Partis: ſuper hoc Articulo Nos Sylveſter Archiepiſcopus, & Nos Joannes Magiſter tali modo concordavimus, quod deinceps unus Vicecommendator, aut quemcunque Dominus Magiſter ad hoc deputabit ſui Ordinis, ille debet ſedere, & eſſe in judicio, & conſilio loco noſtrorum amborum Dominorum, tam Domini Archiepiſcopi, quam Domini Magiſtri, & debet etiam propterea recipere, & capere medietatem de iudicio, & quoscunque exceſſus, ac pœnas, & accidentia, quae ex hoc proveniunt, duntaxat pro ſuo, & ſui Ordinis uſu, & neceſſitate retinere, Nobis Archiepiſcopo, ac noſtris Succeſſoribus nihil ex his computare, neque dare; ac aliam medietatem damus, & conſignamus noſtrae Civitati Rigenſi perpetuis diebus. Et quemadmodum etiam in Litera de *Sanebreſt* nuncupata ſcriptum eſt de decima piſcium: Hinc Nos Archiepiſcopus, & Magiſter prænominati taliter concordavimus, quando Dominus Archiepiſcopus in Civitate Rigenſi exiſtit, tunc debent piſcatores, qui Domino Magiſtro decimam dare ſolent, Domino Archi-

Anno 1454.

Anno chiepiſcopo medietatem dare, quando
1454. autem Dominus Archiepiſcopus non eſt præſens in Civitate Rigenſi, tunc debent piſcatores Domino Magiſtro ſolum decimam dare, ſecundum tenorem Literae antedictae. Etiam Nobis noſtra Civitas Rigenſis in eadem Litera conſcripſerat, ſi nobis quispiam impetitionem aut impedimenta faceret in illis articulis, quos ipſi nobis ſuis Literis conſcripſerant, vulgariter *Worſchrenenhelben*, in his debent ipſi nos levare, et liberare; multas impetitiones hanc ob rem habuimus, *& ultra centum millia aureorum in Romana Curia*, et aliis locis conſumpſimus, huiusmodi damna et expenſas ipſi Nobis non refuderant, tamen propter ſingularem favorem et dilectionem, quos Nos ad memoratam noſtram Civitatem Rigenſem habemus, et gerimus, condonamus eis, et remittimus huiusmodi expenſas, et expoſita ex parte Ordinis noſtri. Rurſum habuerant noſtrae Eccleſiae Præpoſitus, et Capitulum impetitiones ad noſtram Civitatem Rigenſem, ſuper quibusdam bonis, et familiis, ex adverſo Inſulae Dolen, et Inſulae vulgariter, *Stenholmæ* poſitis, quae quidem bona nominato noſtrae Eccleſiae Præpoſito, et Capitulo, tribus ſententiis in Romana Curia de iure adiudicata fuerant. Hinc igitur prænominati Advocatus, Magiſtri Civium, Conſulatus, et Communitas noſtrae Civitatis Rigenſis, prædictae noſtrae Eccleſiae Præpoſiti, et Capituli iuſtitiam inſpexerant, atque memorata bona, ut in ſuis antiquis confiniis, et ſignis conterminiis poſita ſunt, noſtrae Eccleſiae, Præpoſito, et Capitulo memoratis, benevole reſtituerunt, et dimiſerunt, et præfati noſtrae Eccleſiae Præpoſitus, et Capitulum e converſo remiſerunt omnes expenſas, et impenſas, ac fructus, et reditus, quos memoratus Advocatus Magiſtri Civium, Conſulatus, & Communitas hactenus ex prædictis bonis perceperant, de cætero ſuper his non acturi. Inſuper habuerat Capitulum noſtrum impetitionem ſuper conterminis, & conterminiis, dictis vulgariter *Stukarcke* & repetebant plateam fabrorum, & multas alias domos, quas putabant in ſolo Capituli ædificatas eſſe, tunc ſe taliter concordaverant, de noſtro Archiepiſcopali conſenſu, quod noſtrum Capitulum debeat libere, pacifice, & absque impedimento habere, tenere & poſſidere perpetuis diebus locum *Wurſcede* ſic vulgariter dictum, quem de præſenti in poſſeſſione habent, cum omnibus habitationibus, muris, turribus, & domibus deſuper ſtantibus, ita quod eis Anno
futuris temporibus nullum impedimen- 1454.
tum fieri debeat, in eorum habitationibus, turribus, muris, & domibus, tam verſus Dwinam, quam verſus Civitatem, ubi etiam noſtra Civitas Rigenſis, nullam proprietatem, aut ius habere debet, nec etiam eos impedire in his, conſvetas feneſtras facere, aut conſtruere. Etiam debent Cives foramina commurare, quae inferius in hortis de *Stichtesgarden* dictis factae ſunt per murum antiquae Civitatis, nec debent etiam de cætero fimum, et alias immundicias in illis proiicere, alias neceſſarias feneſtras, quae deceant bene, poſſunt inibi retinere. Et pro loco, qui nominatus eſt, *Curia porcorum*, ita effecti ſunt concordes, quod idem locus a Civitatis muro incipiendo, usque ad Dwinam præciſe reſpondentem atrio Eccleſiae, vulgariter *Demdomhove*, deberet Capitulo perpetuo remanere, tamen ſi voluerit quispiam ligna, aut alias res deſuper locare, id debet facere cum favore Capituli, excepta Curia, quam nunc Getardus Hermani poſſidet, et Scriba quam Civitas Rigenſis ædificari facit, illas debet absque moleſtia, et libere retinere, ac porta, ubi ad eandem Curiam porcorum itur, debet ſtare, et manere ad cuſtodiam, et diſpoſitionem Capituli. Inſuper noſtrum Capitulum ſententialiter a Civitate Rigenſi Scholam Sancti Petri in Curia Romana evicerat, et ob id præfata noſtra Civitas Rigenſis noſtro Capitulo regimen, et præſidentiam eiusdem Scholae ad Sanctum Petrum amicabiliter reſtituerat, et reddiderat, ita quod noſtrum Capitulum de cætero, et futuris temporibus perpetuo Scholaſticum eiusdem Scholae iuxta eorum voluntatem ponere, et inſtituere poſſit, absque impedimento. Et Nos Sylvester Archiepiſcopus, cum conſilio et conſenſu noſtri Capituli, et Vaſallorum, admiſimus præſcripto Domino Magiſtro, et Ordini, et admittimus etiam vigore huius literae, ſupranominatam literam; quam quondam Advocatus, Magiſtri Civium, et Communitas Civitatis Rigenſis, ei, et ſuo inclito Ordini ſigillaverant, quae dicta eſt de *Sonebreſt*, in omnibus Articulis, et punctis, et ceſſimus propterea etiam omnibus aliis impetitionibus, qualescunque ſunt, aut eſſe poſſunt, quas Nos et noſtra Eccleſia habemus, aut habere poſſemus, ſuper prætacta Civitate Rigenſi, contra prætactum Dominum Magiſtrum, et ſuum Ordinem, et reſignamus, et renuntiamus etiam vigore iſtius Literae, Sententiae, et omnibus Proceſſibus,

Anno 1454. sibus, Executorialibus Literis, et quibuscunque Scripturis, quas felicis memoriae Vromoldus olim Archiepiscopus Prædecessor noster in Curia Romana obtinuit, et quae ex Commissione felicis recordationis olim Innocentii VI. Papae per felicis recordationis Franciscum Tituli Sancti Marci, olim Presbyterum Cardinalem pronuntiata, et sententialiter lata est, etiam Declarationi suae Sententiae, quam ex Commissione eiusdem Domini Papae Innocentii prædicti fecerat etiam olim Martinus Papa, deinde Suae Commissioni, Mandatis, et Literis in omnibus Articulis, ubi huic Concordiae contrariare possunt. Etiam omnibus aliis Concordiis, quae in istis causis factae sunt, ante datam harum Literarum, renuntiamus Nos ambo, videlicet Archiepiscopus, et Magister, pro Nobis, nostra Ecclesia, nostris Successoribus, et Ordine perpetuis diebus, et Nos duntaxat regere, et habere volumus secundum præsentem Concordiam, et Scripturam. Et Nos Joannes Magister Livoniae ex parte nostra, Ordinis, et Successorum nostrorum de speciali favore, et charitate, quam Nos gerimus, et habemus ad præfatum Dominum Archiepiscopum, & suam Ecclesiam, ad maiorem utilitatem, honorem, et profectum Mensæ suæ Archiepiscopalis, donavimus ei, et damus, atque conscribimus ei etiam vigore præsentis Literae unum miliare in longum, et in latum ex adverso Castri sui *Ixcul* dicti, ultra, et in longum, super Dwinam situatum, cum terris, et hominibus, rubis, nemoribus, aquis, stagnis, et arboribus melligeris, etiam cum molendinis, et arbusculo vulgariter *Enveer* ibidem positis quibuscunque, et piscaturis intra idem milliare comprehensis, cum universo Dominio, omnino nihil excepto, sicut illa noster Ordo unquam utilius habuit, libere, et pacifice apud suam Archiepiscopalem mensam, perpetuis temporibus permansuram. Omnes hos præscriptos Articulos, et puncta, Nos Sylvester Sanctae Rigensis Ecclesiae Archiepiscopus Ordinis Theutonicorum, cum Consensu, et Sigillatione nostri Capituli. Et Nos Joannes de Mengode aliter dictus Oschow, Magister Ordinis Theutonicorum per Livoniam, prænominati, ex nostra et Ordinis nostri parte, etiam cum consensu nostrorum Præceptorum, volumus firmiter semper, et inviolabiter observare, in bona fide. In huius rei testimonium Nos Sylvester Archiepiscopus nostrum, et nostri Capituli, et Nos Joannes Magister prænominatus, nostrum, et aliquorum Præceptorum nostrorum Sigillum, utpote nostri Lantmarischalchi, et Commendatorum, videlicet *Vellin*, et *Revalie*, ex certa scientia, inferius ad huiusmodi literam fecimus appendi, quae scripta, et data est, Kerkholmus, in die Sancti Andreae Apostoli, Anno Domini nostri Jesu Christi millesimo quadringentesimo et deinde quinquagesimo secundo, his præsentes, et interessentes fuerunt, Venerabiles, honesti, et Religiosi Viri, Domini Theodoricus Nagel, Præpositus Sanctae Rigensis Ecclesiae, Godert de Plettenberge, Lantmarischalchus in Livonia, Joannes Tirppe, Decanus prætactae Ecclesiae, Henricus Sterogen, Commendator in Marienburgh, Doctor Henricus Nettelhorst Canonicus eiusdem Ecclesiae Rigensis, Joannes Spore de Heerten Commendator in Aschorode, et strenui, honorandi, validi Viri, Domini, Conradus, et Georgius Ixkul, Milites, Joannes de Razen, Georgius Orges, Vasalli Sanctae Ecclesiae Rigensis præscriptae, Everhardus Wekebroht in Argia, et Albertus Mettzentolee in Wiria Residentes, Vasalli, valde venerandi Domini Magistri Livaniae, et sui Ordinis, et multi alii fide digni, probi homines. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae Confirmationis, Communitionis, et suppletionis infringere, vel ei ausu temerario contraire, si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius, se noverit incursurum. Datum Romae apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Domicae millesimo quadrigentesimo quinquagesimo tertio, sextodecimo Kalendas Februarii, Pontificatus nostri Anno septimo. Cupientes igitur ut Literae ipsae suum consequantur effectum, Fraternitati Vestrae per Apostolica Scripta mandamus, quatenus Vos, vel duo, aut unus vestrum per Vos, vel alium, seu alios Archiepiscopo, Capitulo, Magistro, et Præceptoribus prædictis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciatis authoritate nostra Compositionem, per dictas Literas confirmatam, cum omnibus in ea contentis Capitulis, firmius observari, non permittentes, eosdem Archiepiscopum, Capitulum, Magistrum, et Præceptores adversus eam Confirmationem nostram huiusmdi per quoscunque indebite molestari, Contradictores per Censuram Ecclesiasticam, appelatione postposita compescendo, non obstantibus Constitutionibus,

Anno 1454.

ANNO 1454. bus, et Ordinationibus Apoſtolicis contrariis quibuscunque. Aut ſi aliquibus communiter, vel diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, per Literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Incarnationis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo tertio, ſexto decimo Kalendas Februarii, Pontificatus noſtri Anno ſeptimo.

LXXXII.

1473. *Ordinatio Limitum inter Litvaniam, & Livoniam, per Commiſſarios ab utraque Parte conſtitutos facta.* Dat. Anno 1473. Feria quarta ante Kiliani. *Ex Archivo M. D. L. Liber n. 6. fol. 279.*

In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen. Cum ea, quæ tempore fiunt, ſimul labuntur cum tempore, & a memoria hominum decidunt, niſi apicibus literarum perennata vivaci memoriae commendentur, ea propter ad perpetuam Memoriam. Nos Lodwig Hoſtikowicz Palatinus Trocenſis, Generalis Mareſchalcus Terrae Litvaniae, Joannes Krenſzgałowicz, Capitaneus Terrae Samogitiae, Bogdan Andrys, Capitaneus Braslavienſis, Joannes Kruczuk, Capitaneus in Lida, Mareſchalci tunc Sereniſſimi Principis, & Domini, Domini CASIMIRI, Dei Gratia Regis Poloniae, Magni Ducis Litvaniæ, Ruſſiæ, Samogitiæ, Pruſſiæque Domini, & Hæredis &c. Andreas Peteis, Artium Magiſter, Decretorum Doctor, Archidiaconus Vilnenſis, parte ex una, ex certa ſcientia, & pleno mandato, & poteſtate eiusdem Sereniſſimi Principis, & Domini, Domini CASIMIRI ſupradicti, & Nos Fratres Conradus de Bergenrode, Generalis Mareſchalcus Livoniæ, Gerhardus de Malungrade in Goldien, Gerhardus de Sben in Achſidore, Engelbertus Laſpe de Kronungen in Donenborch Commendatores, Hieronymus de Belderſchein, Advocatus in Roſyten, parte ex altera, etiam ex ſpeciali Mandato, & plena poteſtate Venerabilis, ac Religioſi, & Magnifici Domini BERNARDI de BORG Magiſtri in Livonia Ordinis Sanctae Mariae Domus Theutonicorum; Quorum quidem Mandatorum tenorem, & ſeriem volumus habere hic pro inſertis: Significamus tenore Præſentium univerſis, & ſingulis, tam præſentibus, quam futuris: Quomodo deſcendimus ambæ partes ſupradictæ in locum, qui vulgo dicitur *Kurgun*, & ibidem ſtagnum immediate vocatum eodem nomine *Kurgun*, ad ſedandum, componendum, & concordandum controverſias, jurgia, differentias, & diſplicentias, hactenus habitas pro eisdem Graniciebus, & Limitibus. Habitis igitur Tractatibus, colloquiis, conſiliis hinc inde, ordinavimus, & diſpoſuimus ſub poteſtate, & Mandato ſupradictis, modo infra ſcripto. Inprimis in loco ſupra dicto *Kurgun*, & ſtagno, ſive lacu eodem nomine nuncupato, fecimus unum colliculum, alias kopiec, & foſſatam, ubi eſt vallis, quæ apparet quaſi quidam alveus fluvialis, ubi conſtitutus eſt quidam ponticulus parvus per eandem vallem, & circa vallem transeundo deorſum, fecimus alios colliculos, alias *kopce*, uſq; ad ſylvam proxime contiguam, eodem loco *Curgurii* in medio fecimus quædam ſigna in quercubus, & aliis arboribus, quia tamen difficilis erat nobis, aut noſtris tranſitus ad executionem omnimodam granicierum, & limitum ſic per nos inceptorum, idcirco diſpoſuimus, & ordinavimus, ut pro Feſto Epiphaniarum Domini noſtri Jeſu Chriſti, alias pro Feſto trium Regum, Domini de Litvania quatuor ex ſuis, quibus plenam fidem, & ſinceram conſcientiam adhibere poterunt: ſimiliter Domini de Livonia, de quibus eandem fidem habere poterint, mittere debebunt, ut pro termino, & loco aſſignatis *Kurgun* conveniant, qui de loco incepto iam per nos tranſire debebunt directo tramite verſus medium granicierum, & limitum vulgo appellatorum *Woyſzwiniki*, ubi noſtri ex parte Livoniæ, qui ducent, ordinem limitum oſtendent, & præibunt. Et verſus medium granitierum, quæ vulgo appellantur *Schedibory*, inter quarum granicierum, & limitum per medium directo tramite tranſire debent iidem ductores, & exploratores rectarum viarum, & tramitum inter prædictas granicies. Quod ſi contigerit aliquem angulum magnum, ſive parvum ad partem Livonum, vel noſtram Litvanorum, ſic ut præmittitur, recto tramite transeundo, illius ſit partis, in cuius ſortem evenerit. Verum quia cum Dominis praedictis Commendatoribus Nos ſupradicti de terris Litvaniae ordinavimus, diſpoſuimus, ut Caſtrum *Bawſko* in certis limitibus conſiſtat: cum ventum fuerit ad granicies *Schedibory* prædicti, qui incidunt in fluvium *Memel*, ab inde tranſeundo uſque ad fluvium *Muſcha*, quaſi duobus milliaribus, per fluvium vero *Memel* quaſi tribus milliaribus, ubi fluvius unus *Muſcha* incidit in fluvium *Memel*, a quorum quidem flumi-

ANNO 1473.

ANNO 1437. minum se interſecantium, & incidentium decurſu, eſt Caſtrum *Bawſko*, a quo Caſtro aſcendendo ſurſum per fluvium *Muſcha* eſt mons *Comodra*. Inter ergo granicies *Schedibory* incipiendo a flumine *Memel*, usque ad montem *Comodra*, & a *Comodra* uſque ad incidentiam prædictorum fluminum inter ſe, non debet aliqua diviſio fieri ad ſortem Dominorum Litvanorum, ſed ſolum maneat circa Caſtrum *Bawſko*, & Dominia Dominorum Livoniſtarum. Transvadato autem fluvio *Muſcha*, qui a monte *Comodra*, ubi ſunt granicies prædicti *Schedibory* uſque ad granicies *Weyſkwiſki*, ſunt fere tria milliaria. Nos prædicti ambarum Partium amicabiles Compoſitores ſub pleno Mandato, & poteſtate ſupra dictis, ita ordinavimus, & diſpoſuimus, ut inter medium Caſtrum *Bawſko*, & montem *Comodra* incipiant granicies, & limites duci, & aſſignari debent, deorſum deſcendendo uſque ad unum milliare directe, ita, quod circa Caſtrum *Bawſko* in duobus milliaribus remaneat iſta planities, quod fecimus propter captandam benevolentiam, & amicabilem compoſitionem, & bonum pacis utrarumque terrarum. Poſt tranſitum dicti milliaris unius a prædicto Caſtro *Bawſko*, a monte *Comodra* conſequenter debent continuari granicies, & limites, in medio granicierum prædictarum *Woyſzwiſki*, & *Schedibory*, & proſequi uſque ad decurſum fluminis, qui dicitur ſacer fluvius AA. uſque ubi idem fluvius intrat mare ſalſum. Hæc fecimus nos ſupra dicti deorſum deſcendendo. Aſcendendo vero ſurſum ex parte altera eiusdem lacus, ſive ſtagni *Curczymy* ex oppſito eiusdem vallis, & colliculi, alias *kopca* ſupra dicti fecimus colliculum, & inciſionem ſignorum in una tilia, a quo colliculo, & ſignis ſupra dictis, procedendo directe modo ſupra dicto inter medias granicies prædictorum *Woyſzwiſki*, & *Schedibory*, uſque ad fluvium *Dwina*. Diviſione ergo facta Domini de Litvania oſtenſores homines, ſi quid fuerit in parte, quod in ſortem Dominorum de Livonia evenerit, transferre debent in ſortem ſuam. Sic e converſo Domini de Litvania transferre debent in ſortem ſuam. Super quibus quidem omnibus præmiſſis ordinationibus, & diſpoſitionibus, nos prædicti Mandatarii corporale iuramentum tactis Sacroſanctis Evangeliis de facto inviolabiliter, & inconcuſſe perpetuo, & in ævum tenendo, iuxta inſcriptiones perpetuæ Pacis iuravimus, & ab utraque Parte prædictarum terrarum Litvaniæ, & Livoniæ Domini Magiſtri, & Venerabiles debebunt, et tenebuntur, iuxta tenorem hu- ANNO
ius noſtræ ordinationis, et diſpoſitionis 1473.
granicierum, et limitum factae, iurare. Actum, et datum harum teſtimonio Literarum, quarum quidem eiusdem tenoris duas fieri fecimus Literas, unam ſigillatam Sigillis noſtris de Litvania, quam tradidimus Dominis de Livonia, aliam ſigillatam noſtris de Livonia, quam tradidimus Dominis de Litvania, Sub Anno Domini milleſimo Quadringenteſimo ſeptuageſimo tertio, Feria IV. ante Kiliani.

LXXXIII.

Tranſumptum Bullæ SIXTI *Papæ* IV., *qua committit Tarbatenſi, & Vilnenſi Epiſcopis executionem Literarum* INNOCENTII VI. *&* MARTINI V., *quarum vigore Civitas Rigenſis, amotis inde Magiſtro, & Fratribus Ordinis Teutonici, ad Archiepiſcopum, & Capitulum Rigenſe, tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus, pleno iure pertinere debet, Ex Archivo Magni Ducatus Litvaniæ.* 1475.

Univerſis, et ſingulis præſentis Tranſumpti Literas, ſive præſens publicum Inſcriptum inſpecturis, lecturis, ſeu legi audituris- JOANNES Dei, et Apoſtolicae Sedis Gratia Tharbatenſis Eccleſiae Epiſcopus, ſalutem in Domino, et præſentibus fidem indubiam adhibere. Noveritis, quod die datae præſentis, vidimus, tenuimus, legimus, et diligenter inſpeximus quandam Bullam cuiusdam Reſcripti Sanctiſſimi in Chriſto Patris, et Domini noſtri, Domini SIXTI, Divina Providentia Papae quarti, eiusque vera Bulla plumbea in cordula canapis, more Romanae Curiae impendente bullatam, ſanam, et integram, non vitiatam, non cancellatam, nec in aliqua ſui parte ſuſpectam, ſed omni prorſus vitio, et ſuſpicione carentem, ac Nobis per diſcretum, et ingenioſum Virum Chriſtophorum Vrolich, Reverendiſſimi in Chriſto Patris, et Domini, Domini SYLVESTRI, Dei, et Apoſtolicae Sedis Gratia Sanctae Rigenſis Eccleſiae Archiepiſcopi Procuratorem, de cuius Procurationis Mandato Nobis legitima extitit facta fides, praeſentatam, tenoris ſubſequentis. SIXTVS *Epiſcopus Servus Servorum Dei. Venerabilibus Fratribus Tharbatenſi, & Vilnenſi Epiſcopis, ac dilecto filio Decano Eccleſiæ Oſilienſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.* Sollicitudo Paſtoralis Officii Nos excitat, et inducit, ut circa ea,

ANNO 1475. quae ſtatui proſpero Eccleſiarum, præſertim Metropolitanarum ac illis præſidentium, & aliarum perſonarum in illis divinis obſequiis mancipatarum profutura fore conſpicimus, Apoſtolici favoris præſidium extendamus, & his, quæ propter ea profuiſſe comperimus, ut illibata perſiſtant, libenter, cum a Nobis petitur, Apoſtolici mandemus adiici muniminis firmitatem. Dudum ſiquidem felicis recordationis INNOCENTIO Papæ VI. Prædeceſſori noſtro, pro parte bonae memoriae Uromoldi Archiepiſcopi, Rigenſis, & dilectorum filiorum Præpoſiti, & Capituli Eccleſiae Rigenſis expoſito, quod licet Civitas Rigenſis ad Archiepiſcopum pro tempore exiſtentem, & Eccleſiam Rigenſem iure Dominii, vel quaſi pertinuiſſet, prout pertinebat, tamen Magiſter, Præceptores, Commendatores, & Fratres Hoſpitalis Beatae Mariae Theutonicorum Jeroſolimitanenſium per Livoniam conſtituti, prætendentes dictam Civitatem, ad ſe pertinere, Civitatem ipſam occupaverant, & detinuerant, prout detinebant tunc indebite occupatam, ortaque propterea inter Archiepiſcopum, Præpoſitum, & Capitulum ex una, ac Magiſtrum, Præceptores, Commendatores, & Fratres prædictos, ſuper dictam Civitatem, & illius Dominium, quam quilibet eorum ad ſe pertinere aſſerebant, partibus ex altera materia quæſtionis, idem INNOCENTIUS Prædeceſſor cauſam huiusmodi, cum Partes ipſæ in Romana Curia præſentes exiſterent, bonae memoriae FRANCISCO tituli S. Marci Presbytero Cardinali, ad inſtantiam dictorum Magiſtri, Præceptoris, Commendatoris, & Fratrum audiendam ſimpliciter, & de plano, ac ſine ſtrepitu, & figura iudicii commiſerat, & fine debito terminandam, ipſeque FRANCISCUS Cardinalis in cauſa huiusmodi rite procedendo, diffinitivam, per quam decrevit, & declaravit dictam Civitatem iure Dominii, vel quaſi, in ſpiritualibus, ac temporalibus pleno iure ad Uromoldum Archiepiſcopum, & Eccleſiam præfatos pertinuiſſe, & pertinere, ac prædictos Magiſtrum, Præceptores, Commendatores, & Fratres ab illius poſſeſſione, & detentione fuiſſe, & eſſe amovendos, prout ſententialiter amovit, ipſosque ad dimittendum dictis Archiepiſcopo, & Eccleſiae præfatam Civitatem liberam, & expeditam condemnavit, nec non eisdem Magiſtro, Præceptoribus, Commendatoribus, & Fratribus ſuper præmiſſis perpetuum ſilentium impoſuit, Sententiam promulgavit, quae nulla provocatione ſuſpenſa, in rem tranſivit iudicatam. Non intendens tamen ipſe FRANCISCUS Cardinalis per huiusmodi Sententiam Ordinationi, Compoſitioni, ſeu Transactioni olim per bonae memoriae VILHELMUM Epiſcopum Mutinenſem, tunc in partibus illis Apoſtolicae Sedis Legatum factis, quomodolibet derogare, nec dictis Magiſtro, Præceptoribus, Commendatoribus, et Fratribus ſuper eorum reditibus, bonis, et iuribus aliis, ſiqua eis forſitan in Civitate prædicta competerent, Dominium tamen ipſius Civitatis non concernentibus, aliquod præiudicium generari. Poſtmodum vero idem Prædeceſſor huiusmodi Sententiam, utpote provide latam, ratam habens, & gratam, eam authoritate Apoſtolica confirmavit, illamque ſalvis certis Compoſitionibus, & Declarationibus, per præfatum Cardinalem ex ſpeciali ipſius INNOCENTII Prædeceſſoris Commiſſione factis, executioni debitae demandari, ac eosdem Archiepiſcopum, Præpoſitum, et Capitulum in corporalem poſſeſſionem dictae Civitatis induci, inductosque defendi, amotis exinde Magiſtro, Præceptoribus, Commendatoribus, & Fratribus prædictis, præfatisque Archiepiſcopo, Præpoſito, et Capitulo de ipſius Civitatis fructibus, et emolumentis ad eius Dominium pro tempore pertinentibus, integre reſponderi ſuis Literis mandavit, prout in eisdem Literis plenius continetur. Cum autem, ſicut exhibita nobis nuper pro parte Venerabilis Fratris noſtri Archiepiſcopi Rigenſis petitio continebat, licet ipſe, et Prædeceſſores ſui Sententiae huiusmodi, ac Proceſſuum deſuper habitorum vigore, poſt varias Concordias, et ſuſpenſiones inter ipſum SYLVESTRUM Archiepiſcopum, et Prædeceſſores prædictos, ac Præpoſitum, & Capitulum dictae Eccleſiae, nec non Magiſtros, Præceptores, Commendatores, et Fratres prædictos occaſione executionis Sententiae, et Proceſſuum eorundem ſub certis modis tunc expreſſis, citra tamen iuris cuiuscunque præiudicium, pro bono pacis initas, et factas, fuerint in pacifica dictae Civitatis, illiusque Juris, dominii, vel quaſi poſſeſſione, nihilominus ab uno anno circiter, vel quaſi, Magiſter, Præceptores, Commendatores, et Fratres prædicti, aſſertis ſibi nonnullis ex dictae Civitatis Proconſulibus, Conſulibus, et Civibus, eosdem, ac alios dictae Civitatis Proconſules, Conſules, et homines ad præſtandum eis fidelitatis Juramentum, viis, ac mediis exquiſitis induxerunt, et ab ipſis Juramentis huiusmodi, contra Sententiam, et rem

ANNO 1475.

ANNO 1475. rem iudicatam, nec non Concordias, et Suſpenſiones antedictas, temere extorſerunt, in maximum dicti SYLVESTRI Archiepiſcopi, ac Eccleſiæ Rigenſis prædictae præiudicium, damnum, et gravamen. Quare pro parte dicti SYLVESTRI Archiepiſcopi aſſerentibus, propterea timere ſe, et Eccleſiam ſuam Rigenſem prædictam, iure Dominii antedicto, procedente tempore omnino ſpoliari, ac deſuper amplius turbari poſſe, licet ipſis Archiepiſcopo, et Eccleſiae circa præmiſſa, nec non ſuper ulteriori Sententiae huiusmodi, et Literarum dicti JNNOCENTII Prædeceſſoris executione, per bonae memoriae MARTINUM Papam V. etiam Prædeceſſorem noſtrum, certis ipſius deſuper conceſſis Literis, dudum proviſum extiterit, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſententiam prædictam, per præfatum FRANCISCUM Cardinalem, ut præfertur, latam etiam approbare, et confirmare, aliasque ſibi, ſuoque, et dictae Eccleſiae ſuae ſtatui in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui de præmiſſis certam notitiam non habemus, huiusmodi ſupplicationibus inclinati Diſcretioni Veſtrae per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus Vos, vel duo, aut unus veſtrum ſi, et poſtquam de præmiſſis vobis legitime conſtiterit, Sententiam prædictam authoritate noſtra approbantes, et confirmantes, per Vos, vel alium, ſeu alios, ad ulteriorem, et plenariam illius executionem, iuxta prædictarum Literarum continentiam, et tenorem INNOCENTII, et MARTINI Prædeceſſorum præfatorum, eadem authoritate procedere curetis, Contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam, et alia iuris remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis, non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, et Ordinationibus Apoſtolicis, caeterisque contrariis quibuscunque. Aut ſi Magiſtro, Præceptoribus, Commendatoribus, et Fratribus præfatis, vel quibusvis aliis communiter, vel diviſim a Sede prædicta indultum exiſtat, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, per Literas Apoſtolicas non facientes plenam, et expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. *Datum Romæ apud Sanctum Petrum. Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo quarto, octavo Idus Decembris, Pontificatus noſtri Anno quarto.* Poſt cuius quidem Reſcripti præſentationem, viſionem, et inſpectionem fuimus pro parte eiusdem Reverendiſſimi Domini, Domini SYLVESTRI Archiepiſcopi, debita cum inſtantia requiſiti, quatenus eandem Bullam dicti Reſcripti ad perpetuam rei memoriam tranſumere, et exemplare, ac in publicam Formam redigere, nec non ipſam tranſumptam, et in publicam Formam redactam, cum ſuo Originali debite collationare, et demum noſtram authoritatem ordinariam interponere, et decernere dignaremur. Nos igitur JOANNES Epiſcopus prælibatus, attendentes requiſitionem huiusmodi fore iuſtam, et rationi conſonam, ac quod idem Reverendiſſimus Pater, et Dominus, Dominus SYLVESTER Archiepiſcopus propter diverſarum viarum pericula, eandem Bullam ad diverſa loca ſibi neceſſaria tute, et commode transferre, portare, ſeu dirigere non valeat, eandem Bullam ad perpetuam rei memoriam tranſumi, et exemplari, ac in publicam Formam redigi, ipſamque tranſumptam cum ſuo Originali per noſtrum Notarium, et Scribam infraſcriptum debite collationari mandavimus, et fecimus. Quibus omnibus ſic factis, et celebratis noſtram authoritatem ordinariam, pariter et Decretum interpoſuimus, et interponimus per præſentes, volentes propterea et auctoritate noſtra ordinaria decernentes, quod præſenti huic Tranſumpto publico, tanquam ipſimet Originali Bullae ſuperius inſertae, et deſcriptae ubique terrarum, et locorum in iudicio, et extra, valeat, et debeat merito plena fides adhiberi, ac talis, et tanta, qualis, et quanta dictae Originali Bullae daretur, et adhiberetur ſi in medium produceretur. In quorum omnium, et ſingulorum fidem, et teſtimonium præmiſſorum præſens publicum Inſtrumentum, huiusmodi Tranſumptum in ſe continens, exinde fieri, et per Notarium publicum infraſcriptum ſubſcribi mandavimus, noſtrique iuſſimus, atque fecimus Sigilli apenſione communiri. Datum Tarbato, in Caſtro Eccleſiae noſtrae, ſub Anno a Nativitate Domini milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo quinto. Indictione octava, die vero Sabbati, viceſima nona Menſis Julii. Pontificatus prælibati Sanctiſſimi in Chriſto Patris, et Domini noſtri, Domini SIXTI Papae IV. anno eius quarto. Præſentibus ibidem honorabili, et valido Viris, Domino Theodorico Winchorſt, Eccleſiae Tarbatenſis perpetuo Vicario, et Joanne Molitoris, Artium libralium Magiſtro, et dictae noſtrae Ec-

ANNO 1475.

Anno 1475. cleſiae Tarbatenſis Vaſallo, teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter, et rogatis.

Et Ego Conradus Sunſopp, Clericus Colonienſis Diœceſis, publicus Sacra Imperiali authoritate Notarius, dictique Reverendi Patris Domini Joannis Epiſcopi Scriba. Quia dictæ Bullae, cuiusdam Reſcripti praeſentationi, eiusque tranſumptioni, publicationi, & auſcultationi, nec non Authoritatis, et Decreti interpoſitioni, omnibusque aliis, et ſingulis præmiſſis, dum ſic, ut prædicitur, per eundem Reverendiſſimum Patrem Dominum Joannem Epiſcopum, et coram eo fierent, et agerentur una cum teſtibus prælibatis præſens interfui, eaque omnia, et ſingula ſic fieri vidi, et audivi, ideoque hoc præſens Inſtrumentum, huiusmodi Tranſumptum in ſe continens, per alium, me interim aliis legitimis occupato negotiis, fideliter ſcriptum exinde confeci, ſubſcripſi, publicavi, et in hanc publicam Formam redegi, Signoque, et nomine meis ſolitis, et conſvetis una cum prænominati Reverendiſſimi Patris, et Domini, Domini Joannis Epiſcopi Sigilli appenſione ſignavi in fidem, et teſtimonium omnium, et ſingulorum præmiſſorum rogatus, et requiſitus.



LXXXIV.

1479. *Bulla* Sixti PP. IV. *qua Archiepiſcopum Rigenſem* Sylveſtrum *a detentione liberandum, atque in adminiſtratione, & regimine Eccleſiæ, & Civitatis Rigenſis conſervandum decernit, ipſo Magiſtro, Coadiutoribus, & Fratribus ſuis, quorum ſcelera recenſet, Sententiæ Excommunicationis ſubiacentibus.* Datum Romæ die 19. Auguſti. Anno 1479. *Ex Originali.*

Sixtus Epiſcopus Servus Servorum Dei. Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopo Serenenſi, & Tarbatenſi, ac Oſilienſi Epiſcopis, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Exigit Officii noſtri debitum, quo Eccleſiarum omnium cura Nobis imminet, & tutela, ut contra facinoroſos, et impios homines, qui Anno 1479. in Eccleſiarum earundem, præſertim Metropolitanarum inſignium, Prælatos, & perſonas auſu ſacrilego manus violentas iniicere, & Eccleſiarum earundem bona hoſtiliter invadere, occupare, & igne, ferroque vaſtare non verentur, ſic parato ad ultionem, Divina Ordinatione, gladio inſurgere, ſolerti diligentia curemus, quod tantorum exceſſuum patratores, & alii eorum exemplo ad ſimilia proſilire in poſterum vereantur, & earundem Eccleſiarum, Eccleſiaſticarumque perſonarum indemnitati, noſtræ proviſionis ope cenſeatur eſſe conſultum. Sane pro parte Venerabilis Fratris noſtri Sylvestri Archiepiſcopi, & dilectorum filiorum Præpoſiti, Decani, & Capituli Eccleſiae Rigenſis, Ordinis S. Auguſtini, Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod licet olim, poſtquam Sancta Romana Eccleſia pietatis opera diligens, et ſollicita ad fidei Chriſtianae limites propagandos, labores plurimos ſubierit, ut Incolae Patriae Livoniae, qui a tramite veritatis deviabant, & infidelitatis ſequebantur errores, ſalubribus ducti conſiliis, & erroribus abdicatis ad cultum reducerentur fidei orthodoxae, pluribus propter hoc ad partes illas Legatis, & Nuntiis deſtinatis, ſanctae memoriae Gregorius Papa IX. Prædeceſſor noſter, huiusmodi negotium pietatis ſtudio proſequens, ut converſorum fidelium numen, cito ad Dei laudem, & gloriam, eiusdemque fidei exultationem copioſis proficeret incrementis, et paganorum perfidia, quae adverſus illos ſuos conatus nefarios exercebat, favente Domino, dextera contereret triumphanti, ac vigor fidei robur ſuſciperet firmitatis. Præceptorem, et Fratres Militiae Chriſti tunc temporis in Livonia exiſtentes, Hoſpitali Sanctae Mariae Theutonicorum, de Fratrum ſuorum conſilio duxerat authoritate Apoſtolica uniendos, inter cætera ſtatuens, ut ea, quae in illis partibus pro Eccleſiarum, & Neophitorum libertate, aut pro terrae ſtatu per Sedem Apoſtolicam ordinata erant, vel ordinarentur inpoſterum, ab eisdem Fratribus inviolabiliter ſervarentur, & præfata terra, quae iuris, & proprietatis Beati Petri fore dinoſcebatur, per eos, aut alios nullius unquam ſubiiceretur Dominio poteſtatis. Nihilominus depravatis eorundem Fratrum per Livoniam conſiſtentium, et illorum pro tempore Magiſtri moribus, contrarius menti, & intentioni eiusdem Gregorii Prædeceſſoris noſtri ſucceſſit effectus, nam ut in Literis felicis recorda-

ANNO cordationis BONIFACII Papae VIII. 1479. Prædeceſſoris noſtri, eidem BONIFACIO expoſita contra eos, contenta querela teſtatur, Magiſter & Fratres prædicti per Livoniam conſtituti, qui ab huiusmodi unionis exordio, ad actus laudabiles ſe reddiderant multipliciter ſtudioſos, priora poſterioribus deformando, non ſolum in perſonas Eccleſiaſticas, & alias de novo ad fidem converſas, quas ipſi condignis debebant favoribus proſequi, ut ad ſuſceptionem fidei mentes allicerent aliorum, adeo gravem tyrannidem exercuerunt, quod plerique ſe a converſione huiusmodi retraxerant, atque in tunc Rigenſem Archiepiſcopum manus temere iniecerunt violentas, et illum carceri manciparunt, Caſtra, Poſſeſſiones, & Bona ipſius, et Rigenſis Eccleſiae per violentiam uſurparunt, & tunc Epiſcopum Oſilienſem capere, magno contra Caſtrum Leolenſe, in quo idem Epiſcopus perſonaliter erat, exercitu congregato, nixi fuerunt, & cum perfugae præſidium ab ipſorum manibus evaſiſſet, dicto Caſtro, & poſſeſſionibus ad ipſum pertinentibus, ac aliis pluribus bonis ſuis, nec non tunc Canonicos Oſilienſes, Præbendis, Beneficiis, & Poſſeſſionibus nequiter ſpoliarunt, nec non Civitati Rigenſi, etiam poſt appellationes ad Sedem Apoſtolicam interventas, ferro, & igne damna gravia intulerunt, & cum idem BONIFACIUS Prædeceſſor, deſuper duxiſſet providendum, iuſtitiae rigorem miſericordiæ dulcedine temperando, ſperans quod Fratres prædicti ab huiusmodi illicitis auſibus inpoſterum abſtinere deberent, ſpe ſua fruſtratus remanſit, nam ut ex Literis recolendae memoriae JOANNIS Papæ XXII. etiam Prædeceſſoris noſtri conſtat, Magiſter, & Fratres prædicti, poſt præmiſſos Prædicatorum, & Minorum Ordinum Profeſſores, & alios Religioſos, & Clericos Sæculares, quominus in partibus ſuis ſelectis, verba proponere, & per terras, & loca eorum ire, & redire libere, & ſecure valerent ad prædicandum infidelibus verbum Dei, impedire, Neophitos prædictos, quos utpote de novo converſos ad fidem, tenebantur piis operibus confovere, donec eſſent in fide firmiter radicati, multiplicibus oppreſſionibus, & incommodis opprimere, gravia, & importabilia onera imponentes eisdem, & eos in ſervitutem quodammodo redigentes, Eccleſiis, & Perſonis Eccleſiaſticis oppreſſiones, iniurias, moleſtias, & violentias inferre, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Præpoſitos, Decanos, & alios Eccleſiarum Prælatos, & Perſonas Eccleſiaſticas capere, et incarcerare, occidere, et alias manus in eos violentas injicere, ipſosque tamdiu tenere captivos, donec iuxta voluntatem eorundem Magiſtri, et Fratrum cum eis componere, et illatas eis iniurias remittere cogebantur, Eccleſiam deſtruere, frangere, ac incendio concremare, nec non iuribus, libertatibus, et bonis aliis ſpoliare, conſpirationes in praeiudicium Romanum, et aliarum Eccleſiarum inire veriti non fuerunt, et moniti per eundem, ut ab his abſtinere deberent, poſt praeſtitum per eorum Procuratorem coram eodem Praedeceſſore in Conſiſtorio de parendo in hoc ſolenne iuramentum, ut ex aliis eiusdem mandatis, eiusdemq; Joannis Praedeceſſoris Literis conſtat, contra huiusmodi iuramentum temere veniendo, tunc Archiepiſcopum, et Eccleſiam Rigenſem, ac illius perſonas, Caſtris, et Poſſeſſionibus omnibus ad Eccleſiam praedictam, illiusque Praepoſitum, et Capitulum ſpectantibus ſpoliare, illaque, et Monaſterium, ac Portum Dunemunde Rigenſis Diæceſis, ad Eccleſiam praedictam ſpectantia occupare, animalia, & alia bona mobilia tam ipſorum, quam colonorum, & aliorum hominum ſuorum in praedam abducere, Vaſallis eorum atroces iniurias inferre, ſeptem ex eis gladiis crudeliter transfigere, & per pedes ſuſpendere, Civitatem Rigenſem praefatae Sedi, & Eccleſiae Rigenſi duntaxat in ſpiritualibus & temporalibus ſubiectam arctae obſidionis anguſtia circumvallare; ac poſtquam idem JOANNES Prædeceſſor, & bonae memoriae BENEDICTUS Papa XII. etiam Praedeceſſor noſter, certis iudicibus in partibus illis, ut ſuper his ſub certis tunc expreſſis, modo, et forma proviserent, per eorum Literas ſucceſſive mandaverant, iudicum eorundem Mandata contemnere praeſumpſerint, quamquam orta poſtmodum inter bonae memoriae Uromoldum tunc Archiepiſcopum, Praepoſitum, & Capitulum Rigenſe, nec non tunc Magiſtrum, Praeceptores, et Fratres praedictos ſuper Civitatem praedictam, quam quilibet earundem Partium ad ſe de iure pertinere aſſerebant, materia quaeſtionis, bonae memoriae FRANCISCUS tituli S Marci Presbyter Cardinalis, cui felicis recordationis INNOCENTIUS Papa VI. etiam Prædeceſſor noſter cauſam huiusmodi, ad dictorum Magiſtri, et Fratrum inſtantiam audiendam commiſerat, et fine debito terminandam, in cauſa ipſa rite procedens diffinitivam, per quam Civitatem prædictam ad Eccleſiam praefatam Rigenſem iure Dominii, ANNO 1479.

ANNO vel quasi, pertinere, et illi in spiritualibus, et temporalibus subiectam fore declaravit, et eosdem Magistrum, Praeceptores, Commendatores, et Fratres ad illam dimittendam Uromoldo Archiepiscopo, Praepositо, et Capitulo praefatis, per eos libere possidendam condemnavit, Sententiam promulgasset, non intendens derogare certae Compositioni, et Ordinationi bonae memoriae WILHELMI Episcopi Mutinensis, olim ad illas partes Apostolicae Sedis Nuntii, ac Magistro, Præceptoribus, et Fratribus prædictis, super eorum reditibus, et bonis aliis, si qua eis forte in Civitate praedicta competerent, Dominium tamen dictae Civitatis non concernentibus, et cum dicta Sententia nulla provocatione suspensa in rem transiviſſet iudicatam, de speciali Commissione eiusdem INNOCENTII Praedecessoris, quam desuper habuerat, declarasset, quae essent illa iura Magistri, Praeceptoris, et Fratrum praedictorum, quibus per dictam Sententiam praeiudicare non intellexerat, et nonnulla alia tunc expressa, pro ipsarum Partium perpetua, et quieta Pace ordinasset, et praefatus INNOCENTIUS Praedecessor Sententiam praedictam confirmans, et approbans illam, salvis Compositionibus, et Declarationibus, ac Ordinationibus praedictis, executioni debitae demandari, primo per quasdam: et tam ipse INNOCENTIUS Prædecessor per alias, quam cum ad illarum executionem totaliter processum non foret, felicis recordationis MARTINUS Papa V. similiter Praedecessor noster, instante bonae memoriae Henningo Archiepiscopo Rigensi, per reliquas suas Literas, illud, quod Magister, Praeceptores, et Fratres praedicti, a Proconsulibus, Consulibus Civibus, et Incolis dictae Civitatis fidelitatis extorsisse dicebantur iuramentum, relaxari, et illos ad parendum dicto Archiepiscopo compelli mandassent, voluisſetque idem MARTINUS Praedecessor, quod Archiepiscopus, Praepositus, et Canonici dictae Ecclesiae Rigensis extunc de caetero Regularem habitum Ordinis Sancti Augustini, quem antiquitus gestare soliti erant, dimisso habitu dictae Militiae, quem gestabant, resumere, et sub ipsius Ordinis Sancti Augustini Regularibus Institutis vivere deberent, praefatus quoque SYLVESTER, et Praedecessores sui Archiepiscopi Rigenses, Sententiae huiusmodi, et Processuum desuper habitorum vigore, post varias Concordias, et suspensiones inter ipsum SYLVESTRUM Archiepiscopum, et Praedecessores, ac Fratres praedictos occasione executionis Literarum, et Processuum eorundem, sub certis modis tunc expressis, citra tamen iuris cuiuscunque praeiudicium, pro bono Pacis initas, et factas, absque Apostolicae Sedis authoritate, fuissent in pacifica possessione Civitatis praedictae, nihilominus Magister, Praeceptores, et Fratres praedicti, ascitis sibi nonnullis ex dictae Civitatis Proconsulibus, Consulibus, er Civibus, alios dictae Civitatis Proconsules, Consules, et Cives ad praestandum eis fidelitatis Juramentum, viis, et mediis exquisitis induxerant. Et cum Nos ad ulteriorem, et plenariam dictae Sententiae executionem, iuxta praedictorum INNOCENTII, et MARTINI Praedecessorum, Literarum continentiam, procedi per alias nostras Literas mandavissemus, et illarum vigore ad nonnullas Censuras Ecclesiasticas contra Magistrum, et Fratres praedictos processum foret, et illae sublatae, seu suspensae fore dicerentur per dilectum Filium STEPHANUM tituli Sanctæ Mariæ trans Tyberim Presbyterum Cardinalem, praetextu aliarum Literarum nostrarum sibi directarum, et super viribus, & efficacia eorum, quae virtute tam priorum, quam posteriorum Literarum nostrarum, gesta erant, lis coram Venerabili Fratre nostro Oliverio Episcopo Albanensi, ex delegatione nostra penderet indecisa, iniquitatis filii Bernardus Magister, et Conradus de Herczenrade Lantmarschalcus, et Theodericus Vanderlanghein de Velin, ac Joannes Fridach in Revalia, nec non Gerhardus Mellingrade in Chodinge, Ghervinus Belderſem in Ascherade, ac in Dunemende, et Duneborch, ac de Winda, nec non de Dobbelen Domors dictae Militiae per Livoniam, Joannes de Zeelbaeh in Gerven, et Engelbertus Lappe, Vandenrure in Kerekhus, Venmarus, Vandelnich in Helborch, Venemarus, Forstemberch in Averpach, nec non in Candowo, et in Bowizke locorum, Andreas de Rozen, et Gonswinus Denoff, nec non plures alii Commendatores, Advocati, Praeceptores, et Fratres supradictae Militiae, eorumque Vasalli, et familiares, suorum Praedecessorum vestigia sequentes, et contra Ecclesiam, Archiepiscopum, Praepositum, Capitulum, Canonicos, et personas, subditos, et vasallos crudeliter saevientes, viginti quatuor Castra, temporali Dominio dictae Ecclesiae subiecta, vi, et armis successive expugnarunt, et diripientes, quae in eis erant mobilia bona, aedificia etiam Ecclesiarum, quae in eis erant, igne cremarunt, et omnimodae ruinae subiecerunt, illorum

ANNO 1479.

In-

ANNO 1479. Incolas, dictae Eccleſiae Vaſallos, partim trucidarunt, partim captivarunt, & partim extra Patriam Livoniae exire compulerunt, extorto ab eis Juramento de non redeundo in æternum, & cum perveniſſent ad munitiſſimum Caſtrum *Svanemborch* dictae Eccleſiae, quod, utpote validiſſimum propugnaculum in finibus Livoniae iuxta Ruthenos, Archiepiſcopi Rigenſes dudum pro fidelium defenſione ædificari, & muniri facere ſtuduerunt, quanquam illinc Incolae illud, eorundem Magiſtri, Præceptorum, & Fratrum ſævitiam perhorreſcentes, deſeruiſſent, & ad partes Ruthenorum finitimorum ſe contuliſſent, rati ſe minora ſubituros, ſervituti eorundem infidelium ſe ſponte ſubjiciendo, quam ſi in poteſtatem Magiſtri, Præceptorum, & Fratrum prædictorum pervenirent, Caſtrum ipſum pulcherrimum, & validiſſimum, ac fidei Chriſtianae in partibus illis perneceſſarium, quod absque ulla reſiſtentia conſecuti fuerant, & cuncta illius ædificia igne cremarunt, & ſubverterunt illa, ſolo totaliter æquantes. Et poſtremo curſu victoriarum elati, ad munitiſſimum Caſtrum *Cokenhuſen* Rigenſe, in quo præfatus SYLVESTER Archiepiſcopus, cum Capitulo, Canonicis, & Perſonis dictae Eccleſiae, & univerſa ſua Archiepiſcopali Curia, & cum pluribus Nobilibus, poſtquam Rigenſi Civitate per eosdem Bernardum Magiſtrum, Præceptores, & Fratres ſpoliatus fuerat, reſidentiam facere ſolitus erat, & tunc faciebat, ſe transferentes, illud hoſtiliter invaſerunt, & occupaverunt, SYLVESTRUM Archiepiſcopum, Canonicos, & Perſonas dictae Eccleſiae familiares, ſervitores, & factores eiusdem Eccleſiae captivarunt, & carceri manciparunt, Eccleſiaſtica ornamenta divino cultui dedicata, ad Eccleſiam prædictam pertinentia, in prædam dederunt, Canonicos praedictos ne capitulariter convenire, & oppreſſae Eccleſiae prædictae conſulere poſſent, ad diverſa eorum Oppida, ſub fida cuſtodia transmiſerunt, & detineri fecerunt, & quam plurimas perſonas utriusque ſexus, quas Archiepiſcopo, & Eccleſiae prædictis fideles, & devotas eſſe ſciebant, trucidari facere, & etiam propriis manibus interimere, non formidarunt, ac quendam *Henricum* nobilem, & potentem Virum, ex Baronum genere procreatum, qui longo tempore ad ſtipendia SYLVESTRI Archiepiſcopi, & Capituli prædictorum, pro eorum, & dictae Eccleſiae defenſione militaverat, rotis ſuperimponi, & in quatuor partes ſcindi miſerabiliter fecerunt, & alia plurima horrenda, & nefanda, ac abominanda ſcelera perpetrarunt, in animarum ſuarum periculum, prædictae Eccleſiae Rigenſis intolerabile detrimentum, Apoſtolicae Authoritatis contemptum, Eccleſiaſticae libertatis conculcationem, & violationem, perniciosiſſimum exemplum, & ſcandalum plurimorum. Simon vero Epiſcopus Revalienſis, & Hemingus Rumor, Decanus Eccleſiae Revalienſis, ſui ſtatus, & honoris immemores, Deique timore poſtpoſito, non ſolum dictis Archiepiſcopo non auxiliari, ut tenebantur, ſed etiam, quod dicere pudet, ipſe Simon Epiſcopus ex Commiſſione Bernardi Civis, cuius ſecundum carnem germanus exiſtit, Præceptorum, & Fratrum prædictorum, quorum Conſultor, fautor, & auxiliator fuit in præmiſſis, regimini, & adminiſtrationi dictae Eccleſiae Rigenſis de facto ſe ingerere, ac dilectos filios, Georgium Hellant Præpoſitum, a Præpoſitura, & Degenhardum Hikebolt Canonicum dictae Eccleſiae Rigenſis, & Archiepiſcopi, & Capituli prædictorum, in Romana Curia Procuratorem, cauſam prædictam proſequentem, parochiali Eccleſia Sancti Petri, quas reſpective obtinebant, prout obtinent de facto amovere, & ſe in eadem Præpoſitura, & illius bonis intendere, illiusque, & Menſae Archiepiſcopalis Rigenſis fructus, reditus, & proventus in proprios uſus convertere, ac eundem Præpoſitum, ut Parochiali plebi, nuncupatae Eccleſiae, loci Wolmaria, Rigenſis Diœceſis deſerviat, et apud illam reſideat, compellere, nec non Rectorem dictae Eccleſiae de Wolmaria Plebanum nuncupatum, dicti Ordinis Fratrem in ipſam Eccleſiam Sancti Petri intrudere, ipſeque Simon Epiſcopus, quam Hemingus Decanus, Capitulum, & Clerum Civitatis Rigenſis de ipſa Civitate violenter expellere veriti non fuerunt, nec verentur etiam ad præſens, ipſe Epiſcopus, regimen, & adminiſtrationem Eccleſiae, ac Præpoſiturae bona, & prædia occupare. Petrus autem Valraven. & Joannes Bynen. ac Gerardus Szelle, Joannes Olpe, Joannes Dobbe, Gerardus Biſup, Joannes Fabri de Meppis, Laurentius Mathei, Wilhelmus Capellanus dicti Magiſtri, Goſvinus Donhoff Laicus Revalienſis Diœceſis, Michael Hilbrandi, & Georgius de Ungeren, Georgius Orgaſz, Chriſtianus Olſtener, Laici Rigenſis Diœceſis, & quamplures alii ad præmiſſa perpetrandum, dictis Bernardo Magiſtro, Præceptoribus, & Fratribus, ac Epiſcopo, & Decano ad præmiſſa, auxi-

ANNO 1479.

Simon a Borch

ANNO 1479. auxilia, consilia, & favores praestare non formidarunt, nec formidant. Nos igitur immensam eorundem Bernardi Magistri, & Fratrum, sceleſtissimorum hominum crudelitatem, ac immanissimam feritatem huiusmodi in praemissis, quae ut ex probationibus receptis de Commissione, & Mandato nostris, per praefatum Episcopum Albanensem, dictae causae tunc pendentis inter partes ipsas, ut praefertur, etiam Judicem, evidenter nobis constitit, adeo notoria sunt notorietate etiam facti permanentis in partibus illis, ut nulla possint tergiversatione celari, debita meditatione pensantes, & illam non solum Rigensis, sed etiam Romanae Ecclesiae, quae disponente Domino omnium Ecclesiarum caput est, & Magistra, iniuriam, & contumeliam, eaque aequo animo ferre non valentes, & ut si non caritatis amore, saltem poenae formidine eisdem Bernardo Magistro, & Fratribus, ac aliis quibuslibet similia perpetrantibus de caetero tollatur audacia, quantum nobis auxiliante Altissimo pro temporis qualitate licet, providere volentes, habita super his cum Venerabilibus Fratribus nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus deliberatione matura, Authoritate Apostolica, ex certa nostra scientia, praesentium tenore declaramus, praefatos iniquitatis filios, Bernardum Magistrum, & nominatim expressos, ac etiam, qui in praemissis intervenerunt, non expressos, Praeceptores, & Fratres dictae Militiae per Livoniam constitutos, ac Simonem Episcopum, & Hemingum Decanum, ac omnes, & singulos alios expressos, qui eis ad praemissa praestiterunt, et praestant auxilium, consilium, & favorem, eaque rata, & grata habuerunt, & habent, ac defensant, eosdem complices, & adhaerentes eorum, quorum non expressorum nomina, & cognomina, ac si exprimerentur, haberi volumus pro expressis, & in praesentium publicatione sigillatim exprimi posse, cuiuscunque status, gradus, ordinis, vel conditionis existant, & quacunque ecclesiastica, vel mundana dignitate fungantur, praemissorum occasione, iuxta Praedecessorum nostrorum, & praesertim in Claromontensi, & Viennensi Conciliis, Edicta, Constitutiones, & Decreta, anathematis mucrone percussos, a quo ab alio, quam Romano Pontifice, praeterquam in mortis articulo, nequeant absolutionis beneficium obtinere, Feudis, locationibus, officiis, & beneficiis spiritualibus, & temporalibus, quae ab eadem Rigensi Ecclesia obtinebant, privatos, & eorum, qui Laici sunt, Anathematizatorum praedictorum filios, & descendentes per masculinam lineam, usque ad secundam generationem, omni spe dispensationis adempta, inhabiles redditos ipso facto ad Ecclesiastica Beneficia in Civitate, & Diœcesi Rigensi obtinenda, terram temporali Dominio eorundem Magistri, & Fratrum subiectam, & locum, in quo Archiepiscopus captus detinetur, quamdiu detentio ipsa duraverit, Ecclesiastico subiecta fore Interdicto, ac omnia, & singula, quae SYLVESTER Archiepiscopus, Praepositus, Capitulum, & Canonici, ac aliae Personae Ecclesiasticae, & Sæculares, etiam Civitatis, & Provinciae Rigensis, ad commodum, & utilitatem Bernardi Magistri, Fratrum, & Praeceptorum praedictorum, post factam executionem priorum Literarum nostrarum praedictarum, utpote vi, & metu extorta, nullius penitus esse roboris, vel momenti, & haberi debere prorsus pro infectis. Et nihilominus eosdem Magistrum, Praeceptores, & Fratres, auxiliatores, & consultores, & fautores eorum, nec non Simonem Episcopum, Hemingum Decanum, & Plebanum dictae Ecclesiae, loci de Wolmaria, praefata authoritate, praesentium tenore, sub infrascriptis Censuris, & poenis requirimus, & monemus, ac mandamus eisdem, ut infra sex dies, postquam praesentes Literae ad eorum pervenerint notitiam, quorum duos pro primo, duos pro secundo, et reliquos duos pro ultimo, & peremptorio termino canonica monitione praemissa eis assignamus, Bernardus Magister videlicet, & Fratres praedicti SYLVESTRUM Archiepiscopum, Praepositum, Decanum, Canonicos, & Personas Ecclesiae Rigensis, & alios quoscunque, per eos, praemissorum occasione detentos, relaxent, & in pristinam reponant libertatem, Civitatem Rigensem contra, & bona eis ablata restituant, & de iniuriis, damnis, quae eis, & dictae Ecclesiae Rigensi, vasallis, & subditis eiusdem impie intulerant, quæve alias ipse SYLVESTER Archiepiscopus, Praepositus, Decanus, Capitulum, Canonici, Personae, Vasalli, ac Subditi quomodolibet praemissorum occasione incurrerant, debitam satisfactionem impendant, aut super illis componant cum eisdem, vel Procuratoribus suis, et expulsos post motam litem Canonicos, Presbyteros, & Clericos de Civitate Rigensi, et Ecclesiis Parochialibus, quae obtinebant, ad illas restituant, & inibi quiete morari permittant, auxilium vero, consilium, vel favorem

ANNO 1479.

prae-

ANNO 1479. præſtantes, ab illius præſtatione, nec non Simon Revalienſis Epiſcopus, a regiminis, & adminiſtrationis Præpoſiturae Rigenſis, & Plebanus præfati ab Eccleſia præfata prædictorum bonorum menſae Archiepiſcopalis Rigenſis, & eorundem Præpoſiturae, ac Eccleſiae Sancti Petri occupatione, & ipſorum Epiſcopi, & Plebani in illis intruſione, prædictis reſpective deſiſtant, alioquin Simonem Epiſcopum, & ſingulos ex eisdem monitis, Epiſcopali, & Maiori Eccleſiaſtica Dignitate fungentibus, Interdicti ingreſſus Eccleſiae, inferioribus vero ab eisdem, qui monitioni huiusmodi in totum, vel pro parte non paruerint, aut quo minus pareatur, fecerint, ſvaſerint, vel aliis ad id directe, vel indirecte, palam, aut occulte auxilium, conſilium, & favorem dederint, lapſis ſex diebus præter illam, qua ligati ſunt, ut præfertur, aliam ob non paritionem, huiusmodi Excommunicationis Sententiam, authoritate, & ſcientia prædictis ferimus in his ſcriptis, a qua ſimiliter ab alio, quam Romano Pontifice, præterquam in morte, & tunc etiam, non niſi legitima ſatisfactione præmiſſa, abſolvi nequeant. Et ſi Simon Epiſcopus, Bernardus Magiſter, Fratres, auxiliatores, conſultores, fautores, complices, & adhaerentes, ac Plebanus moniti prædicti, huiusmodi noſtram Interdicti, & Excommunicationis Sententiam, per alios ſex dies, primo dictos ſex dies immediate ſequentes, animo, quod abſit, ſuſtinuerint indurato, exnunc, prout extunc, pari ſcientia, & authoritate Civitatem Rigenſem, & occupata per eos Caſtra, & loca prædicta, ac alia eorundem Magiſtri, & Fratrum, auxiliatorum, conſultorum, & fautorum complicum, & ſequacium excommunicatorum prædictorum, temporali Dominio, aut alteri jurisdictioni ſubiecta, & alia, ad quae eos, aut aliquem eorum quandocunque declinare contigerit, quamdiu ibidem permanſerint, etiam non ſubiectas eis Civitates, Caſtra, Oppida, Fortalitia, & alia loca quæcunque, nec non in eisdem occupatis, & ſubiectis, ac non ſubiectis Civitatibus, Caſtris, Oppidis, & locis conſiſtentia, Eccleſias, Capellas, Monaſteria, Prioratus, & alia pia, & Eccleſiaſtica loca, quæcunque exempta, & non exempta, Eccleſiaſtico ſupponimus Interdicto, ita, ut eo durante inibi in tanti criminis deteſtationem, iuxta antiquorum Jurium traditionem, præterquam ſemel in hebdomada, & tunc duntaxat pro Sacramenti confectione, clauſis ianuis, excommunicatis, & interdictis excluſis, ac ſubmiſſa voce, ex quovis etiam Apoſtolico Privilegio, etiam Ordinibus, Locis, vel Perſonis conceſſo, Miſſae, & alia divina Officia nequeant celebrari, eosdemque Simonem Epiſcopum a regimine, & adminiſtratione Eccleſiae Revalienſis, præfata authoritate ſuſpendimus, ac Bernardum Magiſtrum, & Plebanum Eccleſiae, loci de Walmaria, & eum, ac reliquos Præceptores, ac Fratres dicti Ordinis, aliosque excommunicatos prædictos Præceptoriis, Eccleſiaſticis, Prioratibus, Monaſteriis, Dignitatibus, Perſonatibus, Adminiſtrationibus, Officiis, Canonicatibus, & Præbendis, aliisque Beneficiis Eccleſiaſticis, nec non quibuslibet feudis, iuribus, honoribus, & etiam mundanis dignitatibus quibuscunq;, quae eos tunc obtingere contigerit, præfata authoritate, & ex ſimili ſcientia privamus, & ad illa, ac alia inpoſterum obtinenda, nec non ad teſtandum, & quosvis actus legitimos faciendum, inhabilitamus, & Epiſcopum ſuſpenſum, reliquosque monitos prædictos privatos, & inhabilitatos, eſſe volumus eo ipſo. Si vero excommunicati, anathematizati, privati, & inhabilitati prædicti, nolentes in ſemitis iuſtitiae dirigere greſſus ſuos, & ad cor reverti, ac veniam petere, ac pœnitentiam agere de præmiſſis, ſub huiusmodi Excommunicationis, Anathematis, Interdicti, privationis, inhabilitationis, Cenſuris, & pœnis proterva obſtinatione per alios ſex dies, dictos ſecundo ſex dies immediate ſequentes, permanere non expaverint, exnunc prout extunc, lapſis ultimis ſex diebus, etiam de ſimili ſcientia, & authoritate eos aggravationis, & reaggravationis cenſurarum, & pœnarum prædictarum Datan, & Abiron, quos terra vivos abſorbuit, & Juda Iſcarioth traditore Domini noſtri Jeſu Chriſti, maledictionis æternae, & perpetuae damnationis mucrone ligamus, ac ligatos, & irretitos eſſe decernimus eo ipſo. Mandamus ſub ſimilibus Cenſuris, & pœnis quibuscunque Cathedralium, etiam Metropolitanarum, vel Collegiatarum, ac aliarum Eccleſiarum Prælatis, Capitulis, Canonicis, Rectoribus, & Perſonis aliis Eccleſiaſticis, qui deſuper pro parte dictorum SYLVESTRI Archiepiſcopi, Præpoſiti, Capituli, Degenhardi, & aliorum Canonicorum, & Perſonarum Eccleſiae Rigenſis, Vaſallorum, ſubditorum, & feudatorum eiusdem, ac incolarum, & inhabitatorum quorumlibet Caſtrorum, et locorum occupatorum, et dirutorum prædictorum fuerint requiſiti, ita, quod alter alterum in his exequendis non expectet, ut Simonem Epiſcopum ſuſpenſum, Bernardum, Plebanum, et reliquos

ANNO 1479.

ANNO 1479. monitos prædictos, in eorum Eccleſiis, Dominicis, vel aliis feſtivis diebus, dum major inibi populi multitudo ad Divina convenerit, pulſatis campanis, et accenſis candelis, et poſtmodum in terram proiectis, extinctis, & conculcatis, cum Crucis Vexillo, et trina lapidum proiectione, ac aliis in ſimilibus ſervari ſolitis Eccleſiaſticis Ceremoniis, excommunicatos, anathematizatos, privatos, inhabilitatos, aggravatos, et reaggravatos, ac æternæ maledictionis, et perpetuæ damnationis Sententia ligatos publice denuncient, et ut tales iubeant, et mandent ab omnibus arctius evitari, nec non omnibus aliis Chriſti fidelibus, ut illos evitent, et eis cuncta neceſſaria alimenta denegent miniſtrare, donec compuncti corde, ſpiritum aſſumentes conſilii ſanioris, monitionibus, et mandatis noſtris huiusmodi plenarie obtemperaverint, et abſolutionis, et Excommunicationis, et Suſpenſionis Sententiis, ac relaxationis huiusmodi Interdicti beneficia, et alias integram reconciliationis gratiam, a Nobis, et Sede Apoſtolica meruerint obtinere. Et nihilominus quoscunque illarum, et circumvicinarum Partium Archiepiſcopos, Epiſcopos, Prælatos, Reges, Principes, Duces, Comites, et Barones, Nobiles, Milites, et alios temporales Dominos, ac illorum Officiales, ac Gentium, Armorum Capitaneos pro reverentia, quam ad Sedem prædictam gerere quotidiana experientia comprobatur, hortamur, et requirimus, eisdemque Archiepiſcopis, Epiſcopis, et Prælatis, ſub Interdicti ingreſſus Eccleſiae, et a ſuarum Eccleſiarum regimine, et adminiſtratione, ſuſpenſione, Principibus vero, Ducibus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, Militibus, Dominis Officialibus, et Capitaneis, ſub ſimilibus Cenſuris, et pænis, quas, ſi non paruerint, eo ipſo incurrant, diſtricte præcipiendo, præfata authoritate iniungimus, ut eosdem SYLVESTRUM Archiepiſcopum, Canonicos, et alias detentas perſonas prædictas, a detentione huiusmodi liberari facere procurent, et eisdem SYLVESTRO Archiepiſcopo, in regimine, et adminiſtratione Eccleſiae Rigenſis, ac Civitatis Rigenſis, Caſtrorum, et Oppidorum occupatorum, et dirutorum, ac Præpoſito in Præpoſituræ, et Degenhavo in Eccleſiae Sancti Petri huiusmodi poſſeſſionis recuperatione, conſecutioneque bonorum, damnorum, et intereſſe prædictorum, pro poſſe aſſiſtant, et opportunos favores, ac quae poterunt auxilia, cum fuerint requiſiti ad id, præſtare non obmittant. Et quia hæ noſtrae Literae, in locis, in quibus Magiſter, Praeceptores, et Fratres prædicti, eorumque Vaſalli, ſubditi, complices, fautores, et adhærentes, ac alii per Nos moniti, ut præfertur, reſident, propter eorum potentiam commode publicari non poſſent, omnibus, et ſingulis locorum circumvicinorum Ordinariis, et in eisdem locis conſiſtentium Eccleſiarum quarumlibet Cathedralium, et non Cathedralium, Monaſteriorum, Prioratuum, ac locorum Religioſorum Ordinum quorumcunque, etiam Mendicantium, exemptorum, et non exemptorum, Capitulis, Canonicis, Abbatibus, Præpoſitis, Conventibus, Gvardianis, Fratribus, et perſonis aliis Eccleſiaſticis quibuscunq;, et ipſorum cuilibet, ita, quod alter alterum in his exequendis non expectet, neque alter pro alio ſe excuſet, ſub eisdem Eccleſiaſticis Cenſuris, et pænis, dicta authoritate mandamus, quatenus ipſi, et quilibet eorum, cum pro parte dictorum SYLVESTRI Archiepiſcopi, Capituli, Canonicorum, et Perſonarum Eccleſiæ Rigenſis, Vaſallorum, et ſubditorum eiusdem, nec non incolarum, et habitatorum Caſtrorum, et locorum prædictorum, aut alicuius eorum, fuerint requiſiti, has noſtras Literas, ſeu illarum Tranſumptum autenticum, manu publici Notarii ſubſcriptum, in ipſarum Eccleſiarum valvis affigant, et alias in eorum ſermonibus ad populum prædicent, et publicent in locis, de quibus ſit veriſimilis coniectura, quod ad ipſorum Magiſtri, Præceptorum, et Fratrum, aliorumque monitorum prædictorum valeant notitiam pervenire, volentes, quod Literae, et Tranſumptum huiusmodi, eorumque publicatio, extunc poſt affixionem, et publicationem praedictas factas, in duobus, aut tribus locis vicinis, ipſos monitos praedictos arctent, ac ſi eis, et eorum cuilibet intimatae perſonaliter extitiſſent, eidemque Tranſumpto, Sigillo cauſarum Curiae Camerae Apoſtolicae Generalis Auditoris, aut alicuius Praelati Sigillo munito, et manu publici Notarii confecto, in iudicio, et extra, ubique ſtetur, prout ſtaretur Originalibus Literis, ſi eſſent exhibitae, vel oſtenſae, non obſtantibus Conſtitutionibus, et Ordinationibus Apoſtolicis contrariis quibuscunque, aut ſi Magiſtro, Praeceptoribus, Fratribus, et aliis monitis praedictis, ſeu quibusvis aliis communiter, vel diviſim a Sede praedicta indultum exiſtat, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, per Literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, ANNO 1479.

vel

Anno 1479. vel qualibet alia dictae Sedis indulgentia generali, vel speciali, cuiuscunque tenoris existat, per quam praesentibus non expressam, vel totaliter non insertam, effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel deferri, & de qua, cuiusque toto tenore habenda sit in nostris Literis mentio specialis. Datum Romae apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicae millesimo quadringentesimo septuagesimo nono, quartodecimo Kalendas Septembris, Pontificatus nostri Anno octavo.

LXXXV.

1480. *Literae* Sixti PP. IV. *quibus committit Vladislavienſi, Tarbatenſi, ac Oſilienſi Epiſcopis, ut Stephanum, quem ex Troianenſi ad Rigenſem Eccleſiam transtulit, in poſſeſſionem Eccleſiae, & Civitatis Rigenſis inducant, amotis ab ea Magiſtro, & Ordine Theutonico.* Datum Romae, die 31. Julii. Anno 1480. *Ex Originali.*

Sixtus Epiſcopus Servus Servorum Dei. Venerabilibus Fratribus Vladislavienſi, & Tarbatenſi, ac Oſilienſi Epiſcopis, nec non dilecto filio Decano Eccleſiae Oſilienſis, ſalutem, et Apoſtolicam Benedictionem. Ad univerſas Orbis Eccleſias, praeſertim Nobis, et Apoſtolicae Sedi immediate ſubiectas, illarumque Praelatos, noſtrae dirigentes conſiderationis intuitum, illa libenter concedimus, per quae Praelati ipſi, eis iniuſte obſiſtentium elata cervice, digna correctione calcata, poſſeſſionem vel quaſi, regiminis, et adminiſtrationis, ac bonorum Eccleſiae, quibus praeſunt, aſſequi, eaque debita cum integritate potiri valeant, pariter et gaudere. Sane Eccleſia Rigenſi, Romanae Eccleſiae immediate ſubiecta, per obitum bonae memoriae Sylvestri Archiepiſcopi Rigenſis, extra Romanam Curiam, dum per Magiſtrum, et Fratres Militiae Beatae Mariae Theutonicorum Ieroſolimitanenſium per Livoniam conſiſtentes detineretur, defuncti, vacante, Nos Venerabilem Fratrem noſtrum Stephanum tunc Epiſcopum Troianenſem, a vinculo, quo Eccleſiae Troianenſi, cui tunc praerat, tenebatur, de Fratrum noſtrorum conſilio, et Apoſtolicae poteſtatis plenitudine abſolventes, ipſum ad praefatam Rigenſem Eccleſiam ſic vacantem transtulimus, ipſumque Stephanum eidem Eccleſiae Rigenſi praefecimus in Archiepiſcopum, et Paſtorem, prout in noſtris inde confectis Literis plenius continetur. Cum autem, ſicut accepimus, Magiſter, et Fratres praedicti, qui dudum falſo praetendentes in Civitate Rigenſi, temporali Dominio dictae Rigenſis Eccleſiae ſubiecta, ius habere, non ſolum a Praedeceſſoribus eorum extortum a Proconſulibus, Conſulibus, et Civibus Rigenſibus fidelitatis iuramentum, ad cuius relaxationem condemnati erant, relaxare recuſarunt, verum etiam deſuper Apoſtolica authoritate moniti, novum iuramentum fidelitatis, et homagii huiusmodi a nonnullis Proconſulibus, et Conſulibus, qui tunc erant, et Civibus dictae Civitatis de novo extorquere, et Apoſtolicis Mandatis praedictis obtemperare nolentes, contra dictum Sylvestrum arma ſumere, et eum de poſſeſſione Civitatis, et Caſtrorum, temporali Dominio dictae Rigenſi Eccleſiae ſubiectorum, vi, & armis expellere, ac plurima horrenda in eiusdem Rigenſis Eccleſiae detrimentum committere, & tam eundem Sylvestrum Archiepiſcopum captivare, & iuramentum fidelitatis, & homagii huiusmodi iteratum, a Proconſulibus, Conſulibus, & Civibus Rigenſibus, ac univerſis fere vaſallis ipſius Rigenſis Eccleſiae extorquere praeſumpſerunt, ipſumque Stephanum, quominus poſſeſſionem regiminis, & adminiſtrationis praefatae Rigenſis Eccleſiae aſſequi, illaque plene potiri, & gaudere valeat, impedire praeſumant. Nos, quorum intereſt ſuper his adhibere vigilantiae noſtrae curas, cupientes huiusmodi conatibus congruis remediis obviare, ac ſumentes de cuiuscunque veſtrum circumſpectione, induſtria, & virtutibus in Domino fiduciam ſpecialem, ſperantesque, quod ea, quae Vobis committenda duxerimus, probe, & laudabiliter exequi procurabitis motu proprio, non ad praefati Stephani, vel alterius pro eo nobis ſuper hoc oblatae petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera deliberatione, & ex certa noſtra ſcientia, Vos, & veſtrum quemlibet noſtros, & Sedis Apoſtolicae Nuntios, ad partes illas in praeſentiarum deſtinamus, ac etiam deputamus, ut videlicet Vos, aut tres, vel duo, ſeu unus veſtrum per Vos, vel alium, ſeu alios eundem Stephanum Archiepiſcopum, vel Procuratorem ſuum eius nomine, in corporalem poſſeſſionem, vel quaſi, regiminis, & adminiſtrationis, ac bonorum omnium dictae Rigenſis Eccleſiae, Authoritate noſtra inducatis, & defendatis inductum, amotis exinde Magiſtro, & Fratribus praedictis, & Anno 1480.

ANNO 1480. & aliis detentoribus quibuscunque, faciatisque sibi ab ipsius Ecclesiae Rigensis Suffraganeis, Capitulo, Clero, & Populo obedientiam, & reverentiam congruentes, a vasallis vero prædictis, et aliis dictae Rigensis Ecclesiae temporali dominio subiectis, consveta servitia, & iura ab eis debita integre exhiberi. Nos enim Vobis, & cuilibet vestrum, nostro, & Apostolicae Sedis nominibus, Magistrum, & Fratres prædictos, ut ab occupatione Ecclesiae, & Civitatis Rigensis, Castrorum, & bonorum omnium eiusdem Ecclesiae, quae iuris Beati Petri, & Romanae Ecclesiae, cui dicta Ecclesia Rigensis immediate subesse dinoscitur, desistant, illaque omnia tam mobilia, quam immobilia, qualiacunque sint, & pecuniarum summas, quas de bonis dicti Archiepiscopi habuerunt, vobis integre, & sine diminutione restituant, & consignent, extorta Juramenta prædicta, antiqua, & nova relaxent, & factas per eos Vasallis dictae Ecclesiae de novo eorum nominibus, bonorum, quae ab Ecclesia prædicta recognoscebant, & ad eosdem Magistrum, & Fratres non pertinebant, infeudationes, & obligationes quascunque, illas quomodolibet concernentes cassent, irritent, & annullent, ac de facto emanasse, ac effectum sortiri non posse, nec debere recognoscant, requirendi, ac declarandi, Suffraganeos, Præpositum, Decanum, Capitulum, Canonicos, & personas Ecclesiae Rigensis, nec non Proconsules, Consules, & Cives, ac Incolas, & habitatores Civitatis Rigensis, ac Castrorum, & locorum, temporali dominio Ecclesiæ prædictæ Rigensis subiectorum, ac alios quoscunq; vasallos, et subditos dictæ Rigensis Ecclesiæ, quocunq; nomine appellentur, ad observationem promissionum, obligationum, & iuramentorum huiusmodi non teneri, eosque ab illis, quatenus expediat, prout de facto processerunt absolvendi, & liberandi, inhibendi quoque eisdem Magistro, Præceptoribus, & Fratribus per Livoniam constitutis, ne deinceps Proconsules, Consules, Cives, Incolas, & habitatores, ac subditos quoscunque dictae Rigensis Ecclesiae, a quibus huiusmodi provisiones, & Juramenta quomodolibet extorserunt, quos, ut bona, quæ in Feudum a dicta Ecclesia obtinebant, sibi ab eisdem Magistro, & Fratribus in Feudum venire recognoscerent, induxerunt, eorum vasallos, iuratos, feudarios, & subditos nominare, seu reputare, & pro talibus tenere, & tractare, & ne prætextu iuramentorum, promissionum, obligationum, & infeudationum huiusmodi directe, vel indirecte ad iuramentorum, promissionum, & obligationum huiusmodi observationem compellere, aut alias inquietare quomodolibet præsumant, sub Excommunicationis latae Sententiae, & aliis Censuris, & pœnis Ecclesiasticis, de quibus vobis videbitur, inhibendi, nec non eisdem Suffraganeis, Præposito, Decano, Capitulo, Canonicis, Personis, Proconsulibus, Consulibus, Civibus, Incolis, Habitatoribus, Vasallis, & Subditis, ne iuramenta, promissiones, & obligationes, nec non eis, & quibusvis aliis, ne in præiudicium dictae Ecclesiae Rigensis initas Confœderationes, & ligas observent, neve pro vasallis, ac subditis Magistri, & Fratrum prædictorum se gerant, aut illorum Mandatis obtemperent, & alium, quam præfatum Stephanum, & pro tempore existentem Archiepiscopum Rigensem, in eorum Dominum, & Superiorem recognoscant, sub similibus Censuris, & pœnis, etiam perditionis, & privationis bonorum quorumlibet, quae a dicta Rigensi Ecclesia quomodolibet obtinent, iniungendi, & non parentes requisitioni, & Mandatis eius, Censuras, & pœnas prædictas incurrisse, declarandi, ac legitimis super his habendis servatis processibus, illas iteratis vicibus aggravandi, contradictores quoslibet, & rebelles, per Censuram Ecclesiasticam, & alia iuris remedia opportuna, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis, compescendi, & generaliter omnia, & singula, quae in præmissis, & circa ea necessaria vobis videbuntur, faciendi, mandandi, & exequendi facultatem concedimus per præsentes, non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non omnibus, quae in dictis aliis Literis nostris voluimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscunque. Nos enim Sententias, Censuras, & pœnas, quas rite tuleritis in rebelles, ratas habebimus, & faciemus, ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum Romae apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicae millesimo quadringentesimo octuagesimo, pridie Kalendas Augusti, Pontificatus nostri Anno nono. ANNO 1480.

LXXXVI.

SIXTUS PP. IV. *Stephanum Archiepiscopum Rigensem Apostolicæ Sedis cum potestate Legati de Latere Nuntium, & Commissarium, ac Generalem Collectorem,* 1482.

ANNO 1482. *rem, & Receptorem fructuum, redituum, &c. in Rigenſi, & Revalienſi Provinciis conſtituit.* Dat. Romæ, die 14. Julii. Anno 1482. *Ex Archivo Magni Ducatus Litvaniæ.*

SIXTUS Epiſcopus Servus Servorum Dei. Venerabili Fratri Stephano Archiepiſcopo Rigenſi, Apoſtolicae Sedis cum poteſtate Legati de Latere, Nuntio in ſua Provincia Rigenſi, & in eiusdem Civitatibus, prout in aliis noſtris Literis plenius continetur, nec non in Civitate, & Diœceſi Revalienſi, fructuum, redituum, proventuum, aliorumque iurium Apoſtolicae Camerae debitorum Collectori, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Ex fideli, & ſollicita, ac diligenti prudentia, providentia quoque, & probitate circumſpecta, aliisque virtutibus, quibus fulgere dinoſceris, præſumimus evidenter, quod ea, quae Tibi commiſerimus, ſolerti, & ſalubri ſtudio fideliter exequeris. Hinc eſt, quod nos Te, de cuius diſcretione, ac ſollicitudine plurimum confidimus, in Rigenſi Provincia, nec non in ſingulis dictae Provinciae, & Revalienſis Civitatibus, & Diœceſibus prædictis, exemptis, & non exemptis, Nuntium Apoſtolicum, & Commiſſarium, & Generalem Collectorem, & Receptorem fructuum, redituum, & proventuum, aliorumque Jurium, et cenſuum in prædictis Provinciae Civitatibus, et Diœceſis, Nobis, Cameræ Apoſtolicae, et Sedi præfatae debitorum, et debendorum, usque ad noſtrum, et dictae Sedis beneplacitum, tenore præſentium facimus, conſtituimus, et etiam deputamus, omnesque alios, et ſingulos huiusmodi Collectores, Receptores, et Subcollectores, et præſertim dilectum filium Michaelem Hildebrandi, Canonicum Revalienſem in præfatis Provinciae Civitatibus, et Diœceſis, quavis authoritate deputatos hactenus, et omnes Commiſſiones ſuper huiusmodi collectorie, receptorie, ſubcollectorie officiis aliis, ſub quavis verborum forma, per quoscunque, et quavis authoritate factas, penitus revocando, per Te, vel alios Clericos duntaxat fide, et facultate idoneos, noſtrae Eccleſiae Romanae, et dictae Camerae noſtrae, a præfato Michaele, et a quibuscunque Prælatis, Capitulis, Collegiis, et Conventibus Eccleſiarum, et Monaſteriorum quorumlibet, aliisq; Eccleſiaſticis, Sæcularibus, et Regularibus exemptis, et non exemptis Ordinum quorumcunque, ac etiam laicalibus perſonis, nec non Vniverſitatibus, Communitatibus Civitatum noſtrarum, Caſtrorum, Villarum, & locorum quorumlibet, omnes, & ſingulas pecuniarum ſummas, ac rerum, & bonorum quantitates, Nobis, Eccleſiae, & Apoſtolicae Camerae præfatis, debitas, & debendas, etiamſi bona huiusmodi confiſcata fuerint, nec non fructus, reditus, & proventus primi anni beneficiorum Eccleſiaſticorum quorumcunque, authoritate Apoſtolica collatorum, & in antea conferendorum, fructus etiam, reditus, & proventus, cenſus annuos, decimas, & omnia alia, & ſingula iura, Nobis, Eccleſiae, & Camerae prædictis, in Civitatibus, Diœceſi, & Provincia prælibatis, quacunque ratione, vel cauſa debita, vel debenda, ad easdem Eccleſiam, & Cameram nunc, & in poſterum pertinentia, quæcunque, quotcunque & qualiacunque fuerint, communibus ſervitiis Prælatorum duntaxat exceptis, petendi, exigendi, levandi, ac recipiendi rationes, & computa a quibuscunque Collectoribus, & Subcollectoribus Apoſtolicis ac Inquiſitoribus Hereticæ pravitatis, & Prædicatoribus Verbi Crucis, ac Officialibus aliis pro dicta Camera in Provincia, Civitatibus, & Diœceſi prædictis, deputatis hactenus, & perſonis aliis quibuslibet in quantum negotia, & utilitatem Camerae concernunt, audiendi, accipiendi, & examinandi, ipſosque ad id, ſi neceſſe fuerit, authoritate noſtra compellendi, & conſtringendi, ac per ipſos recepta ſimiliter petendi, & recipiendi, ac de receptis, ſolventes ipſos, quitandi, liberandi, & abſolvendi, nec non contradictores quoslibet, & rebelles, cuiuscunque ſtatus, gradus, ordinis, conditionis, vel præeminentiæ fuerint, etiamſi Pontificali, vel quavis præfulgeant dignitate, authoritate prædicta per Cenſuram Eccleſiaſticam, & bonorum ſuorum ſequeſtrationem, et areſtationem perſonarum, aliaque iuris remedia opportuna, appellatione poſtpoſita compeſcendi, nec non contra quoscunque Tibi, vel tuis Officialibus iniuriantes, ſeu Te, vel dictos tuos Officiales impedientes in executione negotiorum dictae Camerae, directe, vel indirecte, publice, vel occulte, authoritate prædicta procedendi, prout Ordo exegerit rationis: Et ſi neceſſe fuerit ipſos ad comparendum coram Nobis, ſeu Camerario noſtro, aut eius locum tenente perſonaliter, vel legitime infra certum terminum competentem per Te eis aſſignandum, citandi, et etiam, ſi opus fuerit, auxilium brachii ſæcularis invocandi, ſententias quoque Excommunicationis,

ANNO 1482.

ANNO 1482. Suſpenſionis, et Interdicti in contumaces, inobedientes, et rebelles tam per Prædeceſſores, tuos inibi Collectores, vel eorum Subſtitutos, quam per Te, vel a Te ſubſtituendos, latas, et ferendas, ſi opus fuerit, aggravandi, vel reaggravandi, ac cum ad obedientiam debitam venerint, tollendi, et ſuſpendendi, ipſosq; ab ipſis abſolvendi, ac ſuper irregularitate, ſi qua ſic ligati, non tamen in contemptum Clavium, celebrando Divina, vel immeſcendo ſe illis quomodolibet, contraxerint, cum eisdem Authoritate noſtra prædicta diſpenſandi, non obſtantibus tam felicis recordationis BONIFACII Papae Octavi Prædeceſſoris noſtri, ac de una, et duabus dietis in Concilio Generali, quam aliis Conſtitutionibus Apoſtolicis, contrariis quibuscunque, etiamſi de illis, & totis eorum tenoribus de verbo ad verbum habenda ſit in præſentibus mentio ſpecialis, ſeu ſi aliquibus, vel eorum Ordinibus communiter, vel diviſim a Sede prædicta ſit indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari, aut extra, vel ultra certa loca ad iudicium evocari non poſſint, per Literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, authoritate præfata plenam, et liberam harum ſerie concedimus facultatem. Ita tamen quod in fructibus, reditibus, proventibus, ſeu bonis aliis quibuscunque, ipſi Camerae debitis, et perſolvendis, ultra annum dilationem dare nequeas, et quod in ſingulis Civitatibus, et Diœceſi infra tuam collectoriam exiſtentibus, ſi ſint amplæ, et diffuſae ultra unum, & ſi parvæ fuerint in duabus etiam ultra unum duntaxat Subcollectorem non deputes, et quod omnium, et ſingulorum Subcollectorum, quos Te deputare contigerit, nomina, et cognomina, cum illos deputaveris, ad Nos, et dictam Cameram clare, et diſtincte transmittere, et quod ſingulis bienniis, de receptis, et geſtis per Te, et Subcollectores tuos in huiusmodi Collectoris officio, rationem, et computum reddere, et calculum ponere tenearis, nec non quicquid in prædictis per Te recipi contigerit, per Literas Cambii, vel alium tutum modum, Nobis, ſeu Camerario noſtro, vel locum tenenti eius, ſeu gentibus Camerae prælibatae, quantocius mittere non poſtponas. Volumus autem, quod antequam huiusmodi incipias officium exercere, in manibus Venerabilis Fratris noſtri Guilhelmi Epiſcopi Oſtienſis Cardinalis Rothomagen. Camerarii noſtri, ſeu eius locum tenentis, de ipſo officio fideliter exercendo, ac alias fidelitatis debitae præſtes Juramentum in forma ſolita, ipſique Subcollectores per Te deputandi ad id in manibus tuis, antequam illud exerceant, præſtare teneantur. Tu igtur prædictum officium, iuxta datam tibi a Deo prudentiam ſic ſtudeas bene, fideliter, & laudabiliter exercere, quod apud Nos merito commendari poſſis, noſtramq;, & dictæ Sedis benevolentiam, & gratiam uberius conſequi merearis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo octuageſimo ſecundo. Pridie Idus Julii, Pontificatus noſtri Anno undecimo. ANNO 1482.

LXXXVII.

SIXTUS *PP.* IV. *concedit Stephano Archiepiſcopo Rigenſi, ut pro faciliore bonorum ab inimicis Eccleſiæ ſuæ ereptorum recuperatione, a Suffragameis, & aliis Perſonis Eccleſiaſticis, Sæcularibus, & regularibus ſubſidium petere, & recipere poſſit.* Dat. Romæ d. 14. Julii An. 1482. *Ex Archivo M. D. Litvaniæ.* 1482.

SIXTUS Epiſcopus Servus Servorum Dei. Venerabili Fratri Stephano Archiepiſcopo Rigenſi ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Perſonam tuam Nobis, & Apoſtolicæ Sedi devotam, tuis exigentibus meritis paterna benevolentia proſequentes, illa tibi favorabiliter concedimus, quæ tuis, & Eccleſiæ tuæ commoditatibus fore conſpicimus opportuna. Cum itaque, ſicut exhibita Nobis nuper tua petitio continebat pro recuperandis bonis Eccleſiæ tuæ, per ipſius inimicos detentis, & aliis incumbentibus Tibi negotiis, multa te ſubire oporteat onera expenſarum: Nos attendentes, quod diviſa in partes onera perferuntur levius, ac æquum reputantes, & congruum, ut Suffraganei Eccleſiæ tuæ tecum huiusmodi onera partiantur, tuis ſupplicationibus inclinati, ut ab omnibus Eccleſiæ tuæ Suffraganeis, iuxta menſarum Epiſcopalium, & Suffraganearum Eccleſiarum ipſarum, a Perſonis Eccleſiaſticis, Sæcularibus, & Regularibus, exemptis, & non exemptis, beneficia Eccleſiaſtica, pro quibus decima perſolvitur, in Suffraganeorum ipſorum, ac tuis Civitatibus, & Diœceſi obtinentibus, iuxta Conſtitutionem felicis recordationis BENEDICTI XII. Prædeceſſoris noſtri, ac iuxta beneficiorum ipſorum exigentiam, & facultatem, petere, & recipere, authoritate noſtra, ſemel duntaxat, libere, & licite valeas caritativum

Anno 1482. tivum ſubſidium pro huiusmodi bonis facilius recuperandis, & oneribus ſupportandis tenore Præſentium tibi de ſpeciali gratia indulgemus, & nihilominus Venerabilibus Fratribus noſtris Lubicenſi, & Vilnenſi Epiſcopis per Apoſtolica Scripta mandamus, quatenus ipſi, vel alter eorum per ſe, vel alium, ſeu alios faciant hac vice Authoritate noſtra Tibi, vel Procuratori, ſeu Procuratoribus tuis, tuo nomine, iuxta huiusmodi Conceſſionis noſtræ tenorem, a prædictis Suffraganeis infra competentem terminum, quem eis ad hoc duxerint præfigendum, huiusmodi ſubſidium integraliter exhiberi: Contradictores eadem authoritate noſtra, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, non obſtantibus quibuscunque ſtatutis, & conſvetudinibus contrariis, ac Privilegiis, & Indulgentiis, ac Literis Apoſtolicis generalibus, vel ſpecialibus, quorumcunque tenorum exiſtant, eis, vel eorum aliquibus communiter, vel diviſim, ſub quacunque verborum forma, vel expreſſione verborum conceſſis, per quae Præſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta, effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus de verbo habendo ſit in noſtris Literis mentio ſpecialis, ſeu ſi eisdem Suffraganeis, & Perſonis Eccleſiaſticis, vel quibusvis aliis communiter, vel diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per Literas Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtri Indulti, & Mandati infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe noverit incurſurum. Datum Romae apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo octuagemo ſecundo. Pridie Idus Julii, Pontificatus noſtri Anno undecimo.

LXXXVIII.

1482. Sixtus *PP.* IV. *Stephanum Archiepiſcopum Rigenſem Apoſtolicæ Sedis, cum poteſtate Legati de Latere Nuntium, & Commiſſarium in Livoniam, propter tutelam, & defenſionem Livonum, ac averſionem inſultuum Ruthenicorum, ablegat.* Dat. Romæ d. 14. Julii An. 1482. *Ex Archivo Magni Ducatus Lit-vaniæ.* Anno 1482.

Sixtus Epiſcopus Servus Servorum Dei. Venerabili Fratri Stephano Archiepiſcopo Rigenſi, ad Patriam Livoniae noſtro, & Apoſtolicae Sedis, cum poteſtate de Latere Legati, Nuntio, & Commiſſario ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem. De Summo Cœlorum ad ima mundi deſcendens Unigenitus DEI Filius, ut Nos de laqueo ſervitutis eriperet, & aſperſione proprii ſanguinis æterna morte mulctatos, vitæ perennis efficeret poſſeſſores, in univerſum mundum Diſcipulos, quos elegerat, pro ſalute credentium deſtinavit, Vicarium ſuum in terris inſtituens in futurum, ut eius ſalutari exemplo, pro ſui gregis neceſſitate, et exigentia, viros idoneos in partem ſollicitudinis paſtoralis aſſumptos, ubi Officii ſui debitum aſſumere præſentia corporali nequiret, opportunis temporibus advocaret. Sane cum magna animi noſtri amaritudine intelleximus anno ſuperiore, perfidos Chriſtianæ veritatis hoſtes immanes Ruthenos, Livoniæ Provinciam hoſtiliter invaſiſſe, et cum inexpectati irruiſſent, affeciſſe Provinciales illos ſumma calamitate, barbarico ritu, a nullo crudelitatis, fœditatisque genere abſtinentes. Penetravit cor noſtrum tam immane facinus, et eo magis, quod aliis anguſtiis, et preſſuris vexati, ac tam longo intervallo impediti, miſeris, atque indigna patientibus, per id tempus ſuccurrere non poteramus. Eadem namque tempeſtate Turcarum immenſæ vires adeo excreverant, noſtrosq; opprimebant, ut in Oriente Rhodum, quod unicum fidei noſtræ propugnaculum ſupereſt, obſidere, et in Italiam penetrare, Idrontinamque Urbem, in ſupero Mari, non contemnendam expugnare, cum magno totius Chriſtianitatis periculo ſint auſæ. Commoti igitur pro priori periculo, et ad tutelam Reipublicæ totis viribus tunc intenti, Livoniorum cladem non tam negleximus, quam neceſſario dolorem, quem ex ea acceperamus, in corde noſtro ad tempus ſuppreſſimus. Nunc ſedata aliquantulum Turcica procella, quibus poſſumus ſtudiis, ad Livoniorum, quos Rutheni præfati continuo invadere non ceſſant, tutelam, protectionem, et defenſionem, ac Ruthenorum expugnationem, totis viribus intendentes, eiusdem Salvatoris exemplo, aliquem ex Coepiſcopis noſtris ſumptis in partem ſollicitudinis Officii Paſtoralis huiusmodi, cenſuimus ad Livoniam eſſe mittendum. Et quoniam Tu, qui etiam Terrarum Pruſ-

Anno 1482. siæ, Estoniæ, Lethiæ, Semigalliæ, nec non Livoniæ Metropolitanus, et Princeps existis, inter cæteros, Divina Tibi assistente Gratia, pro tuis singularibus virtutibus, ardentissimo desiderio, et zelo erga fidem, Sacrosanctamque Romanam Ecclesiam scies, et poteris omnia provide, ac diligenter deducere, tractare, atque concludere. Te ad Livoniam nostrum, et Apostolicæ Sedis cum potestate Legati de Latere Nuntium, et Commissarium, tanquam pacis Angelum, in præsentiarum destinamus, ut ad Patriam prædictam Livoniæ, quæ iuris Beati Petri esse dinoscitur, personaliter Te conferens, illam nostro, et dictae Sedis nomine visites, Provinciales afflictos consoleris, eisque condoleas, et horteris eosdem ad tolerandas æquo animo præteritas tribulationes, et in futurum ad fortiter resistendum: convoces quoque eos ad aliquem locum, in quo communi consilio, de modo, et via resistendi eisdem Ruthenis, perfidis hominibus, agatur, et iuxta consilia, quæ desuper haberi contigerit, tractes, et agas pro ipsius Patriæ Livoniæ, ab ipsorum Ruthenorum pressura defensione, et tutela, prout in Domino videris salubriter expedire. Nos enim Tibi ad huiusmodi effectum, inter quoscunque eiusdem Provinciæ Livoniæ Episcopos, et Praelatos, Principes, Duces, Comites, Barones, et Communitates, et illis adhærentes, complices, et sequaces, ac vasallos eorum, super quibusvis discordiis, differentiis, atq; guerris ingentibus, et quae esse possent inter eosdem, super quibusvis rebus, iuribus, actionibus, et bonis quomodolibet, nostro, et dictae Ecclesiæ nominibus, de consilio Provincialium prædictorum tractandi, et componendi, ac indicendi sub spe pacis, treugas, et Inducias quaslibet temporales, nec non pacem, et concordiam perpetuo duraturas, sub illis Capitulis, modis, conditionibus, atque formis, pœnarum adiectionibus, obsidibus personarum, virium, et bonorum obligationibus, renuntiationibus, promissionibus, cautelis, clausulis, et solemnitatibus, atque modis, de quibus Fraternitati tuae cum dicto consilio quomodolibet videbitur expedire, et quae inter Partes ipsas dissidentes poteris concordare, seu componere quovis modo, validandi, roborandi, et observari, et exequi mandandi, ac faciendi, authoritate nostra omnia, et singula, quae inter Provinciales praefatos, eisque adhaerentes, aut habentes facultatem ab eis, firmata, vel concluſa fuerint, per Te sub Censuris, et pœnis Ecclesiasticis, in quascunque Personas Ecclesiasticas, et Saeculares, quacunque praefulgeant dignitate, nec non Civitates, Provincias, Dominia, Terras, Castra, et Loca, seu Universitates, de quibus praedictorum Provincialium Livoniae accedente consensu, ac Tibi, ut praefertur, visum fuerit quomodolibet convenire, inviolabiliter observari, nec non in praemissis, et circa ea, ac dependentibus, emergentibus, seu connexis ab eisdem, omnia, et singula alia pro parte, vel alium ab eadem Fraternitate tua pro tempore deputatum, gerendi, exequendi, faciendi, quae pro securitate, et observatione inter Partes ipsas concluſorum, et concordatorum, et dependentium ab illis, opportuna, vel utilia quomodolibet videbuntur, ac super his omnibus, et quolibet eorundem, ac incidentibus, dependentibus, vel emergentibus quomodolibet a praemissis, unum, vel plura publicum, seu publica Documenta cum cautelis, et Capitulis opportunis confici, et fieri faciendi semel, et pluries, quotiens oportere videbitur, ita quod plane de iure subsistant, et nihilominus contradictores quoslibet, et rebelles, quacunque Ecclesiastica, seu mundana dignitate praefulgeant, per Censuram Ecclesiasticam, et alia quaecunque Juris remedia, quotiens esse opus noveris, appellatione cessante, eadem authoritate compescendi, nec non aggravandi quoscunque Processus, et Sententias super illis, aut eorum aliquo factas, et latas, semel, et pluries, ac omnia, et singula alia in prædictis, et circa ea, ac pro praemissis necessaria quomodolibet, vel opportuna, gerendi, faciendi, exercendi, et exequendi, etiam si talia essent, quae Mandatum exigerent speciale, vel in generali Commissione non caderent, quae eidem Fraternitati tuae huiusmodi opportuna videbuntur, quibuscunque Privilegiis, Indulgentiis, Exceptionibus, et Literis Apostolicis generalibus, vel specialibus, sub quacunque forma, vel expressione verborum concessis, per quae nulli cuiquam in hac parte volumus afferre suffragium, plena authoritate Apostolica, tenore praesentium Tibi potestatem concedimus, et pariter facultatem. Quocirca Fraternitati tuae per Apostolica scripta committimus, et mandamus, quatenus iniunctum Tibi Ministerium laborum huiusmodi, pro nostra, ac dictae Sedis reverentia, devote suscipias, et sic illud utiliter, atque sollicite, et laudabiliter exequaris, quod de tuis laboribus Divina favente Clementia desiderati, et pacifici fructus adveniant, quos speramus, Tuque illam, quae pias, pacificasque causas gerentibus, cœlesti retributione im-

Anno 1482.

ANNO 1482. impenditur, feliciter conſequi palmam gloriae merearis. Nos enim ſententias, quas rite tuleris, et pœnas inflixeris in rebelles, ratas habebimus, et faciemus Auctore Domino, uſque ad ſatisfactionem condignam inviolabiliter obſervari. Ut igitur praemiſſa omnia plenius, et efficacius ſortiantur effectum, per viſcera Miſericordiae Dei noſtri obſecramus omnes Principes, Duces, Civitatum Communitates, et alios ſupradictos, Archiepiſcopis vero, Epiſcopis, et Electis Adminiſtratoribus, et Abbatibus, caeterisque Eccleſiarum, et Monaſteriorum Praelatis, et aliorum Ordinum quorumcunque Prioribus, Praeceptoribus, et Magiſtris Religionum exemptis, et non exemptis, & Conventibus, ac eorum loca tenentibus, infra limites tibi factae Commiſſionis conſiſtentibus, in virtute ſanctae obedientiae diſtricte praecipimus, quatenus Tibi, aut deputandis a Te circa concluſionem, & obſervantiam praemiſſorum, & cuiuslibet eorundem, quotiens eos requiri contigerit, faveant modis omnibus, & aſſiſtant, ut per ſalutare Concordiae miniſterium inter ipſas partes refloreant pax, & quies, prout ſummopere affectamus, ut videlicet noſtram, & praefatae Sedis Benedictionem, & gratiam, ab auctore Pacis valeant æternae beatitudinis munera promereri. Datum Romae apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicae milleſimo quadringenteſimo octuageſimo ſecundo. Pridie Idus Julii, Pontificatus noſtri anno undecimo.

LXXXIX.

1484. SIXTUS *PP.* IV. *ſignificat Capitulo Rigenſi, Archiepiſcopatum Rigenſem a ſe cuidam Michaeli nomine Electo Rigenſi collatum eſſe.* Dat. Romæ d. 4. Junii. An. 1484. *Ex Archivo Magni Ducatus Litvaniæ.*

SIXTUS Epiſcopus Servus Servorum Dei: Dilectis Filiis Capitulo Eccleſiæ Rigenſis, Ordinis Militiæ Beatæ Mariæ Theutonicorum Jeroſolimitanorum ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Eccleſiæ veſtræ per obitum bonæ memoriæ Stephani Archiepiſcopi Rigenſis, extra Romanam Curiam defuncti, Paſtoris ſolatio deſtitutæ, de Perſona dilecti Filii Michaelis Electi Rigenſis, Nobis, & Fratribus noſtris, ob ſuorum exigentiam meritorum accepta, de Fratrum eorundem conſilio, authoritate Apoſtolica duximus providendum, præficiendo eum illi in Archiepiſcopum, & Paſtorem, ac curam, & adminiſtrationem ipſius Eccleſiae ſibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo, prout in noſtris inde confectis Literis plenius continetur. Quocirca Diſcretioni veſtrae per Apoſtolica Scripta mandamus, quatenus praedicto Electo, tanquam Patri, & Paſtori animarum veſtrarum humiliter intendentes, ac exhibentes ei obedientiam, & reverentiam debitas, & devotas, eius ſalubria monita, & Mandata ſuſcipiatis humiliter, & efficaciter adimplere curetis. Alioquin ſententiam, quam idem Electus rite tulerit in rebelles, ratam habebimus, & faciemus Auctore Domino, uſque ad ſatisfactionem condignam inviolabiliter obſervari. Datum Romae apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicae milleſimo quadringenteſimo octuageſimo quarto, Pridie Nonas Jun. Pontificatus noſtri Anno tertio decimo. ANNO 1484.

XC.

1501. *Unio, & Confœderatio inter* ALEXANDRUM *Magnum Ducem Litvaniæ, &* VOLTHERUM *de* PLETTENBERGK *Magiſtrum Livoniæ contra* IVAN WASILOWICZ *Magnum Ducem Moſchoviæ, ad decennium inita.* Actum in Caſtro Wexden feria ſecunda proxima ante Feſtum Nativitatis Sancti Joannis Baptiſtæ, Anno 1501. *Ex Archivo Magni Ducatus Litvaniæ.*

In Nomine Sanctæ, & Individuæ Trinitatis, Amen.

Cum poſt innumeros rerum ſucceſſus, etiam naturae legibus, iuriumque præceptis abunde conſtet, humanam inprimis ſocietatem, et benevolentiam eſſe, a qua quicquid boni, ac felicitatis datum eſt mortalibus, inceſſanter emanet, et profluat, nosque proinde ad amicitiam, mutuamque caritatem divinis monitis ſalubriter invitemur. Ex quo rationi conſentaneum eſt, et perſvaſum, concordia parvas res creſcere, et auctas ſolide ſtabiliri, diſcordia vero maximas et dilabi, et in præcipitium agi. Hinc eſt, quod Nos WOLTHERUS *de Plettenbergk* inclyti Ordinis Militiae Glorioſiſſimæ Virginis Mariæ Theutonicorum per Livoniam Magiſter, prahabito inprimis Reverendiſſimi in Chriſto Patris, et Domini noſtri MICHAELIS Sanctæ Rigenſis Eccleſiae Archiepiſcopi, nec non Reverendorum in Chriſto Patrum, et Dominorum Epiſcoporum, Tarba-

ANNO 1501. tensis, Oſiliensis, Curoniensis, et Revaliensis Eccleſiarum, eorundemque Dominorum Conſiliariorum maturo conſilio, et conſenſu, una cum noſtri Ordinis Dominis Conſiliariis, et Fratribus, Henrico Wander Bruxxen Lantmarſchalco, Novemaro de Delivick in Vellin, Joanne de Reche, alias de Summeren in Revalia, Joanne Starl, de Horſtera in Jerven, Henrico de Gallen in Soldingen, Veſello de Strimolede in Mariemburg, Euherdo Werminckhuſen in Pernoniwe, Joanne Vincken de Onerberch in Dyneborgh, et Joanne Plater, in Carhnis, Commendatoribus, et Præceptoribus, aliisque noſtris Conſiliariis Spiritualibus, et Sæcularibus, Vaſallis, et Subiectis, animadvertentes, et non ſine gravi animi noſtri mœrore conſiderantes, quomodo Magnus Dux Moſcoviensis IVAN WASILOWICZ, cum ſuae ditioni ſubiectis, confœderatis inſuper cum Tartaris, et cæteris quibusdam Machometicae Sectae Principibus, per inexplebilem impietatis ſuae tyrannidem, infinitas devaſtationes, Sanguinis Chriſtiani crudeliſſimam effuſionem, populorum abductionem in ſervitutem miſerrimam, terrarum iniuſtam occupationem, ſpoliationes, cædes, latrocinia, ſacrilegia, incendia, rapinas, aliasque multiformes iniurias, et iniquas irrogationes, ne dum in noſtris Livoniae partibus, ſeu etiam Sveciæ Regno, verum etiam nunc in Magno Ducatu Litvaniæ, et Dominiis ſibi ſubiectis, contracti tamen, iuratique Fœderis Induciarum, ſive Treugarum decennalium nobiſcum, et amicitiæ cum Terris prædictis penitus immemor, hoſtiliter exercens, plane ſatagat, paret, et ſuggerat, in dies magis, ac magis Sacroſanctam Romanæ, et Latinæ Eccleſiæ Religionem, in ſuam Schiſmaticam perfidiam in his finibus, quod abſit, inhumaniter convertere, et tam immenſo Terrarum noſtrarum, ac Chriſtianae fidei periculo, prout merito debemus, pro viribus obviare cupientes, curaque diligenti perpendentes, quod tam pervigil zelator Chriſtiani nominis Sereniſſimus Princeps Dominus ALEXANDER Magnus Dux per Litvaniam, ex debito eiusdem noſtrae Religionis, et zelo iuſtitiae in tantis periculis ſine auxilio ſit minime deſerendus, operæ pretium duximus, et nobis conſultum viſum eſt, quomodo Romanae inprimis Sacroſanctae Religionis defenſioni, et noſtris Dominiis provideremus, novam quandam Unionem, Ligam, ſeu Fœdus amicitiae contrahere, facere, inire, et concludere, præſentibusque contrahimus, facimus, inimus, et concludimus cum eodem Sereniſſimo Principe Domino ALEXANDRO Magno Duce Litvaniae, ac Terrarum Samogitiæ, Ruſſiæ etc. Domino, et Hærede præfato, nec non cum omnibus ſuis Conſiliariis Spiritualibus, et Sæcularibus, videlicet Reverendis, Magnificis, Generoſis, Strenuis, et Nobilibus, Alberto Epiſcopo, Nicolao Radziwiłowicz Palatino Vilnenſi, et Magni Ducatus Litvaniae Cancellario, Joanne de Zabrezie Palatino Trocenſi, et Magni Ducatus eiusdem Marſchalco ſupremo, Alexandro Jurgiewicz Caſtellano Vilnenſi, et Capitaneo Grodenſi, Staniſlao Janowicz Capitaneo Samogitienſi, et Caſtellano Trocenſi, Simone Jurgiewicz Capitaneo Novogrodenſi, et Campi Ductore Ducatus eiusdem, Nicolao Mikołaiewicz Suppincerna, et Capitaneo Bielſcenſi, Alberto Gaſtoldowicz, Staniſlao Pitkowicz Capitaneo Breſtenſi, Januſio Alexandrowicz Inciſore, et Tenutario Słonimenſi, Staniſlao Janowicz Zabrzezinſki Capitaneo Brallavienſi, Georgio Ilinicz Tenutario Lidenſi, et Mareſchalco Domini Magni Ducis, Michaele Glinſki Marſchalco Curiae Magni Ducis, Alberto Kleczko Capitaneo Kownenſi, Bartoſſio Zaborowicz Mareſchalco eiusdem Domini Magni Ducis, Alexandro Szotkowicz, Petro Olechnowicz Magiſtro Coquinae Domini Magni Ducis, Fietko Chreptowicz Vice-Theſaurario Domini Magni Ducis, Nicolao Gwigiłowicz Magiſtro Coquinae Curiae Domini Magni Ducis, & Nicolao Narbutowicz, una cum omnibus aliis Epiſcopis, Prælatis, Palatinis, Baronibus, Nobilibus, & Subditis Domini Magni Ducis prædicti, & toto Ducatu Litvaniæ, ſibique ſpectantibus Terris, & Dominiis, contra, & adverſus expreſſum IVAN WASILOWICZ Ducem Moſcovienſem modernum, & eius Succeſſores, ſibique adhærentes Ruthenos, & adiutores omnes, hoſtes Livoniae, & Litvaniae Dominiis, eandemque Ligam, & Fœdus, ut præmittitur, per præſentes contrahentes, facientes, & ineuntes, eam firmiter obſervare volumus, & promittimus ad decennium, & tunc, vel ulteriorem huiusmodi Ligam, vel perpetuam firmabimus, prout Nobis, & præfato Sereniſſimo Domino Magno Duci, cum ſuis Conſiliariis, aut noſtris, ex utraque parte Succeſſoribus viſum fuerit, vel prout belli, aut Pacis tempus tunc expoſcet. Vt autem iſta Unio prædicta, & Confœderatio eo diligentius obſervetur, per Articulos infraſcriptos eſt ordinata. Inprimis Nos VOLTHERUS *de Plet-* ANNO 1501.

Anno 1501. *Plettenbergk* Magiſter per Livoniam, una cum Dominis Conſiliariis noſtris praeſcriptis, volumus, & promittimus ſtante tempore huiusmodi Ligae conditiones Belli, aut Pacis nullas attentare cum Duce expreſſo Moſcovienſi, ſine conſenſu, & voluntate Sereniſſimi Domini Magni Ducis præfati, & ipſius Conſiliariorum. Si vero contingeret Nos aliquas Treugas Pacis cum expreſſo Duce Moſcovienſi attentare, illud inſimul, & in ſolidum cum voluntate, & Conſilio præfati Sereniſſimi Domini Magni Ducis Litvaniae promittimus, & volumus facere per communes ex utraque parte Oratores, & Nuntios, eademque Legatione, & Literis eadem Pacta Pacis, eodem vigore, & tenore, aut quomodo videbitur uniformiter firmando. Sed cum Nobis occaſio, & neceſſitas bellandi incubuerit, prout iam incumbit, tunc Nos præfato Sereniſſimo Domino Magno Duci aptum, & poſſibile tempus dare, & aſſignare volumus, & debemus, in quo Copias ſuas accumulare, & ordinare poſſit, ita quod ſub uno, & eodem tempore, ex utraque parte, et ex his Terris Livoniae, & ex Ducatu Litvaniae Copiae, ſeu Exercitus hominum in Dominia Ducis Moſcovienſis ingrediantur. Si autem Dux Moſcovienſis citius Livoniam, vel Litvaniam invaſerit, quam huiusmodi omnes Copiae, ut præmiſſum eſt, congregarentur, pro tempore mutuo inter ſe recepto, tunc aggreſſa per eum Terra, & moleſtata, illud alteri celeriter ſignificare debebit, & tunc ſine mora Pars altera viciſſim invadere debet, & tenebitur Terram Moſcovienſem, vel ſibi adiacentem, & tam diu bello agere, quousque moleſtata, & oppreſſa per hoſtes Terra huiusmodi auxilio Confœderationis liberaretur. Huiusmodi autem auxilia fieri debent ex utraque parte propriis impenſis, & quod abſit, damnis quibuscunque, fideliter, & ſincere. Quod ſi felici Marte, favente Deo altera Partium huiusmodi Ligae, Terram Moſcovienſem invadens, ibidem Dominia aliqua, Caſtra, aut Oppida obtinuerit, illa ſibi uſurpare, & obtinere poterit, & debebit, niſi fortaſſis mutua potentia, impenſis, et communi bello aliquid acquiſitum, et occupatum fuerit, tunc tale acquiſitum ſecundum labores, et impenſas uniuscuiusque Partis, absque præiudicio, amicabiliter ſortiri debet, et tenebitur. Si vero aliqua Dominia, Caſtra, vel Oppida ipſius Ducis Moſcovienſis ſe ſponte alteri Partium prædictarum ſubiicere voluerint, extunc una Pars ſine ſcitu, et conſenſu alterius Partis, huiusmodi ſuſcipere non debebit. In præſcriptis vero Tractatibus, et belli negotiis contra Ruthenos, nulla Pars excuſare ſe debebit aliqua neceſſitate, caſu, vel cauſa, ſeorſim a Ruthenis manendo. Excepto tamen ſi fortaſſis aliqua inopina occaſione, quod Deus avertat, et nequaquam ſperatur, Terrae Ordinis noſtri per Pruſſiam, vel Livoniam, ab aliis ſuis adverſariis, quam ipſis Ruthenis hoſtiliter invaderentur, tunc neceſſitate huiusmodi urgente laborare oporteret propter Treugas Pacis cum Ruthenis, etiamſi tales aliquomodo inconvenientes eſſent, cum Terrae Ordinis noſtri, in ſuis neceſſitatibus ſe invicem deſerere non poſſint. Caſu autem interveniente, quod abſit, quod Nos, aut expreſſus Sereniſſimus Dominus Magnus Dux Litvaniæ, ante expletum tempus huiusmodi confœderatae Ligae ab hac vita diſcederemus, tunc non impedientibus obitibus noſtris, Domini Prælati, Lantmarſchalcus, Præceptores, Commendatores, Conſiliarii prædicti, et generaliter omnes ſubditi noſtri, et ſimiliter Domini Epiſcopi, Palatini, Barones, Prælati ſpirituales, et ſæculares, Capitanei, Conſiliarii, et generaliter omnes ſubditi, ex utraque parte obligati erunt viciſſim alteri Parti ad tenendum, obſervandum, et effectualiter explendum omnes, et ſingulos Articulos præſentis Ligae, Confœderationis, et Amicitiae contractae. Volumus inſuper, ut vigore præſentis Ligae, Literis perpetuae Pacis, inter expreſſas Terras Ordinis noſtri per Pruſſiam, et Livoniam, et Magnum Ducatum Litvaniae prædictum, nihil præiudicetur. Quod autem tangit Limites inter Terras expreſſi Ordinis noſtri Livoniae, et Magnum Ducatum Litvaniae, tempore opportuniori, et pacatiori ordinabimus, et mittemus Commiſſarios noſtros idoneos, et legales, qui una cum Commiſſariis Sereniſſimi Domini Magni Ducis Litvaniae ad hoc per eum deputatis, amicabiliter agent, iuxta tenorem Literarum perpetuae Pacis, per quos ex utraque parte Commiſſarios diſſenſiones hincinde ſuper Limitibus prædictis, ut decet, ſopientur. Vt igitur huiusmodi Unio, Liga, et Confœderatio tanto ſtudio, ut præmiſſum eſt, contracta, inita, et firmata, poſſit, et valeat ab utraque parte ſincerius cuſtodiri, et obſervari, promittimus in verbo noſtro veriori pro Nobis, et noſtris Succeſſoribus bona fide, attente, et fideliter, absque dolo, et fraude, corporali ſuper id præſtito juramento, hanc Ligam, Amicitiam, et Confœderationem in omnibus ſuis punctis,

Anno 1501.

Anno 1501. ctis, et articulis, ut expreſſum eſt, tenere, et inviolabiliter obſervare, neque ei quovis modo contraire. In quorum omnium, et ſingulorum robur, et firmitudinem maiorem, Sigillum noſtrum una cum Maieſtatis Sigillo, Reverendiſſimique Domini Archiepiſcopi prædicti, et Sigilla Conſiliariorum noſtrorum expreſſorum, nec non quorundam aliorum Domini Archiepiſcopi præfati Conſiliariorum, et cæterorum ſubditorum noſtrorum ſunt appenſa. Datum, et Actum in Caſtro Ordinis noſtri *Wexden*, feria ſecunda proxima ante Feſtum Nativitatis Sancti Joannis Baptiſtæ. Anno Domini milleſimo quingenteſimo primo. *Originales repoſitæ ſunt in Caſtro Trocenſi ſub cura Theſaurarii Terreſtris.*

XCI.

1502. *Tranſumptum Literarum Concilii Baſilienſis, quibus Epiſcopo Raceburgenſi, nec non Tarbatenſis, & Colbergenſis Eccleſiarum Præpoſitis mandat, ut Archiepiſcopum Rigenſem, Præpoſitum, Decanum &c. in bonis, ac poſſeſſionibus ad eos pertinentibus conſervent. Ex Archivo Magni Ducatus Litvaniæ.*

Reverendiſſimis ac Reverendis in Chriſto Patribus, ac Dominis, Dominis Almariensis, Inſignium Colomensis, Magdeburgensis, Bremensis, et Gneſnensis Archiepiſcopis, nec non Traiectensis, Monaſteriensis, Halberſtadensis, Hildeſemensis, Caminensis, Verdensis, Swernensis, Paderbornensis, Mindensis, Oſnaburgensis, Merſeburgensis, Nauemburgensis, Miſnensis, Wratiſlavienſis, Lubicensis, Tarbatensis, Oſiliensis, Curoniensis, Revaliensis, Warmiensis, Sambiensis, Pomeſaniensis, Wladiſlaviensis, ac Wilnensis, Eccleſiarum Epiſcopis, ſeu Adminiſtratoribus, eorumque, ſeu cuiuslibet ipſorum in ſpiritualibus, et temporalibus, Vicarriis, et Officialibus Generalibus, Venerabilibusque, ac Circumſpectis Viris, et Dominis earundem Eccleſiarum tam Metropolitanarum, quam Cathedralium, nec non Collegiatarum Beatae Mariae Himburgensis, Bremensis, et Sancti Blaſii Brunſvicenſis, Hildeſemensis Diœceſis, ac Sancti Sebaſtiani, Sancti Nicolai Veteris, et Sanctorum Petri, et Pauli Novae Civitatis Magdeburgenſis, Sanctique Bonifacii, ac Sancti Pauli Halberſtadensis Eccleſiarum, et Sancti Nicolai Stendaliensis, Halberſtadensis Diœceſis Præpoſitis, Decanis, Archidiaconis, Scholaſticis, Cantoribus, Theſaurariis, Cuſtodibus, Canonicis, et Perſonis iurisdictionis Apoſtolicae capacibus, cuiuscunque dignitatis, ordinis, vel conditionis, aut præeminentiae exiſtant, quibuscunque nominibus cenſeantur, aut quacunque præfulgeant dignitate. Nec non Venerabilibus, ac Religioſis Monaſteriorum in Valkenoa Tarbatensis, et in Padis Revalienſis Diœceſis Abbatibus, Prioribus, ſeu Præpoſitis, omnibusque, et ſingulis aliis ſupradictis communiter, et diviſim. Joannes Dei, et Aopoſtolicae Sedis gratia Raceburgenſis Eccleſiae Epiſcopus, Judex delegatus Jurium, Privilegiorum, Libertatum, rerum et bonorum Reverendiſſimi in Chriſto Patris, ac Domini Archiepiſcopi, Venerabiliumque, ac circumſpectorum Virorum Dominorum Præpoſiti, Decani, et Capituli Sanctae Rigensis Eccleſiae, nec non eiusdem Eccleſiae, et Diœceſis totius Cleri, pro tempore exiſtentium authoritate Sacroſanctae Synodi Baſiliensis in Spiritu Sancto legitime congregatae, Vniverſalem Eccleſiam repreſentantis cum clauſula, *quatenus vos duo, aut unus veſtrum* ſpecialiter deputatus, Salutem in Domino ſempiternam, ac noſtris imo verius dictae Synodi, et Divinis obedire mandatis. Literas eiusdem Sanctae Synodi Generalis Nobis nuper pro parte præfatorum Reverendiſſimi Domini Archiepiſcopi, Præpoſiti, Decani, Capituli, et Cleri præſentatas, cum Bulla plumbea in cordula canapea ſubimpendente bullatas, ſalvas, ſanas, ac integras, non vitiatas, non cancellatas, vel abraſas, ſed omni prorſus vitio, ac ſuſpicione carentes cum ea, qua decuit, reverentia noveritis nos recepiſſe, huiusmodi ſub tenore. Anno 1502.

Sacrosancta Generalis Synodus Basiliensis, in Spiritu Sancto legitime congregata Vniverſalem Eccleſiam repræſentans, Venerabili Epiſcopo Raceburgenſi, et dilectis Eccleſiae Filiis Tarbatenſi, et Beatae Mariae Colbergensis, Caminenſis Diœcesis, Eccleſiarum Præpoſitis Salutem, et Omnipotentis Dei Benedictionem. Sane lamentabilis querela pro parte Venerabilis Archiepiſcopi Rigensis, et dilectorum Eccleſiae Filiorum Præpoſiti, Decani, et Capituli Eccleſiae, ac Vniverſi Cleri Civitatis, et Diœcesis Rigensis nuper nobis exhibita continebat, quod nonnulli iniquitatis filii, a quorum oculis timor Dei abſceſſit, nonnullos cenſus, reditus, terras, Civitates, Villas, Caſtra, aliaque bona mobilia, et immobilia ſpiritualia, et temporalia

Anno 1502. lia ad ipsos communiter, et divisim spectantia occupare, et detinere, ipsisque, seu cuilibet ipsorum super præmissis multiplices molestias, & iniurias irrogare præsumpserunt hactenus, & indies præsummere non verentur. Quare Nobis humiliter supplicarunt, ut eis super his opportune providere dignaremur. Nos igitur Archiepiscopo, Præposito, Decano, Capitulo, & Clero prædictis super his, eo volentes remedio providere, quo præsumptorum huiusmodi inposterum temeritas, & similia committendi aditus præcludatur, Discretioni vestræ per hæc nostra Scripta in virtute Sanctæ Obedientiæ committimus, & mandamus, quatenus Vos, vel duo, aut unus vestrum per Vos, vel alium, seu alios, Archiepiscopo, Præposito, Decano, Capitulo, & Clero præfatis, & eorum singulis efficacis defensionis præsidio assistentes, non permittatis eos super præmissis, & quibuscunq; aliis bonis, & iuribus ad ipsos, & eorum quemlibet spectantibus, ab eisdem præsumptoribus, vel quibuscunque aliis personis cuiuscunque etiam præeminentiæ, status, aut conditionis fuerint, indebite molestari, aut eis gravamina, vel damna, seu iniurias irrogari, facturi ipsis, & eorum cuilibet, cum ab eis, vel eorum aliquo super hoc fueritis requisiti, de prædictis personis, vel aliis super restitutione huiusmodi iurium, bonorum, redituum, & proventuum, Terrarum, Civitatum, Villarum, Castrorum, & aliorum quorumcunque bonorum mobilium, & immobilium, nec non quibuscunque molestiis, iniuriis, atque damnis præsentibus, & futuris, in illis videlicet, quæ requirunt iudicialem indaginem, summarie de plano sine strepitu, & figura iudicii, sola facti veritate inspecta; in aliis vero, prout qualitas exegerit, iustitiæ complementum, non obstantibus tum felicis recordationis Bonifacii Papæ Octavi, quibus cavetur, ne aliquis extra suam Civitatem, vel Diœcesim, nisi in certis exceptis casibus, & in illis ultra unam dictam a fine suæ Diœcesis ad iudicium evocetur, seu quod iudices a se deputati extra suam Civitatem, & Diœcesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscunque procedere, aut alii, vel aliis vices suas committere, seu aliquos ultra unam dictam a fine Diœcesis eorundem trahere non præsumant, ac de duabus dictis in Concilio Generali, quam aliis quibuscunque Constitutionibus Apostolicis, tam de iudicibus, quam de personis ultra certum terminum ad iudicium non vocandis, aut aliis editis, quæ vestræ possent in hac parte iurisdictioni, vel potestati, eiusque libero exercitio quomodolibet obviare, seu de aliquibus communiter, vel divisim, quacunque authoritate sit indultum, quod excommunicari, suspendi, vel interdici non possint per Literas quascunque, non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Cæterum volumus, & decernimus per Præsentes, quod a data Præsentium sit vobis in præmissis omnibus, & eorum singulis ceptis, & non ceptis præsentibus, & futuris perpetuata potestas, & iurisdictio attributa, ut eo vigore, eaque firmitate possitis in præmissis ceptis, & non ceptis, præsentibus, & futuris pro prædictis procedere, ac si supradicta omnia, & singula coram vobis cepta fuissent, & iurisdictio vestra in præmissis per citationem, vel modum alium perpetrata legitime extitisset, Constitutionibus contrariis non obstantibus quibuscunque, contradictores, & rebelles per Censuram Apostolicam appellatione postposita compescendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis, præsentibus, perpetuis futuris temporibus duraturis. Datum Basileæ decimo sexto Kalendas Januarii Anno a Nativitate Domini millesimo quadringentesimo tricesimo quarto. Nos vero Joannes Episcopus, & Delegatus antedictus, nostris, & Ecclesiæ nostræ, aliisque pluribus negotiis plurimum praepediti, ita, quod causis, & negotiis dictorum Dominorum Reverendissimi Archiepiscopi, Præpositi, Decani, Capituli, ac universi Cleri Civitatis, & Diœcesis Rigensis, aut singularum personarum iuxta Literas præinsertas commode nequeamus intendere, ideoque de legalitate, & industria Vestrarum Reverendissimarum, ac Reverendarum Paternitatum, vestrorumque Venerabilium Virorum Dominorum, quibus præsentes nostræ Literæ communiter, vel divisim diriguntur, ad plenum, prout possumus, merito confidentes, Authoritate Nobis concessa, Vobis, & unicuique vestrum, dummodo Præsentibus requisiti fueritis, in universis, & singulis eorum causis, & negotiis, ipsosque, seu eorum alterum concernentibus, contra etiam quoscunque, census, reditus, Terras, Civitates, Villas, Castra, aliaque bona mobilia, & immobilia, spiritualia, & temporalia ad ipsos Dominum Archiepiscopum, Præpositum, Decanum, Capitulum, seu universum Clerum communiter, vel divisim spectantia occupantes, & detinentes, ac quoscunque iniuriatores alios, quibuscunque nominibus censeantur, aut quacunque præfulgeant dignitate, in hac parte Authoritate nostra subdelegandos, ac

Anno 1502.

Anno 1502. deputandos duximus, vicesque noſtras ipſis, & eorum cuilibet coniunctim, & diviſim committendum duximus, prout ſubdelegamus, deputamus, ac committimus in Dei Nomine per Præſentes, donec eas ad Nos duxerimus revocandas, ſupplicantes nihilominus, & in Domino hortantes, Vobis, & veſtrum cuilibet in virtute Sanctæ Obedientiæ, & nihilominus ſub excommunicationis pœna diſtricte præcipientes mandamus, quatenus Vos Domini Subdelegati præfati, Reverendiſſimo Domino Archiepiſcopo, Præpoſito, Decano, Capitulo, totiq; Clero Civitatis, & Diœceſis Rigenſis in huiusmodi eorum cauſis, & negotiis, prout ſuper hoc fueritis requiſiti, ſeu alter veſtrum fuerit requiſitus, ita tamen, quod in his exequendis unus veſtrum alterum non expectet, nec alter pro alio ſe excuſet, faciatis, & exhibeatis, ac quilibet veſtrum faciat, & exhibeat ob reverentiam dictæ Synodi Baſilienſis, in Spiritu Sancto legitime congregatæ, debitæ iuſtitiæ complementum, cum intimatione, quodſi Vos contigerit ſuper præmiſſis, aut eorum aliquo procedere, ſuper quo omnimodam Vobis poteſtatem reſervamus. Per hoc autem non intendimus, neque volumus huiusmodi noſtram Commiſſionem, ſive Subdelegationem in aliquo revocare, niſi de revocatione ipſa ſpecialem, & expreſſam fecerimus in noſtris Literis mentionem, quodque etiam per præſentem noſtram Commiſſionem, ſive Subdelegationem nolumus, neque intendimus noſtris in hac parte Collegis in aliquo præiudicare, quominus ipſi, & eorum quilibet, huiusmodi noſtra Commiſſione, ſive Subdelegatione ſemper ſalva, poterint, & valeant, & eorum quilibet poterit, & valeat dicta Authoritate procedere, quandocunque ipſis, ſeu eorum cuilibet id viſum fuerit expedire. In quorum omnium, & ſingulorum fidem, & teſtimonium præmiſſorum, præſentes noſtras Literas, ſive præſens publicum Subdelegationis Inſtrumentum exinde fieri, & per Notarium Publicum, Scribamque noſtrum infraſcriptum exinde ſubſcribi, & publicari mandavimus, noſtraque Sigilli iuſſimus, & fecimus appenſione communiri. Datum, & Actum Raceburg apud Eccleſiam noſtram, in Curia habitationis noſtræ, ſub Anno a Nativitate Domini milleſimo quingenteſimo ſecundo, Indictione quinta, die vero Lunæ decima octava Menſis Julii, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini noſtri, Domini Alexandri Divina Providentia Papæ Sexti, Anno nono. Præſentibus ibidem Venerabilibus, & egregiis Viris, & Dominis Joanne Langeſchan Decano Swernenſi, ac Alberto Mache Priore Eccleſiæ Raceburgenſis, Sacrorum Jurium Divinorum, Humanorumque Doctoribus, Teſtibus ad præmiſſa vocatis. Anno 1502.

Et Ego Henricus Weſtwell Clericus



Raceburgenſis Diæceſis, Sacra Imperiali Authoritate Notarius. Quia huiusmodi Literarum prædictarum præſentationi, & receptioni, ac Subdelegationi, omnibusque aliis, & ſingulis, dum ſic, ut præmittitur, fierent, & agerentur, una cum prænominatis teſtibus præſens interfui, eaque omnia, & ſingula ſic fieri vidi, & audivi, ac in notam ſumpſi; Ideoque hoc præſens publicum Inſtrumentum, manu aliena, me aliis præpedito negotis fideliter ſcriptum, & ingroſſatum exinde confeci, ſubſcripſi, & publicavi, & in hanc publicam Formam Inſtrumenti redegi, Signoque, nomine, & cognomine meis ſolitis, & conſvetis, una cum præfati Reverendi Patris, & Domini, Domini Epiſcopi Judicis delegati appenſione ſigilli ſignavi. In fidem, & teſtimonium omnium, & ſingulorum præmiſſorum rogatus, & requiſitus.

XCII.

Literæ Alexandri *Regis Poloniæ ad Magiſtrum Livoniæ, de negotio Pacis ineundæ cum Duce Moſcoviæ.* Dat. Vilnæ d. 7. Decemb. An. 1502. *Ex Archivo Magni Ducatus Litvaniæ.* 1502.

Alexander Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, &c. Magnifice, & Venerabilis Domine, Amice Nobis dilecte. Quamvis non dubitemus, quia ex Reſponſo noſtro per Nos Generoſo, & Strenuiſſimo Joanni Hildorff ad veſtram Charitatem dato, ſuper Legatione nuper ad Nos perorata, intellexit Veſtra Charitas quibus reſpectibus movemur ad conditiones Pacis, & pro Nobis, & pro Veſtra Charitate cum Moſcoviæ Duce, tamen etiam in præſentiarum eorundem memorabimur. Et cum Sanctiſſimus Dominus noſter Papa Nos hortetur, ut Pacem habere velimus, cuius gratia Sanctitas Sua ſpecia-

Anno 1502. Speciales Breves, & Nobis, & Duci Moſcoviæ Literas porrexit, Reverendiſſimoque in Chriſto Patri Domino Petro Cardinali *Regino* ad Hungariæ, Poloniæ, & Bohemiæ Regna, ac ad Principatus Litvaniæ, Pruſſiæ, Livoniæ, & Moſcoviæ, &c. de Latere Legato, & Sereniſſimo Domino Hungariæ, & Bohemiæ Regi, Germano noſtro, cuius Serenitatem ad id perſvaſam accepimus ex parte Sedis Apoſtolicæ, & per Literas, & per Nuntios perſvadendo ad pacem, ſeu ſufferentias pacis cum Duce prædicto. Cumq; Nuntius apud Nos egiſſet cum Literis brevibus Sedis Apoſtolicæ, ac Credentiis Dominorum Regis, & Legati eorundem, Moſcoviam verſus profectus, illud tandem Nuntius ipſe a Nobis obtinuit, quia decreturi eramus noſtros poſt eum Oratores, una cum Veſtræ Charitatis Oratoribus. Inſuper accedebat Conſiliariorum Ducis Moſcoviæ perſvaſio Conſiliariis noſtris Magni Ducatus Litvaniae ſcripta ad pacem aequis conditionibus faciendam. Certi etiam contigerant hac tempeſtate eventus in Regno noſtro non minus ſuper id ducentes Nos rationabiliter, prout eosdem eventus Joannes Hildorff ex Nobis intellexit, & Veſtrae Charitati relaturus erat, quapropter adhortationibus, perſuaſionibusque illis conſentientes, Nos in ea re Sedi Apoſtolicae benevolos exhibuimus, credentes iſtud Veſtrae Charitati non ingratum futurum, quandoquidem nihil velimus in ea re, niſi id, quod Nobis, ſimul quoque Charitati Veſtrae, & utile, & honeſtum eſſet. Credimus etiam Veſtram Charitatem iſtarum rerum notitiam accepiſſe ab eodem Joanne Hildorff ſic, ut geſtae ſunt, utque a Nobis reſponſum habuit, quarum non fuiſſemus memorati, Praeſentium ſerie, niſi expectaſſemus Veſtrae Charitatis aviſamentum. Sic enim eſt, quia Veſtra Charitas ſignificatura erat Nobis, ſi ſuos decretura eſſet Oratores cum noſtris Moſcoviam ituris, quos quidem ſperavimus venturos, nec intelligimus impediri aliqua indignitate rei proceſſuum huiusmodi, nam ex noſtro, & Veſtrae Charitatis arbitrio dependent conditiones ſuſcipiendae pacis, ideo mirati ſumus, cur uſque in praeſens ſuam Nobis non denuntiavit voluntatem. Noſtri enim Oratores in ſpem aliorum ex parte Veſtrae Charitatis venturorum profecti ſunt hinc, & pro Feſto Epiphaniarum conſtituentur, in Smolenſko cum Mandatis, omnia faciendi, quae Nobis, & Veſtrae Charitati honeſta, utiliaque eſſent. Quoniam autem Oratores noſtri, & Nos ipſi intelligere non poſſumus, quid ad partem Veſtrae Charitatis obſervandum eſſet, ſed ipſa ſuos informatura eſt Oratores, quid pro parte Veſtrae Charitatis concludi debeat, idcirco Veſtram Charitatem de eodem Oratorum noſtrorum tranſitu neceſſario aviſatam efficimus. Velit itaque ipſa ſuos Oratores decernere, & inſtruere ſic, ut cum noſtris in Smolenſko conveniant, mutuisque conſiliis Nuntio illi, Apoſtolicae Sedis nomine medianti, tantum intendant, tantumque tractent, & agant ſecum, quantum videbitur & utile, & honeſtum Nobis, ac Charitati Veſtræ, iſtud ſibi ipſi Charitas Veſtra perſvaſum habitura, quia Oratores noſtri non aliter mutuis quibuscunque conſiliis connexis proſequuturi erunt Tractatus, quam ſic, ut nihil facturi eſſent absque ſcitu, & arbitrio Oratorum Charitatis Veſtræ, prout etiam iſte tabellarius noſter Gabriel referet Charitati Veſtræ, cui dare velit fidem noſtro nomine. Cæterum ſciat Charitas Veſtra, noſtras armorum gentes his diebus munitionem Popowagora, quod latino intelligitur ſermone, Mons Presbyteri, ſub hoſtibus gravibus intercepiſſe, Moſkos fugæ præſidio conſuluiſſe tunc ſaluti, ſed non abſque interitu multorum. Nondum tamen certi ſumus quo ordine, & quanti cecidere utrinque, ſed certum eſt noſtros evaſiſſe victores, &c. bene ſperamus rebus noſtris, opitulante Deo, Nos in omnem eventum id proſecuturos, quod placet Sanctiſſimo Domino noſtro Papæ. Charitas Veſtra bene valeat, Datum Vilnæ ſeptima Decembris Anno Domini milleſimo quingenteſimo ſecundo, Regni vero noſtri primo. Anno 1502.

XCIII.

Deſignatio Commiſſariorum cum plena poteſtate, ad conſtituendos Limites inter Magnum Ducatum Litvaniæ, & Terras Livoniæ. Datum Grodnæ in Conventione Generali feria ſecunda infra Octav. Nativ. Domini, An. 1505. *Ex Archivo Magni Ducatus Litvaniæ.* 1505.

Alexander Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Samogitiæque Dominus, & Hæres &c. Ad univerſorum deducimus notitiam per Præſentes. Quomodo cupientes fines limitum, & granicierum Magni noſtri Ducatus Litvaniæ pacatos reddere, omniumque diſplicentiarum, & iniuriarum materias, ac fomites diſſenſionum inter Nos, & ſubditos noſtros ex una,

Anno 1505. una, ac Venerabilem, & Magnificum Dominum Valterum de Plettenberg Magiſtrum Livoniæ ſincere Nobis dilectum, ſubditosque ipſius earundem granicierum occaſione, partibus ab altera exortas, & indies emergentes ſuffocare, volentesque, ut granicies ipſae ad finem bonum, & amicabilem deducantur, diſſenſionesque ipſarum occaſione quocunq; modo ſubortæ ſopiantur, & extinguantur, ac iuſtitia ſubditis utrisque æquo libramine miniſtretur, omnibus melioribus modo, via, iure, cauſa, & forma, quibus melius, & efficacius fieri poterit, matura inter Nos deliberatione præhabita, ac de conſilio Conſiliariorum noſtrorum ſpiritualium Prælatorum, & ſaecularium Ducum, Baronum, Procerum, & Nobilium fecimus, conſtituimus, curavimus, ordinavimus, & deputavimus, Praeſentibusque facimus, conſtituimus, creamus, ordinamus, & deputamus noſtros certos, veros, & legitimos Commiſſarios, Procuratores, Actores, Factores, Nuncios ſpeciales infraſcriptos Magnificos videlicet, & Generoſos, Staniſlaum Hlebowicz Palatinum Polocenſem, Albertum Martini Gaſtoltowicz Pincernam Magni Ducatus noſtri Litvaniae, Capitaneum Novogrodienſem, Albertum Narbutowicz Vexilliferum Curiae noſtrae in Jaswiony, Januſſium Koſzſcewicz Gladiferum noſtrum, in Badunia Tenutarios, & Venerabilem Magiſtrum Adam de Cothra, Canonicum Sandomirienſem Secretarium noſtrum, ſinceros, & fideles noſtros dilectos Conſiliarios, & eorum quemlibet in ſolidum, de quorum legalitatis induſtria, peritia, & aequitate ſingularem obtinemus fiduciam, dantes, conferentes, & concedentes ipſis, & eorum cuilibet plenum mandatum, & omnimodam poteſtatem, facultatem, & authoritatem, cum Venerabilis, ac Magnifici Domini Valteri Magiſtri Livoniae praefati Commiſſariis, Conſiliariis, Nuntiis, Factoribus, ſeu Procuratoribus ad locum ſolitum Kurczmy vulgariter nuncupatum pro Octava Epiphaniae Domini proxime inſtantis termino aſſignato conveniendi, ac cum ipſis tractandi, & conſulendi, granicies quoque, & limites inter Dominia videlicet Magnum Ducatum Litvaniae noſtrum ab una, & Terram Livoniae praedictam parte ab altera, innovandi, reformandi, meliorandi, proſequendi, continuandi, faciendi, diſponendi, & ordinandi, ac Terras Dominiorum praedictorum limitandi, in ipſisque ſcopulos, colliculos, foſſatas, & monticulos ſipandi, locandi, & erigendi, ſigna quoque in arboribus, ſylvis, boris, & nemoribus, lacubus, fluviis, fluminibus, ſtagnis, & aquis, ac locis quibuscunque incidendi, ponendi, figendi, & ſtatuendi, pro iniuriis, damnis, & violentiis illatis iuſtitiam adminiſtrandi, cauſas decidendi, & diffiniendi, pro eisdem Pacem, & Concordiam perpetuam firmandi, faciendi, aliaque omnia, & ſingula faciendi, tractandi, decernendi, ordinandi, & diſponendi noſtro nomine, ac concludendi, quae in praemiſſiis, & circa ea fuerint neceſſaria quomodolibet, & opportuna, & quae Nos ipſi tractare, facere, & ordinare poſſemus, ſi praeſentialiter intereſſemus. Volentes ratum, gratum, atque firmum tenere, & inviolabiliter obſervare, quicquid per dictos noſtros Commiſſarios, & Procuratores actum, factum, ordinatum, & concluſum fuerit, tenore praeſentium mediante in perpetuum. Harum, quibus Sigillum noſtrum Magni Ducatus Litvaniae, quo utimur, Praeſentibus eſt ſubappenſum, teſtimonio Literarum. Datum Grodnae in Conventione Generali Feria ſecunda infra Octavas Nativitatis Domini, Anno milleſimo quingenteſimo quinto, Regni vero noſtri Anno quinto. Anno 1505.

XCIV.

Prohibitiones oppignorationum Domorum, a Civibus Rigenſibus Archiepiſcopo, & Capitulo Rigenſi fieri ſolitarum, inpoſterum per Archipræfectum, & Conſulatum Civitatis Rigenſis non eſſe faciendas. 1506.

In Nomine Domini Amen.

Per hoc præſens publicum Inſtrumentum cunctis pateat evidenter, & ſit notum: Quod anno a Nativitate Domini milleſimo quingenteſimo ſexto, Indictione nona, die vero viceſima octava Menſis Junii, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini, Domini Julii Divina Providentia Papæ II. anno tertio. Cum in quadam communi dieta, & congregatione Prælatorum Patriæ Livoniae, quam dum Reverendiſſimus in Chriſto Pater, & Dominus, Dominus Michael Sanctae Rigenſis Eccleſiae Archiepiſcopus, ac Livoniae, Pruſſiae, Eſtoniae, &c. ac aliarum Terrarum Metropolitanus, & Princeps certis rationalibus, & cauſis Eccleſiae, & Provinciæ ſuæ utilitatem, commodum, & Pacem concernentibus, præfiniviſſet, & conſcripſiſſet, ac eandem dietam cum Reverendis Patribus, & Dominis Gerardo Tar-

ta-

Anno 1506. batenſi, Joanne Oſilienſi, & Henrico Curonienſi Epiſcopis præſentibus, una cum eorundem Dominorum Prælatis, Nobilibus, ac ſubditis infraſcriptis in eorum propriis perſonis de unanimi voluntate, & conſenſu, in Caſtro Eccleſiæ ſuæ Lanzel ſolenniter celebraret. Fuit inter alia propoſita, exhibita, atque producta retroſcripta ſubdelegatio Judicum, cum inſertione Conſervatoriæ, Reverendiſſimi Domini Archiepiſcopi Rigenſis, ac Generalis Cleri Civitatis, & Diœceſis Rigenſis, eisdem a Sacroſacncto Concilio Baſilienſi, gratioſe conceſſa. Quae de mandato dictorum Dominorum diligenter lecta, & auſcultata, ſanaque, & integra Sigillo Reverendi Patris Domini Joannis Epiſcopi Raceburgenſis, ut dictum fuit, ſigillata omnis ſuſpicionis expers, iidemque Domini Epiſcopi, & Prælati, & quilibet eorum in ſolidum pro iuſtitia miniſtranda requiſiti in præſentia circumſpectorum Dominorum Gerardi Hulſther Archipræfecti, ac Proconſulis Martini Brehdfelt Conſulis, ac Magiſtri Bernardi Brand Syndici Civitatis Rigenſis, ex parte Conſulatus Nuntiorum ad dictam congregationem deſtinatorum, fuerunt iidem Archipræfectus, ac ſui nomine Cleri Rigenſis effectualiter impetiti ſuper eo: Quod ipſe Archipræfectus tanquam Caput, et Principalis cum Conſulatu admittit, & admiſit quædam damnabilia decreta, in præiudicium Eccleſiaſticae libertatis. Ita videlicet, quod eorum Cives in aſſecutione alicuius Domus, ſeu poſſeſſionis, in prætorio eorum publice coguntur iurare, quod eandem ullo tempore non velint dare, vendere, alienare, aut impignorare perſonis Eccleſiaſticis. Cum tamen tota Civitas a maiore, uſque ad minorem ſemper in eorum neceſſitatibus, Domus eorum impignorarunt, & impignorant, ſuper annuo, & licito cenſu, prout poſſunt, non obſtante tali iuramento in animarum ſuarum periculum. Inſuper quod Conſulatus ſuper contractibus coram eo celebratis denegant perſonis Eccleſiaſticis eorum Literas ſub Sigillo Civitatis, contra præſcriptam conſvetudinem, ac etiam prohibent expreſſe Civibus, ne coram Officiali Reverendiſſimi Domini Archiepiſcopi compareant etiam in Cauſis Eccleſiaſticis, & Privilegiatis, Oblationes in Eccleſiis ſuis Parochialibus, contra antiquas conſvetudines in præiudicium Curatorum intercedendo, ac nimium conſtringendo, iuxta articulos deſuper in ſcriptis oblatos, prout Reverendiſſimus Dominus Archiepiſcopus eosdem de Conſulatu, ne talia committerent, ſæpius requiſivit, affectatum fuit nomine totius Cleri qualiter ipſi Domini Prælati vigore Conſervatoriae huiusmodi contra Conſulatum, ac quoscunque alios iniuriatores, et invaſores Eccleſiaſticae libertatis procedere, ac iuſtitiam parti læſae impertiri dignarentur. Qui quidem Reverendi Patres, et Domini Tarbatenſis, Oſilienſis, et Curonienſis viſis dictis Literis conſervatorialibus, ac publice lectis, & declaratis, habitaque deliberatione una cum eorum membris infraſcriptis, reſponderunt per Magiſtrum Reverendi Patris Epiſcopi Oſilienſis, ob reverentiam ſacroſanctæ Synodi eisdem Literis tanquam Sedis Apoſtolicae obediendum fore, cum hæc Synodus a Sancta Romana Eccleſia etiam per bonae memoriae Sixtum Papam IV. ut conſtat, ac alios in ſuis bullis acceptata, & approbata ſit, veritas etiam eſt, quod multarum Eccleſiarum, & Diœceſis Clerus ſimili uſus fuerit, & frequenter utitur Privilegio in Conſervatoriis. Ideoque ipſum Archipræfectum nomine Conſulatus ſuper huiusmodi iniuriis Clero irrogatis dure increpavit, ac una voce increparunt, quod talia facientes, & permittentes, de facto eſſent excommunicati, poſſentque vigore præſentium perſonas de Conſulatu Sententias huiusmodi incidiſſe, declarare, a qua ſic nullus eos præterquam Sedes Apoſtolica abſolvere poſſet. Quod audientes Archipræfectus, et ſui copiam dictorum Articulorum ſibi dari rogaverunt, illamque receperunt, volentque illos, et alia nunc occurrentia Conſulatui in eorum reditu proponere, & publicare, ſiquid contra ius actum foret, ſperarent, id totum caritate ſubmoveri, & talia de cætero attemptari non debere. Et nihilominus Domini ipſi contra alios iniuriatores, dum requiſiti forent, aut alter eorum requiretur, prout de iure procedendum, & procedere permiſerunt. Super quibus omnibus, & ſingulis Reverendiſſimus Dominus Archiepiſcopus, ac Venerabiles Domini Caſparus Lunde Decanus, et Joannes de Palis Canonicus, & Senior Eccleſiae Rigenſis, me Notarium publicum infraſcriptum nomine Cleri totius Diœceſis ad dandum unum, vel plura deſuper Inſtrumentum, & Inſtrumenta requiſierunt. Acta fuerunt hæc in Caſtro Lanzel ſupradicto, ſub anno, Indictione die, menſe, et Pontificatu quibus ſupra, præſentibus ibidem, ac dictae intereſſentibus Venerabilibus, ac ſpectabilibus viris Dominis Joanne Duſeborch Præpoſito, & Joanne Konell, Canonico Eccleſiæ Tarbatenſis, Helmolde de Tyſenhuſen

Anno 1506.

ANNO 1506. ſen milite, nec non Joanne de Verkerge Oſilienſis, et Nicolao Curonienſis Eccleſiarum Decanis, una cum præfatorum Dominorum Magiſtris Georgio Helthuſen Henrico, & Ottone Secretariis, eorundemque Dominorum Epiſcoporum Capellanis Curiæ Rectoribus, Saleno de Tyſenhuſen milite, Chriſtiano de Roſis Advocato, Henrico de Sachen in Curonia ſimiliter Advocato, aliisque nobilibus, & laudandis famulis plurimis, in multitudine copioſa ad præmiſſa ſolenniter requiſitis.

Et Ego Georgius Calow Clericus Halberſtadiensis Diœceſis publicus Apoſtolica, & Imperiali Authoritate Notarius. Quia retro ſcripti conſervatoriæ Exhibitioni, articulorum dationi, requiſitioni, ac Cenſurarum Comminationi, dum ſic coram Prælatis ſupra nominatis fierent, & agerentur præſens interfui, eaque ſic vidi, & in notam ſumpſi, ex quo hoc publicum Inſtrumentum confeci, ſubſcripſi, ſignoque, & nomine meis ſignavi rogatus, & requiſitus, in fidem & teſtimonium omnium præmiſſorum. Hæc manu propria ſcribendo, & ſubſcribendo.

XCV.

1508. JULII II. PP. *Sententia, qua decernit ad Præpoſitum, Decanum, & Capitulum Rigenſe, Electionem Archiepiſcopi Rigenſis pertinere.* Datum Romæ, die 5. Aprilis. Anno 1508. *Ex Originali.*

JULIUS Epiſcopus Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Solers, & provida Romani Pontificis circumſpectio, ex iniuncto ſibi deſuper Apoſtolicae ſervitutis officio tanto celerius circa proviſiones Eccleſiarum quarumlibet, præſertim Metropolitanarum pro tempore vacantium providere tenetur, quanto poſſent Eccleſiis ipſis damnoſa provenire diſpendia ex diuturna vacatione earundem. Sane cum a nonnullis vertatur in dubium, an occurrente vacatione Eccleſiae Rigenſis, dilecti Filii Præpoſitus, Decanus, & Capitulum dictae Eccleſiae, qui Ordinis Hoſpitalis Beatae Mariae Theutonicorum Jeroſolimitanorum iuxta quandam Concordiam inter bonae memoriæ SYLVESTRUM dum viveret, Archiepiſcopum Rigenſem, ac tunc Magiſtrum, & Fratres dicti Hoſpitalis initam per felicis recordationis NICOLAUM Praedeceſſorem noſtrum approbatam, fore noſcuntur, ad Electionem Archiepiſcopi iuxta Statuta, Ordinationes, & Concordata olim inter Romanam Eccleſiam, & Nationem Germaniae facta, & per dictum etiam Prædeceſſorem approbata procedere poſſint, pro eo maxime, quod Eccleſia ipſa conſtituta exiſtit in partibus Livoniae, quæ forſan de Natione Germaniae non ſunt, licet Nobiles, & Gubernatores, ac Mercatores partium illarum nec non Cives, & Incolae Civitatum earundem partium idioma almanicum communiter loquantur, ut Almani, ac dictus Archiepiſcopus Sacri Romani Imperii Princeps reputetur, ac etiam quia facultate eligendi iuxta Concordata Nationis huiusmodi, ex certis cauſis hactenus uſi non fuerunt. Nos attendentes, ac ſollicitae conſiderationis indagine perſcrutantes quam ſit onuſta diſpendiis, quam plena periculis, quantaque diſcrimina ſecum trahat, Eccleſiarum, & præcipue dictæ Eccleſiae Rigenſis, cuius Diœceſis pro magna parte in confinibus Ruthenorum Schiſmaticorum conſtituta exiſtit, diuturna vacatio, ac cupientes, ut occurrente vacatione huiusmodi eidem Eccleſiae de futuro Paſtore celerius provideatur, habita ſuper his cum Venerabilibus Fratribus noſtris Sanctae Romanae Eccleſiae Cardinalibus deliberatione matura, non ad alicuius Nobis ſuper hoc oblatae petitionis inſtantiam, ſed ex noſtra mera deliberatione, & ex certa ſcientia, Authoritate Apoſtolica tenore præſentium ſtatuimus, & ordinavimus, ac modernis, & pro tempore exiſtentibus eiusdem Eccleſiæ Rigenſis Præpoſito, Decano, Canonicis, & Capitulo concedimus, quod de cætero futuris perpetuis temporibus quotiens vacatio dictae Eccleſiae nunc, & pro tempore extiterit poſſint ad electionem, ſeu poſtulationem futuri Archiepiſcopi, alias iuxta formam dictorum Concordatorum, libere procedere, ac facultate eligendi, ſeu poſtulandi, & Privilegio Concordatorum huiusmodi uti in omnibus, & per omnia perinde, ac ſi Eccleſia ipſa Rigenſis, illiusque Civitas, & Diœceſis ſub dictis Concordatis vere comprehenderentur, dictique Præpoſitus, Decanus, & Capitulum, illiusque Prædeceſſores in pacifica poſſeſſione eligendi, ſeu poſtulandi hactenus extitiſſent, & de præſenti eſſent, diſtrictius inhibentes dilectis Filiis modernis, & pro tempore exiſtentibus Generali, & per Livoniam Magiſtris, nec non Commendatoribus, Præceptoribus, Militibus, & Fratribus Ordinis, & Hoſpita-

ANNO 1506.

Anno 1508. ſpitalis prædictorum, ac aliis quibuscunque perſonis, cuiuscunque Dignitatis, Status, Gradus, Ordinis, Præeminentiæ, vel conditionis extiterint, in virtute Sanctae Obedientiae, & ſub Excommunicationis latae Sententiae pœna, quam contrafacientes eo ipſo incurrent, ne occurrente vacatione huiusmodi, quotiens illa evenerit, Præpoſitum, Decanum, & Capitulum prædictos, quominus facultate eligendi, ſeu poſtulandi huiusmodi libere uti poſſint, impedire, perturbare, ſeu deſuper moleſtare quoquomodo præſumant, ac decernentes exnunc irritum, & inane, quidquid ſecus ſuper his, etiam per Nos, ſeu Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem, aut Sedem Apoſtolicam, ſeu alias a quoquam quavis etiam Apoſtolica authoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attemptari. Non obſtantibus præmiſſis, ac quibusvis per Nos, vel Succeſſores noſtros Romanos Pontifices pro tempore exiſtentes, aut alias per Sedem prædictam, vel Legatos eiusdem, aut alias ſub quacunque forma, & expreſſione verborum, de Metropolitana, & aliis Cathedralibus Eccleſiis pro tempore factis reſervationibus generalibus, vel ſpecialibus, ac aliis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, Statutis quoque, & conſvetudinibus, ac ſtabilimentis, uſibus, & naturis Ordinis, & Hoſpitalis prædictorum, iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, nec non omnibus illis, quæ dictus Prædeceſſor in Literis ſuper huiusmodi concordatis editis voluit, non obſtare, cæterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem, quod Electus pro tempore ad Eccleſiam ipſam Rigenſem, Confirmationem ſuae Electionis ab eadem Sede infra tempus a Canonibus diffinitum impetrare, & iura Camerae Apoſtolicae propterea debita, prout in Eccleſiis ſub dictis Concordatis vere comprehenſis fieri conſvevit, perſolvere omnino teneatur, alioquin electio pro tempore facta, eo ipſo iuribus vacuata exiſtat, ac Præpoſitus, Decanus, & Capitulum præfati effectu literarum huiusmodi careant, & eligendi poteſtate extunc de cætero ſint privati. Nulli ergo omnino homini liceat hanc paginam noſtrorum Statuti, Ordinationis, Conceſſionis, Inhibitionis, Decreti, & Voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis DEI, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe noverit incurſurum. Datum Romae apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicae milleſimo quingenteſimo octavo. Nonis Aprilis, Pontificatus noſtri anno quinto. Anno 1508.

XCVI.

Idem Revalienſi, & Tarbatenſi Epiſcopis, nec non Officiali Rigenſi mandat, ut Diviſionem inter Canonicos Rigenſes factam inviolabiliter ſervari curent. Datum Romæ, die 9. Junii. 1509. *Ex Originali.* 1509.

Julius Epiſcopus Servus Servorum Dei. Venerabilibus Fratribus Revalienſi, & Tarbatenſi Epiſcopis, ac dilecto Filio Officiali Rigenſi Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Hodie a nobis emanarunt Literae tenoris ſubſequentis. Julius Epiſcopus Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. His, quæ pro perſonarum Eccleſiaſticarum quarumlibet, Sæcularium, & Regularium, præſertim loca, et Canonicales portiones in Metropolitaneis Eccleſiis obtinentium commoditate, et portionum ſuarum augmento provide facta fuiſſe dicuntur, ut firma perpetuo, et inconcuſſa perſiſtant, libenter, cum a Nobis petitur, Apoſtolici muniminis adjicimus firmitatem, et alia deſuper concedimus, prout in Domino conſpicimus expedire. Sane pro parte Venerabilis Fratris noſtri Jaſperi Archiepiſcopi, dilectorum Filiorum Capituli Eccleſiae Rigenſis, Ordinis Beatae Mariae Theuthonicorum nobis nuper exhibita petitio continebat, quod alias Capitulum præfati, qui bona Communia, de quibus eatenus vixerant, habebant, et menſam communem tenuerant, de conſenſu, conſilio, et authoritate bonae memoriae Michaelis Archiepiſcopi Rigenſis, tunc in humanis agentis, bona huiusmodi Caſtro Cremon nuncupato, duntaxat excepto, et in communi reſervato, pro eorum commoditate inter ſe diviſerunt, et unicuique ex Canonicis dicti Capituli partem, et portionem, de qua honeſte vivere poſſet, aſſignarunt, ac diviſionem huiusmodi dudum ante tempus, et tempore obitus dicti Michaelis Archiepiſcopi continuarunt, prout continuant de præſenti. Cum autem ſicut eadem Petitio ſubiungebat, idem Michael Archiepiſcopus nullis forſan deſuper confectis Literis, ſeu Documentis publicis, et authenticis, ſicut Domino placuit, viam univerſae carnis ingreſſus fuerit, et Diviſio bonorum huiusmodi in non modicum augmentum portionum dictae Eccleſiae cedere noſcatur, pro

Anno 1509. parte Jaſperi Archiepiſcopi, et Capituli prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Diviſioni, et aſſignationi prædictis pro illarum ſubſiſtentia firmiori robur Apoſtolicae Confirmationis adjicere, ac alias in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque Jaſperum Archiepiſcopum, et Capitulum præfatos, ac ipſius Capituli ſingulares perſonas, a quibusvis Excommunicationis ſuſpenſionis, et interdicti, aliisque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, et pœnis a iure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, et abſolutos fore cenſentes, huiusmodi ſupplicationibus inclinati, Diviſionem, et aſſignationem prædictas Authoritate Apoſtolica tenore præſentium confirmamus, et approbamus, ſupplentes omnes, et ſingulos defectus, ſi qui forſan intervenerint in eisdem, ac illas perpetuo, et inviolabiliter obſervari debere decernimus. Et nihilominus præfato Jaſpero Archiepiſcopo, ut ſi quid in eisdem Diviſione, et aſſignatione ordinandum, ſeu emandandum fuerit, id totum emendare, ſeu mutare, addere, vel minuere, ac alias, prout ſibi videbitur, diſponere, & ordinare, libere, & licite valeat, harum ſerie concedimus facultatem. Non obſtantibus Conſtitutionibus,& Ordinationibus Apoſtolicis, ac Eccleſiae, & Ordinis praedictorum iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſvetudinibus, caeterisque contrariis quibuscunq;. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrae abſolutionis,confirmationis, approbationis, ſuppletionis, decreti,& conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo nono, quinto Idus Junii, Pontificatus noſtri Anno ſexto. Quocirca Diſcretioni Veſtræ per Apoſtolica Scripta mandamus, quatenus Vos, vel duo, aut unus veſtrum, per vos, vel alium, ſeu alios, Literas prædictas, & in eis contenta, ubi, & quando expediens fuerit, & quotiens ſuper hoc pro parte Archiepiſcopi, & Capituli prædictorum, aut alterius eorundem fueritis requiſiti, ſolenniter publicantes, ipſisque Capitulo, & eorum ſingulis in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciatis Authoritate noſtra Diviſionem, & aſſignationem prædictas, ac quicquid per ipſum Jaſperum Archiepiſcopum emendari, ſeu mutari, addi, vel minui, aut ſtatui, & ordinari contigerit, inviolabiliter obſervari, non permittentes eosdem, contra Literarum noſtrarum prædictarum tenorem, quomodolibet indebite moleſtari, contradictores per Cenſuram Eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo. Non obſtantibus omnibus ſupradictis. Aut ſi aliquibus communiter, vel diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, per Literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de Indulto huiusmodi mentionem. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo nono, quinto Idus Junii, Pontificatus noſtri Anno ſexto. Anno 1509.

XCVII.


Tranſumptum Privilegii Henrici *Romanorum Regis, Alberto Livonum Epiſcopo Marchiam unam per totum ipſius Epiſcopatum Livoniæ, cum Jurisdictione Regali concedentis. Ex Archivo Magni Ducatus Litvaniæ.* 1519.

Univerſis, & ſingulis præſentes noſtras Literas, ſive præſens publicum Tranſumpti Inſtrumentum inſpecturis, viſuris, & audituris. Joannes Dei, & Apoſtolicæ Sedis Gratia Epiſcopus Lubicenſis Tranſumptor, & Executor ad infraſcripta ſpecialiter deputatus, Salutem in Domino ſempiternam, ac præſentibus fidem indubiam adhibere. Pridem Literas Sacroſanctæ Generalis Synodi Baſilienſis tunc in Spiritu Sancto legitime congregatæ, univerſalemque Eccleſiam repræſentantis in ſe, quod Epiſcopus Lubicenſis pro tempore Jura, Privilegia, & Indulta Sanctæ Eccleſiæ Rigenſis qualitercunque conceſſa tranſumere, ac Decretum Authoritate Apoſtolica interponere poſſit, continentes, cum cordula canapi, vera Bulla plumbea ipſius Sacroſanctæ Generalis Synodi Baſilienſis, more Romanæ Curiæ impendente bullatas, ſanas ſiquidem, & integras, non vitiatas, non cancellatas, neque in aliqua ſui parte ſuſpectas, ſed omni prorſus vitio, & ſuſpicione carentes, ut in eis prima facie apparebat, Nobis per Honorabilem Virum, Dominum Joannem Koſter, Eccleſiæ noſtræ Lubicenſis Vicarium,

ANNO 1519. rium, Reverendiſſimi in Chriſto Patris, & Domini, Domini JASPERI eadem Gratia Archiepiſcopi, & Venerabilium, ac circumſpectorum Virorum, Dominorum Præpoſiti, Decani, totiusque Capituli dictæ Sanctæ Eccleſiæ Rigenſis Procuratorem, prout de ſuæ Procurationis Mandato, ſigno, & ſubſcriptione diſcreti Viri Magiſtri Joannes Lemſker Clerici coniugati, Wratiſlavien. Diœceſis, Imperiali Authoritate Notarii ſignato, & ſubſcripto, Nobis huiusmodi extitit facta fides, coram Notario Publico, & teſtibus infraſcriptis præſentatas, Nos cum ea, qua decuit, reverentia noveritis recepiſſe, quarum principium fuit, & eſt tale: *Sacrocroſancta Generalis Synodus Baſilienſis in Spiritu Sancto legitime congregata, univerſalem Eccleſiam repræſentans, Venerabili Joanni Baſileæ in præſentiarum commoranti, & Succeſſoribus ſuis Lubicenſibus Epiſcopis Salutem, & Omnipotentis Dei Benedictionem &c.* Finis vero talis erat: *Datum Baſileæ ſexto Kalendas Aprilis. Anno a Nativitate Domini milleſimo, quadringenteſimo triceſimo quinto.* Quibus per Nos receptis, & debite maſticatis, Nos ad eiusdem Domini Joannis Procuratoris inſtantiam ulteriorem, debite requiſiti, omnes, & ſingulos ſua quomodolibet intereſſe putantes, eorumque Procuratores, ſi qui erant in Civitate Lubicenſi pro eisdem, ad videndum, & audiendum nonnulla Privilegia, & Indulta a diverſis Romanis Pontificibus, Imperatoribus, & Regibus dictæ Eccleſiæ Rigenſi conceſſa, tranſumi, & exemplari, & in hanc publicam Formam Tranſumpti redigi, mandari, ac nonnullos teſtes fide dignos, de, & ſuper recognitione Sigillorum eisdem Privilegiis, & Indultis appenſorum produci, recipi, & ad iurandum admitti, ac iurare, nec non Apoſtolicam etiam noſtram ordinariam authoritatem pariter, & Decretum, ut moris eſt, interponi, ad dicendum, & cauſas, ſi quas haberent, rationabiles, quare præmiſſa fieri non debeant, allegandum, in valvis, ſeu portis dictæ Eccleſiæ Lubicenſis citari mandavimus, & fecimus ad diem, & horam infraſcriptam. In quibus comparuit iudicialiter coram Nobis præfatus Dominus Joannes Koſter Procurator, & quandam citationem, papiri cedulam de Mandato noſtro in dictis valvis, & portis debite executam reproduxit, citatorumque in eadem contentorum non comparentium contumaciam accuſavit, ipſosque contumaces reputari, & in eorum contumaciam quasdam Literas felicis recordationis HENRICI Romanorum Regis, Sigillo eius rotundo ceræ glaucæ impreſſo, in cordula ſericea rubei, & glauci coloris impendente, in cuius circumferentia hæc verba reperiebantur: HENRICUS Dei Gratia Rom. Rex semper Augtstus, in medio vero Sigilli continebatur imago Regis in ſolio regio ſedentis, dextera ſceptrum regale, ſiniſtra vero manibus pomum gerentis, ſanas, & integras, non vitiatas, non cancellatas, neque in aliqua ſui parte ſuſpectas, ſed omni prorſus vitio, & ſuſpicione carentes, facto realiter, & in ſcripto exhibuit, atq; præſentavit. Quas quidem Literas Regias tranſumi, & exemplari, ac in publicam Tranſumpti Formam redigi, mandari, Apoſtolicam etiam et noſtram ordinariam Authoritates, & Decretum, ut moris eſt, per Nos interponi, debita cum inſtantia poſtulavit; tenor vero Literarum Regalium ſequitur, & eſt talis: HENRICUS *Dei Gratia Romanorum Rex, & ſemper Auguſtus. Univerſis Imperii fidelibus, ad quos hæ Literæ pervenerint, gratiam ſuam, & omne bonum. Ad petitiouem Alberti Venerabilis Livonienſis Epiſcopi, Marchiam unam per totum eius Epiſcopatum, per Livoniam videlicet, & Lettiam, Leale, & Terras maritimas inſtituimus, & eundem Epiſcopi Principatum, iure aliorum Principum munificentia Regali conceſſimus, dantes ei poteſtatem faciendi monetam, & fundandi Civitatem in Riga, & in locis aliis, in quibus eas fieri oportuerit. Si autem in partibus illis vena metalli cuiuslibet, ſive theſaurus occultus manifeſtatus fuerit, in huiusmodi, ius noſtrum ſpeciale, ipſius fidei, de conſilio Principum noſtrorum communiſimus. Statuimus igitur, & ſub interminatione gratiæ noſtræ firmiter præcipimus, quatenus Epiſcopo prænominato de omnibus iuſtitiis, & rationibus ad Regalem Jurisdictionem pertinentibus plene reſpondeatur, & per omnia intendatur, ſciturí, quod tanquam dilectum Principem Imperii ſincere diligimus, & cum per eum Imperiales termini dilatentur, & barbarorum infidelitas annuente Domino Chriſtiano cultui ſubiungitur, nihil eorum omittere volumus, quæ commodo ſuo conducere poterint, & honori. Huius noſtræ Conceſſionis Teſtes ſunt Trevirenſis, & Saltzburgenſis Archiepiſcopi, Herbipolenſis, Auguſtenſis, Bambergenſis, Baronigenſis, et Eyſtadenſis Epiſcopi, Auſtriæ, Saxoniæ, Bavariæ, & Carinthiæ Duces, Lantgravius Thuringiæ, & alii quam plures Principes, Nobiles, & Imperii Miniſteriales. Datum apud Nurenberg Kalendas Decembris, Indictione quarta decima.* Poſt quarum quidem Literarum Regalium exhibitionem, & productionem, Nobis, ut

Anno 1519. præmittitur, factas, Nos Joannes Episcopus Transumptor, & Executor præfatus, dictos citatos non comparentes reputavimus, merito id exigente iustitia, contumaces, & in eorum contumaciam productis primitus coram Nobis nonnullis testibus fide dignis, de& super recognitione antedicti Sigilli, eisdemque per Nos admissis, iuratis, & interrogatis, qui Sigillum bonæ memoriæ dicti Domini Henrici Romanorum Regis debite, ut moris, recognoverunt, huiusmodi Literas Regales vidimus, tenuimus, palpavimus, & diligenter inspeximus, & quia per visionem, & diligentem inspectionem ipsas Literas sanas, & integras, & illæsas, non vitiatas, non cancellatas, neque in aliqua sui parte suspectas, sed omni prorsus vitio, & suspicione carentes reperimus, idcirco ad ulteriorem dicti Domini Joannis Procuratoris instantiam ipsas per discretum Virum Conradum Nyme Clericum Lubicensem Notarium Publicum, Scribamque nostrum infrascriptum transumi, & exemplari, ac in publicam Formam redigi mandavimus, & fecimus. Volentes nihilominus & Apostolica, etiam nostra ordinaria authoritatibus mandantes decernimus, quod praesenti Transumpto publico, in iudicio, & extra, ac ubicunq; locorum, detur, & adhibeatur de caetero fides talis, et tanta, qualis, & quanta ipsis Literis Regalibus coram Nobis, ut praefertur, exhibitis, & productis, ac superius de verbo ad verbum insertis, atque fideliter una cum praesenti Transumpto publico auscultatis, & collationatis, data fuit, & adhibita, ac datur, & adhibetur de praesenti. Quibus omnibus, & singulis supradictis tanquam rite, & legitime factis, ac celebratis in eodem iudicio coram Nobis, Apostolicam etiam nostram ordinariam authoritates interposuimus, & Praesentibus interponimus pariter, & Decretum. In quorum omnium, & singulorum fidem, & testimonium praemissorum, praesentes Literas, sive praesens publicum Instrumentum huiusmodi nostrum Transumptum in se continentem, sive continens, exinde fieri, & per Notarium publicum, nostrumque & huiusmodi negotii Transumptionis coram nobis Scribam infrascriptum, subscribi, & publicari mandavimus, Sigillique nostri iussimus, & fecimus appensione communiri. Datum, & Actum in Curia nostra Episcopali Lubicensi, sub Anno a Nativitate Domini millesimo quingentesimo decimo nono, Indictione septima, die Martis, tertia Mensis Maii, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri, Domini Leonis, Divina Providentia Papae Decimi, anno septimo. Praesentibus ibidem Honorabilibus Viris Dominis Laurentio Wolter Presbytero Caminensis Diœcesis, et Bertholdo Arendes Vicario in Ecclesia nostra Lubicensi, testibus ad praemissa vocatis specialiter, atque rogatis. Anno 1519.

Et Ego Conradus Nyme Clericus Lubicensis, Publicus Sacra Imperiali Authoritate Notarius, dictique Reverendi Patris, et Domini, Dom. Joannis Episcopi Lubicensis Transumptoris, et Executoris, ac coram eo Scriba, quia



dictarum Literarum Regalium exhibitioni, earundemque visioni, et transumptioni, ac Apostolicæ, et ordinariae authoritatum, pariterque Decreti interpositioni, omnibusque aliis, et singulis dum sic, ut praemittitur, fierent, et agerentur, una cum praenominatis testibus praesens fui, eaque omnia, et singula sic fieri vidi, et audivi, ac in notam sumpsi: Ideoque hoc praesens publicum Instrumentum manu mea propria scriptum exinde confeci, subscripsi, publicavi, et in hanc publicam Formam redegi, quam signo, nomine, & cognomine meis solitis una cum praefati Reverendi Patris Domini Joannis Episcopi Transumptoris, et Executoris Sigilli appensione signavi, et roboravi in fidem, et evidens testimonium omnium, et singulorum praemissorum rogatus, et requisitus.

XCVIII.

Transumptum Privilegii Wenceslai *Romanorum Regis Anno 1393. dati, quo Joannem Archiepiscopum Rigensem, eiusque Ecclesiam, Prælatos, & Clericos, nec non bona ipsius universa in suam, Imperiique Sacri protectionem, tuitionem, & salvam gvardiam suscipit. Ex Archivo Magni Ducatus Litvaniæ.* 1519.


Universis, & singulis Christi Fidelibus præsentes Literas, sive præsens publicum

Anno 1519. blicum Transumpti Instrumentum inspecturis, visuris pariter, & audituris Joannes Dei, & Apostolicæ Sedis Gratia Episcopus Lubicensis Transumptor, & Executor ad infrascripta a Sacrosancta Synodo Basiliensi Deputatus, Salutem in Domino, & Præsentibus fidem indubiam adhibere. Pridem Literas dictæ Sacrosanctæ Synodi Basiliensis in Spiritu Sancto legitime tunc congregatæ, cum cordula canapi, vera Bulla plumbea ipsius Sacrosanctæ Synodi, more Romanæ Curiæ impendente bullatas, sanas siquidem, & integras, non vitiatas, non cancellatas, neque in aliqua sui parte suspectas, sed omni prorsus vitio, & suspicione carentes, ut in eis prima facie apparebat, Nobis per Honorabilem Virum, Dominum Joannem Koster, Vicarium in Ecclesia nostra Lubicensi, Reverendissimi in Christo Patris, & Domini, Domini Jasperi eadem Gratia Archiepiscopi, nec non Præpositi, Decani, totiusque Capituli Sanctæ Ecclesiæ Rigensis Procuratorem, prout de eius Procurationis Mandato, signo, & subscriptione discreti Viri Joannis Lomeller, Clerici coniugati Wladislaviensis Diœcesis, Imperiali Authoritate Notarii, signato, & subscripto, eorumque sigillis sigillato legitimam fecit fidem, coram Notario publico, & testibus infrascriptis præsentatas, Nos cum ea, qua decuit, reverentia noveritis recepisse. Quarum principium erat tale: *Sacrosancta Synodus Basiliensis, in Spiritu Sancto legitime congregata, Universalem Ecclesiam repræsentans, Venerabili Joanni Basileæ in præsentiarum commoranti, & Successoribus suis Lubicensibus Episcopis &c.* Finis earundem Literarum est talis: *Datum Basileæ sexto Kalendas Aprilis Anno a Nativitate Domini millesimo quadringentesimo tricesimo quinto.* Quibus per Nos receptis, & debite masticatis, Nos ad eiusdem Domini Joannis Koster Procuratoris instantiam, & requisitionem, omnes, & singulos sua communiter, vel divisim interesse putantes, eorumque Procuratores, si qui erant in Civitate Lubicensi, pro eisdem ad videndum, & audiendum nonnulla Privilegia, Indulta, & Concessiones Archiepiscopis, & Capitulo Ecclesiæ Rigensis a diversis Romanis Pontificibus, & Imperatoribus gratiose concessas transumi, & exemplari, & in hanc publicam Formam redigi mandari, & nonnullos testes fide dignos de, & super recognitione Sigillorum, ipsis Privilegiis, Indultis, & Concessionibus appositorum, produci, recipi, iurare, & ad iurandum admitti, nec non Apostolicam, & Ordinariam nostram Authoritates, pariter & Decretum, ut moris est, interponi, ad dicendum & causas, si quas habuerint rationabiles allegandum, in valvis, seu portis dictæ Ecclesiæ nostræ Lubicensis citari mandavimus, & fecimus ad diem, & horam infrascriptam. Quo quidem termino adveniente, comparuit iudicialiter coram Nobis præfatus Dominus Joannes Koster Procurator prædictus, & quandam citationem, papyri cedulam, de Mandato nostro in dictis valvis, & portis debite executam reproduxit, citatorumque in eadem contentorum contumaciam accusavit, ipsosque non comparentes contumaces reputari, & in eorum contumaciam quasdam Literas felicis recordationis Venceslai Romanorum, & Bohemiæ Regis, Sigillo eius rotundo, ceræ glaucæ impresso, in pressula pargamenea impendente, in cuius circumferentia hæc verba reperiebantur, videlicet: VENCESLAVS Dei Gratia Romanorum Rex Semper Augustus et Bohemiæ Rex, in medio huius Sigilli continebatur Imago Regis in sede sedentis, ac dextera Sceptrum Regale, sinistra vero manibus pomum gerentis, a dextra parte Aquila, a sinistra parte sedis Leo, in diversis clypeis positi erant, sanas siquidem, & integras, non vitiatas, non cancellatas, neque in aliqua sui parte suspectas sed omni prorsus vitio, & suspicione, ut prima facie apparebat, carentes, facto realiter, & in scriptis exhibuit, atque præsentavit. Quas quidem Literas Imperiales transumi, & exemplari, ac in publicam Formam redigi mandari, Authoritatemque, & Decretum supradictum, ut moris est, per Nos interponi debita cum instantia postulavit. Tenor vero Literarum Regalium, unde supra fit mentio, sequitur, & est talis: Venceslaus *Dei Gratia Romanorum Rex semper Augustus, & Bohemiæ Rex, Notum facimus tenore Præsentium universis. Quod cum Venerabilis Joannes Rigensis Archiepiscopus, noster, & Imperii Sacri Princeps, devotus dilectus in nostræ Maiestatis Præsentia personaliter constitutus, publice recognovit, qualiter dicta sua Rigensis Ecclesia, utpote insigne Membrum Imperii, Nobis tanquam Romanorum Regi, & Imperio Sacro, occasione Regalium, seu Feudorum extat immediate subiecta, taliter videlicet, quod tam ipse, quam etiam Successores sui Archiepiscopi Rigenses, qui pro tempore fuerint, huiusmodi Regalia, seu Feuda, quotiens se necessitas, seu casus obtulerit, a Nobis, & Successoribus nostris Romanis Imperatoribus, & Regibus, cum Ceremoniis, & Solennitatibus debitis susci-*

ANNO 1519. *cipere tenentur, & debent. Et nihilominus ob ſingularem fidei, & devotionis ardorem, quem ad Perſonam noſtram habere dinoſcitur, tam ſuo, quam etiam Succeſſorum ſuorum nominibus, cum Caſtris, Munitionibus, Vaſallis, & ſubditis Nobis fideliter aſtare promiſerit, prout datæ ſuper hoc dicti Archiepiſcopi Literæ manifeſte declarant. Nos animo deliberato, Principum, & Fidelium noſtrorum accedente conſilio, præfatum Archiepiſcopum, Eccleſiam Rigenſem, Prælatos, & Clericos, & bona ipſius, in noſtram, & Imperii Sacri Protectionem, tuitionem, & ſalvam gvardiam ſuſcepimus gratioſe, volentes ipſos tueri, protegere, & ab eorum invaſoribus, & violentis oppreſſoribus benignius defenſare. Ipſi quoque Archiepiſcopo, & Eccleſiæ ſuæ prædictæ univerſa, & ſingula Privilegia, Libertates, & Gratias, Conceſſiones, & Indulta a noſtris Prædeceſſoribus Romanorum Imperatoribus, & Regibus data, & conceſſa confirmare, aut ſi opus fuerit, de novo concedere diſponimus, & ſpondemus. Præſentium ſub Regiæ noſtræ Maieſtatis Sigillo, teſtimonio Literarum. Datum in Mendito Anno Domini milleſimo trecenteſimo nonageſimo tertio, die penultima Januarii, Regnorum noſtrorum Anno Bohemiæ triceſimo, Romanorum vero decimo ſeptimo. Per Dominum Joannem Epiſcopum Lubicenſem. Wlachimo de Weteminle.* Poſt quarum quidem Literarum Imperialium exhibitionem, & productionem coram Nobis, ut praemittitur, factam, Nos Joannes Epiſcopus Lubicenſis Tranſumptor, et Executor Apoſtolicus praefatus dictos citatos non comparentes reputavimus merito, id exigente iuſtitia, contumaces, et in eorum contumaciam productis primitus coram Nobis nonnullis teſtibus fide dignis, de, et ſuper recognitione Literarum huiusmodi, eisdemque per Nos admiſſis iuratis, et interrogatis, qui Literas huiusmodi debite, ut moris eſt, recognoverunt. Easdemque Literas Regales vidimus, tenuimus, palpavimus, et diligenter inſpeximus. Et quia per viſionem, et diligentem inſpectionem, ipſas Literas ſanas, integras, et illæſas, non vitiatas, non cancellatas, nec in aliqua parte ſuſpectas, ſed omni prorſus vitio, et ſuſpicione carentes reperimus, idcirco ad ulteriorem dicti Domini Joannis Koſter Procuratoris inſtantiam, ipſas per diſcretum Virum Dominum Conradum Nyme, Clericum Lubicenſem, Sacra Imperiali Authoritate Notarium publicum, Scribamque noſtrum infraſcriptum tranſumi, et exemplari, ac in publicam Formam redigi mandavimus, et fecimus. Volentes nihilominus et Apoſtolica, et ordinaria noſtra authoritatibus memoratis decernentes, quod præſenti Tranſumpto publico in iudicio, et extra, ac ubicunque locorum detur, et adhibeatur de cætero talis, et tanta fides, qualis, et quanta ipſis Originalibus Literis, coram nobis, ut præfertur, exhibitis, et productis, et ſuperius de verbo ad verbum inſertis, atque fideliter cum præſenti Tranſumpto publice auſcultatis, et collationatis data fuiſſet, et adhibita, ac detur et adhibeatur de præſenti. Quibus omnibus et ſingulis ſupradictis tanquam, ut et legitime factis, et celebratis in eodem iudicio coram Nobis Apoſtolicam, et noſtram ordinariam authoritates interpoſuimus, et prædictis interponimus pariter et Decretum. In quorum omnium fidem et teſtimonium præmiſſorum, præſentes noſtras Literas, ſive præſens publicum Tranſumptum in ſe continentes ſive continens exinde fieri, ac per Notarium noſtrum ſupra, et infraſcriptum ſubſcribi, et publicari mandavimus, Sigillique noſtri iuſſimus, et fecimus appenſione communiri. Datum, et Actum Lubeczk in Curia noſtra Epiſcopali Lubicenſi, ſub anno a Nativitate Domini milleſimo quingenteſimo decimo nono, Indictione ſeptima, die vero Martis, tertia Menſis Maii, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris et Domini noſtri, Domini LEONIS Divina Providentia Papæ Decimi, anno ſeptimo. Præſentibus ibidem honorabilibus Viris, Dominis Laurentio Wolter Presbytero Caminenſis Diœceſis, et Bertoldo Arudes Vicario in Eccleſia noſtra Lubicenſi Teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter, atque rogatis. Quare præmiſſa fieri non debeant. Conradus Nyme Notarius ſupra et infraſcriptus approbat.

ANNO 1519.

Et Ego Conradus Nyme Clericus Lubicenſis, Publicus Saera Imperiali Authoritate Notarius, dictique Reverendi Patris Domini Joannis Epiſcopi Lubicenſis Tranſumptoris Apoſtolici, et coram eo Scriba, quia dictarum Literarum Regalium exhibitioni, et productioni, earundemque viſioni, et tranſumptio-



Anno 1519. ptioni, nec non Apoſtolicæ, et ordinariæ authoritatum, pariterque Decreti interpoſitioni, omnibusque aliis, et ſingulis dum ſic, ut præmittitur, fierent, et agerentur, una cum prænominatis Teſtibus præſens fui, eaque omnia et ſingula ſic fieri vidi, et audivi, ac in notam ſumpſi. Ideoque hoc præſens publicum Inſtrumentum manu alterius fideliter ſcriptum exinde confeci, ſubſcripſi, publicavi, et in hanc publicam Formam redegi, quam ſigno, nomine, et cognomine meis ſolitis, et conſvetis una cum præfati Domini Epiſcopi Tranſumptoris Apoſtolici Sigilli appenſione ſignavi, et roboravi, in fidem ac evidens teſtimonium omnium, et ſingulorum præmiſſorum rogatus, et requiſitus.

XCIX.

1519. *Tranſumptum Literarum* Venceslai *Romanorum Regis, quibus Privilegia ab Anteceſſoribus ſuis Eccleſiæ Metropolitanæ Rigenſi conceſſa innovat, & confirmat, eiusque tuitionem Daciæ, Sveciæ, Norvegiæ, Poloniæ Regibus &c. commendat. Ex Arch. M. D. Litvaniæ.*

Vniverſis, et ſingulis Chriſti fidelibus, præſentes noſtras Literas, ſive præſens publicum Tranſumpti Inſtrumentum inſpecturis, viſuris, pariter et audituris. Joannes Dei, et Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Lubicenſis Tranſumptor, et Executor ad infraſcripta a ſacroſancta Synodo Baſilienſi deputatus ſalutem in Domino, et præſentibus fidem indubiam adhibere. Pridem literas dictæ ſacroſanctæ Synodi Baſilienſis in Spiritu Sancto legitime tunc congregatae cum cordula canapi vera plumbea Bulla ipſius Sacroſanctae Synodi, more Romanae Curiae impendente bullatas, ſanas ſiquidem, & integras, non vitiatas, non cancellatas, neque in aliqua ſui parte ſuſpectas, ſed omni prorſus vitio, et ſuſpicione carentes, ut in prima facie apparebat, nobis per honorabilem Virum Dominum Joannem Koſter Vicarium in Eccleſia noſtra Lubicenſi, Reverendi in Chriſto Patris, et Domini, Domini Jasperi eadem gratia Archiepiſcopi, nec non Præpoſiti, Decani, totiusque Capituli Sanctae Rigenſis Eccleſiae Procuratorem, prout de eius Procurationis Mandato, Signo, et Subſcriptione diſcreti Viri Joannis Lomeller Clerici coniugati Wladiſlavienſis Diœceſis, Imperiali Authoritate Notarii ſignato, et ſubſcripto, eorumque Sigillis ſigillato legitimam fecit fidem, coram Notario publico, et teſtibus infraſcriptis præſentatas, Nos cum ea, qua decuit, reverentia noveritis recepiſſe: quarum principium erat tale: *Sacroſancta Synodus Baſilienſis in Spiritu Sancto legitime congregata, Vniverſalem Eccleſiam repræſentans Venerabili Joanni, Baſileæ in præſentiarum commoranti, & Succeſſoribus ſuis Lubicenſibus Epiſcopis &c.* Finis earundem Literarum eſt talis: *Datum Baſileæ ſexto Kalendas Aprilis, Anno a Nativitate Domini milleſimo quadringenteſimo triceſimo quinto.* Quibus per nos receptis et debite maſticatis, Nos ad eiusdem Domini Joannis Koſter Procuratoris inſtantiam, et requiſitionem omnes, et ſingulos, ſua communiter vel diviſim intereſſe putantes, corumque Procuratores, ſi qui erant in Civitate Lubicenſi pro eisdem, ad videndum, et audiendum nonnulla Privilegia, Indulta, et Conceſſiones Archiepiſcopis et Capitulo Eccleſiae Rigenſis a diverſis Romanorum Pontificibus, et Imperatoribus gratioſe conceſſa tranſumi, et exemplari, et in hanc publicam Formam redigi mandari, ac nonnullos teſtes fide dignos, de et ſuper recognitione Sigillorum ipſis Privilegiis, Indultis, et conceſſionibus appoſitorum produci, recipi, iurare, et ad iurandum admitti, nec non Apoſtolicam, et ordinariam noſtram authoritates, pariter et Decretum, ut moris eſt, interponi, vel dicendum, et cauſas, ſi quas habuerit rationabiles allegandum, in valvis, ſeu portis dictæ noſtræ Eccleſiæ Lubicenſis citari mandavimus, et fecimus, ad diem, et horam infraſcriptam. Quo quidem termino adveniente comparuit iudicialiter coram Nobis præfatus Dominus Joannes Koſter, Procurator prædictus, et quandam citationem papyri cedulam de mandato noſtro in dictis valvis, et portis debite executam reproduxit, citatorumque in eadem contentorum contumaciam accuſavit, ipſosque con comparentes contumaces reputari, et in eorum contumaciam quasdam Literas felicis recordationis Venceslai Romanorum, et Bohemiæ Regis, Sigillo eius rotundo, ceræ glaucæ impreſſo, in preſſula pargamenea impendente, in cuius circumferentia hæc verba reperiebantur, videlicet: Venceslaus *Dei Gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus, & Bohemiæ Rex.* In medio huiusmodi Sigilli continebatur imago Regis in Sede ſedentis, ac dextra ſceptrum Regale, ſiniſtra vero manibus pomum cruciatum gerentis, a dextra parte aquila, a ſiniſtra

Anno 1519.

ANNO 1519. ſtra parte ſedis Leo in diversis clypeis poſiti erant, ſanas ſiquidem, et integras, non vitiatas, non cancellatas, neque in aliqua ſui parte ſuſpectas, ſed omni prorſus vitio, et ſuſpicione, ut in prima facie apparebat, carentes, facto realiter et in ſcriptis exhibuit, atque præſentavit. Quas quidem Literas Imperiales tranſumi, et exemplari, ac in publicam Formam redigi mandari, Authoritatemque et Decretum ſupradicta, ut moris eſt, per nos interponi, debita cum inſtantia poſtulavit. Tenor vero Literarum Regalium, unde ſupra fit mentio, ſequitur, et eſt talis. VENCESLAUS *DEI gratia Romanorum Rex ſemper Anguſtus & Bohemiæ Rex. Sereniſſimis Principibus Daciæ, Sveciæ, Norvegiæ, & Poloniæ Regibus, Fratribus ſuis Chariſſimis, Venerabilibus, Treverenſi, Moguntinenſi, & Colonienſi Imperii Sacri Electoribus, Magdeburgenſi, Archiepiſcopis, nec non Illuſtribus Stettinenſi, Magnopolenſi, & Gerlenſi Ducibus, Principibus ſuis, ac Proconſulibus, Conſulibus, & Communitatibus Civitatum Lubicenſis, Sundenſis, Rigenſis, & Tarbatenſis, nec non Vaſallis omnibus, & ſingulis Rigenſis, & Tarbatenſis Diœceſis, noſtri & Sacri Romani Imperii fidelibus dilectis, Gratiam Regiam, & omne bonum. Nuper pro parte Sanctæ Metropolitanæ Rigenſis Eccleſiæ nobis, & Sacro Romano Imperio iure Principatus, in temporalibus ſubiectæ, Celſitudini noſtræ oblata petitio continebat, quatenus univerſa, & ſingula Privilegia, Confirmationes, & Conceſſiones, a Dominis Imperatoribus ſive Romanis Regibus Prædeceſſoribus noſtris confirmata, conceſſa, & indulta, & præſertim Confirmationes Privilegiorum, & Conceſſionum, nec non Conſervatores, & Executores eorundem, a claræ memoriæ* CAROLO IV. *Progenitore noſtro, Romanorum Imperatore, prædictæ Rigenſi Eccleſiæ datos, conceſſos, & deputatos, eidem Eccleſiæ de novo concedere, innovare, confirmare, approbare, & ratificare ex noſtræ Maieſtatis Clementia dignaremur. Singularis igitur favoris affectus, quo Eccleſiam prædictam multiplicatis favoribus proſequimur, noſtram propenſius Serenitatem induxit, ut ad ampliandum ipſius Eccleſiæ commoda, & honores ferventius intendamus. Ea propter univerſa, & ſingula Privilegia, Literas, Confirmationes, Conceſſiones, Gratias, Libertates, Emunitates, Jura, Conſvetudines, Obſervantias laudabiles, & conſvetas, nec non Honores, Feuda, Caſtra, Munitiones, Civitates, Oppida, Terras præfatæ Sanctæ Rigenſis Eccleſiæ in capite, & in membris, a recolendæ Memoriæ divis Imperatoribus, & Romanorum Regibus videlicet, Henrico Imperatore, ſuisque Succeſſoribus, & præſertim a Progenitore noſtro Divo Imperatore* CAROLO IV. *prænominato, confirmata ſeu confirmatas, indulta, ſeu indultas, conceſſa, ſeu conceſſas, prout in ipſius Literis deſuper confectis & eidem Rigenſi Eccleſiæ indultis & conceſſis plenius, & clarius poterit apparere, quas, & quæ Præſentibus haberi volumus pro expreſſis & inſertis, ac ſi omnium, & ſingulorum Privilegiorum, Literarum, Libertatum, Jurium, Confirmationum, Conceſſionum, & Emunitatum tenores præſentibus de verbo ad verbum forent inſerti, & totaliter incluſi: ſervatis nihilominus ſervandis, de Principum, Procerum, & Nobilium noſtrorum maturo Conſilio, & Conſenſu præhabitis, & ex certa noſtra ſcientia, & de plenitudine noſtræ Regiæ Maieſtatis innovamus, approbamus, laudamus, ratificamus, & de novo concedimus, ac præſentis ſcripti Patrocinio confirmamus, ſupplentes nihilominus omnem defectum authoritate noſtræ Regiæ Maieſtatis, ſi quis continetur, ſeu inveniri poſſet quomodolibet in præmiſſis, & quomodolibet præmiſſorum tacite, vel expreſſe. Vosque omnes & ſingulos Conſervatores, & Executores tam coniunctim, quam diviſim prætactæ Rigenſis Eccleſiæ Privilegiorum, Confirmationum, Conceſſionum, Literarum, Libertatum, Jurium, & Emunitatum prædictarum, ac omnia alia & ſingulariter ſingula per Prædeceſſores noſtros, ut præmittitur, indulta, & conceſſa rata habentes, & grata, eaque ex certa noſtra ſcientia de novo concedentes damus, aſſignamus, confirmamus, deputamus & præſentibus omni meliori modo, via, forma, & iure, in omnibus, & per omnia approbamus, & ratificamus, attendentes inſuper, quod inter glorioſas Reipublicæ curas, quibus noſtræ Maieſtatis Eminentia ſe pro ſuorum devotorum aſſidua fidelium quiete Subditorum dignatur exponere, illamque Nobis curam æſtimamus præcipuam, qualiter Sanctas Eccleſias nobis & Romano Imperio ſubiectas, eorumque Prælatos, ſubditos & perſonas in ſuis Iuribus, Privilegiis, Libertatibus, & Emunitatibus valeamus conſervare: Vos Fratres Chariſſimos Daciæ, Sveciæ, Norvegiæ, & Poloniæ Reges, Vosque Archiepiſcopos Treverenſem, Moguntinenſem, Colonienſem, & Magdeburgenſem ſincero affectu Præſentibus ſerioſe requirimus, & hortamur, Vobisque Stetinenſi, Magnopolenſi, &c. Ducibus, nec non Proconſulibus, Conſulibus, Communitatibus Lubicenſis, Sundenſis, Rigenſis, & Tarbatenſis Civitatum, ac Vaſallis omnibus & ſingulis*


ANNO 1519.

ANNO 1519. *lis Rigenſis & Tarbatenſis Diœceſis prædictis, ſub obtentu noſtræ Regiæ Maieſtatis, & Sacri Rom. Imperii gratiæ, communiter, & diviſim committimus, & mandamus, quatenus Vos omnes duo, aut unus veſtrum, qui ſuper præmiſſis, aut aliquo præmiſſorum requiſiti fueritis, vel fuerit requiſitus, per Vos, vel alium, ſeu alios, quotiens opus fuerit, ita quod unus veſtrum alium non expectet, nec per alium ſe excuſet, prædictæ Rigenſi Eccleſiæ, eiusque Prælatis, ſubditis, & perſonis, efficacis defenſionis præſidio, noſtra Regia authoritate, fideliter & efficaciter, & ſub pœna formidabili aſſiſtatis, non permittentes, eandem nec eius Prælatos, ſubditos, aut perſonas, in eorum Bonis, Iuribus, Privilegiis, Immunitatibus, & Libertatibus, ut prædicitur, ad ipſam Rigenſem Eccleſiam, & ad eius Prælatos, ſubditos, vel Perſonas Eccleſiaſticas, vel Sœculares communiter, vel diviſim ſpectantes, per quempiam indebite quomodolibet moleſtari, inquietari, ſeu perturbari, vel eis gravamina, damna, ſeu iniurias irrogari, ſed ipſos, & eorum quemlibet ex noſtræ Regiæ Celſitudinis poteſtate defendere, fovere, manutenere ſtudeat, & tueri, occupatores, detentores, moleſtatores, præſumptores, iniuriatores prædictorum, ſi qui fuerint, nec non Contradictores quoslibet, rebelles, & inobedientes, & contra præmiſſa, ſeu in ipſorum aliquo temere in noſtræ Maieſtatis læſionem facientes, authoritate noſtra, & ſub pœna Banni Imperialis coercendo, cuiuscunque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, conditionis, aut Religionis extiterint, etiamſi fuerint Fratres Ordinis Domus Theutonicorum in Pruſſia, in Livonia, ſeu alias ubilibet conſtituti, quandocunque, & quotiescunque opus fuerit, etiam ad pœnas centum Marcarum, vel Librarum auri puri, in prædictis privilegiis, confirmationibus, & conceſſionibus Prædeceſſorum noſtrorum expreſſatas, quarum medietatem Fiſco noſtro Imperiali, & aliam medietatem prædictæ Rigenſi Eccleſiæ, totiens, quotiens contra fecerint, voluimus applicari. Ipſosque, & ipſorum quemlibet vice & authoritate noſtra Regia compeſcatis, & compellatis, ut a turbationibus, & moleſtatione huiusmodi univerſi penitus deſiſtant, invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio, & conſilio quorumcunque duxeritis invocandum. Quos etiam tenore præſentium ſub prædicta Imperialis Banni pœna requirimus, ipſisque ſerioſe præcipimus, & mandamus, quatenus per vos, aut aliquem veſtrum in præmiſſis requiſiti, vobis, & cuilibet veſtrum efficacis defenſionis præſidio aſſiſtere non differant, neque tardent. Inſuper volumus, & noſtra authoritate Regia decernimus, quod quilibet veſtrum proſequi, & finire valeat articulum etiam per alterum veſtrum inchoatum, quamvis idem inchoans non fuerit legitimo impedimento præpeditus. Præſentibus ad noſtrum & Succeſſorum Noſtrorum Romanorum Imperatorum & Regum beneplacitum tantummodo duraturis, præſentium ſub Regiæ noſtræ Maieſtatis Sigilli teſtimonio Literarum. Datum Pragæ Anno Domini milleſimo trecenteſimo nonageſimo quinto, die quarta decima Martii, Regnorum Noſtrorum Anno Bohemiæ triceſimo ſecundo, Romanorum vero decimo nono.* Poſt quarum quidem Literarum Imperialium exhibitionem, & productionem coram Nobis, ut præmittitur, factam, Nos JOANNES Epiſcopus Lubicenſis Tranſumptor, & Executor Apoſtolicus præfatus, dictos citatos non comparentes reputavimus merito id exigente iuſtitia contumaces, & in eorum contumaciam productis primitus coram nobis nonnullis Teſtibus fide dignis, de & ſuper recognitione Literarum huiusmodi, eisdemque per nos admiſſis iuratis, & interrogatis, qui literas huiusmodi debite, ut moris eſt, recognoverunt, easdemque Literas Regales vidimus, tenuimus, palpavimus, & diligenter inſpeximus. Et quia per viſionem, & diligentem inſpectionem ipſas Literas ſanas, integras, & illæſas non vitiatas, non cancellatas, nec in aliqua parte ſuſpectas, ſed omni prorſus vitio, & ſuſpicione carentes reperimus; idcirco ad ulteriorem dicti Domini Joannis Koſter Procuratoris inſtantiam, ipſas per diſcretum Virum Dominum Conradum Nyme Clericum Lubicenſem, Sacra Imperiali Authoritate Notarium publicum, Scribamq; noſtrum infraſcriptum tranſumi, & exemplari, & in publicam Formam redigi mandavimus, & fecimus. Volentes nihilominus, & Aoſtolica, & ordinaria noſtra Authoritatibus memoratis decernentes, quod dicto tranſumpto publico, in iudicio, & extra, ac ubicunque locorum detur & adhibeatur de cætero talis, & tanta fides, qualis & quanta ipſis Literis Originalibus, coram nobis, ut præfertur, exhibitis, et productis, ut ſuperius de verbo ad verbum inſertis, atque fideliter cum præſenti Tranſumpto publice auſcultatis, et collationatis data fuit, et adhibita, ac datur et adhibetur ut de præſenti. Quibus omnibus et ſingulis ſupradictis tanquam rite, et legitime factis, et celebratis, in eodem iudicio coram Nobis Apoſtolicam, et noſtram authoritates inter-

ANNO 1519.

Anno 1519. posuimus et præsentibus interponimus, pariter et Decretum. In quorum omnium et singulorum fidem, et testimonium præmissorum, præsentes nostras Literas, sive præsens publicum Instrumentum Transumptum in se continentem, sive continens exinde fieri, ac per Notarium nostrum supra et infrascriptum subscribi, et publicari mandavimus, Sigillique nostri iussimus, et fecimus appensione communiri. Datum, et Actum Lubeck in Curia nostra Episcopali, sub anno a nativitate Domini, millesimo quingentesimo decimo nono. Indictione septima, die vero Martis, tertia mensis Maii. Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, et Domini nostri, Domini Leonis Divina providentia Papæ X. anno septimo. Præsentibus ibidem Honorabilibus Viris Dominis Laurentio Wolter, Presbytero Caminensis Diœcesis, et Bartholdo Arndres Vicario in Ecclesia nostra Lubicensi, Testibus ad præmissa vocatis specialiter, atque rogatis.

Et Ego Conradus Nyme Clericus Lubicensis, Publicus Sacra Imperiali Authoritate Notarius, dictique Reverendi Patris Domini Joannis Episcopi Lubicensis Transumptoris Apostolici, et coram eo Scriba, quia dictarum Literarum Regalium exhibitioni, et productioni, earundemque visioni, et transumptioni, nec non Apostolicæ, et ordinariæ authoritatum, pariterque Decreti interpositioni, omnibusque aliis, et singulis dum sic, ut præmittitur, fierent, et agerentur, una cum prænominatis Testibus præsens fui, eaque omnia et singula sic fieri vidi, et audivi, ac in notam sumpsi. Ideoque hoc præsens publicum Instrumentum manu alterius fideliter scriptum exinde confeci, subscripsi, publicavi, et in hanc publicam Formam redegi, quam signo, nomine, et cognomine meis solitis, et consvetis, una cum præfati Reverendi Patris Domini Joannis Transumptoris Apostolici Sigilli appensione signavi, et roboravi, in fidem ac evidens testimonium omnium, et singulorum præmissorum rogatus, et requisitus.



C. Anno 1591.

Transumptum Literarum Caroli IV. *Imperatoris, quibus cassationem Statutorum, in præiudicium Personarnm Ecclesiasticarum a quibusdam Magistratibus latorum, Anno 1359. a se factam, ad Archiepiscopum etiam, & Canonicos Rigenses extendi debere declarat. Ex Archivo Magni Ducatus Litvaniæ.*

Universis, & singulis Christi Fidelibus præsentes Literas, sive præsens publicum Transumpti Instrumentum inspecturis, visuris, lecturis sive legi audituris. Joannes Dei, & Apostolicæ Sedis Gratia Episcopus Lubicensis, Transumptor, & Executor ad infrascripta a Sacrosancta Synodo Basiliensi specialiter deputatus, salutem in Domino, & præsentibus fidem indubiam adhibere. Pridem Literas dictæ Sacrosanctæ Synodi Basiliensis in Spiritu Sancto tunc legitime congregatæ, cum cordula canapi vera Bulla plumbea ipsius Sacrosanctæ Synodi more Romanæ Curiæ impendente bullatas, & munitas, sanas siquidem, integras, & illæsas, non vitiatas, non cancellatas, neque in aliqua sui parte suspectas, sed omni prorsus vitio, & suspicione carentes, Nobis per Honorabilem Virum, Dominum Joannem Koster, in nostra Ecclesia Lubicensi Vicarium perpetuum, Reverendissimi in Christo Patris, & Domini, Domini Jasperi eadam Gratia Archiepiscopi, nec non Præpositi, Decani, totiusque Capituli Sanctæ Rigensis Ecclesiæ Procuratorem, prout de eius Procurationis Mandato, quodam Instrumento publico, signo & subscriptione discreti Viri Joannis Lomeller Clerici coniugati Vladislaviensis Diœcesis, Imperiali Authoritate Notarii signato, & subscripto, eorumque Sigillo sigillato legitimam fecit fidem, coram Notario publico, & testibus infrascriptis præsentatas, Nos cum ea, qua decuit, reverentia noveritis recepisse. Quarum principium est tale: *Sacrosancta Synodus Basiliensis in Spiritu Sancto legitime congregata, Universalem repræsentans Ecclesiam, Venerabili Joanni, Basileæ in præsentiarum commoranti, & Successoribus suis Lubicensibus Episcopis &c.* Finis vero earundem Literarum est talis: *Datum Basileæ VI. Kalendas Aprilis, Anno a Nativitate Domini millesimo quadringentesimo tricesimo quarto.* Quibus per Nos receptis, & debite masticatis, Nos ad eiusdem

Anno 1519. dem Domini Joannis Koſter Procuratoris inſtantiam, & requiſitionem, omnes, & ſingulos ſua communiter, vel diviſim intereſſe putantes, eorumque Procuratores, ſi qui erant in Civitate Lubicenſi pro eisdem, ad videndum, & audiendum nonnulla Privilegia, Indulta, & Conceſſiones Archiepiſcopis Eccleſiæ Rigenſis, a diverſis Romanis Pontificibus, & Imperatoribus gratioſe conceſſa, & conceſſas tranſumi, & exemplari, & in publicam Tranſumpti Formam redigi mandari, ac nonnullos teſtes fide dignos, de, & ſuper recognitione Sigillorum ipſis Privilegiis, Indultis, & Conceſſionibus expenſorum, & appoſitorum produci, recipi, & ad iurandum admitti, ac iurare, interrogari, & recognoſci. Et poſtquam Sigilla literis prætactis appenſa, legitime recognita fuerint, recognita pro recognitis haberi, nec non Apoſtolicam, & Ordinariam noſtras Authoritates, pariter & Decretum, prout moris eſt, interponi, vel dicendum, & cauſas, ſi quas haberent rationabiles, quare præmiſſa fieri non deberent, in contrarium allegandum, per noſtras citationis Literas in valvis, ſeu portis dictæ Eccleſiæ noſtræ Lubicenſis citari mandavimus, & fecimus ad diem, & horam infraſcriptas. Quibus quidem die, & hora advenientibus comparuit iudicialiter coram Nobis præfatus Dominus Joannes Koſter Procurator, nominibus, quibus ſupra, & quandam citationem, papyri cedulam da Mandato noſtro in valvis, ſeu portis dictæ Eccleſiæ Lubicenſis debite executam reproduxit, citatorumque in eadem contentorum non comparentium contumaciam accuſavit, ipſosque contumaces reputari, & in eorum contumaciam nonnullas Literas felicis recordationis Caroli IV. Romanorum Imperatoris, & Bohemiæ Regis, Sigillo eius magno, & rotundo ceræ glaucæ impreſſo, in cordula ſerica glauci, & nigri coloris impendente ſigillatas, & munitas: In cuius Sigilli circumferentia hæc verba reperiebantur: Carolus *quartus Divina favente Clementia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, & Bohemiæ Rex*, in medio eiusdem Sigilli continebatur Imago Imperatoris in Sede Maieſtatis ſedentis, ac dextra Sceptrum Imperiale, & ſiniſtra manibus pomum cruciatum gerentis, a latere dextro Sedis Aquila magna, roſtro clypeum, in quo Leo coronatus tenens, non vitiatas, non cancellatas, neque in aliqua ſui parte ſuſpectas, ſed omni prorſus vitio, & ſuſpicione, ut prima facie apparebat, carentes, facto realiter, & in ſcriptis exhibuit, atque præſentavit. Quas quidem Literas Imperiales tranſumi, & exemplari, atque in publicam Formam redigi mandari, Authoritatesque, & Decretum prædicta, ut moris eſt, per Nos interponi, debita cum inſtantia poſtulavit. Tenor vero Literarum Imperialium, unde ſupra fit mentio, ſequitur, & eſt talis: Carolus IV. *Divina favente Clementia Rom Imperator, ſemper Auguſtus, Bohemiæ Rex. Venerabili Uromoldo Archiepiſcopo Rigenſi, ſuo, & Sacri Romani Imperii Principi, & devoto dilecto gratiam ſuam, & omne bonum. Nuper ex parte tua noſtræ Celſitudini fuit humiliter ſupplicatum, quatenus Legem, ſeu Conſtitutionem, alias per Nos ad inſtantiam Honorabilium Prælatorum, Canonicorum, & Clericorum Inferioris Partis Saxoniæ, Magdeburgenſi, & Bremenſi vicinorum locorum, ac Provinciarum editam, & in ſuæ Eccleſiaſticæ Libertatis tuitionem conceſſam, ad tuam Rigenſem Provinciam, Prælatos, Canonicos, & Clericos ipſius, ex innata Nobis benignitatis clementia extendere dignaremur, cuius quidem Legis tenor ſequitur in hæc verba:* In Nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis feliciter Amen. Carolus Quartus Divina favente Clementia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, & Bohemiæ Rex, ad perpetuam rei memoriam. Etſi Imperialis benignitatis Clementia quorumlibet devotorum fidelium, quos Sacrum Romanum ambit Imperium, ex Officii debito teneatur neceſſitatibus, & iniuſtis oppreſſionibus conſulere, & de opportuno remedio providere, ad illos tamen permaxime dirigitur noſtræ mentis affectio, quos indebite pati cognovimus, quorumque oppreſſionibus Status Eccleſiaſticæ libertatis, quem ſemper noſtris temporibus augeri voluimus, nonnihilum minuitur, & minus debite prægravatur. Sane ad Imperialis Maieſtatis audientiam pro parte Honorabilium Prælatorum, Canonicorum, & Clericorum Inferioris Saxoniæ, Magdeburgenſi, Bremenſique vicinorum locorum, & Provinciarum inſinuatione queruloſa, ſuppliciter eſt deductum: Quod Sæculares quidam in poteſtatibus, & officiis publicis conſtituti, videlicet Duces, Comites, Barones, & alii Domini temporales, nec non Conſules Civitatum, Oppidorum, villarum, & locorum Rectores, dictarum Magdeburgenſis, & Bremenſis Provinciarum, Dei timore poſtpoſito, Statuta ſingularia, & iniquas Ordinationes motu proprio, & de facto, contra Perſonas Eccleſiaſticas, Eccleſiarum, & locorum Religioſorum Libertates, et Privilegia condiderant, eisdemque publice, et de facto inſiſtere

Anno 1519.


ANNO 1519. ſiſtere præſumpſerunt, contra legitimas Civiles, et Canonicas Sanctiones, ut puta, quod nulla bona temporalia in poteſtatem Eccleſiaſticam transferantur, neve Clerici in Sacris conſtituti ad agendum, ſeu teſtificandum in civilibus, et maxime in piis cauſis aliquatenus admittantur; Quodque excommunicati Laici, et publice denunciati in civili foro minime repellantur. Item prædicti Domini temporales, Conſules, et Rectores, per ſæcularem poteſtatem, res, et bona Clericorum occupant, et arreſtant, oblationes fidelium diminuunt, et reſtringunt, exactiones, et tallias indebitas de bonis et reditibus Eccleſiarum exigunt, et extorquent, poſſeſſiones Eccleſiarum, et Perſonarum earundem davaſtant incendiis, et rapinis; contractus inter Clericos, et Laicos factos legitime ad libros Civitatum, Villarum, et locorum recuſant inſcribere, et ſigillare, donata, et legata, ad fabricas, et Eccleſiarum ſtructuras, contra voluntatem Prælatorum, et aliorum, quorum intereſt, præſumunt uſurpare contra iuſtitiam, in fraudem, et odium Clericorum, de bonis etiam, et rebus Clericorum, quas non cauſa negotiationis, ſed pro uſibus propriis per terras ducunt, ſeu duci faciunt, theloneum exigere, et recipere non verentur, et confugientes ad Eccleſias, et Cimeteria inde extrahere contra Sanctiones Imperiales præſumunt; quæ omnia, et quælibet abinde ſecuta, cum per Sacras, Civiles, et Canonicas Sanctiones expreſſe reprobata ſint, et in fraudem Eccleſiaſticæ Libertatis de facto præſumta, de Principum, Ducum, Comitum, Baronum, fideliumque noſtrorum conſilio, ex certa ſcientia, et Authoritate Imperiali caſſamus, irritamus, et annullamus, caſſaque, et irrita, ac nullius eſſe momenti penitus dicimus, et expreſſe pronuntiamus, præcipientes ſub indignatione Imperialis Banni univerſis, et ſingulis dictorum Magdeburgenſis, et Bremenſis Provinciarum, et locorum vicinorum Dominis temporalibus, Conſulibus, Poteſtatibus, et in officiis publicis conſtitutis, quatenus mox viſis, aut intellectis præſentibus, dicta ipſorum Statuta, et Ordinationes, ſicut in præiudicium Eccleſiaſticæ Libertatis edita ſunt, omnino revocent, et de luce tollant: Quodque ea non iudicent amplius, nec Sententias dictent, aut eisdem in iudicio, vel extra iudicia quomomodolibet, pro ſe, et contra Eccleſiaſticam Libertatem potiantur. Item Pronuntiamus, et declaramus Imperiali Authoritate, quod quicunque Laicus, cuiuscunque Status, vel conditionis extiterit, auſu ſacrilego, & propriae temeritatis audacia, Sacerdotem, vel Clericum Saecularem, vel Religioſum diffidaverit, proſcripſerit, captivaverit, ſpoliaverit, occiderit, mutilaverit, aut in carcere detinuerit, aut huiusmodi maleficia perpetrantes ſcienter receptaverit, vel favorem in his eis præſtiterit, præter pœnas a Sacris Imperialibus, & Canonicis ſanctionibus eis inflictas, ſint ipſo facto infames, & omni honore privati, nec ad placida vel concilia nobilium aliquatenus admittendos volumus. Etiam hortamur, & requirimus Epiſcopos, & Prælatos Eccleſiaſticos, ut hanc noſtram Legem, & Conſtitutionem in Synodis, & Eccleſiis publicari procurent, ne in præmiſſis excedentes per ſimulatam ignorantiam ſuas malitias valeant excuſare. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc noſtræ caſſationis, irritationis, annullationis, nec non pronuntiationis, & declarationis paginam auſu temerario infringere, aut eis quomodolibet contraire, ſub pœna quinquaginta Marcarum puri auri, quas ab eo, qui contra fecerit, totiens quotiens contrafactum fuerit, irremiſſibiliter exigi volumus, & earum medietatem noſtri Imperialis ærarii, ſive fiſci, reſiduam vero partem iniuriam paſſorum uſibus applicari. SIGNUM SERENISSIMI PRINCIPIS ET DOMINI DOMINI CAROLI IV. ROMANORUM IMPERATORIS *Invictiſſimi & glorioſiſſimi Bohemiæ Regis.* Teſtes huius rei ſunt, Venerabilis Armeſtus Archiepiſcopus Pragenſis, Joannes Clumincenſis, Joannes Luthomiſchlen. Sacræ Imperialis Aulae Cancellarius, & Theodoricus Mindenſis Eccleſiarum Epiſcopi, Illuſtres Rodulphus Saxoniæ, & Bolko Opolienſis, Primiſlaus Teſchinenſis Duces, Principes, ſpectabiles Burghardus Burggravius Magdeburgenſis, Magiſter noſtræ Curiæ, Henricus de Mamford, Comites, Nobiles Snomiko de Haſenburg, Jeſco de Wilarticz, & alii quam plures noſtri Principes Nobiles et fideles. Præſentium ſub Imperialis noſtræ Maieſtatis Sigillo teſtimonio Literarum. *Datum Pragæ, Anno Domini milleſimo trecenteſimo quinquageſimo nono, Indictione duodecima, III. Idus Octobris, Regnorum noſtrorum anno quartodecimo, Imperii vero quinto.* Nos *igitur attendentes, quod Sanctarum Eccleſiarum, ac Eccleſiaſticarum Perſonarum, Nobis, & Sacro Romano Imperio ſubiectarum, ex aſſumpto Imperialis Dignitatis Officio, ſinceriori affectu commodis, utilitatibus, & defenſionibus dignamur intendere, ut hi, quos Divina Providentia ſuo deputavit miniſterio, ſub-*

ANNO 1519.

ANNO 1519. *ſub felici noſtra protectione, eo ſincerius Altiſſimo famulentur, eidem clementer duximus annuendum, de Principum, Ducum, Comitum, Baronum, Procerum, noſtrorum, & Sacri Romani Imperii fidelium, conſilio, ex certa ſcientia ac de noſtræ Imperialis munificentiæ plenitudine dictam Legem, cum omnibus & ſingulis ſuis clauſulis, punctis, terminis, & pœnis in ipſa contentis, ad dictam tuam Provinciam Rigenſem, Prælatos, Canonicos, & Clericos ipſius, devotos noſtros dilectos extendendam duximus, & extendimus præſentium per tenorem. Volentes, & noſtra Imperiali Sanctione ſtatuentes, quod Tu, tuique Prælati, Canonici, & Clerici in dicta tua Provincia Rigenſi, pro tempore exiſtentes, dicta noſtra Lege, ad noſtræ Maieſtatis, noſtrorumque Succeſſorum Imperatorum, & Romanorum Regum beneplacitum uti, & frui, cum omnibus ſuis effectibus libere valeatis, dicta tamen Lege in ſuo robore in perpetuum duratura; præcipientesque ſub indignatione Imperialis Banni, univerſis, & ſingulis dictæ Rigenſis Provinciæ Dominis temporalibus, Conſulibus, Prælatis & in officiis publicis conſtitutis, quatenus dictam noſtram Legem ſuſcipiant, ac ipſam per omnia in omnibus ſuis præceptis, & mandatis fideliter obediendo exequantur, præſentium ſub Imperialis noſtræ Maieſtatis Sigillo, teſtimonio Literarum. Datum Pragæ, Anno Domini milleſimo trecenteſimo ſexageſimo ſexto, Indictione IV. XIV. Kalendas Maii, Regnorum noſtrorum anno viceſimo. Imperii vero duodecimo.* Poſt quarum quidem Literarum Imperialium exhibitionem, & productionem, coram nobis, ut præmittitur, factam, Nos JOANNES Epiſcopus Lubicenſis Tranſumptor, & Executor Apoſtolicus præfatus, dictos citatos non comparentes, reputavimus merito id exigente iuſtitia contumaces, & in eorum contumaciam productis primitus coram nobis nonnullis Teſtibus fide dignis, de, & ſuper recognitione Sigilli, præinſertis literis Imperialibus appenſi eisdemque per nos admiſſis, receptis, & in forma Juris iuratis, & interrogatis, qui Sigillum Literis præinſertis appenſum, & appoſitum debite, ut moris eſt, recognoverunt, easdemque Literas Imperiales vidimus, tenuimus, palpavimus, & diligenter inſpeximus, & quia per diligentem inſpectionem, & viſionem Literas Imperiales præinſertas ſanas, integras, & illæſas, non vitiatas, non cancellatas, neque in aliqua ſui parte ſuſpectas, ſed omni prorſus vitio, & ſuſpicione carentes, ut prima facie apparebat, reperimus, idcirco ad ulteriorem dicti Domini Joannis Koſter Procuratoris inſtantiam, Literas ipſas per diſcretum Virum Dominum Conradum Nyme, Clericum Lubicenſem Sacra Imperiali authoritate Notarium, Scribamque noſtrum infraſcriptum tranſumi, & exemplari, ac in publicam Formam redigi mandavimus, & fecimus. Volentes, et nihilominus Apoſtolica, & ordinaria noſtra Authoritatibus memoratis decernentes, quod præſenti Tranſumpto publico in iudicio, & extra, ac ubicunque exhibitum fuerit, detur, & adhibeatur de cætero talis, & tanta fides, qualis et quanta ipſis Literis Originalibus coram nobis, ut præfertur, exhibitis, & productis, ac, ut ſupra, de verbo ad verbum fideliter inſertis, atque una cum præſenti Tranſumpto publico auſcultatis, & collationatis data fuit, & adhibita, ac datur, & adhibetur de præſenti. Quibus omnibus & ſingulis ſupradictis tanquam rite, & legitime factis, atque celebratis Apoſtolicam, & ordinariam noſtram authoritates interpoſuimus, & præſentibus interponimus pariter & decretum. In quorum omnium & ſingulorum fidem, & evidens teſtimonium præmiſſorum, præſentes Literas, ſive hoc præſens publicum Tranſumpti Inſtrumentum exinde fieri, & per Notarium publicum, noſtrumque et in huiusmodi tranſumptionis negotio coram nobis Scribam infraſcriptum ſubſcribi, & publicari mandavimus, Sigillique noſtri, quo ad cauſas utimur, iuſſimus, & fecimus appenſione communiri. Datum, & actum Lubeck in Curia noſtra Epiſcopali, ſub anno a Nativitate Domini milleſimo quingenteſimo decimo nono, Indictione ſexta, die vero Martis, tertia menſis Maii, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini noſtri, Domini LEONIS Divina providentia Papae Decimi, anno ſeptimo. Præſentibus ibidem Honorabilibus Viris, Dominis Laurentio Wolter Presbytero Caminenſis Diœceſis, & Bartholdo Arndes, dictae Eccleſiae noſtrae Lubicenſis Vicario perpetuo, teſtibus ad præmiſſa vocatis, atque rogatis. ANNO 1519.

Et Ego Conradus Nyme Clericus Lubicenſis, Publicus Sacra Imperiali Authoritate Notarius, dictique Reverendi Patris Domini, Joannis Epiſcopi Lubicenſis Tranſumptoris Apoſtolici, et coram eo Scriba, quia dictarum Literarum Imperialium exhibitioni, & productioni, earundemque viſioni, et tranſumptioni, nec non Apoſtolicæ, et ordinariæ authoritatum, pariterque Decreti interpoſitioni, omni-

ANNO 1519. omnibusque aliis, et ſingulis dum ſic, ut



præmittitur, fierent, & agerentur, una cum prænominatis Teſtibus præſens fui, eaq; omnia, et ſingula ſic fieri vidi, et audivi, ac in notam ſumpſi. Ideoque hoc præſens publicum Inſtrumentum manu alterius fideliter ſcriptum exinde confeci, ſubſcripſi, publicavi, et in hanc publicam Formam redegi, quam ſigno, nomine, & cognomine meis ſolitis, & conſvetis una cum præfati Reverendi Patris Domini Joannis Epiſcopi Lubicenſis Tranſumptoris Sigilli appenſione ſignavi, et roboravi, in fidem, et evidens teſtimonium omnium, et ſingulorum præmiſſorum, rogatus, et requiſitus.

CI.

1521. *Diploma* ALBERTI *Marchionis Brandeburgenſis* VALTERO *Ordinis Theutonici in Livonia Magiſtro, Ordinisque Præpoſitis datum, quo eis concedit facultatem, & plenam poteſtatem Ordinis Magiſtri eligendi & conſtituendi. Ex Tabulario Illuſtriſſimi Domini Joſephi Comitis Załuſki Epiſcopi Kijovienſis.*

Nos Dei Gratia, ALBERTUS Magiſter Ordinis S. Mariæ Theutonicorum, Marchio Brandeburgenſis, Stetinenſis, Pomeraniæ, Caſſubarum, Sclavorum Dux, Burggrabius Norinbergenſis, et Princeps Rugiae, etc. manifeſtum facimus, et ſignificamus omnibus, publicas haſce noſtras Literas viſuris, audituris, ſive lecturis, quod conſiderantes ſingularem, et reiterata vice, a Venerando Domino de Plettenberg, Theutonici Ordinis Livonae Magiſtro, et Ordinis Præpoſitis, eorumque Anteceſſoribus, in ſummis noſtris Ordinisque anguſtiis, magno noſtro commodo, et emolumento, impenſam operam diligentem, et multifaria, tam parata pecunia, multo auro, et argento, quam copiis, tempore belli, retro actis temporibus nobis in auxilium miſſis, præſtita peculiaris humanitatis officia, quibus et adhuc in præſenti Ordinis neceſſitate devincimur. Nos, et Ordinis Præpoſiti, noſtro, et Succeſſorum Theutonici in Livonia Ordinis nomine in emolumentum, commodum, et incrementum Ordinis, inprimis autem ad maiorem reconciliandam Concordiam ſuper nominato Domino VALTERO, Theutonici Ordinis in Livonia Magiſtro, Ordinisque Præpoſitis, una cum Succeſſoribus, ultro, et ſponte, nullius perſvaſionibus adducti, ſed recordatione meritorum modo commemoratorum, ex ſingulari gratia, et benevolentia, omnia Ordinis Privilegia, Jura, Regalia, Leges, Satuta, et Conſvetudines, eodem modo, ut retroactis temporibus ad hunc usque diem in Ordinis territorio viguerunt, et adhuc vigent, condiximus, et firmavimus. Siquidem prædicta Privilegia una cum primævis honeſtis, et laudabilibus Ordinis conſvetudinibus, in hunc modum, vigore harum Literarum condicimus, et firmamus, decernimus, et ſtabilimus, ut noſtri Ordinis in Livonia Præpoſiti, eorumque poſteri, liberam facultatem, et plenam poteſtatem Ordinis Magiſtri, pro conſvetudine Ordinis ſine noſtra, & Succeſſorum contradictione, & impedimento, eligendi, & conſtituendi habeant, & eodem iure, quo retroactis temporibus ratione Electionis, gaviſi ſunt, & adhuc gaudent, in perpetuum utantur, ac fruantur. At quia per conſvetudinem priſtinis temporibus obſervatam, hæc Electionis norma fuit, ut ex electis duobus ampliſſimi Ordinis Candidatis, noſtris Anteceſſoribus præſentandi, hi unum, & qui magis placebat, confirmaverint, id quod odio, invidiae, et multis contentionibus, magno Ordinis periculo, damno, & detrimento occaſionem dedit, hanc electionis formam, Ordini, ſi in poſterum obſervaretur, valde pernicioſam, omnino derogamus, & Ordinis noſtri in Livonia Præpoſitis, eorumque Succeſſoribus, vigore harum Literarum indulgendo concedimus, ut pro conſvetudine Ordinis, poſt obitum Ordinis Magiſtri, propria authoritate, ex gremio Ordinis alium idoneum, & bene meritum eligere poſſint, qui nobis non aliter, ac ſi lege priſtinae obſervantiae nobis præſentatus fuiſſet, gratus, atque acceptus erit: bene memores, ordinem noſtrum in Livonia quaterna vice ex plenitudine propriae authoritatis, & non interveniente conſenſu Supremi Ordinis Magiſtri, Ordinis Magiſtrum Livoniae elegiſſe, quos Anteceſſores noſtri, non aliter, ac ſi duo

ANNO 1521.

præ-

ANNO 1519. præsentati fuissent, admiserunt, et adprobarunt. Nos igitur id, quod tam nostro, quam Successorum, et Ordinis Theutonici in Prussia Præpositorum, et modestorum Fratrum nomine promittimus Electioni, et Constitutioni Magistri Ordinis Livoniæ, nulla contradictione, et impedimento, neque directa, neque indirecta via, non clandestinis machinationibus, multo minus hostili invasione adversabimur, sed sine tergiversatione, et contradictione, Electionem ratam, et Electum Nobis gratum, et acceptum habebimus: eumque contra quemcunque aggressorem defendere, Ordinem vero universum Livoniæ in quieta possessione, et inturbato exercitio omnium Privilegiorum, et Immunitatum, imprimis autem liberæ Electionis Magistri Ordinis, ut cuius vel electio, vel depositio nostro suffragio non eget, nunquam impedire volumus: et hæc omnia Nos observaturos, vi harum Literarum, nostro, et Successorum, nec non Præpositorum, et modestorum Ordinis Fratrum nomine Nos obstringimus,

CII.

1522. *Divisionis bonorum communium inter Canonicos Rigenses, Authoritate Michaelis Archiepiscopi Rigensis institutæ, & a* JULIO II. *PP. confirmatæ, Ordinatio per* JASPERUM *Archiepiscopum Rigensem facta, cum erectione duorum stipendiorum &c.* Dat. in Castro Uxkul d. 6. Octobr. Anno 1522. *Ex Archivo Magni Ducatus Litvaniæ.*

JASPERUS Dei, & Apostolicæ Sedis Gratia Sanctæ Rigensis Ecclesiæ Archiepiscopus, ad perpetuam rei memoriam. Cum Nos ex iiuncto Archiepiscopalis Dignitatis nostræ Officio, ad ea vigili, & solerti cura respicere teneamur, unde salus devotorum nostrorum evenire, rerumque, ac bonorum præfatæ nostræ Ecclesiæ augmentum manare videatur. Sane cum olim sub regimine Prædecessorum nostrorum, etiam piæ memoriæ Antecessoris nostri Archiepiscopi Michaelis, Decanus, & Canonici prænominatæ Ecclesiæ nostræ (de quorum numero tunc eramus) communia bona haberent, ac in communi viverent, eo deventum esset, quod eadem bona non modo ad sustentationem ipsorum non sufficerent, imo in discrimine posita, futuram ruinam promitterent. Nam communio ipsa iure suo peculiari discordiam, ANNO 1522. ac ipsarum rerum communium negligentiam, negligentia autem deteriorationem, ac earundem demum rerum interitum parere solet. Id ipsum alta mente revolventes, huicque incurabili malo provide succurrere volentes, Nos de assensu præfati Reverendissimi Domini Michaelis Antecessoris nostri huiusmodi communionem dissolvendam, bonaque ipsa communia, certis Præbendis Canonicalibus assignanda censuimus, videlicet: quod ultra Præposituram, & Decanatum, septem maioribus Præbendis Canonicalibus in præfata Ecclesia nostra Metropolitana existentibus, quæque portionem suam de huiusmodi bonis communibus specialem haberet. Qua quidem divisione, & assignatione durante, Decanoque, & Canonicis seorsim viventibus, ac unicuique portioni suæ præsentibus, res ipsæ Ecclesiæ nostræ præfatæ paulatim revivisere, & incrementum sumere cœperunt. Cum autem præfatus piæ memoriæ Prædecessor noster mortalitate præventus, eandem, ut decrevit, publicis, & authenticis non roborasset Documentis, Nosque Divina Dispositione in eius locum suffecti, pro confirmatione Electionis nostræ obtinenda, Sanctam Sedem Apostolicam in persona accedentes, a felicis recordationis Divo JULIO Pontifice Maximo, eius nominis Secundo, divisionis, & assignationis huiusmodi confirmationem, & approbationem petivimus, petitamque cum plena potestate eandem mutandi, & emendandi obtinuimus, prout in Literis desuper Nobis datis, & concessis plenius continetur, quorum tenor de verbo ad verbum sequitur, & est talis. JULIUS *Episcopus Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. His, quæ pro Personarum Ecclesiasticarum quarumlibet Sæcularium, & Regularium, præsertim loca, & Canonicales portiones in Metropolitanis Ecclesiis obtinentium commoditate, & portionum suarum augmento provide facta fuisse dicuntur, ut firma perpetuo, & inconcussa persistant, libenter, cum a Nobis petitur, Apostolici muniminis adiicimus firmitatem, & alia desuper concedimus, prout in Domino conspicimus expedire. Sane pro parte Venerabilis Fratris nostri Jasperi Archiepiscopi, & dilectorum Filiorum Capituli Ecclesiæ Rigensis, Ordinis Beatæ Mariæ Theutonicorum, Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod alias Capitulum præfatum, qui bona communia, de quibus eatenus vixerant, habebant, & mensam communem tenuerant, de consensu, consilio, & Authoritate bonæ memoriæ*

ANNO 1522. *Michaelis Archiepiſcopi Rigenſis, tunc in humanis agentis, bona huiusmodi, Caſtro Cremon nuncupato duntaxat excepto, & in communi reſervato, pro eorum commoditate inter ſe diviſerunt, & unicuique ex Canonicis dicti Capituli partem, & portionem, de qua honeſte vivere poſſet, aſſignarunt, ac diviſionem huiusmodi dudum ante tempus, & tempore obitus dicti Michaelis Archiepiſcopi continuarunt, prout continuant de præſenti: Cum autem, ſicut eadem petitio ſubiungebat, idem Michael Archiepiſcopus nullis forſan deſuper confectis Literis, ſeu Documentis publicis, & authenticis, ſicut Domino placuit, viam univerſæ carnis ingreſſus fuerit, & diviſio bonorum huiusmodi in non modicum augmentum portionum dictæ Eccleſiæ cedere noſcatur. Pro parte Jaſperi Archiepiſcopi, & Capituli prædictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut diviſioni, & aſſignationi prædictis pro illarum ſubſiſtentia firmiori, robur Apoſtolicæ Confirmationis adiicere, ac alias in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur Jaſperum Archiepiſcopum, & Capitulum præfatos, ac ipſius Capituli ſingulares perſonas, a quibusvis Excommunicationis, Suſpenſionis, & Interdicti, aliisque Eccleſiaſticis Sententiis, Cenſuris, & pœnis, a iure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, huiusmodi ſupplicationibus inclinati, diviſionem, & aſſignationem prædictas Authoritate Apoſtolica tenore præſentium confirmamus, approbamus, ſupplentes omnes, & ſingulos defectus, ſi qui forſan intervenerint in eisdem, ac illas perpetuo, & inviolabiliter obſervari debere decernimus. Et nihilominus præfato Jaſpero Archiepiſcopo, ut ſi quid in eisdem diviſione, & aſſignatione ordinandum, ſeu emendandum fuerit, id totum emendare, ſeu mutare, addere, vel minuere, ac alias, prout ſibi videbitur diſponere, & ordinare libere, et licite valeat, harum ſerie concedimus facultatem. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Eccleſiæ, & Ordinis prædictorum iuramento, Confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & conſvetudinibus, cæterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo omnino homini liceat hanc paginam noſtræ Abſolutionis, Confirmationis, Approbationis, Suppletionis, Decreti, & Conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Apoſtolorum eius ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum. Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo quinto, Idus Junii, Pontificatus noſtri Anno ſexto.* Qua authoritate freti Nos diviſionem eandem in certis, licet paucis mutandum et emendandum duximus, immutavimusque, et emendavimus, ac Præbendas, et portiones earundem in modum ſubſequentem ordinavimus: Caſtrum ſcilicet Dolen cum Curia Coſtzeln, ac reliquis ſuis pertinentiis Præpoſito, ac eiusdem Succeſſoribus, prout alias ſemper etiam ſeorſum habuerit, aſſignantes. Caſtrum vero Sunſzel, cum omnibus bonis ad id pertinentibus, Decano, et eiusdem Succeſſoribus pro portione ſua deputantes, ea tamen lege, ut uni Canonicorum bona ruralia non habenti, pro Canonica ſua portione ducentas Marchas Rigenſes, ac quinque laſtas frumenti, ut puta, duas ſiliginis, et totidem braſii cum unica laſta avenae, exolvet. Item Curiam Nipen cum ſuis pertinentiis pro ſecunda Praebenda ordinantes. Praeterea Curiam Scernekaw pro tertia, ita tamen, ut eidem Praebendario propter exiguitatem fructuum eiusdem Curiae, cellarius de Caſtro Cremon ſingulis annis ſemiduas laſtas ſiliginis, et totidem braſii, una cum Talento magno humuli, ac Dominus Decanus de Caſtro Sunſzeln talentum magnum canabis attribuerent. Item quod quarta Praebenda, ſimiliter et quinta ſuas portiones unaquaeque centum Marcarum in pecuniis promptis, quatuor laſtas ſiliginis, tres braſii cum una laſta avenae, de praementionato Caſtro Capitulari Cremon haberet. Pro ſexta Divi Petri Parochialem Eccleſiam in praefata Civitate noſtra Rigenſi ſituatam una cum duabus laſtis ſiliginis, duabus braſii e Caſtro Cremon percipiendis, ac oblationibus, et obventionibus eiusdem aſſignavimus. Pro ſeptima vero deputavimus Eccleſiam Sancti Jacobi etiam in eadem Civitate noſtra Rigenſi exiſtentem, ſimili modo cum offertoriis, obventionibus, et emolumentis eiusdem, ac tribus laſtis ſiliginis, duabus braſii a cellario de praenominato Caſtro Cremon obtinendis. Quodque cuilibet, ex proxime praeſcriptis quatuor Canonicis, ſimiliter et quinto, cui Dominus Decanus portionem ſuam de Caſtro Sunſzel praeſtat, bona propria ruralia non habentibus, ſingulis annis praefatus cellarius pro tempore exiſtens de Caſtro Cremon autumnali tempore, circiter Feſtum Divi Bartholomaei bovem mactabilem, aut quatuor Marchas Rigenſes, duas oves, et

ANNO 1522

Anno 1522. & circa feſtum Martini, porcum ſaginatum, cum media tonna butyri. Item circa feſtum Pentecoſtes duos agnos, & tempore competenti decem gallos gallinaceos, ac duas tonnas cereviſiae, cum certis aliis diſtributionibus iuxta antiquam conſvetudinem, exolveret. Quæ quidem ordinatio, ſic, ut præmittitur, facta, cum in præfatae Eccleſiae noſtrae utilitatem tenderet, fructus quoque, & proventus Caſtri Cremon non modo pro eisdem præbendis ſufficerent, ſed aſſignationem portionum praefatarum praebendarum excederent. Nos quoque ad Dei omnipotentis Glorioſiſſimaeque Virginis Mariæ, totiusque cœleſtis Curiae honorem, ac Divini cultus augmentum, duo ſtipendia, unum quodque centum Marcharum Rigenſium in Eccleſia noſtra Metropolitana Rigenſi fundaverimus, praefati Decanus, Canonici, ac totum Capitulum noſtrum de conſilio, & aſſenſu noſtro, totidem, eodem etiam ſub valore erigere, & fundare ſtatuerunt, eaque de re coram Nobis conſtituti, Venerabiles in Chriſto nobis dilecti, Dominus Henricus Sthwer Decanus, & Dominus Joannes Stwerboche Canonicus, & cellarius nomine totius capituli Eccleſiae noſtrae ſæpedictae humillime ſupplicarunt, ut Nos authoritate Apoſtolica, nobis in hac parte conceſſa, & demandata, diviſionem & ordinationem, ac duorum illorum ſtipendiorum erectionem, & fundationem admittere, approbare, & ratificare dignaremur. Et quia longiſſimo temporis tractu, ac ipſa rerum experientia Magiſtra comperimus, eandem diviſionem, & ordinationem in commodum Eccleſiæ noſtræ præfatæ eſſe. Ideoque nos Jasperus Archiepiſcopus præfatus præfatorum devotorum noſtrorum Decani, & Capituli petitioni inclinati, diviſionem, ordinationem, & fundationem praefatas in perpetuum valituras admittendum, ratificandum & approbandum duximus, prout admittimus, ratificamus, & approbamus. *In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti* per præſentes. Nulli ergo omnino homini liceat hanc noſtram, imo verius Sedis Apoſtolicae diviſionis, ordinationis, & fundationis admiſſionem, ſeu approbationem infringere, ſeu ei auſu temerario contraire. Si quis autem, quod abſit, id attemptare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli ſe noverit incurſurum. In quorum omnium fidem & teſtimonium praemiſſorum præſentes Literas fieri & per Cancellarium noſtrum infraſcriptum ſubſcribi, Sigillique noſtri maioris iuſſimus & fecimus appenſione communiri. Data, & acta ſunt hæc in Caſtro noſtro Uxkul Rigenſis Diœceſis, ſub anno a nativitate Domini milleſimo quingenteſimo vigeſimo ſecundo, Indictione decima, die vero Lunae, ſexta menſis octobris. Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri, Domini Adriani Sexti anno primo. Præſentibus ibidem Honorabilibus nobis in Chriſto devotis, Domino Hertwico Gendeno Vicario præfatae Eccleſiae noſtrae, et Domino Mathia Hawemvald Capellano noſtro, Teſtibus ad præmiſſa vocatis, pariter et requiſitis. Anno 1522.

CIII.

Reſponſum nomine Sacræ Regiæ Maieſtatis datum Reverendiſſimo Domino Archiepiſcopo Rigenſi. 1526.
Varſaviæ die 7. Sept. An. 1526.
Ex Archivo Regni. Lib. Legationum Lit. E. fol. 360.

Sacra Maieſtas Regia, Reverendiſſime Domine, agit iterum plurimas gratias Veſtræ Dominationi Reverendiſſimæ, de hac propenſione animi, quam erga Maieſtatem ſuam exhibet, quodque illa communicare Maieſtati ſuae voluerit, quæ neceſſaria ſcitu Maieſtati ſuæ exiſtimavit. Et quamvis Maieſtatis ſuæ nihil intereſt eius, quod tranſmutatum eſt in Pruſſia adverſus Ordinem, & Sedem Apoſtolicam, nihil enim Maieſtas ſua egit unquam de Ordine cum Domino Duce de Pruſſia, neque illi aliquam occaſionem eius abiiciendi præbuit, proindeque illum nec excuſare, neque in hoc tueri vellet, tamen ſi ratione Terrarum Pruſſiæ, pro quibus tot ſæculis bella geſta ſunt, & quæ tam iure belli, quam etiam hæreditario, ſemper ad Regnum Maieſtatis ſuæ pertinebant, impeteretur ipſe Dominus Dux in Pruſſia, & cauſa huius Transactionis noviſſimae; non poſſet non deeſſe illi Maieſtas ſua, ſed illum omnibus viribus tueri cogeretur.

Et proinde rogat plurimum Maieſtas ſua Veſtram Reverendiſſimam Dominationem, excuſare dignetur eius Maieſtatem, cum apud Sanctiſſimum Dominum noſtrum, tum etiam alibi, ſi quid tale incideret, nihil eſſe a Maieſtate ſua temere, indebite, vel perperam in hac re commiſſum, diſſvadeatque, ne ratione huius Transactionis de Terris Pruſſiae Maieſtatis ſuæ hæreditariis aliquid hoſtile committatur adverſus Dominum Ducem in Pruſſia, in quo eventu illum Maieſtas ſua defendere tenetur, nam de aliis, quæ ad Maieſtatem ſuam nihil attinent, neque earum Author fuit, nihil ſua in-

Anno 1526. tereſſe putat Maieſtas ſua, neque ad ea ſe intromittere volet.

Dignetur etiam Veſtra Reverendiſſima Dominatio declarare Sanctiſſimo Domino noſtro, cum ruinam Regni Ungariae a Turcis, tum huius etiam ſui calamitatem a Tartaris, & proinde, ut eius Sanctitas eo celerius Principes Chriſtianos concordare, & his Regnis tandem cum aliis Chriſtianis Principibus opem ferre dignaretur.

Declarabit item Veſtra Reverendiſſima Dominatio Eius Sanctitati invaleſcentem indies in his Oris, & Regionibus peſtem Lutheranam, & ſtudium Maieſtatis ſuæ de illa extinguenda, quod niſi tantum eſſet, haud dubie iam totæ iſtæ Provinciæ corruptæ fuiſſent, ut etiam tandem illius Sanctitas aliquam rationem ineat, hanc inſolentiam compeſcendi, ne Divina Maieſtas tantis blaſphemiis offenſa, quæ alibi nemine vindicante committuntur, gravem aliquam ultionem, ex univerſis ſumat, prout iam facere indies acrius incipit.

De Induciis cum Moſco ineundis gratum eſt Maieſtati ſuæ conſilium Veſtræ Reverendiſſimae Dominationis, & ita Oratoribus ſuis committere curabit.

De differentiis Confinium Litvaniæ, & Livoniæ, variæ quidem querelæ deferuntur ad eius Maieſtatem, a ſubditis ſuis, ut illis multa damna, & iniuriae inferuntur, utque indies magis occupatur Terra Maieſtatis ſuæ, & ipſorum ſubditorum eius, et proinde cuperet Maieſtas ſua, quam celerius has differentias componi, tamen contemplatione Veſtrae Reverendiſſimæ Dominationis nihil tranſigere velit in his, donec ipſa revertatur.

Poſtremo rogat Maieſtas ſua Veſtram Reverendiſſimam Dominationem, ut Regnum, & Dominia, ac omnes res ipſius Maieſtatis ſuae Sanctiſſimo Domino noſtro commendare, & tam apud eius Sanctitatem, quam etiam alibi ubique bonus fautor negotiorum Maieſtatis ſuæ eſſe, & illi, quae opportuna ſciverit, ſignificare, & ſcribere velit, quod viciſſim Eius Maieſtas Veſtrae Reverendiſſimae Dominationi omni ſuo favore, & gratificatione ſemper referre curabit.

CIV.

1526. *Inſtructio Legationis Nomine* Sigismundi I. *Regis Poloniæ in Conſilio eius ſecreto ad Archiepiſcopum Rigenſem data. Ex Archivo Regni.*

Poſt dictam ſalutem, & favorem Regium, & oblatas Literas dicendum Sacram Maieſtatem Regiam, cum intelexiſſet ex fama primum, deinde ex Nuntiis Paternitatis ſuae afflictiones, & adverſitates eius, & Ordinis ipſius Eccleſiaſtici, condoluiſſe plurimum, & nunc, ſi quid tale adhuc durat, condolere ex animo Paternitati ſuae, quam audit Catholicæ Religionis eſſe obſervantiſſimam, non ſolum autem propterea, quia Maieſtas ſua peculiari quodam ſtudio conſvevit blaſphemos Nominis Divini, & Sacrae Religionis turbatores omnibus viribus comprimere, ſed etiam, quia eius Reverendiſſima Paternitas cum ſuis Eccleſiis Rigenſi, & Tarbatenſi protectione ſuae Maieſtatis gaudet, & proinde velle Maieſtatem ſuam pro conſervanda Religionis integritate, dictarumque Eccleſiarum Juribus, ſimul & dignitate ipſius Paternitatis ſuae, omni gratia, & Clementia Regia Paternitatem eius proſequi, ac omni diligentia conſulere, ne quid detrimenti aut indignitatis Reverendiſſima Paternitas ſua in hac cauſa accipiat, dignatamque eſſe Sacram Maieſtatem ſuam, primum Literas ſuas ad Magnificum Livoniæ Magiſtrum, & illarum Terrarum Status ea de cauſa dare, & tunc etiam Nuntios ſuos ſpeciales mittere, qui omnia pro honore, & commodo Reverendiſſimæ Paternitatis ſuae agerent, dummodo viciſſim Paternitas ſua Reverendiſſima in his rebus, ſi quibus ſubditi ſe gravatos merito conqueruntur, iuſto moderamine utatur, ne Maieſtas ſua rem videatur poſtulare indecentem, ad quod eius Reverendiſſimam Paternitatem, Maieſtatem ſuam commovere, & hortari. Anno 1526.

CV.

Sigismundi I. *Regis Poloniæ cauſam Rigenſis Archiepiſcopi agentis ad* Valterum *Magiſtrum Ordinis Literæ. Ex Archivo Regni Lib. Legationum Lit. E. fol. 250.* 1526.

Magnifice Domine, ſincere Nobis dilecte. Intelleximus excitatos eſſe motus quosdam pernicioſos iſthic in terra Livonienſi, et Reverendiſſimum Dominum Archiepiſcopum Rigenſem, una cum Clero ſuo in magnas anguſtias eſſe redactum, quod et fidem Sanctam Catholicam, et Jura, ac immunitates Eccleſiarum pro virili ſua tueatur. Nos vehementer mirantes, eam veſaniam uſque huc proceſſiſſe, ut pluris fiant inſanorum Apoſtatarum dogmata, quam norma univerſalis Eccleſiae tot ſæculis obſervata, non poſſumus non dolentiſſimo animo eiusmodi turbas audire, et præ-

ANNO 1526. præsertim vicinorum, a quibus facilius incendium quodque manare solet ad contiguos, et quod adversus Ecclesiasticam struitur authoritatem, idem et in sæculares redundare consvevit. Et proinde rogamus, et hortamur tuam Magnificentiam, agere velit, ne quid præcipitanter fiat adversus ipsum Dominum Archiepiscopum, donec Oratores nostri isthuc ad illam veniant, nam nos et pro officio Christiani Regis, et quia communis res agitur, illi deesse nequaquam poterimus. Bene valeat tua Magnificentia.

CVI.

1526. *Instructio Legationis ad* VALTERUM *Magistrum, & omnes Status Livoniæ Nomine* SIGISMUNDI I. *Regis in consilio Eius secreto data. Ex Archivo Regni Cracovien. Extat in Archivo Cancel. Regni Lib. Legat. Lit. E. fol. 285.*

Existimare Sacram Regiam Maiestatem, omnibus nationibus, præsertim vero Statibus Livoniae perspectum esse, quanto studio, quantisque sumptibus, & labore Christianae Religionis incolumitatem prosequatur, adeo ut pro arcendis fidei Christianae infestatoribus, ac pace Ecclesiae conservanda nunquam gladium suum condat, sed pro illa semper sollicitissime invigilet. Et proinde cum intellexisset eam labem Lutheranae Hæreseos, quae magnam Germaniae partem fœdavit, ac sanguine, & cædibus replevit, in Livoniae etiam Regiones penetrasse, & vires altius indies agere, doluisse Maiestatem suam, vicinorum, ac veterum amicorum conditionem, nec minus etiam incidisse Maiestati suae cogitationem ferendæ opis, & remedii quærendi contra surgentem tantorum malorum perniciem, idque non solum ob consvetum conservandæ Christianæ Religionis studium, sed etiam quoniam hæc pestis facile videtur ad Maiestatis suae subditos finitimos dimanare posse. Quod quia Maiestatem suam conniventibus oculis ferre indignum esset, ne alicuius mali occasio inde oriatur, hortari Maiestatem suam, & pro debito Christiani Principis, ipsos tanquam charos vicinos admonere, ut vesaniam hanc seditionibus cæptam, tumultibus propagatam, nihil nisi dissidia, & cædes horrendas parientem, ex eorum Civitatibus, & Dominiis exterminent, seque Catholicae Sanctae Ecclesiae, & Institutis Sanctorum Patrum conforment, ac pro restauranda Ecclesiastica disciplina, & unitate servanda quisque suo officio, quod incumbit ei, utatur, ne Maiestas sua, si inde periculum aliquod Terris & subditis suis accidat, alia remedia adire cogatur. Et quia Sacra Maiestas sua accepit, Reverendissimum Dominum Joannem Archiepiscopum Rigensem, & Episcopum Tarbatensem occasione istorum motuum molestationes nonnullas, tanto Viro indignas pati, existimare eius Maiestatem Officii sui esse, ut quoniam Rigensis, & Tarbatensis Ecclesiae iam dudum protectione Regum Poloniae, ac Litvaniae Ducum utuntur, causis, ac differentiis ipsius Domini Archiepiscopi non deesse, ne quid in eius præiudicium, aut iniuriam ageretur. Ideoque hos Nuntios suos ad hunc Conventum Maiestatem suam misisse, qui actionibus his contra Reverendissimam Paternitatem suam instituendis interessent, referrentque Maiestati suae, quid de ipsa causa, & Reverendissimae Dominationis suae statu decerneretur. Hortari autem Maiestatem suam, Magnificum Dominum Magistrum, ut pro solita sua virtute, & debito Religionis, & in reprimendis publicae tranquillitatis turbatoribus strenuitate, qua Maiestati suae, & Regno præcipue factus est notus, Eidem Domino Archiepiscopo defensionis, & alia, ad quae obligatur, debita præstet, provideatque apud Status Terrarum, ne quid in Paternitatis suae iniuriam committatur, & ut ille in suis & Ecclesiarum suarum Juribus conservetur. Eius quoque subditos tam Nobiles, quam Civitates, quibus modis poterit, inducat, atque compellat, ut ei tanquam Domino suo fidelitatis legitima præstent obsequia. Cæteri etiam eius Jurisdictioni subiecti honore, & obedientia debita eum prosequantur, quos singulos etiam Maiestatem suam, ne quid in his rebus cessent, pro Regia benignitate hortari. Non enim posse Maiestatem suam illius Paternitatem, si qua in re gravata fuerit, deserere, aut non tueri. Quoniam vero Nobilitas illarum Terrarum honestatem semper apud Maiestatem suam, & per Eius Regnum strenuitatis, & fidei laudem a Maioribus eorum ductam, ac ab eis acriter defensam commeruerunt, admonendum esse hunc Ordinem Maiestatem suam putasse, præsertim Feudales eiusdem Reverendissimi Domini Archiepiscopi, ut tum in servando illi fidelitatis iure, tum in compescendis eius, ac Ecclesiasticae pacis perturbatoribus, decorum hoc, & ipsorum conditioni dignum nomen non ammittant.

Commisisse etiam Maiestatem suam

Anno 1526. Nuntiis, ut, si res exegerit, operam dent, quo differentiae, & dissidia omnia inter ipsum Reverendissimum Dominum Archiepiscopum, & eius adversarios quoscunque, honestis mediis componantur, & finem accipiant, ac omnia tam in ea causa, quam aliis publicis illarum Terrarum negotiis, pro bona tranquillitate, & pace in bonum ordinem restituantur.

Deinde fiat honesta exhibitio Magnifico Domino Magistro, & omnibus Statibus, gratiae, & benevolentiae Regiae, uti conditioni cuiusque convenit.

CVII.

1535. SIGISMUNDI I. *Regis Poloniæ ad* VILHELMUM *Marchionem Brandeburgensem, Coadiutorem Rigensem, & Postulatum Osiliensem Literæ.* Datum Vilnæ, 13. Maii, An. 1535. *Ex Archivo Magni Ducatus Litvaniæ.*

Reverendissime, & Illustris Princeps, Nepos noster Charissime. Etsi erat Nobis non nihil & scriptum, & narratum de Paternitate Vestra, tamen id Nos in eam partem accepimus, ut plus commodi, quam incommodi inde ad Paternitatem Vestram perventurum esset, summa enim cura, atque diligentia dedimus operam, ut primo quoque tempore pestiferas istas, & Nobis odiosas dissensiones, & simultates, quæ inter Paternitatem Vestram, & Ordinem Livonienſem exortae sunt, componeremus. Tametsi hactenus effectus voluntati nostræ non respondit. Nunc iterum Legatum ad Magistrum, & Ordines Livoniae allegamus ad ferias divi Joannis Baptistae isthic ad futurum, & in Corona Procerum de sopiendis istis dissidiis, concordiaque ineunda diligenter acturum verbis nostris, cui etiam in Mandatis dedimus, ut quantum potest ad eam concordiam honestis conditionibus sanciendam, consilio, & persvasione sua adiuvet. Itaque & Paternitatem Vestram postulamus, ut se facilem hac in re præbeat, magnamque habeat temporis, & rerum præsentium rationem, ita ut ne per Paternitatem Vestram stetisse videri possit, quominus Pax, & Concordia coiverit. Quod nos attinet, curae nobis erit, ut honorem, atque benignitatem Paternitatis Vestrae, & Patris ipsius Domini Archiepiscopi, simul et Rigensis Ecclesiæ incolumitatem semper sartam tectam ita, uti convenit, conservemus. Cupimus Paternitatem Vestram sospitem esse, & incolumem. Vilnæ 13. Maii, Anno Domini 1535.

CVIII.

Anno 1535. SIGISMUNDUS I. *Rex Poloniæ ad* HERMANUM *de Brugenney Hsenkamp Magistrum Livoniæ, ut ad audiendum Legatum suum, quem pro sopiendis Livonicis dissidiis missurus est, Conventum Ordinum agat. Ex Archivo Regni.*

Magnifice Domine Amice, & Vicine Nobis grate dilecte. Missuri sumus ad Magnificentiam Vestram Legatum, cui dedimus in mandatis, ut in Corona Procerum, & Ordinum huius Regionis, Legationem referat, venturus est autem isthuc ad ferias Sancti Joannis Baptistæ. Itaque postulamus Magnificentiam Vestram, ut ad id tempus Conventum omnium Ordinum agat, ne isthic Legato nostro diutius immorandum sit. Fecerit Nobis Magnificentia Vestra pergratum, quam sanam, & felicem esse cupimus. Vilnæ 13. Maii, Anno 1535.

Legatio a SIGISNUNDO I. *Rege Poloniæ missa ad Magistrum, & Ordines Livoniæ.* 1535.

Salutem, & apprecationem incolumitatis, atque felicitatis.

Quemadmodum debet Regia Maiestas, Dominus Clementissimus Reverendissimo, & Illustrissimo Domino VILHELMO Marchioni Brandeburgensi, & Coadiutori Rigensis Archiepiscopatus, Nepoti suo charissimo, pro necessitudine mutua, ut eum semper, & ubique tuetur, ita non minus de tranquillitate, & incolumitate huius Livonicae Regionis, qua est erga Præsides, & Incolas illius animi propensione, curam habet. Itaque vehementer cupit omnes istas Controversias, dissensiones, & inimicitias, quæ inter suae Maiestatis Nepotem, & adversarios eius exortae, hactenus perdurant, compositas, & sopitas esse, atque in eo Maiestas ipsius sedulam navavit operam per hoc omne tempus, tametsi non multum operae pretii fecit. Nunc postulat Magnificentiam Vestram, postquam hisce ditionibus præest, velit prudentia, & dexteritate, qua pollet, in hoc diligenter incumbere, ut positis simultatibus, atque odiis Pacem, & Concordiam complectantur, stabilemque & perpetuam esse velint, & ut Christianis, & Ecclesiasticis decet, inter se ament. Deinde Dominus Marchio Nepos suae Maiestatis tute, & secure in his oris vivere pos-

ANNO 1535. possit, quem ipsius Maiestas Magnificentiæ Vestræ diligenter commendat, postulans, ut eum amet, iuvet, atque tueatur. Porro Regia Maiestas cum ea facultate me huc misit, ut, si ita Magnificentiæ Vestræ videretur, pro virili mea, & ingenii mediocritate adiuvarem, & persvaderem, quo citius, & facilius ista dissidia Nepotis sui cum adversariis ipsius extirpentur, & Pax, atq; concordia bonis conditionibus, salvo honore, & dignitate ipsius Domini Marchionis coeat, & firmetur, Regia vero Maiestas sedulo adnixura est, ut per Dominum Marchionem Nepotem suum amicitia, bonaque vicinitas firma, & perpetua colatur, atque conservetur. Quod ut Magnificentia quoque Vestra apud adversam partem consilio, & authoritate sua perficiat, maiorem in modum optat. Fuerit autem id ex dignitate, & propensione Magnificentiæ Vestræ, & ex usu, atque commodo harum Ditionum, atque Christianæ Reipublicæ, Regiæ vero Maiestati, Domino meo Clementissimo magnopere gratum.

CIX.

1535. *Innovationem, ac Reformationem Limitum inter Magnum Ducatum Litvaniæ, & Terras Livoniæ, cum ob diversitatem Mandatorum perficere Commissarii ad id deputati non potuerint, operam daturi sunt, ut ab utraque Parte alii assignentur. Interea vero sopitæ debent esse inter subditos utriusque Partis Controversiæ, Judicesque ad eas dirimendas constituendi. &c. Ex Archivo Magni Ducatus Litvaniæ.*

Universis, & singulis, quibus expedit, notum sit. Quod dum ex Commissione, & Mandato Sereniſſimi Principis, & Domini, Domini SIGISMUNDI Dei Gratia Regis Poloniæ, Magni Ducis Litvaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæque &c. Domini, & Hæredis, Domini nostri Clementissimi, Nos Venceslaus Dei Gratia Episcopus Mednicensis, Joannes Bogdan Sapieha Palatinus Podlassensis, Marschalcusque, & Capitaneus Drohicensis, Nicolaus Andruszowicz Capitaneus Mielnicensis, Venceslaus Mikołaiewicz a Myszegola Secretarius, ex una, & ex Commissione, ac Mandato Magnifici Domini Walteri de Plettenberg, Ordinis Sanctæ Mariæ Theutonicorum in Livonia Magistri, Reymarus a Scharenborch Commendator Revaliensis, Joannes a Ryk Commendator in Margenborch, Theodericus de Balle dictus Flerke Præfectus Rosistensis, Ordinis Theutonicorum, Joannes a Boskhorst a Consiliis Magistri Livoniæ, ex altera partibus, tanquam Mandatarii, seu Commissarii ad innovationem, seu reformationem Limitum inter Magnum Ducatum Litvaniæ, & Terram Livoniæ, hincinde deputati, ad diemque certum, videlicet ad Festum Epiphaniæ Domini, Anno a Nativitate eiusdem milleſimo quingenteſimo triceſimo quinto missi, in loco, qui *Kurczmy* appellatur, prope lacum eiusdem nominis, die ipso convenissemus, dumque habitis tunc inter se mutuis colloquiis, & tractatibus, negotium ipsum principale Innovationis, & Reformationis Limitum propter differentiem, arctitudinemque, & diversitatem Mandatorum, quibus desuper hincinde suffulti fuimus, peragere, & determinare nequiverimus; ne tamen Congressus huiusmodi noster omni penitus caruisse fructu, vel ne inanis fuisse, aut res ipsa penitus intermissa censeatur, & quamvis ad ea per Nos composita, Mandatum speciale suæ Sacræ Maiestatis Regiae, ac Magistri Livoniae non habeamus, cupientes tamen conservationi amicitiæ vicinalis integre, & illibate inter Terras ipsas, & populos earum, quantum nunc in nobis est, consuli, in eo ipso nostro Congressu, & Tractatu constituimus, seu composuimus utrinque unanimiter: Quod videlicet sollicitare debemus Nos Commissarii Litvanici Sereniſſimum Dominum nostrum Regem, & Magnum Ducem, & Nos Livonici, Venerabilem, & Magnificum Dominum Magistrum nostrum ad id, ut habita inter se iterum mutua intelligentia, captatoque, & præfinito alio certo, pacatiorique, & competenti tempore, Commissarios suos utrinque ad ipsum reformationis Limitum negotium ita propositum deputent, & mittant, & ut interim subditi finitimi partis utriusque semotis, & sopitis omnibus displicentiis, & dissensionibus, quacunque occasione inter se exortis quiete, tute, & tranquille ab omni penitus iniuria, violentia, molestia, & offensa abstinentes, ut unusquisque subditorum tam Regiæ Maiestatis, quam Magnifici Magistri Livoniæ Terras, & alias possessiones utcunque nominatas, quas nunc possident, interim pacifice possideant, & obtineant, in bona, & amica vicinitate perseverent, & ut iustitia eis in omnibus

ANNO 1535.

Anno 1535. eorum querelis per Præfectos locorum utrinque æqualiter, & indilate administretur, profugique utrinque extradantur, & quo efficacius ea sequantur, & propter omnimodam dissensionum, & displicentiarum ipsarum discussionem, ut viri probi aliqui, & periti in confiniis ipsis possessiones non habentes, ex parte Magni Ducatus duo, ex parte Livoniæ totidem in Judices finitimis ipsis deputentur, & mittantur ad confinia ipsa. Qui quidem Judices utrinque convenientes in unum, lites, & causas finitimorum quascunque, & quarumcunque rerum occasione inter eos exortas audituri sint, & definituri, appellationibus, & omnibus dilationibus, seu subterfugiis semotis, & amputatis. Præstito tamen prius per se iuramento corporali, de integritate iustitiæ æqualiter conservanda, iuxta tenorem Inscriptionis Fœderis Pacis perpetuæ, & ipsi Inscriptioni Fœderis in omnibus inhærendo. In quorum fidem, & testimonium Nos Commissarii Litvanici suprascripti, Literas præsentes, quas in partem Livoniæ concessimus, Sigillis nostris communiri fecimus, & eiusdem tenoris in partem nostram sub Sigillis Commissariorum partis alterius Literas accepimus. Actum, & Datum Anno, & Loco quibus supra.

CX.

1539. Sigismundus I. *Rex Poloniæ ad Hermannum Magistrum Livoniæ, ut Civitatem Rigensem communem cum Archiepiscopo Rigensi habeat.* Dat. Cracoviæ d. 11. Octobr. An. 1539. *Ex Archivo Regni Lib. Legat. Lit. H. fol. 151.*

Magnifice Domine Amice sincere Nobis Dilecte. Cum planum sit, & indubitatum, Civitatem Rigensem in fide semper antea, & potestate Archiepiscoporum Rigensium fuisse, postea vero Concordia quadam inter Magistros, & Archiepiscopos inita, communem utrorumque factam esse, non æquum Nobis videtur, ut ea in re solius Magnificentiæ Vestræ Authoritatem agnoscat; Quamobrem cum Magnificentia Vestra summa cum potestate in terra Livoniæ versetur, proprie hoc ad munus eius pertinere existimavimus, ius ut cuique suum tribuat, neque alieni sibi quidquam quempiam usurpare permittat. Id, quod ut faciat, Civitatemque Rigensem communem potius cum Archiepiscopo habere, quam contra ius, & æquitatem solus possidere velit, magnopere postulamus. Nam, & officio boni, & iusti Principis functa erit, & lites effugiet, quarum exitus itidem, ut bellorum incertus esse consvevit: & Nos hac animi sui æquitate plurimum sibi demerebitur. Quin & ad laudem Magnificentiæ Vestræ pertinebit gratiæ, si caussa potius cessisse, Archiepiscopo iure suo videbitur, quam si Sententia Judicis idem nihilominus facere compulsa fuerit. Etiam atque etiam Magnificentiam Vestram hortamur, ut, quod factura tandem est aliquando, id nostris potius postulationibus adducta faciat, quo isto suo officio, & Nos demereri, & Reverendissimum, ac Illustrem Dominum Archiepiscopum Rigensem Sororis nostræ Filium, devinctos sibi habere queat. Dat. Cracoviæ 11. Octobris Anno 1539. Anno 1539.

SIGISMVNDVS Rex. *mpp.*

CXI.

Eiusdem ad Rigenses, ut Authoritatem Archiepiscopi agnoscant, ad cuius Dominium pertinent. Indidem. 1539.

Famati &c. Cum liquido constet, Vos antea in solius Archiepiscopi fide, & potestate fuisse, mirari satis non possumus, quod nunc alterius authoritatem agnoscere mavultis, quam eius, ad cuius Dominium proprie pertinetis. Quodsi in communi utriusque, & Domini Magistri, & Domini Archiepiscopi ditioni subiecti esse velletis, ferendum id tamen esset, cum præsertim ita ante complures annos convenerit inter Dominum Magistrum, & Dominum Archiepiscopum, ut communis esset utriusque Vestra Civitas. Nunc, quam recte feceritis, quod alterius jugo prorsus excusso, alteri vos totos subjeceritis, vos videritis. Nos certe æquum esse censemus, ut iure suo quisque potiatur. Cumque factus sit hisce temporibus Rigensis Archiepiscopus Reverendissimus, & Illustris Dominus Marchio Brandeburgensis, Sororis nostræ filius chariſſimus, non potuimus, quin pro eo amore, quo illum prosequimur, a Vobis postularemus, ut officii vestri memores, solitum, & de iure debitum homagium ei præstaretis, bonaque cum eius, tum Venerabilis Capituli restitueritis, & quod facturi tamen estis aliquando necessario, Sententia Judicis compulsi, id nunc faceretis potius voluntarii, cum & apud Nos, & apud ipsum Reverendissimum, & Illustrem Dominum Archiepiscopum obsequio vestro gratiam

inire

ANNO 1539. inire poſſetis. Datum Cracoviæ undecima die Menſis Octobris, Anno Domini milleſimo quingenteſimo trigeſimo nono, Regni noſtri trigeſimo tertio.

Ad Mandatum Sacræ Maieſtatis Regiæ proprium.

CXII.

1540. *Deputantur certi Commiſſarii a* SIGISMUNDO *Poloniæ Rege, propter limites, ac terminos conſtituendos inter Terras Litvaniæ, & Livoniæ, litesque, & controverſias inter utriusque Partis ſubditos componendas.* Dat. Vilnæ d. 24. Decembr. An. 1540. *Ex Archivo Magni Ducatus Litvaniæ.*

SIGISMUNDUS Dei Gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Litvaniae, Ruſſiae, Pruſſiæ, Samogitiæ, Maſoviæque, &c. Dominus, & Hæres. Significamus tenore Præſentium, quibus expedit univerſis, & ſingulis harum notitiam habituris. Quomodo Nos de conſenſu, & conſilio Conſiliariorum noſtrorum Magni Ducatus Litvaniæ habentes conſtitutum, & concluſum mutuo cum Venerabili, & Magnifico Domino Hermanno Haſenkamp de Bruggeney Ordinis Sanctae Mariae Theutonicorum in Livonia Magiſtro Vicino, & Amico noſtro pro firmiori Fœderum Pacis perpetuae conſervatione, & propter imponendum finem diſſenſionibus, & controverſiis occaſione Limitum vetuſtatis caligine obductorum, inter Magnum Ducatum noſtrum Litvaniæ, Terramque Samogitiæ ex una, & Terram Livoniæ, ex altera partibus, & occaſione quarumcunque iniuriarum inter incolas terrarum ipſarum finitimos exortis, mittendos eſſe utrinque ad confinia ipſa Commiſſarios ad renovandum, & reformandum Limites ipſos iuxta priorem eorum diſpoſitionem inter Sereniſſimum olim, & divæ memoriæ Principem Dominum CASIMIRUM Regem, & Magnum Ducem Genitorem, & Prædeceſſorem noſtrum Chariſſimum, & Venerabilem, ac Magnificum Dominum olim Bernhardum de Berch, Magiſtrum Ordinis prædicti in Livonia, per certos eorum utrinq: Commiſſarios. Anno Domini milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo tertio, incipiendo a loco, qui appellatur Kurczmy, facta, delegavimus, & deputavimus ad id Commiſſarios noſtros, delegamusque, & deputamus per præſentes Reverendos in Chriſto Patres, & Magnificos, ac Venerabiles Dominos Georgium Luceorienſem, Venceslaum Miednicenſem Epiſcopos, & Joannem Radziwiłł Capitaneum Generalem Terrae Samogitiæ, Pocillatorem noſtrum Magni Ducatus, Tenutarium Vaſiliſcenſem, Joannem Hlebowicz Palatinum Polocenſem Marſchalcum, Joannem de Domanow Præpoſitum, & Plebanum Vilnenſem, Secretarium, & Conſiliarios noſtros ſincere Nobis, & fideliter dilectos. Quibus quidem Commiſſariis noſtris dedimus, & conceſſimus, per Præſentesq; damus, & concedimus plenum Mandatum, & omnimodam facultatem Limites huiusmodi, iuxta antiquam illam ordinationem inter Divum olim Dominum Genitorem noſtrum, & præfatum olim Bernhardum Magiſtrum Ordinis prædicti per Comiſſarios eorum factam, & iuxta tenorem Literarum Commiſſariorum eorum deſuper, pro utraque parte confectarum, videlicet Radivili incipiendo a loco prædicto Kurczmy, & procedendo, ſeu deſcendendo uſque ad eum lacum, ubi fluvius, qui Sacer appellatur, illabitur mari ſalſo, & iterum ab eodem loco Kurczmy aſcendendo uſque ad fluvium Dwina, & ultra, ſeu poſt prædictum fluvium Dwina, uſque ad fines, ſeu granicies Pleschonicæ, vel videndi loca, flumina, & ſigna, pro Limitibus ab antiquo habita, prout, & quemadmodum in Literis prædictis Commiſſariorum priorum clare, & expreſſe ea deſignata ſunt, tenori Literarum earum per totum inhærendo renovandi, reformandi, nec non ſcopulis, ſaxis, colliculis, aliisque ſignis in evidentem, & perpetuam eorum memoriam, & notitiam ſignandi, & certificandi, perpetueque, & inviolabiliter eos obſervari, prout per priores Commiſſarios eſt decretum, Authoritate noſtra decernendi cauſas, ſeu lites finitimorum de iniuriis eorum audiendi, cognoſcendi, & diſcernendi, & Decreta inter eos exequi faciendi, & alia in his, ſeu circa hæc neceſſaria iuxta tenores Inſcriptionis Fœderis Pacis perpetuae, & Literarum Commiſſariorum Limitatoriarum ſæpedictarum, Nihil penitus ab eis exorbitando gerendi, & percipiendi. Quæ omnia, & ſingula per præfatos noſtros Commiſſarios geſta, ordinatave rata, & grata habebimus, & inviolabiliter obſervari faciemus. Harum, quibus Sigillum noſtrum Magni Ducatus eſt ſubappenſum, teſtimonio, & munimento Literarum. Datum Vilnæ feria ſexta in Vigilia Nativitatis Domini Anno eiusdem milleſimo quingenteſimo quadrageſimo. Regni

ANNO 1504.

ANNO vero, & Magni Ducatus noſtri trigeſimo
1540. quarto. Præſentibus Reverendo in Chriſto Patre, & Magnificis Domino Paulo Dei gratia Epiſcopo Vilnenſi, Georgio Nicolao Radziwiłł Caſtellano Vilnenſi, Campiductore ſupremo, Mareſchalcoque Curiae noſtrae, Capitaneo Grodnenſi, & Lidenſi, Staniſlao Gaſthold Palatino Novogrodenſi, Mathia Alberto Palatino Vitbeſcenſi, Gregorio Oſzczokowicz Structore Magni Ducatus, Iwano Homoſthay Theſaurario noſtro Terreſtri, Mareſchalco noſtro Słonimenſi, Mſczibohomenſi, Zelwenſi Capitaneo, Joanne Steczko Mareſchalco noſtro, Tenutario in Mynſko. Aliisque Baronibus, & Proceribus Conſiliariis noſtris Magni Ducatus noſtri ſincere, & fidelibus nobis dilectis.

CXIII.

1541. *Inſtauratio & Renovatio Limitum inter Litvaniam & Livoniam, per Commiſſarios ab utraque parte deſtinatos facta.* Datum in Rakiſki die 25. Januar. Anno 1541. *Ex Archivo M. D. Litvaniæ.*

In Nomine Domini Amen.

Ad perpetuam rei memoriam.

Cum ea, quæ fiunt in humanis actibus, cito a memoria hominum excidunt, niſi Literarum munimine perennentur. Proinde nos Georgius Chwalczewſki Luceorienſis, Venceſlaus Wierzbicki Mednicenſis Epiſcopi, Joannes Radziwiłł Terræ Samogitiæ Capitaneus Generalis, Pocillator Magni Ducatus Litvaniae, Tenutariusque Vaſiliſcenſis, Joannes Hlebowicz Palatinus Polocenſis, Mareſchalcus, Joannes a Domanow Præpoſitus & Plebanus Vilnenſis Sacrae Regiae Maieſtatis Secretarius, Commiſſarii, & Plenipotentes, vigore ſpecialis & ſufficientis Mandati, a Sereniſſimo, & Invictiſſimo Principe, & Domino, Domino SIGISMUNDO Dei gratia Rege Poloniae, Magno Duce Litvaniae, Ruſſiae, Pruſſiae, Samogitiae, Maſoviae &c. Domino & Hærede parte ab una, Joannes eadem gratia electus & confirmatus Epiſcopus Curonienſis, Joannes de Reugo in *Velin Reihorth* de *Skarumberh* in *Revel* Commendatores, Henricus de *Thulen* advocatus in *Jarwen*, Joannes Bogorſt, & Philippus de *Brugen* a Reverendo & Magnifico Domino HERMANO de *Brugeney Haſenkamp* nuncupato, Magiſtro Ordinis Beatae Mariae Theutonicorum in Livonia, ſimiliter Commiſſarii, & Plenipotentes parte ab altera dati, & deputati ad inſtaurandos & renovandos limites antiquos. Nos præfati Commiſſarii & Plenipotentiarii inter Magnum Ducatum Litvaniae, & terram Livoniae convenientes ad locum deſignatum, et tempus, ac diem aſſignatum, poſt longos Tractatus mutuo inter nos habitos, rebus huiusmodi amicabiliter concluſis, et de unanimi voto et conſenſu, cum DEI Omnipotentis auxilo, et ad Pacem perpetuam inter Dominia et habitatores eorum ſancte, et iuſte conſervandam, die Mercurii, quæ fuit duodecima Menſis Januarii anni præſentis, ut infra, opus renovandi et inſtaurandi limites aggreſſi ſumus, et cum Dei adiutorio incepimus ad ipſum locum, et lacum, qui dicitur *Kurczmy*, ad ponticulum antiquum duos ſcopulos latitudinis paſſuum quatuor poſuimus, et ereximus, unum ad partem Litvaniae ad quandam quercum, in qua ſignatae ſunt Cruces tres, ab altera vero parte ponticuli ſcopulum totidem paſſuum erigi fecimus in eisdem ambobus, in fundamentis eorum quinque lapides ad formam Crucis poni iuſſimus. Tertium ſcopulum parvum verſus lacum *Kurczmy* retro, qui dicitur *Radvili*, reliquimus, qui elevari debet, cum limites ad *Dwinam*, et ultra producentur. Tandem ulterius progredientes per quendam lacum, fecimus ſcopulum tertium, quartum vero poſuimus penes tugurium, ſeu ſtantiam Dominorum de Livonia. Quintum poſuimus iuxta parvam paludem. Procedendo ultra deorſum fecimus ſextum ſcopum in prato. Septimum poſuimus ſimiliter in prato ad quercum combuſtam, ubi iuſſimus fieri foveam carbonibus, & lapidibus repletam. Ulterius procedendo ſignavimus quercum magnam in monte, & ſubtus eam foveam fieri iuſſimus. Nonum ſcopulum poſuimus ſupra monticulum. Decimum recte eundo fecimus in loco plano. Undecimum iuſſimus fieri in loco inferiori. Duodecimum poſuimus in Campo directe ad ſylvam paludinoſam. Ulterius progrediendo ad promontorium fecimus fieri foveam pro tredecimo ſigno. Quatuordecimum ſcopulum fieri iuſſimus in prato non remote a foſſa parva. Directe progrediendo poſuimus quintumdecimum in prato, & ibidem non remote ſignum factum eſt in arbore. Sextusdecimus ſcopulus poſitus eſt in merica quadam. Decimum ſeptimum poſuimus circa rubum. Decimum octavum poſuimus in prato. Deorſum procedendo fecimus fieri ſigna in arboribus. Decimum nonum poſuimus ad truncum quer-

ANNO 1541.

ANNO 1541. quercinum. Vigeſimum fecimus fieri ad quercum parvam, in qua & ſigna ſunt exciſa. Vigeſimum primum ſcopulum fecimus fieri inter duas quercus, ab utroque latere ſtantes, in quibus & ſigna exciſa. Vigeſimum ſecundum ſcopulum fecimus in rubo habente quercum ſignatam a parte meridionali. Vigeſimum tertium poſuimus in Campo ſupra palum, videndo lacum *Grzeſthy*, a quo recto tramite per ſylvam paludinoſam procedendo poſuimus in altiori promontorio ſcopulum quartum & vigeſimum. Quintum vero ſupra viceſimum prætergrediendo alveum poſuimus in ſylva. Vigeſimum ſextum poſuimus ad lacum *Grzeſthy*, cuius lacus piſcatio ſpectabit ad Dominum Epiſcopum Vilnenſem a locis ſignatis verſus partem Litvaniae, alia pars lacus eiusdem ſpectabit ad Livoniam. Ex alia parte eiusdem lacus *Grzeſthy* poſuimus vigeſimum ſeptimum ſcopulum, & procedunt granicies ſupra ripam lacus usque ad quendam rivulum dictum *Ruczay*. Vigeſimum octavum ſcopulum poſuimus ad eundem rivulum, ſupra eundem lacum, quo rivulo eiusque alveo granicies antiquae ultra ducuntur, usque ad ponticulum, qui eſt in via, qua vadunt ad Nobilem Strumborg. Deinde per transverſum viae, & ponticuli fines antiqui vadunt per paludes. Tranſeundo paludem, poſuimus ſcopulum vigeſimum nonum in eminentiori ſupra paludem ſub arbore tilia, ulterius rivulo parvo per ſylvam procedendo in fine ſylvae, ab utraque parte rivuli fecimus fieri duos ſcopulos. Eundo ulterius in fine paludis poſuimus ſcopulum. Deinde in Campo, ubi eſt ſiligo Domini Epiſcopi Vilnenſis, fecimus fieri duos ſcopulos. Tandum per Campum directe penes ſylvam procedendo fecimus fieri ſcopulum ad ſignum antiquorum limitum in quercu combuſta. Quæ ſigna utraque pars agnoſcit fuiſſe pro antiquo limite. Procedendo ulterius poſuimus ſcopulum, eundo ſimiliter penes ſylvam in loco inferiori Campi, ad eandem ſylvam poſuimus ſcopulum. Adhuc eodem Campo procedendo penes rubetum fecimus fieri ſcopulum. Ulterius eundo in fine Campi poſuimus ſcopulum ſub quodam rubo, ubi terminantur granicies Epiſcopi Vilnenſis cum Livonienſibus, & incipiunt Limites Nobilium de Gedroycie. Ulterius eundo per Campum circa antiquos limites prædictorum Nobilium poſuimus ſcopulum. Ab eodem procedendo, & tranſeundo per angulum paludis, fecimus fieri ſcopulum in fine Campi parvi inter duas ſylvas parvas. Ulterius progrediendo per ſylvam denſam, in eadem ſylva in ſemita antiqua ſcopulum fieri fecimus. Ab eodem loco ulterius procedendo in rubo, & ſigno antiquo granicierum ſimiliter ſcopulum fieri iuſſimus. Procedendo per eandem ſylvam ſcopulum fieri fecimus. Ulterius progrediendo penes continuatam ſylvam in Campo non arato vulgariter *Zaroſle*, ſcopulum fieri mandavimus. Continuando iter penes eandem ſylvam, in fine Campi poſuimus colliculum. Procedendo per ſylvam directe ad duas arbores, in quibus ſunt ſigna antiqua granicierum, ſcopulum ſimiliter novum fieri mandavimus. Deinde remotius tranſeundo per ſylvam paludinoſam penes Campum *Sturmborg* ad ſylvam Nobilium de Gedroycie poſuimus ſcopulum. Procedendo recte per ſylvam paludinoſam, ubi ſunt ſigna antiqua, in Campo poſuimus ſcopulum. Eundo ulterius penes ſylvam fecimus fieri colliculum. Ab eodem colliculo procedendo recto itinere quaſi magnum medium milliare usque ad lacum *Ilgielis*, ſupra quem lacum poſitus eſt ſcopulus, a quo directa linea erunt granicies a ſcopulo ſupra lacum poſito usque ad priorem ſcopulum retro ſimiliter poſitum. Ex altera parte lacus ſimiliter poſitus eſt ſcopulus, & erunt granicies Litvaniae cum Livonia a ſcopulo ad alium ſcopulum per lacum, qui ſcopulus poſitus eſt penes alnos iuvenes. Tranſeundo directe per montem fecimus fieri ſcopulum ad quoddam pratum parvum, & ſigna fecimus in alno. Poſt directe procedendo fecimus fieri in Campo colliculum. Ab eodem progrediendo ulterius in quoddam parvo rubeto, in loco declivi fecimus ſcopulum. Procedendo ulterius ad quendam rivum in Campum altum aratum, ad quendam lapidem magnum poſuimus ſcopulum. Progrediendo ulterius, transeundo parvam ſylvam inferius conſiſtentem poſuimus colliculum. Deinde progrediendo deorſum ad quendam alveum ſeu rivulum in partem ſiniſtram, eo rivulo procedunt granicies usque ad lacum *Duboſy* nuncupatum, cuius lacus medietas ſpectabit ad Litvaniam, & alia medietas ad Livoniam. Transgrediendo lacum prædictum per medium, ad ripam eius poſuimus ſcopulum, & ibi incipiunt bona *Sunyck*, a quo procedunt granicies directe antiquae per borram, qua tranſit. ------ ad lapidem magnum, fecimus fieri ſcopulum. Et tandem in promontorio a parte dextra poſuimus ſcopulum. Tranſeundo per paludes, & ſylvas habendo Campum parvum in parte

ANNO 1541.

Anno 1541. te dextra, in ſylva fecimus ſcopulum. Progrediendo ulterius per ſylvam in principio Campi, habendo ſylvam a dextris, & Campum a ſiniſtris poſuimus colliculum. Progrediendo ſurſum in Campum per montem ad dextram poſuimus ſcopulum. Deinde per promontorium penes ſylvam procedendo in declivi loco penes magnum truncum fecimus fieri ſcopulum, & in deſcenſu Campi fecimus fieri ſcopulum. Tandem directe procedendo in promontorio prope quercum in parte dextra poſuimus ſcopulum, & tranſeundo pratum, progrediendoque in ſylvam denſiorem ad lapidem non admodum magnum poſuimus ſcopulum. Et ſimiliter tranſeundo per montem in proximo Campo poſuimus colliculum. Progrediendo a loco directo ad locum - - - poſuimus colliculum. Ulterius procedendo deorſum ſimiliter a luco, granicies directe procedunt, & eundo ulterius penes lapidem, ubi eſt via per - - - - - - poſuimus ſcopulum. Et progrediendo ulterius per quandam foveam in monte inter duos rubos poſuimus colliculum. Remotius procedendo tranſito fine lacus, qui ſpectat - - - - - - poſuimus ſcopulum. Tranſeundo per ſylvam paludinoſam directe in Campo poſuimus ſcopulum; progrediendo remotius per Campum ad fluvium poſuimus ſcopulum, colliculum, quo fluvio - - - - - - - a dextris, & Campum noviter extirpatum a ſiniſtris, poſuimus colliculum; progrediendo longius per ſylvam quandam a luco in manu dextra, ubi idem fluvius - - - - - - eſt in fine montis, poſuimus collicum, ab eodem colliculo procedunt granicies per ſylvam - - - - - - in fine eius in dextra manu penes arborem fecimus fieri ſcopulum, ab eo procedendo verſus ſeptemtrionem recte ſimiliter a luco ducuntur granicies, a quo luco ad manum dextram poſitae ſunt granicies in rivum, & eodem rivulo continuando per ſylvam procedunt granicies in alium alveum - - - - - - a luco procedunt fines inferius per ſylvam paludinoſam usque ad rivum ſeu fluviolum *Milzupis* dictum; eundo ulterius fluviolo prædicto - - - - - - ſimiliter procedunt - - - - - - - in partem dextram - - - - - - ad partem ſiniſtram, modicum a flumine altius procedendo, per colliculum, deinde progrediendo per rubetum, ſupra monticulum ad eundem fluviolum, quem ſupra notavimus, poſuimus ſcopulum, & fines - - - - - - procedunt eodem fluviolo, quem fluviolum *Milzupis* dimittendo duximus fines ſimiliter ad manum ſiniſtram in montem. Procedendo ulterius habendo ſylvam in dextra, & campum in ſiniſtra, veniendo ad eundem fluviolum poſuimus colliculum. Eundem fluviolum, quem ſupra, prætergrediendo, habendo ſylvam in manu dextra, tranſito quoddam prato poſuimus in monte colliculum. Progrediendo longius per Campum penes rubetum poſuimus ſcopulum - - - - - - quendam alveum iu dextra parte, quo prætergreſſo ulterius procedunt granicies usque ad ſylvam, ſub cuius ſylvae cornu poſuimus ſcopulum, a quo tranſeundo ſemitam, procedunt granicies - - - - - alveos paludinoſos, iuxta quercum combuſtam fecimus ſcopulum. Ab eodem procedendo ad lacum *Syxthy*, quo procedunt granicies ſupra rivulum, a quo ducuntur in montem ad manum dextram, ubi fecimus fieri ſcopulum, a quo procedendo per montem, & lacum paludinoſam, et rivum, fecimus ſcopulum. Progrediendo per campos, prata, et ſylvam ad rivum prædictum *Milzupis* fecimus ſcopulum - - - - - - eodem procedendo ad lacum *Myſkyny*, ſupra quem lacum fecimus ſcopulum, cuius lacus piſcatio ſpectabit pars una ad medium, ut vocatur *Tonia*, ad Litvaniam, alia pars maior ad Livoniam. Tranſeundo lacum ab altera parte in monticulo poſuimus ſcopulum, a quo procedunt granicies. Per ſylvam venientes ad locum a parte ſiniſtra parvis - - - - - - obſitum habendo, a parte dextra ſylvam magnam, poſuimus collem. - - - - - - in ſemita penes ſylvam in parte dextra in fine Campi ſupra collem poſuimus ſcopulum, a quo deorſum procedunt granicies. Tandem ſecundo longo itinere directe ad paludem veniendo in montem, in ſylva poſuimus colliculum, a quo procedendo per ſylvam combuſtam in parte ſiniſtra fecimus ſcopulum. Ab eodem continuantur granicies. Tranſeundo longius per ſylvam, et paludes inter campos, ſub quercu poſuimus colliculum; a quo ſimiliter eundo per ſylvam longius poſuimus ſcopulum, non remote a quercu, in quo ſunt antiqua ſigna. Ulterius procedendo per eandem ſylvam ad fluvium *Lunyda* poſuimus ſcopulum - - - - - bona *Servik*, et incipiunt fines bonorum *Oholie*. Transeundo præfatum fluvium *Lunyda* fecimus ſimiliter ſcopulum, a quo granicies ulterius ducentes - - - - - - facta eſt inter nos Commiſſarios praefatos differentia. Nos enim Commiſſarii ex Litvania ducti ſumus per loca, ut noſtri dicebant, antiquarum granicierum *Radvili* ad partem dextram. Nos vero Commiſſarii et Plenipotentiarii de Livonia ſimiliter per noſtros ducti ſumus ad partem ſiniſtram, ubi

Anno 1541.

Anno 1541. ubi in illo discrimine - - - videbatur aliquid utrique parti diminui, in qua re componenda, non paucis diebus per nos Commissarios, - - - - - - - - - partis laboratum est. Nos Litvaniæ liberam dimissionem bonorum post factas granicies per Radzivilum exposcebamus; Domini vero Commissarii de Livonia, præterquam - - - - - - magnisque de causis, quas hic enumerare longum, non satis æquum esse dicebant, asserentes se etiam - - - non habere sufficiens Mandatum, proinde a Nobis de Litvania certas inducias dierum ad obtinendam novam instructionem a Magnifico Magistro eorum obtinuerunt, quam ita Nobis - - - - possessionem huiusmodi tam longi temporis nec licere dimitti asserentes - - - - - - - - Dominum Magistrum eorum Generalem Conventionem - - - - - - facere, ac de re huiusmodi consultationem cum suis habere, qua habita de gra. niciebus - - - - - - possessione cum Sacra Regia Maiestate velle convenire, & per Nuntios concordare. Petierunt itaque a Nobis, ut a limitatione prædicta supersederemus, ergo tantisper - - - - - - utrinque iniuria, vis, & violentia inhibita esse debent, iuxta tenorem perpetuæ Pacis, cui perpetuo inhærere est animus. Quantum vero ad bona hisce proximis iam clausis sex annis, a Congressu eodem anno in loco Kurczmy habito, prout ea Reverendus, & Magnificus Magister coram Nuntiis Regiis, & per suos ad eandem Maiestatem missis restituere pollicitus erat, iam - - - - - nulla parte restituta sunt, Maiestas Regia, cui quidquid adhuc in bonis huiusmodi - - - - - - - - Magnificum Dominum Magistrum reddet certiorem, quo cognito talia bona omnia ad priores possessores, seu eorum Hæredes, cum omnibus eorum attinentiis restitui debent. In quorum omnium fidem, & testimonium Sigillis nostris Literas præsentes communimus, quas Dominis de Livonia dedimus. Actum, & Datum in Bonis Rakysky die Martis 25, Mensis Januarii, Anno Domini MDXLI. Præsentibus Nobilibus, Generosisq; Viris Olychno Krzywicz Tribuno, & Villico Vilnensi, Joanne Omymycz Tuffy Vexillifero - - - - - - & aliis quam pluribus Dominis testibus ad præmissa.

CXIV.

1545. *Hermanni Ordinis Theutonici in Livonia Magistri Literæ plenæ Potestatis Oratoribus suis datæ ad tractandum cum* Sigismundo Augusto *Rege Poloniæ de Pace perpetua, ac ad impetrandos Commissarios pro controversiis limitum componendis.* Datum Vendæ Dominica Reminiscere An. 1545. *Ex Archivo Magni Ducatus Litvaniæ.* Anno 1545.

Nos Hermannus de Bruggeney dictus Hasenkamp Ordinis Theutonici Magister in Livonia, notum facimus, & testamur his nostris præsentibus Literis palam obsignatis. Quoniam ad Illustrissimum, & Serenissimum Principem, Magnificentissimum Dominum, Dominum Sigismundrm Augustum Regem Poloniæ, & Magnum Ducem Litvaniæ, Dominum nostrum Colendissimum, & Vicinum Charissimum, Venerabilem, & Generosum Nobis Devotum Remigium de Scharembergk dicti Ordinis nostri Revaliensem Commendatorem, Nobiles item, atque egregios Viros Nobis fideles, Philippum de Brugge, Georgium de Walde Consiliarios, & Christophorum Rodeker Vicecancellarium, quibusdam de rebus apud Serenitatem Regiam acturos de nostro consilio, & Mandato Legationis nomine ablegavimus, dedimusque illis indubitatam, veram, plenamque potestatem, quemadmodum hisce Literis damus, atq; concedimus: Ut primum apud Regiam Serenitatem, & suos in perpetuam Pacem iurare, & hanc stabilire laborent; Secundo etiam, ut de controversiis Limitum iuxta pietatis, æquitatisque rationem, ac honestatis, & iustitiæ tramitem agant. Cum vero tales controversiæ non alio, quam debito loco, ubi extant, neque componi, nec tolli possint, postulent, ac petant Commissarios non suspectos, sed fide, & probitate dignos, a Regia Serenitate deputandos, qui una cum nostris diuturnas illas controversias, atque differentias litis limitalis sopiant, & omnino tollant, & hæc quidem omnia secundum tenorem, argumentum, & voluntatem Literarum perpetui Fœderis. Quando autem illud commodius fieri possit, invicem cum Regia Serenitate, & deliberent, & certo conveniant Oratores nostri. Postremo concessa sit ipsis Oratoribus nostris plena facultas, omnia, quæ ad commuem Pacem, nostramque, item Ordinis nostri utilitatem spectabunt, tractare, atque concernere, & quæ ita tractata, & decreta fuerint, pollicemur fideliter, sincereque, uti Christianum decet Principem, observare. Ad cuius rei testimonium Sigillum nostrum hisce Literis appendere fecimus. Datæ Wendæ Dominica Reminiscere An. a Restauratione Salutis nostræ MDXLV.

ANNO 1556.

CXV.

Literæ Archiepiſcopi Rigenſis ad Maieſtatem Regiam Poloniæ, promiſſum auxilium implorantis. Dat. ex Arce Kokenhauſen d. 9. Junii Anno 1556. *Ex Archivo Regni* Lib. Legationum Lit. P. fol. 509.

Sereniſſime Princeps, Potentiſſime Rex, ac Domine, Domine, & Avuncule Clementiſſime, & Colendiſſime. Devotas meas ad Deum Optimum Maximum, Largitorem omnis boni, preces, & officia mea quam promptiſſima offero.

Quamvis elapſo iam medio menſe per fidelem Servitorem meum Staniſlaum a Wögr Capitaneum in Arce mea Lenwarden, ſumma neceſſitate coactus, rerum mearum ſtatum, et quas turbas adverſarii mei contra me excitaverint, ſignificari curaverim, ſedulo, et ſummis precibus toties a Sacra Regia Maieſtate Veſtra promiſſum auxilium implorans, tamen neque in hodiernum uſq; diem hic rediit, neque quicquam præſidii, vel a Sacra Regia Maieſtate Veſtra, vel ab aliis conſpicitur. Interea autem, etſi Legatos meos ad Livoniæ Magiſtrum eo ipſo tempore, quo et Sacræ Regiæ Maieſtatis Veſtræ Orator, Reverendiſſimus Dominus Epiſcopus Samogitiæ adeſſet, miſiſſem percunctandum, quid ſibi bellicus hic apparatus vellet, quidque mihi de eo ſuſpiciendum ſit, ſubiiciens, ſi forte contra me inſtituta violentia foret, coram ordinario Magiſtratu me iuris definitionem habere velle; verum ille nihil ad ea reſpondit, niſi quod ſuo tempore ſe reſponſurum diceret. Habet autem ſibi coniunctos omnes huius Provinciæ Epiſcopos, Suffraganeos meos, nec non totum Equeſtrem Statum, Civitates, et univerſam Provinciam, quos omnes ſibi in auxilium pertraxit, et iam aliquot dies, vi, et minis meos quoque ſubditos contra me movere, et illos ſibi belli ſocios facere, et ad extrema redigere ſedulo conatus eſt. Quamvis autem ſubditi mei et ſpiritualis, et ſæcularis Status, quantum poſſibile erat, reſtiterunt, tamen in eam anguſtiam iam coacti ſunt, ut, niſi conſentiant ſuis petitionibus, tanquam publicos hoſtes, primos ferro, & flamma, quod & proteſtatus eſt, devaſtaturus ſit, ac hiſce modis eo ipſos adegit, ut ad me venire omnino non poſſint, interceptis undique itineribus, (ut eſt meæ Archidiœceſis ſitus) neque ego illis, etiamſi militibus ſtipatus eſſem, ſuccurrere poſſim. Conſulunt autem ſtatus meæ Archidiœceſis hac calamitate undique circumſepti, & gravati, non ignorantes vires meas, & illorum hoſtibus his opponi omnino non poſſe, multo minus aliqua opportunitate in occurſum obiici, ut quamprimum meæ, & illorum ſaluti conſulturus Archidiœceſi cederem, inq; manus Capituli reſignarem, meque ex hac Provincia, iure, & iudicio certaturus conferrem. Intellexi autem ex relatione Domini Erhardi a Cnuheim, miſſuram Veſtram Sacram Regiam Maieſtatem ad me Nuntium, qui de Pacis mediis, atq; compoſitione mecum, quod & Dominum Epiſcopum Samogitiæ cum adverſariis egiſſe creditur, tractare, de quo maximam opem, & conſolationem conceperam. Verum cum ille Orator, (ut fertur) ad me properans, ad unum ſaltem milliare a mea Arce Kokenhauſen abeſſet, interceptus in itinere, cum ſuis trucidatus eſt, capto etiam, & vulnerato meo miniſtro Hermanno, qui illi itineris Comes erat. Quæ quidem res bene conceptam opem in luctum, & ſummum dolorem permutavit, atque auxit mirum in modum, quod paulo poſt Dominum Erhardum a Cnuheim, qui ad colloquium cum Domino Epiſcopo Samogitiæ ſe contulerat, Wendæ in hoſpitio detineri, & denegari Domino Epiſcopo Samogitiæ acceſſum ad me compererim. Et quid porro adverſarii mei, ac tota hæc Provincia æſtuat furore, atque in me unicum aciem ſtringunt? Nihil ſupereſt, quod ad hoſtilitatem ſpectat, niſi ut pergant, me cum Illuſtriſſimo Duce CHRISTOPHORO, & cum paucis meis fidelibus, quos mecum habeo, obſidione ad extremam neceſſitatem cogere, etiam vitæ noſtræ (ut aiunt) non parcituri. Præterea omnes viarum, itinerumque acceſſus, non ſolum Litvaniam verſus, verum etiam in hac Provincia, quæ meam Archidiœceſim undique circumcingit, interceperunt, ut nemo omnino ad me, neque ego ad quenquam literas dare poſſim. Tanta eſt mea iam infelicitas, & calamitoſa fortuna, ceu niſi Veſtra Sacra Regia Maieſtas auxiliares manus porrexerit, atque quam primum, & citiſſime ope, & auxilio, ex illorum faucibus liberaverit, pauci admodum dies ſuperſunt, quibus illis poteſtatem in me, meosque, ut eorum crudelitati ſatisfiat, aut concedere cogar, aut duris obligationibus tam contra Veſtram Sacram Regiam Maieſtatem, quam contra alios meos conſangvineos Principes devinciri, a quibus tamen in hunc uſque diem liber fui. Sic undique adverſa fortuna ego, & Illuſtriſ. Dux CHRISTOPHORUS uterque preſſi ſumus, & in ſummis neceſſitatibus iam ſudamus, in

ANNO 1545.

ſolius

Anno 1556. solius Dei Omnipotentis, & Vestræ Regiæ Maiestatis auxilium, & nostrorum Consangvineorum Principum, quos tamen, intercluſis itineribus, ea de re certiores facere non licet, ſpem noſtram reponentes, quo ſi intra paucos dies deſtituimur, actum de nobis, noſtrisque erit. Etſi autem animum reddit tam diligenter, fideliterque ſæpius, tam propter protectionis officium, quam ſangvinis neceſſitudinem, promiſſum auxilium, tamen quia cunctatione res meæ in peſſimum pene dilabuntur ſtatum, ipſa duriſſima neceſſitas coëgit mediis, quibus commodiſſime potui, Vestræ Sac. Reg. Maiestati hæc omnia ſignificare, atque promiſſum auxilium ut maturet in noſtram liberationem, & vindictam ſuppliciter implorare. Quemadmodum & ſummis precibus rogamus, monemus, & invocamus, Ego, & Illuſtr. Dux Christophorus Vestræ Sacræ Regiæ Maiestatis brachium, & manus auxiliares quamprimum porrigi, antequam noſtrorum hoſtium furori cedere cogamur, cum noſtro, noſtrorumque Familiæ dedecore. Id Ego, & Illuſtr. Dux Christophorus, una cum noſtris Familiis, & Conſangvineis ſedulo, ſummo ſtudio, ſemper quam gratioſiſſime recompenſare, & demereri ſtudebimus, & conabimur, & commendamus Vestram Sacram Regiam Maiestatem ad Dei Optimi Maximi gloriam, & ſuorum inclytorum Regnorum incrementum, quam diutiſſime incolumem. Datæ ex Arce mea Kokenhauſen nona die Menſis Junii, Anno a nato Chriſto milleſimo quingenteſimo quinquageſimo ſexto.

Sacræ Regiæ Maiestatis Vestræ

Obſequentiſſimus Servitor ac Conſobrinus

Guilhelmus *Dei Gratia Archiepiſcopus Rigenſis, Marchio Brandeburgenſis, Stetiniæ, Pomeraniæ, Caſſuborum, Vandalorum Dux, Burgravius Nurenbergen. ac Rugiæ Princeps. mpp.*

Schedula Literis incluſa.

Quandoquidem ſumme neceſſarium eſt, de his quoque turbis fieri certiorem Illuſtriſſ. Principem D. ac Germanum meum Chariſſimum Ducem Pruſſiæ, id autem per me fieri nulla ratione cinctis itineribus poteſt, ſummis igitur precibus exoro Vestram Sacram Regiam Maiestatem, Suam Illuſtriſſimam Celſitudinem in commune auxilium advocare, atque de his rebus noſtris gratioſe, & clementer admonere velit.

CXVI.

Anno 1556.

Literæ Rigenſium ad Sacram Regiam Maieſtatem Poloniæ. Ex Archivo Magni Ducatus Litvaniæ.

Sereniſſime, & Illuſtriſſime Princeps, Potentiſſimeq; Rex, ac Domine, Domine Clementiſſime. Literis Vestræ Serenitatis, & Illuſtris Celſitudinis perlectis, intelleximus obnixe Vestram Serenitatem, & Illuſtrem Celſitudinem, animum, & Regias admonitiones ad præſtandam fideliratem quondam Archiepiſcopo Rigenſi Guilhelmo, ſi autem non alio in ſtatu res iam ſitæ eſſent, facillime Vestræ Serenitatis, & Illuſtris Celſitudinis voluntati prompti, ac obedientes eſſemus. Quare vero Nos impediamur id fieri, Vestra Serenitas, & Illuſtris Celſitudo ex Reverendi in Deo Principis Epiſcopi Revalienſis, qui ex omnium Statuum ore ad Vestram Serenitatem, et Illuſtrem Celſitudinem ablegatus eſt, ſufficiente, et perſpicua explicatione omnium Pactorum ſatis intelliget. Cuius rei occaſionem prænominatus Guilhelmus Marchio Brandeburgenſis nobis invitis, ac contra datam fidem infractis Conſtitutionibus Wolmarienſibus, dedit, quamobrem in hoc ſuſcepto negotio, ac facto Vestra Serenitas, et Illuſtris Celſitudo de nobis non aliter, quam defenſoribus noſtræ communis Patriæ, et noſtrarum Libertatum, Regie, et bene ſentiet, nosq; ut bonos vicinos in omni veteri bona, et pacifica cohabitatione clementer agnoſcet, quæ et Nos rurſus obnixe præſtaturos pollicemur: Eandem Serenitatem, et Illuſtrem Celſitudinem Vestram Deo Optimo Maximo longe, feliciterque valere commendantes Dat. die Sabbathi poſt Feſtum Viſitationis Mariæ, Anno Domini MDLVI.

Vestræ Serenitatis, et Illuſtris Celſitudinis

Obſequioſi

Conſules, ac Senatores Civitatis Rigenſis.

CXVII.

Supplex Libellus Legati Livonici Ferdinando *Rom. Regi contra Archiepiſcopum Rigenſem exhibitus. Ex Archivo Regni Lib Legationum Lit. O. fol. 387.* 1556.

Sereniſſime, et Excellentiſſime Princeps, Domine Clementiſſime. Qua cauſa

ANNO 1556. Illustris Princeps Dominus HENRICUS de GALEN, Ordinis Theutonici in Livonia Magister, et Dominus GUILHELMUS FURSTENBERG Illustritatis suæ Coadiutor, Domini mei Clementissimi, bellum Reverendissimo Domino Archiepiscopo intulerint, ita Regia Maiestas Vestra accipiat velim. Posteaquam Domini mei, tum ex Literis ad Illustrem Dominum in Prussia Ducem scriptis, tum ex aliis certissimis argumentis, atque signis intellexissent, Reverendissimum Dominum Archiepiscopum cum Duce Prussiae omnes vias persequi, quibus Livonicam Provinciam, in medium omnium rerum certamen, atque discrimen adducere, illique eversionem inferre posset, maxime qui Regiam Maiestatem Poloniae, et Marchiones Brandeburgenses vehementer instigare, ab eisque flagitare solebat, ut illorum opera, atque studio cogitata, institutaque persequi, propositumq; suum, et susceptum consilium perficere posset. Et quamvis Principes mei de Regia Maiestate Poloniae hoc sibi sedulo persvadeant, illam pro ea, qua est praedita, eximia virtute, et singulari pietate non se iis distineri, et impeditam teneri passuram, aut forte belli studio, et cupiditate adductam, cum Archiepiscopo, et Duce Prussiae facturam, sed potius ut Pacta, et Fœdera inter suum Regnum, et illam Provinciam a Maioribus suis Regibus Poloniæ, & Magistris Livoniæ Religione iurisiurandi sancita serventur, elaboraturam, tamen si forte declinabit a proposito, deflectetque, Sententiam petunt a Regia Maiestate Vestra, admonere eam velit, ne se iis rebus controversis ad nullam partem utilibus inferat, siquidem hoc non tam Livoniæ, quam aliarum Germaniæ Provinciarum periculo, & detrimento esse, dubium est nemini, maxime qua capta, reliquas quoque expugnari, atque invadi certum est; arbitrantur enim Principes mei, eo illam audaciam, suo, Regnique sui nomine indignum, ac iniquum iudicaturam, ut bellum contra illas suscipiat, aut auxilium, & opem Reverendo Domino Archiepiscopo ferat. Petunt etiam Principes mei a Regia Maiestate Vestra ad Illustres Principes JOACHIMUM, & JOANNEM Fratres Marchiones Brandeburgenses de non mittendo Archiepiscopo milite, & exercitu, scribat, eosdemque hortetur, ut missum, & collectum revocent, atque dimittant, qui si aliter facere, neque monitis aut dicto Regiæ Maiestatis Vestræ obedire voluerint, necesse est tandem Principes meos, atque Status, & Ordines Livonicos ad sui propugnationem, defensionemque concurrere, iudiciumque de hoc Regiæ Vestræ, & Cæsareæ Maiestatis, quantumcunque illud fuerit, subire. Omnibus precibus item Principes mei a Regia Maiestate Vestra contendunt, ut JOACHIMO, & JOANNE, militem, & exercitum colligente, non ipsa eum in ditionibus suis ex hominibus suæ potestatis colligi patiatur, quod vicissim Principes mei omni genere studiorum, officiorumque referre Regiæ Maiestati Vestræ curabunt. ANNO 1556.

Regiæ Maiestatis Vestræ

Deditissimus

Georgius Siberk de Wisburg.

CXVIII.

Responsum Serenissimi Romanorum Regis ad supplicem Libellum Legati Livonici. Indidem fol. 388. 1556.

Quod attinet turbulentissimas illas, & maximas, quæ hoc formidolosissimo tempore in Livonia existunt, periculi tempestates, eas Sacra Regia Romanorum Maiestas magno, & incredibili dolore accepit, maxime quæ propterea sit sollicita, in iisque communibus miseriis præcipuo quodam mœrore angatur, nihil aliud, quam pacem, concordiam, & hominum ad quietem, atque tranquillitatem erectiores animos in universo Christiano Orbe expetens. Quamobrem Sacra eius Regia Maiestas peramanter Magistrum, aliosque Livonicos Status hortatur, & monet, ut iis omnibus ante oculos positis, dissensionibusque illis, & motibus res Christianas perturbantibus, ad clademque magis, & perniciem, quam ad salutem Patriæ spectantibus percautos, & provisos esse vellent, de omnibusque iure potius, quam armis experirentur, nolens illis in hoc opera, consilioque suo deesse, proptereaque ad Sacram Regiam Poloniæ Maiestatem, & Marchiones Brandeburgenses scripsisse, ne se rebus tam periculosis, & funestis quoquomodo inicerent, sed potius vias omnes persequerentur, quibus eæ pacari, et sedari possent, ut ita oppressæ, & inclinatæ Reipublicæ Romanæ, quæ iam multos annos assiduis bellis, et variis calamitatibus et prostrata, et afflicta jacet, propemodum consulatur.

CXIX.

Omnium Controversiarum, & Contentionum Reverendissimi in Christo Patris, Principis, ac Do- 1556.

ANNO 1556. *Domini, Domini* GVILHELMI *Dei Gratia Archiepiſcopi Rigenſis, Marchionis Brandeburgenſis &c. vera & dilucida narratio, plenaque & facilis explicatio, tum ad querelam, & accuſationem Oratorum Magnifici, & Reverendiſſimi Domini* HENRICI a Galen *Ordinis Theutonici per Livoniam Magiſtri, reſponſio.* Indidem. *folio 388.*

ANNO 1556.

Oratores Reverendiſſimi, & Magnifici Domini HENRICI *a Galen* Ordinis Theutonici per Livoniam Magiſtri, de Reverendiſſimo in Chriſto Patre, Principe, ac Domino GVILHELMO DEI Gratia Archiepiſcopo Rigenſe &c. Marchione Brandeburgenſe &c. graviter queſti ſunt, omne hoc tempus, quo Archiepiſcopatum geſſit, nihil illum aliud ſtuduiſſe, nihil cogitaſſe, quam ut Livoniam Provinciam expulſo ex illa, & eiecto Magiſtro ab imperio, abripere, & abſtrahere, eamque alteri cuipiam extero Principi tradere poſſet.

Ac ea quidem iniuria Reverendiſſimo Domino Archiepiſcopo affingi, & adſcribi palam eſt, maxime quæ ex diuturno illo, & inveterato Magiſtri odio potius, quam ex ullis illius inſidiis, & motibus, ſi quos utrinque concitarint, profecta ſint. Ex eoque, & ex aliis argumentis facile colligimus, eam (qua Reverendus Dominus Archiepiſcopus opprimittur) calumniam, conſtare non poſſe, maxime qui ſimul, ac illi munus hoc, & Dignitas delata eſſet, hoc unum omni ſtudio & diligentia curaverit, ut Pax perpetuo ſervari poſſet. Suo namque ille contentus, non quod de imperio dimicaret, aut Magiſtrum Provincia exturbare cogitaret, ſed ne dubitaret quidem varia adire pericula, & graves, ac miſerabiles perferre caſus, unius pacis conſtituendæ cauſa. Ex quo conſtat, eum præter hæc, quæ præclare, fideliter, prudenterque geſſit, fidem, virtutemque ſuam Chriſtianæ Reipublicæ præſtitiſſe, Deoque optimo maximo ſummas egiſſe gratias, ſe hactenus illius beneficio tuto, & quiete Archiepiſcopatui præfuiſſe, poſtremo denique, voluntate erga illam Provinciam propenſa, Magiſtrum ad complectendam, & capeſſendam pacem admonuiſſe.

Sed quoniam Reverendus Dominus Archiepiſcopus, quemadmodum id Jus eius, et Diœceſis, ac Capituli illius poſtulabat, iura, libertates, leges, commoda denique defendere, atque tueri, ab eisque conſtanter ſtare, in iureque tandem de illis experiri, et interdum, etiam de rebus Germanicis ſermones, et conſilia cum nonnullis conferre, tum etiam (non ignorans ſe propterea ab Archiepiſcopis Maioribus ſuis ad hoc munus vocatum, et accerſitum eſſe, ut ne unquam iuribus propugnatis, defenſisque Provinciae illius deeſſet) res omnes ad concordiam reducere, remque publicam augere, et amplificare, eaque demum curioſius, atque impenſius agere, omnino ſolebat, magnopere offendebat animum Magiſtri, et adeo quidem, ut brevi omnia in controverſiam etiam venirent.

Primum itaque contendere et altercari verbis, mutuo concertare, de Riga Civitate, leniter nec aſpere admodum cæperunt, Reverendus etiam Dominus Archiepiſcopus affirmabat, iniuſte ſibi eam Civitatem (cum a primis temporibus cum omnibus ad eam pertinentibus Archiepiſcopatus ſemper fuerit) Magiſtrum ademiſſe, neque ad eam diem reſtituiſſe, eamque illum, ac ſuam propriam et imperii, poteſtatisque ſuae temere, et acriter protegere, quamobrem non vitio quoque ſibi vertendum eſſe, quod eadem quoque vi, et manu, ut ad ſe ſummo iure legitimeque ſpectantem, eam propugnet, aliter enim ſe in hoc, niſi forte rerum ſuarum negligens videri vellet, gerere non poſſe. Quocirca ex hoc non apparet Reverendum Dominum Archiepiſcopum aliquid eiusmodi Provinciae illi agitaſſe, quod viros illius primarios, et incolas ad perniciem deduceret, neque poſſibile eſſe, illum quidquam tam funeſtum tentaſſe, niſi fortaſſe eas rationes, quibus Moſchicos conatus reprimeret, a finibusque ſuis arceret, inire voluiſſe, cum Deo auxiliante nullum tum a finitimis ſuis periculum ſperaret. Denique illum nullorum motuum conſcium eſſe id vel maxime oſtendit, quod illi munus, et officium commiſſum, quam ulla minus fidelia conſilia, maiori curae ſemper fuerint.

Qui ſane ſe pie, et honeſte, atque more denique Chriſtiano, ut Principem par eſt, nunquam gerere, et tractare in toto vitæ ſuæ degendæ curſu intermiſerit, quoque eo nomine fuerit in Moſchos animo, et voluntate, ipſi etiam inimici, et hoſtes eius non inviti faterentur.

Qui quidem etiam neſcius non eſt, officii Sacro Romano Imperio debiti, generisque, et nominis ſui, quorum memor,

ANNO 1556. mor, non facile ſe indignis, et rebus levibus implicari, et detineri patitur, quæ forte unquam cum detrimento Reipublicæ fieri poſſe viderentur.

Atque ſi res Oſſalicenſes Magiſter commemorat, cum Reverendo Domino Archiepiſcopo facere potius, quam illi aliquid indignum exprobrare videtur, quippe qui ibi legitime ab iis, a quibus ex pacto, et conventu Archiepiſcopus deſignatus, in Coadiutorem cooptatus, in Livoniamque vocatus eſt. Innocentem itaque potius illum, quam ullarum commotionum auctorem, aut belli cupidum fuiſſe, eo nomine quisque exiſtimare poteſt, partim quod ſe imparatum cum a militibus, tum a pecunia eſſe, partim longis locorum intervallis, a Principibus amicis abeſſe, partim etiam illos ipſos amicos, et affines ſuos, quoscunque per Germaniam habet, præ continuis bellis, et aliis moleſtis, et operoſis illorum occupationibus, nedum in re iniuſta, ſed ne in iuſta quidem iuvare potuiſſe, facile animadverteret, maxime vero illos, quod maius eſt, quædam Imperii membra eſſe, eaque prædictos virtute, qua non detrimentum Imperio afferri, aut periculum conflari, ſed potius conſultum iri putant. Quidquid itaque in eum dicetur, contumelioſe, et invidia dici, vel ex hoc palam eſt, quæ ut vana, et falſa homo ingenuus aſpernabitur, neque iis, ut ſe indignis, fidem dabit.

Ea itaque calumnia indigne in eum adhibita, iniuſta eſt, non modo ipſi, ſed et amicis eius Principibus turpis, atque fœda ignonimiæ nota, qua ſe præter omnem culpam, et meritum ſuum proh dolor! affectos eſſe, quadruplici ratione teſtati ſunt, cupientes eius ſigna aliqua dari.

Quin etiam Mareſchalcum hominem opulentum, et apud ſuos honoratum a Magiſtro ad ſuam Sententiam pollicitationibus traduxiſſe temere Reverendum Dominum Archiepiſcopum inſimulari conſtat, nunc quod credibile non eſt, virum tam excellentem, & clarum, magnæque apud ſuos authoritatis, et exiſtimationis, levi compendii ſpe, ſe a ſuis Civibus avelli, & abſtrahi paſſurum: nunc quod ipſe, nihil nefarie, impieque agens periculis ſemper imminentibus, & bellis domeſticis obviam ierit.

Sed quæ quæſo cauſa? quod vir ille ſuorum Civium, Patriæque amantiſſimus, illique viciſſim gratus, atque charus, qui in pretio, magnis honoribus auctus, in ea eſt habitus, quique multos annos honorifice ſe, & ſplendide, ac verus cultor, & amator expetendæ pacis in Republica ſua, illa ſalva, & incolumi conſervata, tractavit, Provincia illa exceſſerit? non alia certe, quam quod illi conſpirationis cuiusdam accuſato purgandi ſe poteſtas, & excuſandi, non eſt permiſſa. Quod quidem extra omnem culpam, cauſamque Reverendiſſimi Domini Archiepiſcopi eſſe cumulate teſtatur, qui etſi quidem fatetur & agnoſcit ſecum Mareſchalcum, & alios coniuncte, & familiariter vixiſſe, nihil tamen cum eis periculoſi, tum Magiſtro, tum Provinciæ illi communicaſſe. Quomodo enim inter hos verſari, & munera ſua peragere commode poſſit, a quorum conſvetudine, & familiaritate abhorrere quoddam modo videretur? nullo certe, quod id non modo a natione illa, ſed & ab ipſa, quod maius eſt, prorſus humanitate alienum eſſet. ANNO 1556.

In hoc igitur & aliis omnibus, inſignem iniuriam fieri Reverendo Domino Archiepiſcopo notum eſt, quæ procul dubio aliquando emerget, ipſe enim Mareſchalcus, quam ob cauſam a Magiſtro deſciverit, ſuapte dicet, culpaque Reverendum Dominum Archiepiſcopum eximet.

Quod attinet Literas a Magiſtro interceptas, eæ (ut ipſi affirmant) non declarabant Reverendum Dominum Archiepiſcopum cum Illuſtri in Pruſſia Duce hoc moliri, atque agere, ut incautam, & immunitam Livoniam terra, marique obſidere, ad extremumque capere potuiſſent, quæ unusquisque quomodo ſe habeant, ea altius expetens facile inveſtigare poterit. Reverendus enim Dominus Archiepiſcopus, Romanorum, & Poloniæ Reges, atque Electores Imperii ſæpe & continenter fere ſollicitare ſolebat, ut Illuſtrem Dominum CHRISTOPHORUM Megapolenſem Ducem ſibi Coadiutorem aſciſcerent, cuius illi etiam precibus adducti poſtulaverunt a Capitulo eius, ut ſe ad id quoque induci, conſiliumque ſuum, & conſenſum adhiberi pateretur. Porro illud ad Comitia Volmarienſia deliberationis de eo habendæ, & conſilii capiendi cauſa diſtulit, in quo ſtatuitur, neminem Principum, & Ducum, ſine totius Imperii conſenſu, in Coadiutorem recipi, & eligi debere. Cum itaque iam omnino Illuſtrem Dominum CHRISTOPHORUM Ducem in Coadiutorem cooptare ſtatuiſſent, deferri hoc ad univerſos Status curaverunt, de quo cum diu multumque deliberaretur, nonnullos tandem articulos, & conditiones Reverendo Domino Archiepiſcopo, & Illuſtri Megapolenſi Duci propo-

ANNO 1556. posuerunt, tempusque ad diem Divo Jacobo sacrum, proxime præteritum præstituerunt, ut intra hoc quieti mutuo consulerent, num eas suscipere vellent.

Ex iis omnibus liquet, nihil Reverendum Dominum Archiepiscopum dolo, nihil fraude, sed omnia candide & sincere egisse, nihilque illum aliud, quam ut Comitia illa, quibus se Magister tuetur, arbitrio statuum concluderentur, optasse, ne demum ullam occasionem oppugnandi Archiepiscopatum videretur dedisse. Quod enim Illustrem Dominum Megapolensem Ducem Coadiutorem declarari, postulatis Romanorum, & Poloniæ Regum aliorumque Imperii Electorum adductus, a Capitulo suo petierit, id eum palam, non occulte constat tractasse.

Magister itaque nova quadam, & inopinata immanitate, non expectato illo deliberandi constituto tempore, misit Commendatorem Duneburgensem, & Casparum Nethler Lubicum versus, qui ibi militem scriberent, & in Livoniam ad oppugnandum Reverendum Dominum Archiepiscopum adducerent. Qui quidem iussa Domini prosequuti, brevi non exiguas copias cogerunt. Quod etsi Reverendus Dominus Archiepiscopus eodem quoque tempore resciisset, tamen memor Pactionum, conservandæ pacis per Livoniam causa, a Cæsarea Maiestate constitutarum, non modo exercitum colligi, verum etiam nec domesticos suos parari iussit. Et hæc est Magistri fides, Reverendi vero Domini Archiepiscopi patientia, qui nunquam in ea spe fuit, ut se ab eo aut falli, aut omnino capi debere existimaret.

Hoc enim interim spatio, dum Reverendus Dominus Archiepiscopus cum Duce Megapolense de Conditionibus sibi a statibus præscriptis consultat, Magister suos paratos esse, armaque sumere iussit, Archiepiscopatum se invasurum minitans, sane quod etiam ipse (licet illi pacem expediret esse) ante præsagiebat: non dubitabat enim, si forte negotia illa, de suscipiendo in Coadiutorem Megapolense Duce ad exitum perduci possent, illum se invasurum esse, quod & factum est, brevi enim instructo exercitu, gravi illum Magister obsidione cinxit.

Et quamvis (dum exercitum Magister colligeret) fama erat Mareschalci causa, non Reverendi D. Archiepiscopi ad arma veniri, non sine tamen illius periculo, & oppressione ea fieri, quisque facile perspiciebat, qui tandem cognitis iis, (non ignorabat enim nonnullos ex Ordine fuisse, qui palam dicerent, nomine Marschalci in se arma conferenda esse) ad Illustrem Dominum in Prussia Ducem, Nuntium, & Literas, misit, petens ab eo, ut sibi opem in tanto vitæ suæ dispendio, & discrimine sine mora ferret, ita tamen, ut consilio, non armis ageret, neque propterea Pacis causa stipendium militibus decerneret. ANNO 1556.

Et licet (quod et ii, qui ex Prussia veniebant, narrabant) utriq; & R. D. Archiepiscopus, et Illustrissimus in Prussia Dux essent tum imparati, et immuniti, tamen suspicabatur coniectura ex Literis capta, illos Provinciæ illi eversionem, et ruinam cogitasse; sed utut est, Magistri id potius, quam illorum præstigiis tribuimus, maxime, quem per omnem occasionem Provinciam illam opprimendam curasse, vel ex hoc constat, quod, ut supra scriptum est, ante arma cœperit, armatumq; militem cum pededestrem, tum equestrem habuerit, quam ullæ Literæ de ferendo præsidio ad Illustrissimum Dominum in Prussia Ducem essent datæ, quas iustene ille intercipi ad modum hostilem curaverit, quisque iudicet.

Cum itaque ad Magistrum plures indies concurrerent, præsidiaque ille maiora, et numerosiorem exercitum cogeret, Regia Maiestas Poloniæ putans Coadiutoris causa hoc intestinum malum ingravescere, misit Nuntios suos, alium ad Magistrum, Reverendissimum Dominum Episcopum Mednicensem, alium vero ad Reverendissimum Dominum Archiepiscopum, Generosum Casparum Łączki Aulicum suum, qui ea, de quibus inter eos non conveniret, ex æquo, et bono deciderent, controversiamque ortam tollerent, atque sedarent. Quorum alter ingrate est a Magistro repudiatus, sineque responso dimissus, alter vero misere, & scelerate innocens una cum suis necatus, omnibusque, quæ ferebat, crudeliter exutus, atque spoliatus.

Magister itaque benigne, & comiter per Nuntium Regiæ Maiestatis Poloniæ ad Concordiam invitatus locum salutaribus illis, & utilibus monitis non dedit, enimvero ea ingrato, & in R. D, Archiepiscopum infenso, atque inimico animo aspernatus est, summaque illius indignitate respuit oppugnare, & armis aggredi Archiepiscopatum cupiens. Quocirca perspiciens R. D. Archiepiscopum, & illustrem Megapolensem Ducem nullis aliis armatis, præterquam Clientela sua stipatos, & munitos fuisse, mandatis de omnibus rebus ad Capitulum, ut ne idem, quod illi, sentiret, statim metu animadversio-

Anno 1556. nis. Vix enim ſibi tandem deliberandi otium ſeptem dierum impetravit, Sacramento Jurisiurandi, o rem triſtem, & miſerandam! violato, certatim omne ab eis defecit, illosque a ſuis ita miſerabiliter deſtitutos, nullis præter raram Clientelam fidelibus auxiliis ſeptos, arcibus, atque pagis ſibi ſubiectis, agris depopulatis, in Arce Kokenhauſen obſedit, atque demum illa potita cœpit, quorum alterum R. D. Archiepiſcopum in *Eriden*, alterum vero Ducem Megapolenſem in *Wenden* Arces transmittendos, ibique in cuſtodia aſſervandos curavit.

Qui, etſi ſe non dedere poſſent, tamen et pietate, ne ullam occaſionem profundendi ſangvinis Chriſtiani darent, et fide Magiſtri (non ſervata) qua ſe ipſis obligaverat, R. D. Archiepiſcopo omnia cumulate, & abunde, ut dignitas illius patitur, ſuppeditaturum, Illuſtri vero Megapolenſi Duci, non ſolum Provincia excedendi, verum etiam per eam quoque vellet eundi poteſtatem facturum, adducti, ſub imperium eius conceſſerunt. In hoc igitur Magiſtro perfidiam, & faſtidium, illis vero magnam manſvetudinem, & patientiam ſine controverſia tribuimus.

Ex iis omnibus ergo prædictis R. Dominum Archiepiſcopum nunquam quorumvis motuum, aut turbarum Authorem fuiſſe, aut etiam illa vera, quæ de illo narrabantur, oppugnare illum terra, marique Livoniam voluiſſe, facile coniectura perſpicimus.

Maxime, cum nunquam fuerit tam cautus, aut rerum ſuarum diligens, quod ullam Arcem, qua contra hoſtes propugnaculo uteretur, firmari, & muniri cuſtodia, atque præſidiis deberet.

Falſo item Illuſtrem Dominum in Pruſſia Ducem criminantur, qui dicunt illum in ea cogitatione fuiſſe, ut bello Magiſtrum, finitimum ſuum laceſſeret, maxime qui nullas copias, aut naves prælio aptas, & inſtructas haberet. Quare eo nomine etiam conſpirationis alicuius ſuſpicio a R. D. Archiepiſcopo dimovetur.

Literæ præterea illæ, quas quidam ſuſpectas eſſe fingunt, non accuſabunt Reverend. Dominum Archiepiſcopum aliquorum callidorum, & periculoſorum conſiliorum machinatorem fuiſſe.

Quas quidem illum ad Illuſtrem Dominum in Pruſſia Ducem in ſumma ſua miſeria, & calamitate efflagitans ab eo opem, & conſilium, metu, inviteque dediſſe conſtat, quippe quod ab exercitu infirmo, & a ſuis contempto, Magiſtrum ſibi cum pedeſtri, & equeſtri milite imminere videret. Itaque illi Magiſter, cum eo non iure, ſed armis, contra omnia Pacta, a Cæſarea Maieſtate in Livonia pacis conſervandæ cauſa conſtituta agens, magnam certe, & gravem facit iniuriam. Aliud eſt, & a Jure Divino, & Gentium alienum, quod illum Magiſter, nulla belli denuntiatione facta, oppugnaverit, hominesque illius callide, & aſtute ſubegerit, tum denique Ducem Imperio Romano adſcriptum, magno dedecore illius captum, in vincula coniecerit. Anno 1556.

Quæ, & alia plane loquuntur, Magiſtrum meritum eſſe pœnam, in ſeditioſos latam, maxime qui Pace in hac Provincia ſublata diſſenſionem magno illius detrimento fecerit. Quæ cum ſe ita habeant, optat ſibi R. Dom. Archiepiſcopus a Magiſtro omnia vi erepta, integre, pleneque reſtitui, ad eumque Mandata dari, ut ſe quiete iis ſecundum Leges, Jura, Privilegiaque ſua frui, & gaudere patiatur, quæ ſi ita forte negligere, aut parvi facere, ut futurum ſperat, videbitur, tum, ut iam tandem hæc coactum facere oporteat, adſtringatur.

Sed iam non de Mandatis, quod illa ſatis ponderis apud Magiſtrum non eſſent habitura, ſed de iis, quæ oppugnatoribus Fœderum, atque Pactorum propoſita ſunt, agi oportere Reveren. Dominus Archiepiſcopus exiſtimat, ut tandem Electores, atque Imperii Status ea ſequuti Magiſtrum adducant, ne a Pactis temere diſcedens, de omnibus rebus armis ſibi potius, quam iure experiri perſuadeat. Quod ſi nolit, turbareque omnia, ut ante, velit, tum ita coerceatur, ut ſociis, & adiutoribus ſuis, atque aliis omnibus factioſis exemplo eſſe queat.

Paratus autem eſt Reverendus Dominus Archiepiſcopus, ſe in Judicio cum Pontificiæ, tum Cæſareæ Maieſtatis, a Magiſtro, aut altero quopiam ex Ordine vocatus ſiſtere, atque reſpondere.

Quod ſibi certo perſvadeat, Magiſtrum non iure, aut legum præſcripto, ſed vi, & ferro omnia conari, maxime, qui ſe in cuſtodiam tradi, clientela orbari, miſere omnium rerum penuria laborare, poſtremo denique Literas ad ſuos ſcriptas, ceremonia Legationis polluta, intercipi, & ſibi omnia eripi curaverit, proptereaque illum ius ipſum, & Judicia legitima ſubterfugiturum eſſe, operamque, ut æque ſe, ac Maiores ſui gerat, illorumque veſtigiis omnia perſequatur, daturum, quippe qui, etſi immortalia illa, & divina beneficia ab Archiepiſcopis Rigenſibus accepiſſent, tamen hoc ſemper cogitabant, ut dolo, et fraude Archiepiſcopatum caperent, illumq; ita delerent, ut nulla inpoſterum nominis eius extarent veſtigia, atque ſigna, ut ita ſe facile ab Imperio Pontificiæ,

Anno 1556. ciæ, et Cæſareæ Maieſtatis abripere, in ſuaque poteſtate eſſe potuiſſent. Ecce benefacta quorſum receſſerunt, quæ, ſiquidem male facta, quod male locata, (apud homines enim ingratos) omnino putanda ſunt.

Et hæ ſunt, quas ſumma ſui indignitate Reverendiſſimus Dominus Archiepiſcopus paſſus eſt, iniuriæ.

Poſtremo ſuppliciter Reverendiſſimus Dominus Archiepiſcopus petit omnia ſibi adempta Archiepiſcopatus Privilegia, Libertates, aurum, argentum, res denique (quæ erant clauſæ) omnes, tum etiam Arces, et in ipſis bellica tormenta capta, a Magiſtro reddi, qui maxime clam, et tacite dicat, ea, quæ præſidiis intercluſa tenet, nullo modo reſtituere velle, et quodſi jam tandem facere eum oportuerit, non prius ſe tamen facturum, quoad illi ſumptus in milites facti exoluti, et numerati fuerint. Et quoniam non dubitatur, quod et hiſtoriæ teſtantur, a primis temporibus ſemper Magiſtros Livoniæ Archiepiſcopis Rigenſibus infenſos, et infeſtos fuiſſe; proptereaque magnis ſeditionibus, et diſſenſionibus Provinciam illam agitatam, petit, ut ſe Electores, aliiq; Principes, Providentia, curaque ſua in hoc iuvent, ut ſine eorum tandem perturbatione, quiete ævum agere poſſet, quod et promittit ſe illis omnibus officiis, ſtudiisque relaturum. Vellet enim Archiepiſcopatum, ita ut a Maioribus ſuis accepit, poſteris relinqui, ne illi ipſi ullam de illo querendi occaſionem haberent.

Cum itaque illum Magiſter non modo Archiepiſcopatu ſpoliaverit, verum etiam in eum magno damno affectum id dixerit, quo non parum Generi, Nominique ſuis ſit detractum, petit, ut pœna propterea iure præſcripto mulctetur.

CXX.

1556. *Reſolutiones Regis Romanorum ſuper conſultationibus Electorum, Principum, & reliquorum Romani Imperii Statuum in cauſa Livonum. Ex Archivo Regni.* Lib. Legat. Lit. P. fol. 563.

Vniverſi Ordines Imperii ſvadent, ut ſcribantur Literæ ad Reverendiſſimum Dominum Archiepiſcopum Rigenſem, Dominum Ducem Christophorum, non minus ad Livones, quibus Livonibus iniungatur reſtitutio pulſorum, & captorum Principum, hac tamen lege, ut cautionem faciant, tam pro ſe, quam reliquis huic cauſæ adhærentibus, pacem, atque tranquillitatem ſervaturos eſſe, nec quicquam armis tentaturos.

Idem hoc, ut viciſſim præſtet Magiſter cum ſuis adhærentibus: Reverendiſſimo Archiepiſcopo, Domino Duci Christophoro, Joanni Alberto Fratri, qui ſe participem fecit per expeditionem militum, & item reliquis eorum conſortibus, ne arma contra eos ſumant. Si vero quisquam vel eorum, vel conſortium utriusque partium quicquam contra alterum tentare voluerit, id agat coram Deputatis Regis Romanorum, ac reliquorum ſtatuum Commiſſariis, & ſi per amicas tractationes uniri non potuerint, cauſæ controverſiarum ad commune iudicium transferantur. Anno 1556.

Principes Electores volunt literis inſertum verbum, ſcilicet *Reſtitutio*: Reliqui vero Principes volunt, ut omittatur.

Svadent item Principes, reliquique Status, Legatos, ſive Commiſſarios, Lubecam ſubordinandos, qui prima Aprilis in loco compareant, vocatisque partibus, amicabilibus tractationibus diſſidia componant.

Regi Romanorum Conſilia Statuum Imperii non diſplicent, verum commodius eſſe arbitratur, ſi Commiſſarii, vel Legati, cum ſufficienti Mandato deputarentur, & ad partes litium ablegarentur. In eo ideoneos eſſe Duces Pomeraniæ, quibus, ſi ita placeret Statibus, bini adhuc ex reliquis Principibus adiungi poſſent, & ſi ipſismet Principibus eo proficiſci integrum non foret, per Legatos idoneos rem expedirent.

Primo darent operam, ut pars utraque arma deponeret, milites ſegregatim dimitteret.

Deinde ſi Livones Reverendiſſimum Dominum Archiepiſcopum, & Dominum Ducem Christophorum nondum liberaſſent, ut eos cum omnibus ſubditis, Conſiliariis, atque ſervitoribus ſuis, liberos dimitterent, in priſtinumque ſtatum collocarent, ac poſtea, quemadmodum ſupra facta mentio, per deputatos Commiſſarios, reliqua diſſidia componerentur.

Vbi vero id per amicas tractationes procedere nollet, darent operam Commiſſarii, quo illi ad nonnullorum Principum Imperii Sententiam compromitterent. Reverendiſſimum ſcilicet Epiſcoum Colonienſem, Electorem Saxoniæ, Epiſcopum Monaſterienſem, & Padebornenſem, Ducem Juliacenſem, Duces Pomeraniæ, ac Civitates Goſlarienſes, vel ſi hi litigantibus ſuſpecti forent, alii loco eorum, in quos utraque Pars conſentiret, in hoc negotio deputarentur.

ANNO 1535. Ac poſtremo loco, ſi neque hac via res procederet, iudicio Cameræ ſe ſe ſubmitterent.

In his omnibus Rex Romanorum offert ſtudia, atque operam ſuam, pollicetur ſe daturum eſſe Commiſſiones, Inſtructiones, & quidquid publicæ tranquillitati commodare poſſit, facturum. Regiam item Maieſtatem Poloniæ, quemadmodum & iam antea fecerit, per Nuntios ſuos viſitaturum, ac apud eum interceſſurum, ne & Maieſtas ſua cuiquam auxilia ferat, nec anſam Imperii Statibus præbeat aliquem excitandi tumultum. Poſtremo placet Regi Romanorum conveniendum eſſe Electorem Brandeburgenſem, quo & is operam det, ne quicquam vi, vel armis contra Livones tentetur, & communis tranquillitas conſervetur.

CXXI.

1556. *Formula Induciarum Livonienſium.* Dat. in Venden Dominica poſt Decollationis S. Joannis. Anno 1556. *Ex Archivo Regni.* Lib. Legat. Lit. O. fol. 362.

Nos HENRICUS de Galen Militaris Ordinis Theutonici Magiſter Livoniæ, ad hanc actionem Electus primarius Militiæ Præfectus. Et nos HERMANNUS Epiſcopus Tarbatenſis, & ego *Volmarus Freiden*, & *Dirick Waromboch* Plenipotentes Commiſſarii clementiſſimi Domini noſtri, Domini JOANNIS Epiſcopi Oſilienſis, & Curoniæ, nosque *Georgius Schwank* Præpoſitus, *Fridericus Folekerbam* Cellarii Præfectus, & *Joannes de Pakl* Senior Archiepiſcopatus Rigenſis, notum facimus ac fatemur: Poſteaquam omnis generis errores, & controverſiæ inter Nos, & Marchionem Brandeburgenſem VILHELMUM hactenus exſtiterunt, ex quibus tandem inter Nos, & communes Livoniæ Status cum dicto Marchione apertum bellum exortum fuit. Cum autem Illuſtriſſimi Principes Amici noſtri dilecti, & Clementiſſimi Domini, Domini BARNIMUS & PHILIPPUS Patrueles, Pomeraniæ, Stetiniæ &c. Duces, ex Chriſtiano & pacifico animo, atque amica benevolentia, Reverendum, Nobiles, ac præclaros ſincere nobis dilectos, Dominum Andream de Blumoczhal Legum Doctorem, & Commendatorem in Wildenbrock, Matthæum Bonin Heredem in Bebau, & Joannem Wolff, tam ad Nos, & communes Status, quam ad prædictum Marchionem VILHELMUM able-garint, ut aut Pax conſtituta bellicas iſtas turbas componeret, aut ſi minus id fieri poſſet, induciis pacisſcendis operam darent, quo iſta controverſia, ac lites quorundam Dominorum Vicinorum, & Amicorum noſtrorum, utpote Regum, Principum, Dominorum, & Civitatum cognitioni, & transactioni committeretur. Illuſtriſſimis igitur Principibus ſupradictis, Amicis dilectis, & Dominis, ac Vicinis Clementiſſimis gratificantes, tum pro harum terrarum emolumento, tum ad evitandam Chriſtiani ſanguinis effuſionem conſtantes Pacis inducias conſenſimus, omnes & ſingulos errores, controverſias, & gravamina, quæ Nobis, & communibus Livoniæ Statibus cum dicto Marchione VILHELMO hactenus interceſſerunt, ad Sereniſſimi, & Potentiſſimi Principis & Domini, Domini CHRISTIANI Daniæ, & Norvegiæ &c. Regis, Domini noſtri Clementiſſimi, Amici, ac Vicini dilecti, nec non Illuſtriſſimorum Principum, Domini VILHELMI Ducis Juliacenſis, Clivenſis, & Berge &c. ac Dominorum BARNIMI, ac PHILIPPI, Ducum Stetiniæ & Pomeraniæ &c. tum etiam honeſtorum Conſulum, ac Senatus Imperialis Civitatis Lubeck amicam cognitionem, & transactionem remiſimus. Quemadmodum in præſentia tenore harum Literarum noſtrarum pacificas illas Inducias acceptamus, & approbamus, omnesque controverſias Regiæ eius Dignitati, Celſitudinibus, ac Prudentiæ ipſorum permittimus pro tempore, & loco, quem iuxta opportunitatem ſuam (quo citius eo melius) cum iis Ducibus ac Dominis, qui ex parte Marchionis VILHELMI nominati ſunt, conſtituent amice agendi, ac tractandi, easque Inducias inviolatas ſervare promittimus, ac tenore huius paginæ, bellicam expeditionem noſtram, armaque tam contra ſæpedictum Marchionem, omnesque eos, qui ipſius nomine ad bellum fortaſſe excitati ſunt, ſuſcepta, quam contra eos, qui iam pridem in armis adverſus nos fuere, deponimus omnia certo, & indubitanter. In cuius rei teſtimonium evidentius, nos Magiſter & Epiſcopus, una cum Plenipotentibus ordinatis noſtra Sigilla infra ad ſpatium apprimi curavimus. Datum & ſcriptum in *Wenden* Dominica poſt Decollationis S. Joannis, Anno Chriſti 1556. ANNO 1556.

CXXII.

Inſtructio Nomine Sacræ Regiæ Maieſtatis ad HENRICUM *de* Galen *Livoniæ Magiſtrum Gene-* 1556.

Anno 1556. *neroſo Samoſtrzelſki data. Ex Archivo Regni.*

Salutato Livonum Magiſtro Sacræ Maieſtatis Regiæ Internuntius, in hæc verba cum illo agat. Intellexit Sacra Maieſtas Regia Dominus meus Clementiſſimus eam Legationem, quam Reverendiſſimus Dominus Epiſcopus Revalienſis cum Collegis ſuis apud illam proxime obivit, ad eamque iam Reſponſum fuiſſet datura, niſi quædam interveniſſent, quæ impediverunt, quominus Reſponſum eo tempore dari poſſet.

Ultra enim alias graves belli cauſas, quæ a Reverendiſſima Magnificentia Veſtra, ac Ordinibus Livoniæ Sacræ Maieſtati Regiæ dantur, hoc etiam proxime incidit, quod poſt id tempus, quo Reverendiſſimæ Magnificentiæ Veſtræ Legatis ad Sereniſſimam Maieſtatem Regiam publica fide veniendi poteſtas permiſſa eſt, quorundam Sereniſſimæ Maieſtatis eius hominum naves complures, & in eius variæ merces, ac pecuniæ non parvæ ſummæ, ſint per vim ad arcem Duneburgenſem detentæ.

Quo non ſolum perpetua Pax iure iurando iam olim utrinque conſtituta, & firmata, ſed etiam ipſa fides publica, qua veniendi Legatis fuit poteſtas data, non leviter violata eſt.

Paulo poſt etiam ſupervenit fama, qua Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus Dominus Archiepiſcopus Rigenſis Sereniſſimæ Maieſtatis Regiæ Conſobrinus, & Cliens in poteſtatem redactus, extinctus etiam eſſe dicitur, de cuius mortis genere, etſi fama variet, tamen ita variat, ut nihilominus eorum iuſſu, in quorum poteſtate fuit, necatum eſſe omnes affirment. Quamobrem poſtulat Sacra Regia Maieſtas per Reverendiſſimam Magnificentiam Veſtram mihi Nuntio ſuo de illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo Domino Archiepiſcopo, vivatne, an mortuus ſit, certi quippiam reſponderi. Neque enim Sacra Maieſtas Eius, Dominus meus Clementiſſimus Oratoribus Reverendiſſimæ Magnificentiæ Veſtræ prius certum Reſponſum dare poteſt, quam de Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi Domini Archiepiſcopi vita, vel morte, totoque eius ſtatu certo cognoverit.

Simul etiam hortatur Sacra Maieſtas Regia Dominus meus Clementiſſimus Reverendiſſimam Magnificentiam Veſtram, atque ab ea requirit, ut et naves, & res omnes, quæcunque eisdem manibus continebantur, primo quoque tempore reſtitui iubeat, & curet.

Quod ſi Reverendiſſimum, & Illuſtriſſimum Dominum Archiepiſcopum mortuum eſſe, fuerit reſponſum, acquieſcet Legatus noſter, & id ſe ad Nos relaturum eſſe dicet. Anno 1556.

Si autem vivere illum reſponderint, Nuntius dicat id ſibi a Sacra Maieſtate Regia mandatum eſſe, ut illum conveniat, & Sacræ Maieſtatis Regiæ verbis ſalutet.

Quodſi negatum fuerit Nuntio, dicet Sacram Maieſtatem Regiam famæ de Reverendiſſimo, & Illuſtriſſimo Domino Archiepiſcopo ſtudioſe e vivis ſublato, ſparſæ credituram.

CXXIII.

Reſponſum Sacræ Regiæ Maieſtatis Poloniæ ſuper negotio Livonico Regiæ Romanorum Maieſtati datum. Ex Archivo Regni. Lib. Legat. Lit. O. fol. 379. 1556.

Accepimus Literas Maieſtatis Veſtræ, quibus ſcribit, Magnificum Dominum Livoniæ Magiſtrum eo animo eſſe, ut controverſiam, quæ inter Nos, & illum de Finibus eſt, Maieſtatis Veſtræ, & Illuſtris Geldriæ Ducis arbitrio permittere velit, ideoque Nos hortatur, ut Commiſſarios noſtros, qui ea de re ſint tractaturi, ad ipſam mittamus. Ac eſt quidem Nobis hoc Maieſtatis Veſtræ ſtudium, quod in ea re conficienda adhibitura eſſet, vehementer gratum, ſed cum interim, dum hæc geruntur, alia quædam, & ea quidem ſatis gravia inciderint, quibus illi Nobis omnem de Finium controverſia amice agendi voluntatem excuſſerunt, non eſt, quod Maieſtatis Veſtræ, Illuſtriſſimique Geldriæ Ducis ad eam rem opera hoc tempore abutamur, quod, quomodo ſe habeat, altius videtur eſſe repetendum. Archiepiſcopatus Rigenſis Sacroſanctorum Conciliorum authoritate, ipſaque Archiepiſcoporum voluntate, in fide, & Clientela, protectioneque Maiorum noſtrorum iam inde ab initio ſemper fuit, id quod & alias ſæpe quoties inter Archiepiſcopum, & Magiſtrum, ac Ordines Livoniæ controverſia incidebat, & olim Divo Parente noſtro vivente, ipſa etiam res ſatis declaravit. Cum enim Magiſter, & Ordines Reverendiſſimum Dominum Archiepiſcopum de primo Dignitatis gradu, quem in Livonia obtinet, moviſſent, & omnem eius authoritatem depreſſiſſent, factum eſt authoritate, & patrocinio Divi Parentis noſtri, ut ſuam Archiepiſcopatus priſtinam Dignitatem, atque authoritatem retineret, quod ut illis in poſterum facilius eſſet, eum, qui nunc eſt Rigenſis Archiepiſcopus Reverendiſſimus & Illuſtris Princeps Dominus

ANNO 1556. GVILHELMUS Marchio Brandeburgenſis, vi (ut ait) pactiones cum Magiſtro, & Ordinibus ſuo & Succeſſorum nomine facere adegerunt, quibus omnes ex Ducum familia a capeſſendo deinceps Archiepiſcopatu excluderentur. Cuius Transactionis ignari interpoſuimus preces apud Reverendum Dominum Archiepiſcopum Rigenſem tanquam Conſobrinum, & Clientem noſtrum, & apud Magnificum Magiſtrum, Ordinesque Livoniæ pro Illuſtri Domino Chriſtophoro Megapolenſi Duce (pro quo Maieſtatem etiam Veſtram interceſſiſſe audieramus) ut ille quidem tanquam ſenio confectus, ſibi eum Vicarium ſive Coadiutorem adoptaret, hi autem aſſentiri, & adoptionem ſuo aſſenſu approbare vellent. Qua de re priusquam Nobis a Magnifico Magiſtro & Ordinibus reſponſum eſſet (nam Dominus quidem Archiepiſcopus facturum ſe, quantum in ipſo eſſet, reſponderat) oblatæ ſunt a Magiſtro & Ordine quædam Reverendiſſimo Domino Archiepiſcopo conditiones, quas niſi accipere ſe ad certum declararet, aut omnem de aſciſcendo Coadiutore cogitationem deponeret, bellum illi denunciatum eſt. Statimque non expectato illo ipſo per eos deſignato tempore, Arma in Livonia parari cæpta ſunt. Miſſus etiam Commendator Duneburgenſis, ut militem ex Germania adduceret. Quo audito, exiſtimavimus Nos, cum pro Patroni, & Protectoris, tum pro Chriſtiani & Vicini Regis officio pertinere ad Nos, qui præſertim cum Livonibus etiam Fœdere coniuncti eſſemus, de illis diſſenſionibus, & tumultibus ſedandis, tanquam de incendio in vicinia exorto cogitare.

Itaque ad Reverendiſſimum Dominum Archiepiſcopum unum, alterum autem eodem illo tempore ad Magnificum Dominum Magiſtrum, & Ordines Legatum miſimus, qui & hos, & illum ad pacem nomine noſtro hortarentur. Poſſe enim, quæcunque eſſent inter illos controverſiæ, vel amica transactione componi, vel legitimo iudicio decerni, neque convenire, aut neceſſe eſſe rem vi, & armis geri. Ac ille quidem, qui ad Reverendiſſimum D. Archiepiſcopum profectus erat, antequam eo, quo miſſus fuit, perveniſſet (cum viæ a Magiſtro & Ordine intercluſæ eſſent) interceptus, & cum comitatu, contra ius gentium, interfectus, rebusque omnibus ſpoliatus eſt. Qui vero ad Magnificum Dominum Magiſtrum, & Ordines miſſus fuit, retulit illos omnino a pace abhorrere. Interceptas enim interea fuiſſe quasdam Literas, quibus Fratrem ſuum Reverendiſſimus Dominus Archiepiſcopus Illuſtrem Dominum in Pruſſia Ducem in auxilum vocaret, ac occupandæ Livoniæ ſpem faceret. Quibus ſive veris, ſive (ut ſpecioſior belli inferendi cauſa haberetur) confictis, neutrum enim certo affimare volumus, armis Reverendiſſimum Dominum Archiepiſcopum invaſerunt, reiectaque legitima diſceptatione, ad deditionem coegerunt, ac in Poteſtatem redactum, in captivitate duriore, quam Principem par eſt, detinent. Cui cum deeſſe pro iure Sanguinis, & Patroni, ſive Conſervatoris, & Protectoris non poſſimus, neque eius libertate & priſtino ſtatu ſit nobis quicquam antiquius, non videtur, priusquam ille in integrum reſtituatur, ullos amicos tractatus a Magnifico Magiſtro, & Ordine ſuſcipere. Quamvis autem & hæc una cauſa ad arma illis inferenda ſufficiat, & alias iuſtas vetuſtiores, & recentes habeamus, tamen cum hoc ſemper ſtudeamus, ut vires noſtras contra hoſtium Chriſtiani nominis impetum integras, & minime labefactatas conſervemus, continuimus Nos adhuc, continemusque etiamnum, ac tentamus omnia, ut ſine armis, & Reverendiſſimus Dominus Archiepiſcopus reſtituatur, & graves nobis illatæ iniuriæ noſtra cum dignitate ſartiantur. Ac hortatur Nos quidem Maieſtas Veſtra, ne Nos in hæc aliorum diſſidia miſceamus, cuius adhortationis magna eſt apud Nos, ſemperque fuit authoritas; tamen poſteaquam & ſanguinis coniunctio poſtulat, ut Conſobrino ſubveniamus, & fidei ratio, ut ne Clientem deſeramus, & noſtra ipſorum Dignitas, ut Jus Gentium in Legato noſtro violatum, aliasque adeo iniurias ulciſcamur, ſperamus Maieſtatem Veſtram non ſolum Nos dehortaturam non eſſe a propoſito, ſuſceptoque liberandi Reverendiſſimi Domini Archiepiſcopi conſilio, ſed etiam authorem Nobis fore, ut & illius ſalutem & noſtram dignitatem tueamur, aut ſaltem id præ ſe laturam eſſe, ut illam Livones a ſe, ſuaque cauſa alienatam eſſe intelligant. Quod ſi tamen Maieſtas Veſtra authoritate ſua effecerit, ut illi Reverendiſſimum Dominum Archiepiſcopum in priorem Dignitatis, Authoritatisque locum reſtituant, & armis, quæ temere ſumpſerunt, poſitis quietiora conſilia ſequi voluerint, non ſolum Nobis, qui Pacis, & Chriſtianæ pietatis ſtudio a profundendo Chriſtianorum ſanguine abhorremus, gratum fecerit, ſed etiam de univerſa Chriſtiana Republica præclare merita fuerit. Nos vero reſtitutione facta, recuſaturi non eſſemus, quominus illi cum Reverendiſſimo Domino Archiepiſcopo

ANNO 1556.

ANNO 1556. copo vel amice tranſigerent, vel legitime de omnibus controverſiis apud idoneos Judices diſceptarent. Atque adeo Nos inſuper ipſi, de omnibus iniuriis, quibus laceſſiti ab illis ſumus, quoad Dignitas Noſtra pateretur, tranſigere non gravaremur. Quod ſi autem detinere Conſobrinum, & Clientem noſtrum perrexerint, Nosque propterea ad ulciſcendas bello inferendo iniurias animum adiecerimus, perſvademus Nobis, Maieſtatem Veſtram non Belli Nos cupiditate accenſos, ſed acceptarum iniuriarum atrocitate, & ſuperbo hoſtium contemptu impulſos, ad arma confugiſſe, putaturam, eosque omni auxilio, & favore deſtituturam. Quemadmodum id & noſtra cum Maieſtate Veſtra Coniunctio, ac Fœdera, & ipſius Reverendiſſimi Domini Archiepiſcopi cum Illuſtriſſimis Maieſtatis Veſtræ Liberis neceſſitudo requirit. Quod Maieſtatem Veſtram facturam omnino confidimus, Cuius Paternæ Benevolentiæ Nos commendamus, eamque incolumem diu vivere cupimus.

CXXIV.

1556. *Mandata Legatis Statuum Livoniæ,* Vilnam die Dominico poſt Decollationis S. Joannis Anno 1556. *a Magiſtro Ordinis transmiſſa, coram Sacra Regia Maieſtate Poloniæ exponenda. Ex Archivo Magni Ducatus Litvaniæ.*

Quo minus ita, ut in expeditione noſtrorum convenerat, plenior Mandatorum nobis transmiſſa ſit inſtructio, & facultas, in cauſa hoc eſt, quod Nuntiis etiam tertio ad Nos deſtinatis, & cum eiusmodi Literis hinc pergentibus, omnino integrum non fuit Litvaniam intrare: ita ſtatim in ipſis finibus & non ſolum noſtri (quibus id ter evenit) verum etiam Illuſtris Ducis CHRISTOPHORI Megapolitani Nuntius retrocedere, & propoſitum iter deſtituere coacti ſunt. Ad res autem Archiepiſcopales quod attinet, earum hic eſt ſtatus: quod Illuſtriſſimus Princeps & Dominus, Dominus GVILHELMUS Marchio Brandeburgenſis, ſtatim poſt noſtrum diſceſſum, ante deditionem arcis *Kokenhauſen*, ſuapte, ſponte, & nequaquam tunc coactus, eundem Archiepiſcopatum communis illius Sacri Romani Imperii Statibus Provinciæ, a quibus eum acceperat, reſignavit. Quam quidem voluntariam ceſſionem, & reſignationem Sigillo ſuo munitam, & manu propria ſcriptam communes Satus receperunt, nec quicquam gravius ulterius ſtatuere voluerint, non tam in facinus, & merita eiusdem reſpicientes, quam ut & Regiæ Maieſtati Poloniæ, Marchicæ Domui, aliisque ſanguine coniunctis Principibus, aliqua grata facerent, & communis Patriæ, quam ſuis nefariis, & turbulentis conſiliis miſere turbaverat, dum Archiepiſcopum ageret, commodis, & tranquillitati publicæ conſulerent: & ſimul Illuſtrem ſuam Celſitudinem, data Chriſtiana, & publica fide, quam ut violare horrendum, & deteſtabile nefas eſt, ita ſtatus conſtantiſſime ubique ſervabunt, eoque ſuam Celſitudinem loco habebunt, & proviſione rerum neceſſariarum obſervabunt, ut grandævus ille iam Princeps, nihil deſiderare, multo minus de Statibus conqueri poſſit. ANNO 1556.

Verum reſtitutionem in integrum (quam inter alia poſtulata iuſſu Sacrae Regiæ Maieſtatis nuper in Colloquio tantopere Regii Conſiliarii urſerunt) admittere, & Archiepiſcopatum regendum de novo ſuæ Celſitudini commendare ſtatus prorſus nequeunt, neque debent, neque ipſe Marchio Brandeburgenſis tantam curam, & moleſtiam cupit. Neque dubium eſt Sacram Regiam Maieſtatem Poloniæ hisce, & ſi quid talium inſidiarum ſibi in ſuo Regno (quod Deus avertat) ſtructum fuiſſet, qua mente id ferre potuiſſet, attentis, & reputatis (ſi quid forte) ad ſuggeſtionem quorundam magnorum motuum, & mutationum cupidorum hominum ſecus decreverit, iam mutata ſententia conſideraturam eſſe, quo progrediatur, & in quos divinitus demandatum gladium ſtringat, hic belli occaſionem non eſſe ullam, multo minus aliquam iuſtam.

Tria equidem proponebantur inter colloquendum nuper capita, quibus quartum annectebatur, quorum ergo, licere ſibi ſuſcipere bellum in Provinciam Livonicam, Veſtra Regia Maieſtas putaret.

I. Captum detineri Illuſtriſſimum Archiepiſcopum GVILHELMUM Marchionem Brandeburgicum Regiæ Veſtræ Maieſtatis Fratrem, imo ut deinde fama retulit, trucidatum Conſanguineum.

II. Occiſo Legato Regio, Jus Gentium violatum eſſe.

III. In Finibus, tantum ſtante pace occupatum, quantum iuſto bello vix amitti potuiſſet, neque occupata reſtitui.

VI. Decem & octo naves onerarias cum hominibus interea temporum, dum Nos hic Legationis munere fungentes fuimus, bello nondum denuntiato detentas eſſe.

ANNO 1556. Ad primum quod attinet, Legatione noſtra expoſuimus cauſas iuſtiſſimae, & inculpatae tutelae in Archiepiſcopum Rigenſem; illas hic recenſere, ut longum, ita ſupervacaneum eſſet. Atque ex commemoratis, & nuperrimo reſponſo noſtri Principis ljquide conſtat, quo animo, & reverentia in Sacram Regiam Maieſtatem Poloniae ſint Status Livonici, quo in ſtatu, praeter meritum, Illuſtriſſimum illum Marchionem Brandeburgicum habeant, quod ſua Illuſtris Celſitudo reſtitutionem non deſideret, eius Epiſcopatus, quem iis, a quibus acceperat, reſignavit. Quod non pro conſervatione Eccleſiae, in cuius commodum, quidquid factum hucuſq; eſt, redundat, ab Archiepiſcopatus Statibus Sacra Regia Maieſtas Poloniae interpellata ſit, neque adhuc interpelletur.

Quod nihil habeat hoc momentum Archiepiſcopalis negotii, & ſecundus Articulus interfecti Legati, cum perpetua iurata Pace commune, etiamſi de utroque coram, vel quocunque Judice decernendum eſſet, certe Ordinarii legitimam cognitionem, ſi quis communes Status hoc nomine reos agere vellet, prorſus non abhorrent.

Cæterum Finium, qui dicuntur occupati, & non reſtituti, quæ ſit ratio, Reg. Sacræ Maieſtati non eſt obſcurum, Principi autem meo Clementiſſimo nihil potius eſſet, quam illam differentiam ex æquo, & bono e medio ſublatam, atque ipſa res aliquando conteſtatam faciet, Litvanos plures ſupergreſſis Limitibus Livonum occupaſſe, atque colere fundos, ſi modo ad diſpoſitionem Radziwilonis, ut juratum utrinque eſt, res inſtituta, atque ad finem deducta fuerit.

Sed quum ſibi ius in propria cauſa nemo dicere poſſit, neq; debeat, & Sacra Regia Maieſtas ſuperiorem Judicem ſæcularem agnoſcere non dignatur, omnium autem Gentium Leges (quibus etiam vel invictiſſimam Maieſtatem parere oportet) in tali caſu ad arbitrium bonorum Virorum recurrendum ſtatuant, ut evitetur armorum ſtrepitus, atque humani ſangvinis, tanquam divini ſimulachri, abominandum diluvium, hanc ipſam viam deferendi cognitionem Arbitris quovis æquiore modo Princeps meus Clementiſſimus pro ſe, & ſuo Ordine non detrectat, nec ſperat Regiam Veſtram Maieſtatem, pro ſuo immenſo illo, & celeberrimo iuſtitiæ, pacis, & æquitatis amore, ac ſtudio eandem ut iuſtiſſimam, & honeſtiſſimam rationem reiecturam eſſe.

Porro quod ad naves attinet, quæ Nobis hic exiſtentibus Duneburgæ, nondum indicto bello, detentæ ſunt, ea eſt huius facti veritas. Emerant Reverendi Domini Commendatoris Duneburgenſis iam abſentis, eius Diſtrictus Præfecti, & Factores in Poloczko ſiliginis certam ſummam, pro qua iam plus minus quinque millibus Marcarum Rigenſium numerarant. Illud frumentum, cum iam ventis vela daturis naviculis, fluvio Duna in Livoniam ex Ruſſia devehi deberet, nulla de cauſa Magnificus Dominus Palatinus Polocenſis detinuit, pro eo demittendo, ad ſe miſſos Nuntios non ſolum retinuit, ita ut nihil ipſis Præfectis reſponderetur, verum etiam paſſim in eis Ruſſiæ locis mandavit, ne quis quidquam mercium, ſive rerum aliarum in Livoniam exportaret. Hæc inique præter Pacis Conditiones fieri, præfecti conſiderantes, & ut ſui Domini abſentis rationem haberent, aliquot navicuas Riga in Ruſſiam navigaturas Duneburgæ arreſtarunt, nullo alio animo, quam ut frumentum ex Ruſſia, pro quo pretium iam ſolverant, iis legitimis mediis ſibi reddi curarent, quo nacto nihil erit in mora, quin etiam primo die ſolvere naviculæ, & in Ruſſiam transfretare poſſint. ANNO 1556.

Hæc, & multa alia a plerisque Litvanis iis ſubditis, nulla vel iuratæ Pacis, vel æquitatis habita conſideratione ſubinde fiunt, quorum culpam ſine ulla aliqua verecundia in adverſam partem transferre, deinde multi ſtudent.

Speramus Sacram Regiam Maieſtatem Poloniæ vere Chriſtianum Principem iam tandem benigniſſime conſideraturam, atque facturam, ut utrinque dimiſſo milite perpetua iurata vivatur, ſine iniuria, pace, ut læſis, & damno affectis legitimis tramitibus ſatisfiat, utque profugi quicunque, & hic, & alibi deliteſcentes reddantur, neque hoſtes mei Clementiſſimi Principis foveantur, ut Limitum cauſa primo quoque tempore arbitrio æquiori tranſigatur, conficiaturque, ac ut Legatis, atque Mercatoribus, & in Ducatu Litvanico, & Provincia Livonica conſvetis, & publicis viis ultro, citroque liberi, ac ſecuri pateant acceſſus, & receſſus.

Non enim in Sacram Regiam Maieſtatem Poloniæ, aut Magnum illum Ducatum Litvaniæ ſuas Princeps meus eduxit copias, neque alienarum poſſeſſionum avarus eſt, ſuas ut poſſit divina aſpirante Clementia tueri, hoc unum nititur.

Et qua debet reverentia, & ſua, & univerſi ſui Ordinis, atque Sacræ Regiæ Maieſtati Poloniæ defert Chriſtiano, & vicino Principe digna obſequia eidem, & Conſorti eiusdem Reginæ Illuſtriſſimæ proſperrima quæque comprecans, amiceque rogans, ut Legatis reſponſo, ac illo

Anno 1556. lo quidem ſuper ſingulis capitibus certo ſicut, & iisdem (ubi Veſtrae Maieſtatis Legatum de Illuſtriſſimi Principis Guilhelmi Marchionis Brandeburgici vita, ac ſtatu relatum eſſet) promiſſum eſt, ſecuros, atque incolumes quam primum dimittat.

CXXV.

1556. Ferdinandi *Rom. Regis ad* Sigismundum Augustum *Regem Poloniæ in negotio Livonico Literæ.* Dat. Viennæ d. 1. Octobr. An. 1556. *Ex Originali. Extant in Archivo Cancell. Regni.* Lib. Legat. Lit. O. fol. 373.

Ferdinandus Divina favente Clementia Romanorum Rex ſemper Auguſtus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniae, &c. Rex, Infans Hiſpaniarum, Archidux Auſtriae, Dux Burgundiae, &c. Marchio Moraviae, Comes Tyrolis &c. Sereniſſimo Principi Domino Sigismundo Augusto Regi Poloniae, Magno Duci Litvaniae &c. Ruſſiae, Pruſſiae, Maſoviae, Samogitiaeque &c. Domino, & Haeredi, Filio, & Conſangvineo noſtro chariſſimo, Salutem, & Paterni amoris, omnisque felicitatis continuum incrementum. Sereniſſime Princeps, Fili, & Conſangvinee noſter chariſſime. Redditae Nobis fuerunt Literae Serenitatis Veſtrae ad diem ſextam Menſis Septembris datae, quibus nimirum reſpondit ad noſtras, quas proxime ad Serenitatem Veſtram ſuper negotio Livonico dederamus, intelleximusque ex iis illibenter ſane ea omnia, quae Serenitas Veſtra ea de re ad Nos perferri voluit. Cum enim videamus, negotium hoc non ſolum non poſſe iis modis, & rationibus finiri, quibus Nos maxime omnium ſperabamus, optabamusque, verum etiam ad ulteriores diſſenſiones latius utrinque procedi, & indies magis, magisque patefieri aditum ad graviores contentiones, & diſſidia, id ipſum certe pro eo, ac debemus, non abs re multis de cauſis moleſtiſſimo animo accepimus, quandoquidem ex iſtiusmodi diſſidiis, & alienationibus animorum proſpicimus tum Serenitati Veſtrae, quam uti Filium chariſſimum, Regemque multis neceſſitudinum vinculis Nobis coniunctiſſimum ſingulari benovolentia proſequimur, & ipſi quoque Magiſtro, & Ordini Livonico multas, & graves curas, atque moleſtias impendere, tum ſalutem Christianae Reipublicae, & quietem publicam turbari, atque in diſcrimen vocari, quia neminem eſſe putamus, qui non videat ex inteſtinis hiſce bellis, & Chriſtianorum Principum diſcordiis vires Chriſtiani nominis hoſtium, ſupra modum quotidie augeri, noſtras vero debilitari, atque adeo maximas hinc populis Chriſtianis invehi calamitates, his praeſertim afflictis rebus, & perturbatis temporibus. Quamobrem ſingulari ſtudio deſideravimus, ut diſſenſionibus illis per viam amicae Transactionis compoſitis, atque ſublatis inter Serenitatem Veſtram, & dictum Venerabilem Magnum Magiſtrum Livonienſem, atque eius Ordinem Concordia, & Pax conſervaretur, propenſiq; etiam fuimus una cum Illuſtri Duce Juliacenſi, & Clivenſi Principe, et Filio noſtro chariſſimo, hanc cauſam ad Nos ſuſcipere, eaque remedia huic malo adferre, quae omnem controverſiarum, et armorum materiam penitus tollerent, nec dubitamus, ſi ea res, et pii noſtri, dictique Illuſtris Filii noſtri conatus, et opera eum curſum, atque exitum obtinuiſſent, quem et Nos ſperabamus, et Chriſtianae Reipublicae neceſſitas poſtulare videtur, quin tales conditiones, & viæ ſeſe obtuliſſent, per quas divina benignitate facile iſtiusmodi turbis, & incommodis praeſentaneum, & efficax aliquod remedium adhiberi potuiſſet. De Nobis ipſis ſane, & praefato Filio noſtro Duce Juliacenſi hoc ingenue Serenitati Veſtræ polliceri poſſumus, noſtram ad hanc rem perficiendam voluntatem, operam, & curam non defuiſſe hucusque, neque poſthac, ſi rei recte gerendæ laeta aliqua ſpes affulſerit, defuturam. Proinde cum ſuperioribus diebus a Commiſſariis noſtris, quos Ratisbonæ in Comitiis Imperialibus habemus, certiores redditi fuerimus, non ſolum praefatum Venerabilem Livoniæ Magnum Magiſtrum, Ordinemque eius, ſed etiam Illuſtr. Joachimum Electorem Brandeburgenſem, una & ipſius Fratrem Marchionem Joannem, detuliſſe omnem hanc controverſiam ad Status, & Ordines Imperii, praefatis Commiſſariis noſtris iniunxeramus, ut quoad eius fieri poſſet, omni cura, ſtudio, & diligentia id negotii apud praedictos Status, atque Ordines Imperii noſtro loco, & Nomine promoverent, iuvarentque, easque omnes vias, & rationes inirent, quæ ad tuendam, & conſervandam ultro, citroque tranquillitatem, & concordiam pertinerent. Id quod nunc intellecta Serenitatis Veſtræ mente, atque reſponſo, maiori quoque ſtudio, & diligentia curaturi ſumus. Dabimusque ſedulam operam,

Anno 1556.

Anno 1556. ram, ut collato cum cæteris Sacri Romani Imperii Ordinibus consilio, atque suffragio nostro, honestum, iustum, & æquum aliquem modum & viam reperiamus, qua & Venerabili Archiepiscopo Rigensi satisfiat, & nulla iusta querulandi causa relinquatur. Et ipsi quoque Serenitati Vestræ cum sæpedicto magno Magistro, & Ordine Livoniensi in gratiam, & concordiam redeundi honesta occasio præbeatur, atque adeo omnis denique bellorum suscipiendorum origo, & fomes obstruatur, nullumque hinc detrimentum ad Christianam Rempublicam pervenire possit. Quo si Dei ope deventum fuerit, confidimus Serenitatem Vestram, uti Regem pium, Christianum, & a profundendo sanguine Christianorum alienum, uti Literæ eius præclaram Nobis spem fecerunt, Pacis & Concordiæ studium pro sua quoque parte non neglecturam aut contempturam esse, prout & alteram partem in officio fore persvasissimam habemus. Id si fecerit Serenitas Vestra, sicuti eam pro sua pietate facturam plane credimus, & Deo Optimo Maximo acceptissimum futurum est, & Serenitatis Vestræ Christiano & laudatissimo ingenio maxime consentaneum, nobisque imprimis gratum, sic, ut iam nunc libenter profiteamur, eius nos rei non immemores futuros, sed Serenitati Vestræ id officii data occasione etiam re ipsa, & paterno nostro amore affatim relaturos. Quam recte valere optamus. Datum in Civitate nostra Viennæ die prima Mensis Octobris, Anno Domini MDLVI. Regnorum nostrorum Romani XXVI. aliorum XXX.

FERDINANDUS.

M. Singkhmoser.

CXXVI.

1557 *Transactio inter* Sacram Regiam Maiestatem Poloniæ, *& Magistrum, ac Status Livoniæ. Bona omnia mobilia, & immobilia Archiepiscopo Rigensi, ita ut ab eo, antequam in potestatem Magistri, & Statuum Livoniæ redigerentur, possessa fuerunt, restituentur, ac interea Sequestri, communi consensu eligendo tradentur, donec bellum inter Regem Poloniæ, Protectorem Archiepiscopatus Rigensis, & Magistrum Livoniæ sopitum fuerit.* Christophorus *Dux Megapolensis, si vel morte, vel cessione ipsius Archiepiscopi, ad Archiepiscopatum evectus fuerit, legitimus Archiepiscopus agnoscetur &c.* Dat. Posvolii ex Castris Regiis die 5. Sept. Anno 1557. *Cum Ratificatione* Vilhelmi Furstembergii *Magistri Livoniæ facta.* Ibidem in Castris Regiis die 14. Septembr. *Ex Archivo Magni Ducatus Litvaniæ.* Anno 1557.

In Nomine Domini Amen.
Ad perpetuam rei memoriam.

Nos Vilhelmus Furstembergius, Ordinis Theutonici in Livonia Magister. Notum facimus per præsentes Literas nostras universis, & singulis, ad quos unquam perventuræ sunt. Cum inter Reverendissimum, ac Illustrissimum Dominum Vilhelmum Archiepiscopum Rigensem, Marchionem Brandeburgensem, Stetiniæ, Pomeraniæ, Cassuborum & Sclavorum Ducem, Burgrabium Norimbergensem & Principem Rugiæ &c. atque inter Reverendum, ac Magnificum Dominum Henricum a Galen Ordinis Theutonici in Livonia olim Magistrum, ac tandem inter Nos, Statusque Livoniæ, nonnullæ dissidiorum causæ intercessissent, atque Serenissimus Princeps, & Dominus, Dominus Sigismundus Augustus Dei gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, &c. ex Fraterna necessitudine, quæ Sacræ eius Maiestati cum Reverendissima, ac Illustrissima Paternitate eius intercedit, & officio Protectionis, ad quam illi Archiepiscopatus, Ecclesiaque Rigensis commendata est, se se ad illius causam adiunxisset, bellumque adversus Reverendum, & Magnificum Dominum Henricum a Galen olim Ordinis Theutonici in Livonia Magistrum, Statusque Livoniae, quod ad nostrum tempus perductum esset, suscepisset: Serenissimus, atque Excellentissimus Princeps, & Dominus, Dominus Ferdinandus Divina favente clementia Romanorum, Ungariæ, Bohemiæ &c. Rex, ac Illustrissimi Principes, Domini Barninus, & Philippus, Stetiniæ, Pomeraniæque &c. Duces, a Sacri Romani Imperii Statibus ad id negotium Commissarii designati, per Legatos suos, tum apud Sacram Regiam Maiestatem Poloniæ, tum apud Nos, atque Status Livoniæ interceserunt, ut rem per conditiones transigi, neque ad arma deduci pa-

ANNO 1557. pateremur. In quo, cum & Sereniſſima Regia Maieſtas Poloniæ ſe Pacis in Chriſtianitate conſervandæ ſtudioſam declaraſſet, & Nos, atque Status Livoniæ pacem nobis perpetuam cum Sacra eius Maieſtate conſtare cuperemus, neque vellemus datam a nobis eius violandæ ullam occaſionem. Iisdem Sacræ, & Excellentiſſimæ Romanorum Regiæ Maieſtatis, & Illuſtritatum ſuarum Legatis componentibus, de Reverendiſſimi, ac Illuſtriſſimi Domini Archiepiſcopi Rigenſis cauſa transactum, conſtitutumque per eiusmodi conditiones eſt, quæ eorundem Legatorum Literis conſcriptæ ſunt, quarum is tenor ad verbum eſt.

Nos VENCESLAUS a Wrzeſzowiecz de novo Caſtro, Sereniſſimi Domini FERDINANDI Archiducis Auſtriae Camerarius, & Ualentinus Saverman de Gelthſche, Sereniſſimi, atque Invictiſſimi Principis, & Domini, Domini FERDINANDI, Divina favente clementia Romanorum, Hungariæ, Bohemiæ Regis, &c. & Laurentius Otto Juris utriusque Doctor, ac Henningus a Valde in Loſen, Illuſtriſſimorum Principum, & Dominorum, Domini BARNINI, & Domini PHILIPPI Ducum Stetiniæ, & Pomeraniæ, &c. a Sacri Romani Imperii Statibus ad Sacram Regiam Maieſtatem Poloniæ de motibus hiſce Livonicis componendis Commiſſariorum Oratores. Notum facimus per præſentes Literas, quorum intereſt, univerſis. Cum inter Illuſtriſſimum, ac Reverendiſſimum Dominum VILHELMUM Archiepiſcopum Rigenſem, Marchionem Brandeburgenſem, Stetiniæ, Pomeraniæ, Caſſuborum, ac Sclavorum Ducem, Burgravium Norimbergenſem, ac Principem Rugiæ, & Reverendum, ac Magnificum Dominum HENRICUM de Galen, olim Ordinis Theutonici in Livonia Magiſtrum, ac Ordines, & Status Livoniæ exortæ nonnullis de rebus controverſiæ eſſent, atque Illuſtriſſimus, ac Reverendiſſimus Dominus Archiepiſcopus ab eis bello impetitus, redactusque in eorum poteſtatem eſſet, Sacra Regia Maieſtas Poloniæ, ut & pro neceſſitudine ſanguinis, quæ illi cum Illuſtritate eius intercedit, atque pro officio Protectionis, ad quam ei Archiepiſcopatus, Eccleſiaque Rigenſis commendata eſt, illum ad priſtinum ſtatum aſſereret, & ſuas offenſiones, ſubditorumque ſuorum Magni Ducatus Litvaniæ iniurias, a Livonibus illatas, armis vindicaret, bellum adverſus eos parare cæpit. Cumque idem Illuſtris Dominus ALBERTUS Senior Marchio Brandeburgenſis, in Pruſſia, Stetiniæ, Pomeraniæ, Caſſuborum, ac Sclavorum Dux, Burgravius Norimbergenſis, ac Princeps Rugiæ, ulciſcendæ fraternæ iniuriæ cauſa ageret, Sereniſſimus, ac invictiſſimus Princeps, Dominus Romanorum Rex, atque Sacri Romani Imperii Status interceſſerunt, atque per Nos, cum Sacra eius Maieſtate diligenter egerunt, ut ſepoſitis belli conſiliis, rem ad conditiones pacis deduci permitteret. In quo Sacra Maieſtas illius facile ſuam ad pacem Chriſtianitatis conſervandam propenſionem, & ſtudium declaravit, ſimulque teſtata eſt, quantum apud ſe Serenisſimi, atque invictisſimi Principis, Domini, Domini Romanorum Regis, atque Sacri Romani Imperii Statuum poſtulatio valuerit; aſſenſa quippe eſt, ut negotium compoſitionis ſuſciperemus, promittens, cum de reſtitutione Reverendisſimi, ac Illuſtrisſimi Domini Archiepiſcopi integre conſtitutum per Nos eſſet, paſſuram ſe ſe, ut Status Livonici Legatos mitterent, qui de ſuis offenſionibus, ſubditorumque ſuorum iniuriis ſarciendis apud ſe agerent. Itaque cum ex Livonia rediiſſemus, unaque veniſſent Legati Livonum, atque id, quod confectum per Nos, de Illuſtriſſimi, ac Reverendisſimi Domini Archiepiſcopi reſtitutione eſſet, apud Sacram Maieſtatem illius expoſuiſſemus, tametſi quidem nihil ſtudii aut operæ, quod quidem a Nobis conferri eam ad rem potuit, prætermiſiſſemus, tamen cum non in omnibus ad eam formulam, quæ tradita Nobis a Sacra Maieſtate Regia illius fuerat, conditiones reſtitutionis redigi a Nobis potuiſſent, Sacra illius Maieſtas id, quod conſtitutum erat, habere ratum recuſavit, itaque pro iniuncto Nobis a Serenisſimo, ac Invictisſimo Principe Domino Romanorum Rege, & Sacri Romani Imperii Statibus munere, egimus rurſum cum Legatis Livonicis, ut in eo, in quo diſceſſum a Formula Maieſtatis illius pacis conſtituendæ cauſa, nova Pacta fierent: quamobrem cum Deputatis a Maieſtate illius ad rem Conſiliariis, atque cum ſupradictis Livonum Legatis plena Mandata ad id habentibus, quæ hic pro inſertis habere volumus, de Reverendisſimi, ac illuſtrisſimi Domini Archiepiſcopi Rigenſis reſtitutione ad eum modum conventum, conſtitutumque eſt.

ANNO 1557.

Principio. Ita in priſtinum rerum omnium ſtatum reſtituetur, ut integra illi conſtet & dignitas, & in ditione Diœceſiq; ſua Jurisdictio, Superioritas, Præeminentia, Dominium, Poſſeſſio, Regalia, reddenturque Illi Urbes, Oppida, Arces, Pagi, Prædia, omnesque reditus,

ANNO 1557. qui eorum fructibus, atque emolumentis continentur, ut census & præstationes annuæ, vectigalia, portoria, tributa quibuscunque nominibus pendi solita, ad quæ quidem ita restitui debebit, ut illi integra sint omnia iura, quæ vel personam, dignitatemque, & ditionem, ac res illius attingunt, ita, ut ab eo, antequam in potestatem Reverendi, ac Magnifici Domini Magistri, & Statuum Livoniæ redigeretur, possessa sunt. Nominatim autem cautum est, ut illi reddatur dimidiata Jurisdictio Civitatis Rigensis, quatenus in eius possessione, antequam in potestatem Reverendi, ac Magnifici Domini Magistri redigeretur, fuerat, neque in eius possessione per eum Ordinem impediri debebit. Quod si unquam acciderit, ut quicquam controversiæ de ea ipsa Jurisdictione Reverendissimo, ac Illustrissimo Domino Archiepiscopo, in possessione eius existente, exoriretur, iure, ac iudicio legitimo experiri debebunt, neque unquam alter ad alterum oppugnandum armis utetur. Item restituentur illi ea, quæ ad res mobiles illius pertinent. In quo genere primum sunt, quæ in ipsiusmet Archiepiscopatus, atque Ecclesiæ Rigensis iure fuerunt, ut omnis Ecclesiasticorum, Episcopaliumque ornamentorum apparatus, ad quoscunque usus, & quibuscunque rebus institutus, nominatim vero Mitra, & Baculus Archiepiscopalis, Privilegia, Diplomata, libri rationum privatarum, & Actorum publicorum, & si quicquam eorum interierit, cautum est, ut restauretur, ac reficiatur. Reddi quoque ei debebunt, quæ ad munitiones Arcium pertinentia ablata sunt, ut omne armamentorum, armaturæque genus, bombardae maiores, & minores, globi, pulveres, hastilia, ferramenta, loricae, & omnes bellici apparatus. Commeatuum autem nomine centum Lastae siliginis. Deniq; & omnes res, quae propriae Reverendissimi, ac Illustrissimi Domini Archiepiscopi fuerunt, quaeque ablata sunt, omnia ex inventario, ita, uti inter partes convenit, restituentur. Si quid item rerum immobilium Praelatis, subditisque eius ablatum sit, cum omnibus earum reditibus, & commodis restituetur. Quae autem deposita apud Reverendissimum, ac Illustrissimum Dominum Archiepiscopum fuerant a quoquam, atque ab illis intercepta sunt, ea, si comperiantur, integra reddentur. De fructibus, quos post captivitatem Reverendissimi, ac Illustrissimi Domini Archiepiscopi, antequam bona Archiepiscopatus in sequestrum traderentur, perceperunt, ita convenit: Cum ex iis Illustri Domino CHRISTOPHORO Duci Megapolensi magna pars ad se, familiamq; sustentandam attributa diceretur, magna etiam pars in Reverendissimum, ac Illustrissimum Dominum Archiepiscopum, atque in Arces ipsas, familiamque impensa, ita, ut si quid reliquum ex illis esset, propter incertitudinem difficilis eorum ratio ad restitutionem esset futura, eorum nomine quinquaginta Lastae siliginis dari debebunt. De reliqui autem temporis fructibus, inde scilicet, cum prima sequestratio bonorum Archiepiscopatus facta sit, cautum est, ut omnes restituantur, exceptis iis, qui Reverendissimo, ac Illustrissimo Domino Archiepiscopo, & Illustri Domino CHRISTOPHORO Duci Megapolensi, eorumque familiae ad sese sustentandum concessi sunt. ANNO 1557.

Cum autem Regia Maiestas Poloniae, & Illustris Dominus ALBERTUS Marchio Brandeburgensis, & in Prussia Dux, non Reverendissimi, ac Illustrissimi Domini Archiepiscopi tantummodo, sed suis etiam causis bellum ab se susceptum praeseferrent, existimaretque Reverendus, & Magnificus Dominus Magister, et Praelati, ac Ordines Livonici, nequaquam sibi integrum esse, ut Reverendissimum, ac Illustrissimum Dominum Archiepiscopum restituerent, nisi ante eae omnes causae consopitae fuerint, atque sibi de pace cautum fieret, et tum demum Reverendissimo, ac Illustrissimo Domino Archiepiscopo sua omnia restituerent. Itaque constitutum est, ut sequestres ex communi utriusque partis consensu eligerentur, quibus Archiepiscopatus traderetur, ab illisque teneretur, quoad de iis causis, ac motibus inter Sereniss imam Regiam Maiestatem Poloniae, & Reverendum, ac Magnificum Dominum Magistrum, Prælatos, & Ordines Livoniæ compositum esset, iisdemque traderentur omnes reditus, commoda, ac quicquid in restitutionem veniet, ut ab illis omnia integre conserventur.

Eos autem sequestros utrinque, & Reverendissimus, ac Illustrissimus Dominus Archiepiscopus, & Reverendus, ac Magnificus Dominus Magister sibi elegerunt, Reverendissimos Dominos Curlandiæ, & Tarbatensem Episcopos. Reverendissimus, & Illustrissimus quidem Dominus Archiepiscopus, Curlandiæ Episcopum, Reverendus, & Magnificus autem Dominus Magister Tarbatensem, cum ii ab initio statim tractationis pacis possessionem Archiepiscopatus obtinuerint, illisq: iam essent omnes eius reditus cogniti. Itaque nunc quoque eosdem elegerunt, & confirmarunt. Qui quidem tenebunt Arces, Villas, Curias Archiepiscopatus, præ-

Anno 1557. præter eas Arces, quæ Illustri Domino Christophoro Duci Megapolensi, & Reverendissimo, ac Illustrissimo Domino Archiepiscopo datæ sunt, ex quarum reditibus se sustentent, quas quidem illi, usque dum constituta pax erit, libere possidebunt. Iidem quoque Domini sequestri tenebunt omnes alias res, quæ ad restitutionem pertinent, & quæ nominatim specificatæ sunt.

Iisdem quoque Sequestribus Nos, tanquam Compositores, Serenissimi, & invictissimi Principis Domini, Domini Romanorum Regis nomine ad utriusque Principis postulationem iniunximus, hortatique eos sumus, ut pro obedientia, qua Sacræ, & Invictissimæ Romanorum Regiæ Maiestati tenentur, atque pro conservanda pace, & tranquillitate communi, id muneris susciperent, præessentq; fideliter, neque bona Archiepiscopatus, non necessaria familia præaggravarent. Præfecti quoque Arcium ad Archiepiscopatum pertinentium, neque Magistro, neque Prælatis, aut Statibus Livoniæ, sed solis sequestribus parere debebunt. Cum autem de iis discordiarum causis, quæ inter Sacram Regiam Maiestatem Poloniæ, & Reverendum, atque Magnificum Dominum Magistrum, Prælatos, Ordinesque Livonicos intercesserunt, transactum erit, atque cum Sacra Regia Maiestas Poloniæ, & Illustris Dominus Albertus Marchio Brandeburgen. in Prussia Dux &c. firmam, indubiamque pacem cum illis fecerint, habuerintque ratum hunc Contractum; confestim Reverendissimum, ac Illustrissimum Dominum Archiepiscopum in pristinum statum restituent: Castra scilicet, Villas, Curias, atque omnia, quæ Contractu hoc comprehensa sunt. Quicquid autem nominati Domini Sequestri ad usus Archiepiscopatus e suo, ultra reditus ipsius in necessarios usus impenderint, id cum legitime docuerint, atque intulerint rationes, in ipsa restitutione, ex reditibus eiusdem consequentur. Subditos quoque Reverendissimi, ac Illustrissimi Domini Archiepiscopi, quos per horum motuum tempus Reverendus, & Magnificus Dominus Magister, atq; Status Livoniæ communi consensu, & Decreto ad fidem suam adegerunt, liberos, solutosque facient, atque literis datis testabuntur eos coactos in suam potestatem venisse. Tum etiam renuntiatio fidei, quam Reverendissimo, ac Illustrissimo Domino Archiepiscopo subditi eius, verbis, aut scriptis fecerunt, irrita erit, atque ei pristini iurisiurandi Sacramento obstricti tenebuntur. Ad novum tamen homagium faciendum co-

gendi non erunt, cum non sponte, sed inviti a Reverendissimo, & illustrissimo Domino Archiepiscopo desciverint, atque in Reverendi, ac Magnifici Domini Magistri, reliquorumque Livoniæ Statuum potestatem redacti essent. Anno 1557.

Tametsi autem in iis sint nonnulli, qui, cum adhuc Reverendissimus, & Illustrissimus Dominus Archiepiscopus dignitatem, statumque suum obtineret, ad Reverendum, & Magnificum Dominum Magistrum, & Ordines ultro transierint, in quos gravius Reverendissimus, & Illustrissimus Dominus Archiepiscopus vindicandum esse putabat, tamen in gratiam Serenissimi, & Invictissimi Domini Romanorum Regis, atque Sacræ Regiæ Maiestatis Poloniæ, quo firmior pax instituatur, iis quoque, una cum cæteris suis subditis, Capitulo, Nobilitate, Civibus, qui compulsi id fecerunt, ignoscit, promittitque pro se, & Successoribus suis, nullam deinceps mentionem eius rei se, Successoresve suos fasturos esse.

Vicissim autem Reverendus, & Magnificus Dominus Magister, et Ordines Livoniæ, iis, qui Reverendissimo, & Illustrissimo Domino Archiepiscopo sese adiunxerunt, aut ullo modo adfuerunt, omnem offensionem ex animo remittere debebunt, et si qui ex subditis Civibus Rigensibus, servitoribusq; Domini Archiepiscopi in his motibus exules facti sunt, ii omnes ad bona immobilia restitui debent. Mobilia vero, si quæ extabunt, illis reddentur. Reliqua vero a raptoribus, vel detentoribus repetere legitima iuris via poterunt. Quod si etiam in vincula coniecti, aut pignoribus, fideiussionibusque, ac aliis cautionibus obstricti sint, eos liberos, securos, immunesque præstabunt, atque eis pristinis honoribus, ac dignitate restitutis liberam facient potestatem, sive in Livonia manendum, sive isthinc emigrandum sibi putaverint, neque aliam de non nocendo cautionem, si ab ipsis postuletur, quam iuratoriam praestare tenebuntur.

Debebunt item Illustrem Dominum Christophorum Ducem Megapolensem ad commendationem Serenissimi, et Invictissimi Principis Domini Romanorum Regis, ac Sacrae Regiae Maiestatis Poloniae, Electorumque, Principum, et Statuum Imperii, atque eorundem honoris causa Coadiutorem Archiepiscopatus, ac deinde Reverendissimi, ac Illustrissimi Domini Archiepiscopi cessione, vel morte consequuta, illum legitimum Archiepiscopum agnoscere, neque ullis excogitatis rationibus ea in re impedire.

ANNO 1557. Cum autem Reverendiſſimus, & Illuſtriſsimus Dominus Archiepiſcopus provectæ iam ſit ætatis, liberum illi, ſi volet, erit, Illuſtri Domino CHRISTOPHORO Duci Megapolenſi dignitatem, atque adminiſtrationem Archiepiſcopatus tradere, cum quo tandem de reditibus, & commodis eius, communi arbitrio tranſiget.

Quod ſi ea conſvetudo eſt, ut ſubditi Archiepiſcopatus Rigenſis, ſimul atque quis in Coadiutorem cooptatur, ad eius fidem per iusiurandum adigi ſoleant, id quoque Illuſtri Domino CHRISTOPHORO Duci Megapolenſi, quandocunque Reverendisſimo, & Illuſtrisſimo Domino Archiepiſcopo videbitur, præſtaturi ſunt. Sin vero ea conſvetudo non ſit, ſed tum demum id uſitatum ſit, poſteaqnam is, qui cooptatus in Coadiutorem eſt, plenam Archiepiſcopi dignitatem conſequatur, ne ei quidem id facere tenebuntur, antequam vel per ceſſionem Reverendiſſimi, & Illuſtrisſimi Domini Archiepiſcopi, vel ipſius morte, integram dignitatem Archiepiſcopi adeptus erit.

Debebit item Illuſtris Dominus CHRISTOPHORUS Dux Megapolenſis ſufficienter Ordinibus Livoniæ cavere, ut integra conſervet iura, Statuta, ac Privilegia illis a Catholica, Cæſarea, & Sacra, atque Invictiſſima Regia Romanorum Maieſtate confirmata, exceptis decretis Receſſus Volmarienſis, ad quæ ea parte, qua Jus Archiepiſcopi, atque Eccleſiae Rigenſis convellunt, reſcindenda, ubi illi videbitur, agere, experirique legitimo iudicio poterit. Cavere autem illis debebit, ne Archiepiſcopatum in ſæcularem atque hæreditarium ſtatum redigat, ne ullum inde detrimentum Sacrum Romanum Imperium ſuſcipiat, ad eundemque modum, ut bene ſe ſe erga Reverendum, & Magnificum Dominum Magiſtrum, Prælatos, atque Ordines Livonicos gerat, viciſſimque illi erga eum, ut mutua pax, & concordia perpetua conſervari poſſit. Cum autem Illuſtris Dominus CHRISTOPHORUS Dux Megapolenſis, nondum ætatis maturitatem conſequutus ſit, ne quicquam moræ Juribus, ac Privilegiis ſubditorum adferatur, ſi ei Reverendiſſimus Dominus Archiepiſcopus dignitatem Archiepiſcopi concedendam putaverit, debebit ipſemet Reverendiſſimus Dominus Archiepiſcopus eligere duos ex Ordine Spiritualium, & duos ex Equeſtri eiusdem Archiepiſcopatus, qui Archiepiſcopatum adminiſtrabunt, quo ad legitimam ætatem attigerit, non diutius, quemadmodum id & Illuſtris Dominus CHRISTOPHORUS Dux Megapolenſis, & nomine illius etiam Reverendiſſimus Dominus Archiepiſcopus pollicitus fuerat, atque ut id præſenti Receſſui inſereretur, aſſenſus eſt. Quicquid autem Civitas Rigenſis Capitulo, Eccleſiæque Rigenſi ademerit, id reſtitui illi debebit, & ſi quid eis controverſiarum intercedat, de iis ordinario iudicio experientur. Debebunt autem & Reverendus, ac Magnificus Dominus Magiſter, & Illuſtriſſimus ac Reverendiſſimus Dominus Archiepiſcopus, & Prælati, Ordines, Nobilitas, Civitates Livoniæ, quæcunque odia, aut inimicitiæ hoc bello inter eos interceſſerunt, ſibi mutuo condonare, atque oblivisci in poſterum, ut certa, firmaque illis perpetuo Pax conſtare poſſit. ANNO 1557.

Quam quidem Reſtitutionis Reverendiſſimi Domini Archiepiſcopi transactionem, Regia Maieſtas Poloniæ, atque item Illuſtris Dominus ALBERTUS Marchio Brandeburgenſis, in Pruſſia Dux, Literis ſuis patentibus comprobare, ratificareque debebunt, quod ipſum Reverendiſſimus Dominus Archiepiſcopus quoque facere debebit. In quorum fidem, & teſtimonium, manibus noſtris præſentibus Literis ſubſcripſimus, & Sigilla noſtra appoſuimus. Datum Poswolii ex Caſtris Regiis, die quinta Menſis Septembris, Anno Domini milleſimo quingenteſimo quinquageſimo ſeptimo. *Venceſlaus Wrzeſzowiecz, Valentinus Saverman, Laurentius Ottho, Henningus a Valde, manu propria.*

Eas igitur transactionis, & compoſitionis Literas, Nos cum Statibus Livoniæ firmas, ratasque habentes, per noſtras haſce Literas in perpetuum approbamus ita, uti easdem noſtro quoque iureiurando approbavimus; promittentes pro Nobis, Succeſſoribusque noſtris Nos, Succeſſoresque noſtros, id, quod in eis convenit, perpetuis temporibus ſancte, & inviolabiliter obſervaturos eſſe. In cuius rei fidem, & teſtimonium præſentibus manu noſtra ſubſcripſimus, & Sigilla noſtrum, Commendatorumque appendi fecimus. Datum Pozwoli ex Caſtris Regiis, die quarta decima Septembris. Anno Domini milleſimo quingenteſimo quinquageſimo ſeptimo. Præſentibus Reverendis, Egregiis, & Nobilibus Chriſtophoro de Ley, alias de nova villa nuncupato, Provinciali, Mareſchalco Livoniae, Henrico Stedingk Commendatore Goldingenſi, Chriſtophoro Syberio Candamenſi, Nicolao a Stridhoſth Grubinenſi, Præfectis, Gvalthero Plettenbergk, Raunperto Culdeſchaim, Jurium Doctore, Michaele Brunau,

Anno nau, Conſiliariis. Et aliis quam plurimis
1557. circa præmiſſa exiſtentibus.

CXXVII.

1557. *Conditiones Pacis inter* Sacram Regiam Maiestatem Poloniæ, *& Magiſtrum Livoniæ, de reſtitutione in integrum Archiepiſcopi Rigenſis initæ. Urbes omnes, Arces, Præſidia, fructus, & reditus dicto Archiepiſcopo cum omni Jurisdictione, Superioritate, & Dominio reſtituentur. Commiſſarii iurati, qui Limites inter Litvaniam, & Livoniam conſtituant, & Controverſias utrinque componant, eligentur, inter quos ſi non convenerit, Archiepiſcopus Rigenſis Sententiam ferendi ſummam poteſtatem habebit.* Cætera. Datum Poswolii ex Caſtris Regiis die 5. Sept. Anno 1557. *Cum Ratificatione* Vilhelmi Furſtenbergii *Ordinis Theutonici in Livonia Magiſtri.* Dat. ibidem die 14. Septembr. *Ex Archivo Regni.* Lib. Legat. Lit. Y. fol. 52.

In Nomine Domini Amen.

Ad perpetuam rei memoriam.

Nos Vilhelmus Furſtembergius, Ordinis Theutonici in Livonia Magiſter, Prælatique, & Status Livoniæ, notum facimus per præſentes Literas noſtras univerſis, & ſingulis, ad quos unquam perventuræ ſunt. Cum Sereniſſimus Princeps, & Dominus, Dominus Sigismundus Augustus Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Litvaniæ, &c. Primum adverſus Reverendum, & Magnificum Dominum Henricum a Galen Anteceſſorem noſtrum, deinde adverſus Nos, atque Status Livoniæ bellum certis cauſis ſuſcepiſſet, Sereniſſimus, atque Excellentiſſimus Princeps, Dominus, Dominus Ferdinandus Divina clementia favente Romanorum, Hungariæ, Bohemiæ, &c. Rex, atque Illuſtriſſimi Principes Domini, Barnimus, & Philippus, Stetiniæ, Pommeraniæque Duces Commiſſarii, a Sacri Romani Imperii Satibus ad id negotium deſignati, tum apud Sacram Regiam Maieſtatem Poloniæ, tum apud Nos, atque Status Livoniæ, per Legatos egerunt, ut de omnibus hiſce cauſis, quibus res ad arma pertraherentur, per conditiones componi, tranſigique permitteremus. In quo, cum & Sacra eius Maieſtas animum ſuum ad pacem Chriſtianitatis conſervandam propenſum declaraſſet, & Nos, atque Status Livoniæ perpetuam Nobis cum Sacra eius Maieſtate pacem eſſe inprimis exoptaremus, cuperemusque in omnibus rebus, quæ ad eam conſervandam pertinent, omne ſtudium, officiumque noſtrum quam maxime conſtare, iisdem Sereniſſimae, & Excellentiſſimae Romanorum Regiæ Maieſtatis, atque Illuſtriſſimorum Dominorum Pomeraniæ Ducum Legatis tranſigentibus, ad eiusmodi conditiones deſcenſum utrinque eſt, de quibus eorundem eſt Legatorum Literis cautum. Quarum is tenor eſt. Nos Venceſlaus Wrzeſzchowiecz de novo Caſtro, Sereniſſimi Domini Ferdinandi Archiducis Auſtriæ Camerarius, & Valentinus Sauerman de *Gelthſche* Sereniſſimi, atque Invictiſſimi Principis, & Domini, Domini Ferdinandi Divina favente clementia Romanorum, Hungariæ, Bohemiæ Regis, &c. Laurentius Ottho Juris utriusque Doctor, & Henningus a Valde in Loſen Illuſtriſſimorum Principum, *D*ominorum, *D*omini Barnimi, & *D*omini Philippi *D*ucum Stetiniæ, & Pomeraniæ &c. a Sacri Romani Imperii Statibus, ad Sacram Regiam Maieſtatem Poloniæ, de motibus hiſce Livonicis componendis, Commiſſariorum Oratores. Significamus præſentibus Literis, quorum intereſt, univerſis. Cum Sereniſſimus Princeps, & *D*ominus *D*ominus Sigismundus Augustus *D*ei gratia Rex Poloniæ &c. adverſus Reverendos, & Magnificos *D*ominos, Henricum a *Galen* Ordinis Theutonici in Livonia olim Magiſtrum, atque *D*ominum Vilhelmum *Furſtembergium* Succeſſorem eius, cæterosque eius Prælatos, & Status Livoniæ, bellum appararet, ob redactum ab eis in ſuam poteſtatem Reverendiſſimum, ac Illuſtriſſimum *D*ominum Vilhelmum Archiepiſcopum Rigenſem, Marchionem Brandeburgenſem, & fraterna neceſsitudine ſibi coniunctum, & Maioribus ſuis, ſibique ad fidem Protectionis cum Eccleſia ſua Rigenſi commendatum, occupatamque per eos univerſam Archiepiſcopatus ditionem, deinde vero propter ſuas offenſiones, ſubditorumque ſuorum iniurias, ob cæſum ab eis Legatum ſuum, occupatos fines, frequentes incurſiones factas, illata damna, ſubditos ſuos, mercesque illorum pignoratas, iis ſcilicet cauſis Maieſtas illius adducta, cum bellum illis fa-

ANNO 1557. cere ſtatuiſſet, Sereniſsimus, & Invictiſsimus Princeps, & *D*ominus, *D*ominus FERDINANDUS *D*ivina favente clementia Romanorum, Hungariae, Bohemiae Rex &c. conſilio cum Illuſtriſsimis *D*ominis Electoribus, Principibus, & Statibus Imperii Romani, atque cum eorum Legatis collato, Nos ad Sacram Maieſtatem eius miſit, ab eaque paterne poſtulavit, ut de Reverendiſſimi, ac Illuſtriſſimi Domini Archiepiſcopi cauſa, & de ſuis offenſionibus per pacatas rationes tranſigi pateretur, neque ſibi ad arma veniendum ſtatuiſſet, quæ ſangvinis profuſionem allatura eſſent. In quo cum Sacra eius Maieſtas & pro ſuo in Sacram, & Invictiſſimam Romanorum Regiam Maieſtatem filiali ſtudio, ac obſervantia, & e Chriſtiani Principis Officio, ſuam Nobis ad pacem Chriſtianitatis conſervandam propenſionem declaraſſet, oſtendiſſetque, diſceſſuram ſe ab armis eſſe, ſi primum Reverendiſſimus, & Illuſtriſſimus Dominus Archiepiſcopus Rigenſis ad priſtinum dignitatis, rerumque ſuarum locum reſtitueretur. Deinde a Reverendo, & Magnifico Domino Magiſtro, atque Statibus Livoniæ, ſuarum offenſionum, ſubditorumq; ſuorum ſarciendarum conditiones acciperentur.

Itaque cum & in Livonia hiſce de rebus, & rurſus apud Sacram Maieſtatem illius, una cum Reverendi, ac Magnifici *D*omini Magiſtri, Prælatorum, Statuumque Livoniæ Legatis, qui Nobiſcum ad Sacram Maieſtatem eius ex Livonia miſſi erant, egiſſemus, poſt longos, diuturnosque tractatus res ad eas deducta eſt conditiones. Ac primum quidem de Reverendiſſimi, ac Illuſtriſſimi *D*omini GUILHELMI Archiepiſcopi reſtitutione, ſecundum Formulam Contractus reſtitutionis per Nos confectam, & per Sacram eius Maieſtatem, tamquam ipſius Reverendiſſimi, ac Illuſtrisſimi *D*omini Archiepiſcopi, & Eccleſiæ Rigenſis Protectorem approbatam, de qua aliæ Literæ confectæ ſunt, conſtitutum eſt. Et cum iam pridem fons, atque ſeminarium omnium diſſenſionum eſſent controverſi, incertique inter Magnum *D*ucatum Litvaniæ, & Livoniam fines, indeque ſæpenumero fiebat, ut frequentes hincinde incurſiones a communibus ſubditis fierent, ita conſtitutum eſt, ut in eo ratio Privilegii, quod vulgo Radivilonum dicitur, conſervetur, atque inprimis Commiſſarii eligentur, qui eius ipſius Privilegii locorum deſcriptionem ſequuti, limites conſtituerent, iiq; cuncta ſeſe ita, uti iuſtum, atque æquum ex conſcientia ſua ſtatuent, facturos eſſe, ad eum modum iurabunt.

Ego N. N. iuro in iis controverſiis, quæ ad rationem, negotiumque finium inter Magnum Ducatum Litvaniæ, & Provinciam hanc Livoniæ pertinent, nimirum ut Limites ex Radivilonis præſcripto, diligenti, fidelique indagatione ex illo, quod inter hæc duo granicierum Schedibory, & Wiſquilli extrema medium eſt, inquirantur, certis, perpetuisque ſignis, & monumentis notentur, conſtituanturque, me nihil eius iurisiurandi, quo Sereniſſimo Pirncipi, & Domino meo Clementiſſimo, Reiquepublicæ ditionum ipſius obſtrictus ſum, reſpectu, neque cuiusque gratia, favore, aut odio facturum eſſe, ſed præfatorum extremorum diligenti habita inquiſitione, in medio fines notabilibus, perpetuisque ſignis fideliter ſignaturum. Ubi vero ob extremorum illorum obſcuritatem, incertitudinemque id, quod ex prænominato Radivilonis Decreto promittitur, medium certo haberi non poſſit, me ex æquo, & bono utrinque adiudicaturum, deque omnibus ita, uti ſecundum conſcientiam meam æquum, & iuſtum putabo, conſtituturum. Neque me ab hoc ſuſcepto munere ullæ res impedient, niſi vel adverſa valetudo, vel mors ipſa. Sic me Deus adiuvet. ANNO 1557.

Quo autem facilius inter ſupra nominatos Commiſſarios de omnibus rebus conveniri poſſet, ex communi Sacræ Regiæ Maieſtatis Poloniæ, atque Reverendi, ac Magnifici *D*omini Magiſtri, & Statutum Livoniæ Legatorum plena eam ad rem Mandata habentium aſſenſu, Reverendisſimus in Chriſto Pater, *D*ominus Nicolaus *D*zierzkowſki Archiepiſcopus Gneſnenſis, Legatus Natus, & Regni Poloniæ Primas, aut alius *D*ominus Archiepiſcopus Gneſnenſis pro tempore exiſtens, Arbiter electus eſt, eique ſumma poteſtas de iis rebus, de quibus forte inter Commiſſarios conſtare non poſſet, ſtatuendi permiſſa eſt; Qui quicquid pronuntiaverit, definierit, atque homologaverit, id ſe ſancte, & inviolabiliter obſervaturum, eiusque arbitrio, atque homologationi parituros, bona fide, ac Religioſe loco iurisiurandi receperunt, pollicitique ſunt, omnibus, & ſingulis exceptionibus, contradictionibus, appellationibus, reductionibus ad arbitrium boni viri, aliisque quibuscunque remediis, & beneficiis Juris, tam Civilis, quam Canonici, nec non & abſolutionibus, ac reſtitutionibus in integrum expreſſe renuntiando adeo, ut, ſi quis aliquo iſtorum prætextu, aliisve ullis excogitatis rationibus, aut modis, prædicto arbitrio, atque homologationi contravenire, nec abſque recuſatione parere voluerit, is ipſo facto, omni iure, & poſſeſſione, quam

ſe

ANNO 1557. se in finibus habere prætenderit, cadere debeat, & alteri parti iuxta dictum arbitrium, et homologationem, eos per se occupare, et invadere liceat. Cum autem in eiusmodi arbitrio illud inprimis requireretur, ne alterutri parti astrictus esset, Sacra Regia Maiestas Poloniæ (quantum ad præsens negotium attinet) remisit illi omne iusiurandum, quo sibi, Regnoque, ac ditionibus suis obstrictus est, ita, ut in eo nullum, vel iurisiurandi sibi præstiti, vel subiectionis officium, sed solam æquitatem, atque iustitiam propositam haberet, atque in eo, cum ad fines ventum erit, fidem suam per iusiurandum utrique parti obstringeret, id, quod Sacra Regia Maiestas Poloniæ datis Literis attestata est. Eius vero iurisiurandi hæc Formula constituta est.

Ego Archiepiscopus Gnesnensis iuro in ea Controversia, quæ ad rationem, negotiumque finium, inter Magnum Ducatum Litvaniæ, & Provinciam hanc Livoniæ pertinent, nihil me, neque eius iurisiurandi, quo Serenissimo Principi, & Domino meo Clementissimo, Reique publicæ, ditionibus ipsius obstrictus sum, causa, neque cuiusque gratia, favore, aut odio facturum esse, sed de omnibus, in quibus utrinque delecti, & ad præscriptum Finium Radivilonis, hoc est medium inter Weisquilli, & Schedibory limites, iurati Commissarii convenire non potuerint, exactissime, inspectoque negotio, & cognitis circumstantiis, ita, uti secundum conscientiam meam æquum putabo, constituturum, pronuntiaturumque. At ubi ob extremorum illorum obscuritatem, & incertitudinem id, quod ex prænominati Radivilonis Privilegio promittitur, medium certo haberi non posset, me ex æquo, & bono utrinque iudicaturum. Ita me Deus adiuvet.

Si autem Commissarii, atque Reverendissimus Dominus Archiepiscopus Arbiter, ex communi sententia susceptus, ad fines convenire debebunt ad diem primam Augusti, Anni proxime sequentis millesimi quingentesimi quinquagesimi octavi, atque a fluvio Lunida, ad quem usque limites extra controversiam sunt, fines ducere incipient Quodsi Sacræ Regiæ Maiestati Poloniæ id tempus ex aliqua causa minus commodum visum erit, in Sacræ eius Maiestatis arbitrio erit aliud constituere, atque Reverendum, & Magnificum Dominum Magistrum facere certiorem, qui ad illud mittere Commissarios suos tenebitur, salvo in omni parte, omnibusque clausulis suis eodem hoc Compromisso, ita, ut ex eo & Reverendissimus Dominus Archiepiscopus Arbiter sumptus, & Commissarii eandem ad omnia potestatem habeant, quam habituri essent, si ad id tempus, quod primum constitutum erat, diem scilicet primam Augusti, Anni millesimi quingentesimi quinquagesimi octavi convenissent. Debebunt item, antequam Commissarii, atq; Reverendissimus Dom. Archiepiscopus Gnesnensis, ad locum finium venerint, lustratores utrinq; designari, quorum fides, atque integritas probata esset, quique quam maxime periti locorum essent. Interim vero tam Sacra Regia Maiestas Poloniæ, quam Reverendus, & Magnificus Dominus Magister, & Status Livoniæ providere debebunt, ut amborum subditi in pace communi conservanda ex officio sese gerant, neque in quoquam alteri alterorum possessionem ulla ratione turbent. Cum autem eorum finium, qui sunt inter Promontorium Comodra, & Arcem Bowscensem expedita, Compromissi ratio esset, placuit, quo ea Pacta Conventa aliqua parte executioni mandarentur, ut iam in præsentia Commissarii mitterentur, qui secundum supra nominatum Radivilonum Privilegium de illis constituerent, iique fines, rati, firmi, perpetui utrique Ditioni erunt. Quicquid autem ultra eos ex Ditione Litvanica per Livones, aut vicissim ex Ditione Livonum per Litvanos occupatum est, id confestim restitui, liberumque dimitti debebit. Ac ne ulla vetustate intercidere eos fines, aboleriq;, atque rem ad pristinam difficultatem redire contingat, constitutum est, ut in cuiusque quinquennii decursu Præfecti finitimorum locorum in rem præsentem conveniant, atq; signa eorum, si res postulaverit, ita renovent, ut nihil ea in dubium vocari unquam necesse sit. Quo autem magis expedita ratio eorum constituendorum esse possit, convenit, ut rustici pari numero utrinque evocentur, qui itinera ducendis finibus necessaria in locis densitate sylvarum difficilibus, tam in Magno Ducatu Litvaniæ, quam in Livonia, aperiant, pontibusque consternant, & commoda rei gerendæ præstent.

ANNO 1557.

Cum autem omnes fere controversiæ, iniuriaeque e finium causa profectæ sint, debebit Serenisima Regia Maiestas Poloniae iis constitutis, tres Commissarios, atque item Reverendus, & Magnificus *D*ominus Magister Livoniae tres designare, qui de omnium iniuriarum causis plenam cognoscendi, statuendique potestatem habituri sunt, ac primo quidem die Commissarii Livonici Sacrae Regiae Maiestatis subditis ius cum Livonienſibus reddent. *D*einde altero Litvani Commissarii illorum hominibus, atque ita alternis diebus de mutuis iniuriis iudicia habe-

habebunt, quoad utrique ius ſuum ex æquo conſequentur, aut ſi iniri ratio poterit, de damnis utrinque illatis, per æquam compenſationem tranſigetur. Quod ſi in poſterum quicquam novarum iniuriarum ex alterutra parte contingat, de eo Præfecti locorum, cum ad eos relatum erit, debebunt absque ulla mora ius dicere, providereque, ne cauſis diu extrahendis aliquae occaſiones ad privatam vim, qua perturbari publica tranquillitas poſſit, aperiantur, dabuntque operam, ut omnino intra unum menſem, niſi quod legitimum impedimentum interceſſerit, eiusmodi cauſae decidantur. Quod ſi qui negligentes officii ſui comperientur, in eos, re ad ſuperiorem delata, animadverti debebit. Naves, atque merces ſubditorum Sacrae Regiae Maieſtatis Poloniae repreſſaliorum nomine a Livonienſibus per tempus horum motuum retentae, integrae cum rebus omnibus ad diem *D*ivi Lucæ anni præſentis ad fines reſtituentur. Ubi viciſſim frumentum, quod in *D*itionibus Sacrae Maieſtatis eius coemptum a Livonibus fuit, aut pretium, quod nunc numeratum per eos eſt, reddi eis debebit. In poſterum autem neutri repreſſaliis utentur, niſi Principe, aut illo abſente, qui eius locum obtinebit, de iuſtitia interpellato. Cum autem illud quoque magnas frequenter diſſidionum cauſas adferre conſueverit, quod cum æque Sereniſſimae Regiae Maieſtatis Poloniae, atque Reverendi, & Magnifici *D*omini Magiſtri Livoniae homines, obnoxium ſibi ex altera ditione quenquam ullo nomine exiſtimantes, de iure ſuo non in legitimi fori iudicio agere ſoliti ſint, ſed mutuo Colonos intercipere, atque in eos ſæpenumero crudelius ſtatuere conſueverint. Quod cum vicisſim agerent, magnae occaſiones ad ius vicinitatis violandum præbebantur, quarum tollendarum cauſa convenit, ut ſi quisquam aliquid iniuriæ a quoquam ſuſtinere ſe exiſtimabit, eam non propria vi, ſed in iudicio legitime proſequatur, ita, ut ſiquidem ius ſibi cum Colono reddi velit, apud eius Dominum requirat, qui ſi in eo negligentem ſe præſtiterit, aut ipſe ad cuiusquam iniuriam aliquid egerit, apud Præfectos locorum conveniri debebit, quod æque a Sacrae Regiae Maieſtatis Poloniae, & Magnifici Domini Magiſtri Livoniae ſubditis obſervari debebit. Et quo omnium controverſiarum dirimendarum, quae inter utriusque ditionis homines exiſtere poſſint, facilis, expeditaque ratio eſſet, convenit, ut, quod prioribus pactis definitimis conventibus triennio quoque habendis conſtitutum erat, idem in præſentia renovetur, atque ut ii Conventus alterius in Obelie, & Kurczmy habeantur, in quibus de omnium cauſis, & iniuriis decerni, ſtatuique debebit. Vt autem omnia, quae ad bonae vicinitatis rationem pertinent, quam maxime conſtituta ſint, quod veteribus Pactis cautum fuit, ut ſubditis Sacrae Regiae Maiestatis Poloniae libera per Livoniam commeandi poteſtas eſſet, idem in præſentia repetitum, confirmatumque cenſeatur, neque ad præſtanda ulla vectigalia, portoriaque, quæ noviter poſt antiqua Fœdera inſtituta ſunt, teneantur, ſed ex priſtinorum Fœderum iure, & hæc omnia eis libera ſint, & integra, tam in Civitate Rigenſi, quam in aliis locis commerciorum poteſtas, ita, ut in Ditionibus quoque Sacrae Regiae Maieſtatis Livonienſibus liberum ſit. Cum autem Sacra eius Maieſtas in longo graviſſimae offenſionis loco duceret Generoſi Gaſpari Lanczki Secretarii ſui cædem, quem Legatum in Livoniam Pacis inter Reverendiſſimum, ac Illuſtriſſimum Dominum Archiepiſcopum, & Reverendum, ac Magnificum Dominium Magiſtrum, & Status Livoniae reſtituendi cauſa miſerat, atque eam cædem Reverendi, ac Magnifici Domini Magiſtri, & Statuum Livoniae Legati nequaquam publico conſilio, ſed caſu factam excuſarent, eo res deducta eſt, ut Advocatus Roczizicenſis, qui eius inſimulatus eſt, coram Regia Maieſtate compareat, atque culpam, & crimen Legati cæſi, vel teſtibus diluat, vel iureiurando purget, innocentiamque ſuam declaret, & conceptam in ſe ſuſpicionem deprecetur, petatque gratiam Sacrae Regiae Maieſtatis. In alios vero cædis reos, qui ſiſtentur, legitimis ſuppliciis animadvertetur, aut, quod de eis Maieſtas eius ſtatuendum putaverit, in eius arbitrio futurum ſit.

Cum autem Sacra Regia Maieſtas Poloniae iuſtas ſe huiusce belli ſuſcipiendi, & apparandi cauſas habuiſſe intelligeret, atque cum Exercitu, & apparatu bellico ad ipſos usque Livoniae fines progreſſa eſſet, merito ſibi ab eis ſumptus in bellum factos præſtari debere iudicabat. Quem cum Reverendus, & Magnificus Dominus Magiſter, & Ordines Livoniæ præſtare non recuſarent, Maieſtas eius, Noſtra interceſſione, quam diligenter apud eam Saerae, & Invictiſſimae Romanorum Regiae Maieſtatis nomine fecimus, atque in eius gratiam, tum ut in eo Sacri Romani Imperii Statibus gratificaretur, omnem eam præſtandorum neceſſitatem ſe eis remiſſuram eſſe recepit.

Cum

ANNO 1557. Cum vero inter Sereniſſimos Poloniae Reges, Magnos Duces Litvaniae, Regnumque, & Dominia eorum, ac inter Reverendos, & Magnificum Dominum Magiſtrum, & Status Livoniae antiqua Fœdera conſtent, eaque tam Sereniſſimorum Dominorum Regum Poloniae, Magnorumque Litvaniæ Ducum, quam Magnifici Domini Magiſtri, & Statuum Livoniae iureiurando confirmari uſitatum ſit, conſtitutum eſt, ut ne quicquam hiſce diſſenſionibus, neque iis novis tractatibus, eis in poſterum derogatum intelligatur, ſed illis integris, validisque permanentibus, hæc partim ad eorum declarationem, partim ad innovationem, amplificationemque inſtituta cenſeantur. Quibus quidem inter Sereniſſimum Principem, & Dominum, Dominum Regem Poloniæ, eiusque Succeſſores, tam Reges Poloniæ, quam Magnos Duces Litvaniæ, Ditionesque eius omnes, atque inter Reverendum, & Magnificum Dominum Magiſtrum, & Status Livoniae, eorumque Ditiones, firma, ſtabilis, et perpetua Pax conſervetur, neque alter adverſus alterum bellum moveat, nullis alterius hoſtibus, cuiuscunque conditionis ſint, receptus apud alterum pateant, neque eis aut conſilio, aut denique ulla re viciſſim adſint; nulla item Fœdera alter adverſus alterum inſtituat, ineatve, neque alterius hoſtes Ditionum ſuarum tranſitu uti ſinat, adeoque omnibus rebus Pacem, & Fœdera perpetua ſancte, integreque conſervent, neque adverſus ea directe, vel indirecte ipſi, ſive per alios quicquam agant. Quæ omnia, & ſingula, quo rata, firma, perpetuaque ſint, debebunt per Sacram Regiam Maieſtatem Poloniæ, Conſiliariosque Litvaniæ in præſentia Magnifici Domini Magiſtri, & Statuum Livoniae Legatorum, cum innovatione antiquorum Fœderum, per iusiurandum confirmari. Quod ipſi quoque Legati præſtare debebunt, atque ad eandem confirmationem, & iusiurandum faciendum, præſtandumque ipſe Reverendus, & Magnificus Dominus Magiſter Livoniæ cum Commendatoribus huc in Caſtra ad Sacram Regiam Maieſtatem ad diem quatuordecimam Septembris veniet, atque ea pacta Conventa in præſentia Sacræ Regiæ Maieſtatis iureiurando, atque Literis patentibus cum manuum ſubſcriptione, & appenſione Sigillorum, firmabit. Quod idem Sacra Regia Maieſtas Poloniæ cum Conſiliariis Litvaniæ ſuis Literis facere debebit. Quodſi Conſiliarii ulli Litvaniæ, aut item Commendatores Livoniæ hoc tempore non adfuerunt, debebunt in proximis Conventibus ſuarum quique Terrarum, eiusmodi iusiurandum ad hæc Fœdera confirmanda, ſi id pars requiſierit, præſtare. Debebunt quoque tum Conſiliarii Magni Ducatus Litvaniæ, tum Status Livoniæ, iuxta Formulam veterum Pactorum ſe ſe obligare, ut ſi vel Magnus Dux Litvaniæ, vel Magnificus Dominus Magiſter Livoniæ, aut aliorum quisquam ab hiſce Fœderibus diſcedere velit, neque auxilio eis, neque conſilio adfuturos, neque in eo obedientiam præſtaturos eſſe. In quorum fidem & teſtimonium manibus noſtris præſentibus Literis ſubſcripſimus, & Sigilla noſtra appoſuimus. Datum Poswolii ex Caſtris Regiis die quinta Menſis Septembris. Anno Domini milleſimo quingenteſimo quinquageſimo ſeptimo. ANNO 1557.

Eas itaque Compoſitionis, & Transactionis Literas, Nos cum Commendatoribus, ac Statibus, & Ordinibus Livoniae ratas, firmasque habemus, easdemque per noſtras haſce Literas in perpetuum approbamus, & noſtro, Commendatorumque Livoniæ iureiurando approbavimus, promittendo pro Nobis, Succeſſoribusque noſtris, Nos, & Succeſſores noſtros ea, quæ in illis convenerunt, perpetuis temporibus ſancte, & inviolabiliter obſervaturos eſſe. In quorum fidem Literis hiſce manu noſtra ſubſcripſimus, & Sigilla noſtrum, Commendatorumque appendi fecimus. Datum Poſwolii ex Caſtris Regiis die 14. Menſis Septembris, anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo ſeptimo. Præſentibus Reverendis, Egregiis, & Nobilibus Chriſtophoro de Ley, alias de nova Villa nuncupato, Provinciali, Mareſchalco Livoniae, Henrico Stodingk Commendatore Goldingenſe, Chriſtophoro Syberio Candamenſi, Nicolao a Stridhoſt Grubinenſi Præfectis, Gwaltero Plettenbergk, Raimperto Culdeſchaim Jurium Doctore, Michaele Brunau Conſiliariis, & aliis quam plurimis circa praemiſſa exiſtentibus. &c.

CXXVIII.

Fœdus inter Vilhelmum Furſtenbergium Ordinis Theutonici in Livonia Magiſtrum, & SIGISMUNDUM AUGUSTUM Regem Poloniæ, contra Ducem Moſcoviæ initum. Dat. Poswolii ex Caſtris Regiis d. 14. Menſis Sept. An. 1557. *Ex Arch. M. D. L.* 1557.

In Nomine Domini Amen.

Ad perpetuam rei memoriam.

NOS VILHELMUS FURSTEMBERGIUS Ordinis Theutonici in Livonia Ma-

ANNO 1557. Magiſter. Notum facimus per præſentes Literas noſtras univerſis, & ſingulis, ad quos unquam perventuræ ſunt. Cum inter Sereniſſimos Principes, & Dominos, Dominos Reges Poloniæ, Magnos Duces Litvaniæ, Ditionesque eorum, atque inter Reverendos, & Magnificos Dominos Magiſtros, & Status Livoniæ, eorumq: Ditiones, antiqua fœdera diu conſtitiſſent, eaque hactenus ſancte, & inviolabiliter obſervata eſſent, hoc autem tempore nonnullis diſſidiorum cauſis inter Sereniſſimum Principem, & Dominum, Dominum SIGISMUNDUM AUGUSTUM Dei Gratia Regem Poloniæ, Magnum Ducem Litvaniæ &c. atque Reverendum, & Magnificum Dominum Henricum a Galen, Ordinis Theutonici Magiſtrum, Anteceſſorem noſtrum, Statusque Livoniæ, quæ tandem in noſtrum tempus productæ ſunt, exortis, labefactari, & convelli cepta eſſent, Sereniſſimi, atque Excellentiſſimi Principis Domini, Domini FERDINANDI, Divina favente Clementia Romanorum, Hungariæ, Bohemiæq; &c. Regis, atque Illuſtriſſimorum Principum, & Dominorum BARNIMI, & PHILIPPI Stetiniæ, Pomeraniæque &c. Ducum, a Sacri Romani Imperii Statibus, ad id negotium Commiſſariorum Legatis intervenientibus, innovata, atque ad perpetuitatem temporis confirmata ſunt, quemadmodum id aliis Literis ad ſempiternam memoriam præſcriptum eſt. Quibus ad maiorem certitudinem, & firmitatem unanimi conſenſu addendum putavimus, ut cum tam Magno *D*ucatui Litvaniæ, *D*itionibusq; Maieſtatis Eius, quam Provinciæ noſtræ, Statibusque Livonicis Moſchus communis hoſtis immineat, utræque ditiones perpetuo Fœdere adverſus eum coniunctæ, conſociatæque ſint, ita, ut ſi unquam Sereniſſimus Princeps, & Dominus, Dominus Rex Poloniæ eo nomine, quo eſt Magnus *D*ux Litvaniae, vel bellum illi inferre ſtatuerit, vel ab eo illatum propulſaturus ſit, Nos, atque Status Livoniae teneamur, vel bello eum ex altera parte adoriri, vel auxilia Equitum, Peditumve Sacrae eius Maieſtati mittere. Viciſſimque ſi Nos, atque Status Livoniae, vel illaturi ei bellum, vel propulſaturi ſumus, hoc idem Sacra Regia Maieſtas ex perſona Magni Ducis Litvaniae facere tenebitur, ut vel bello *D*ucem Moſchorum adoriatur, vel Nobis mutua Equitum, Peditumve auxilia ſuppeditet. Quod ſi unquam Fœdera vel a Sacra Regia Maieſtate Poloniae, Magno Duce Litvaniae, Succeſſoribusque eius, vel a Nobis, noſtrisque Succeſſoribus, ac Statibus Livoniae cum Moſchorum Duce inſtituentur, ea & a Sacra Regia Maieſtate Poloniae, Magno *D*uce Litvaniae, Succeſſoribusque eius Nobis, Succeſſoribusque noſtris, & Statibus Livoniae ſcientibus, & conſentientibus conſtitui debebunt, & viciſſim a Nobis, Succeſſoribusque noſtris, atque Statibus Livoniae Sacra Regia Maieſtate Poloniae, Magno Duce Litvaniae, eiusque Succeſſoribus ſcientibus, & conſentientibus inſtituentur. Quibus quidem Fœderibus & Sacra Regia Maieſtas Poloniae, Magnus Dux Litvaniae, Succeſſoresque eius, Nobis, Succeſſoribusque noſtris, & Statibus Livoniae, & viciſſim Nos, Succeſſoresque noſtri, ac Status Livoniae illi, Succeſſoribusque illius perpetuo obſtricti erimus. Quo tamen minus ea Fœdera iam in praeſentia vim ſuam obtinere, atque executioni mandari potuerint, illud interceſſit, quod & Sacrae Regiae Maieſtati Poloniae quinquennii Induciae cum Moſchorum *D*uce, & viciſſim Nobis, atque Statibus Livoniae duodecim annorum conſtitutae ſint, intra quod tempus cum neque Sacrae Regiae Maieſtati Poloniae, neque Nobis, atque Statibus Livoniae quicquam adverſus eum hoſtile ſuſcipere fas eſſet, convenit, ut interim inita haec per Nos Fœdera in ſuſpenſo ſint, ita, ut ipſa quidem rata, firma, ſanctaque maneant, executio autem illorum in id tempus, dum ſuperius nominatae duodecim annorum a Nobis, atque Statibus Livoniae conſtitutae Induciae excurrerint, conferatur, intra quod tempus neque ſi Sacra Regia Maieſtas Poloniae bellum adverſus *D*ucem Moſchorum ſuſceperit, ulla neceſſitas Nobis, Statibusque Livoniae auxiliorum illi mittendorum inerit, neque ſi prorogandum ſibi cum eo Induciarum tempus ſtatuerit, erit illi in eo noſter, Statuumque Livoniae aſſenſus requirendus. In quibus tamen prorogandis eiusmodi tempus a Sacra eius Maieſtate ſumi debebit, quod cum reliquo illorum duodecim annorum, ad quos pactae Nobis, atque Statibus Livoniae cum *D*uce Moſchorum Induciae ſunt, ſpatio conſtet, ut eo una expleto, Sacra Regia Maieſtas Poloniae, Magnus *D*ux Litvaniae, Succeſſoresque eius, atque Nos, Succeſſoresque noſtri, & Status Livoniae vel bellum coniunctis viribus adverſus *D*ucem Moſchorum ſuſcipiamus, vel ſecundum praeſentium Fœderum Pacta Conventa, ex utriusque ſententia, & commodo Inducias cum eo conſtituamus, atque ita deinceps perpetuis temporibus Sacrae Regiae Maieſtati Poloniae, Magno *D*uci Litvaniae, Succeſſo-

ANNO 1557.

ANNO 1557. ceſſoribusque eius, atque Nobis, Succeſſoribusque noſtris, & Statibus Livoniæ ſive pax, ſive bellum adverſus Ducem Moſchorum, coniuncta, communiaque ſint. Quod ſi intra hoſce duodecim annos, ad quos Nobis, & Statibus Livoniæ Induciæ cum eo ſunt, humanitus quicquam Nobis contingat, is, qui ſucceſſurus Nobis eſt, antequam easdem Inducias inſtaurabit, tenebitur id Sacræ Regiæ Maieſtati Poloniæ ſignificare, cui tum, ſi volet, integrum erit, arma cum eo coniungere, ſin vero Nobis ſuperſtitibus Sacræ eius Maieſtati quinquennales Induciæ excurrant, curæ illi eſſe debebit, ut alias inſtitueret, quæ tanti temporis ſint, ut cum noſtrarum Induciarum reliquo tempore conveniat, aut ſi bellum adverſus Ducem Moſchorum ſuſcipiendum ſtatuerit, intra hoſce duodecim annos, ad nulla auxilia illi præſtanda tenebimur, Statusve Livoniæ tenebuntur. Quod ſi Ducis Moſchorum morte utrique eius Fœderibus ſolvamur, tum Confœderatio hæc noſtra effectum, vimque ſuam conſequetur, ut vel bellum adverſus eum coniunctis viribus ſuſcipiamus, vel Fœdus una renovemus. Interea vero & Nos, Succeſſoresque noſtri in iis rebus, quæ Sacræ Regiæ Maieſtati Poloniae cum Moſchis intercedere poſſint, ſtudium, officiumq; noſtrum illi præſtaturi ſumus, ſcilicet in prohibendis tranſitu ditionum noſtrarum iis, qui ad Sacræ eius Maieſtatis ditiones ſpoliandas hac tranſire voluerint, tum in comprehendendis, atq; ad Sacram Maieſtatem eius remittendis iis, qui ex illius ditionibus in Moſchoviam transfugere conarentur; tum in eo, ut Sacram eius Maieſtatem de Moſchorum Ducis conſiliis certiorem faciamus. In quibus item rebus Sacra Regia Maieſtas Poloniæ, Succeſſoresque eius ſua ſtudia Nobis, Succeſſoribusque noſtris præſtaturi ſunt. Debebunt autem ea Fœderum Pacta, tum Sacrae Regiae Maieſtatis Poloniae, Magni Ducis Litvaniae, Conſiliariorumque Litvanorum, tum noſtro, Ordinumque Livoniae iureiurando, & Literis patentibus, ſubſcriptionibusque, ac ſigillis omnium in perpetuum confirmari. Succeſſores autem Sacrae Regiae Maieſtatis Poloniae, Magni Ducis Litvaniae, atque noſtri intra ſex menſium tempus, inde ſcilicet, cum electi fuerint, haec eadem Fœdera propriis iuramentis confirmare debebunt; Quo magis autem firma, rata, ac perpetua ea Fœdera ſint, convenit, ut a Catholica Caeſarea Maieſtate, aut a Sacra, atque Excellentiſſima Romanorum Regia Maieſtate, quae hoc tempore Catholicae Caeſareae Maieſtatis locum obtinet, ea confirmari poſtulemus. Quae omnia, & ſingula, quo rata, perpetua, firmaque ſint, iureiurando Sacrae Regiae Maieſtatis Poloniae, Conſiliariorumque Litvanorum, in praeſentia Legatorum noſtrorum, atq; Statuum Livoniae, cum innovatione antiquorum Fœderum firmabuntur, atque idem iusiurandum Nos in praeſentia Sacrae Regiae Maieſtatis Poswolii in Caſtris eius praeſtaturi ſumus. Idemque Illuſtriſſ. & Reverend. Dominus Archiepiſcopus Rigenſis, atque Illuſtr. Dominus CHRISTOPHORUS Dux Megapolenſis, Illuſtriſſ. & Reverend. Domini Archiepiſcopi Coadiutor, tum Reverend. Domini Archiepiſcopi Commendatores, atque per Nuntios ſuos, Status, maioresq; Civitates Livoniae facere debebunt, eaq; Fœdera una cum ipſis Literis noſtris patentibus, manuumq; ſubſcriptionibus, & appenſionibus Sigillorum confirmaturi ſumus. Quod idem viciſſim S. R. Maieſtas Poloniae, Magnus Dux Litvaniae cum Conſiliariis Litvaniae Literis ſuis factura eſt. Quod ſi ulli Conſiliarii Litvaniae, aut item Archiepiſcopi Commendatores, Statusve Livoniae hoc tempore in Caſtris apud Sacram Regiam Maieſtatem Poloniae adeſſe non poterint, debebunt in proximis Conventibus ſuarum quiſque Terrarum eiusmodi iusiurandum, ad haec Fœdera confirmanda, ſi id pars requiſiverit, praeſtare. Debebunt quoque tum Conſiliarii Magni Ducatus Litvaniae, tum Reverendiſſimi Domini Archiepiſcopi Commendatores, & Status Livoniae, iuxta Formulam veterum Pactorum ſeſe obligare, ut ſi vel Sacra Regia Maieſtas Poloniae, Magnus Dux Litvaniae, Succeſſoresve eius, vel Nos, Succeſſoresque noſtri, aut aliorum quisquam diſcedere ab hiſce Fœderibus velit, nemini neque auxilio, neque conſilio ſuo adſint, neque in eo obedientiam ſuam cuique praeſtent. In cuius rei fidem, & teſtimonium, praeſentibus manu noſtra ſubſcripſimus, & Sigilla noſtrum, Commendatorumq; appendi fecimus. Datum Poswolii ex Caſtris Regiis die quatuordecima Menſis Septembris, Anno Domini milleſimo quingenteſimo quinquageſimo ſeptimo. Praeſentibus Reverendis, Egregiis, & Nobilibus Chriſtophoro de Ley alias de Nova Villa nuncupato, Provinciali Marſchalco Livoniae, Henrico Stodingh, Commendatore Goldingenſi, Chriſtophoro Syberio Candamenſi, Nicolao a Stridhoſt Grubinenſi Praefectis, Gwaltero Plettenberg, Raimperto Culdeſchaim J. D. Mich. Brunau Conſiliariis, & aliis quam plurimis circa praemiſſa exiſtentibus &c.

Anno 1559. tum & illud inprimis veniebat in mentem, Fœdus nobis cum Moſchis hoc tempore intercedere, atque obſtare, quominus Livones armis adverſus Moſchos iuvare poſſemus; tamen cum & Conditiones, quibus iureiurando, fideque hoſti data, ſoluti eſſe poſſemus, nobis proponerentur, & multa præterea adducerentur in medium, quamobrem Livoniæ periclitanti, ferri a nobis ſubſidium oporteret, poſt multos tandem, variosque tractatus ultro, citroque habitos, miſerati vicem, atque cladem coniunctæ nobis Provinciæ, ita cum commemoratis Reverendiſſimis, & Illuſtriſſimis, Archiepiſcopo, eiusque Coadiutore, conſtituimus, eamque pactionem fecimus: Primo quidem, ut ſoluti iureiurando, atque Fœdere, licite pro Reverendiſſimis, & Illuſtriſſimis Dominis, Archiepiſcopo, eiusque Coadiutore, Capituloque, Statibus, & ſubditis illius, contra Moſchos arma ſumere videri poſſimus; contulerunt ſe memorati Domini, Archiepiſcopus, & Coadiutor, Capitulum, Ordines, Status, & ſubditi, in fidem, clientelam, & protectionem noſtram, miſeruntque ad nos Legatos ſuos, plenis mandatis eam ad rem præſtandam inſtructos, atque eius protectionis, & ſumptuum bellicorum nomine, quos & poſtea, ſi bellum gerendum erit, & nunc iam ſtatim in apparatum ipſius belli faceremus haud parvos, oportebit, tum etiam gratitudinis ergo tradituros ſe nobis promiſerunt certos Tractus, Arces, Præfecturas, & Præſidatus in prædicta Archidiœceſi, iure obligatorio, videlicet arces: Marienhauſen, et Lenevarth, et præterea duas curias, Loban, et Birſen, cum omnibus oppidis, villis, pagis, curiis, locis, vaſallis, et ſubditis, tam nobilis generis, quam plebei, reditibus quoque, utilitatibus, et emolumentis quibuscunque, et in univerſum cum omnibus iis, quæcunque ad ipſas Arces, Præſidatus, et Præfecturas, atque ad ipſas Curias, veluti ex antiquo, Arces, et Curiæ ipſae, ſuis metis, et limitibus, circumſcriptae ſunt, et terminatae, cumque omni Jure, et Dominio, nihil ibi pro ſe, et ſuis Succeſſoribus reſervando, aut excipiendo. Nos autem viciſſim promittimus pro Nobis, & Succeſſoribus noſtris, quod manentibus his Pactis, & Conditionibus, memoratos Reverendiſſimos, & Illuſtriſſimos Dominos, Archiepiſcopum, eiusque Coadiutorem, Capitulum, Status, & Archidœceſim ſuam, eorundemque Succeſſores legitimos, adverſus omnem vim, atque impetum Moſchorum armis; viribus, & copiis noſtris tuebimur, & defendemus, Succeſſoresque noſtri tuebuntur, & defendent, tamdiu, quamdiu Livoniæ, & Archiepiſcopatui ipſi Pax cum Moſchis, ſive armis, ſive pactione, & conditione aliqua non fuerit conſtituta. Pactis tamen, atque Fœderibus apud Oppidum Poſwolie ante biennium initis, & confirmatis manentibus nobis cum Livonibus integris, atque ſalvis. Promittimus etiam pro Nobis, & Succeſſoribus noſtris, quod ſingulis, in Præſidatibus memoratis ſubditis, tam nobilibus, quam ignobilibus, ſpiritualibus, & ſæcularibus, militibus, & Ordinis Equeſtris Archidiœceſis hominibus, Oppidanis, Ruſticis, Colonis, Jura, Privilegia, Libertates, Feuda, Leges, Sacra, Ritus, Religionem apud eos uſu receptam, & conſvetudines inveteratas, quibus hactenus uſi ſunt, integras conſervabimus, neque ullius ſubditorum bona mobilia, vel immobilia temere auferri, invadi, vexari, aut diripi, paſſuri ſumus, ac nec ipſi inſolitorum, aut non ferendorum vectigalium, & tributorum onere, atque exactione ipſos gravaturi ſumus. Quod vero ad Nobilitatem, atque Vaſallos illorum Præſidatuum attinet, Officiales noſtri Jus dicent illis, & iuſtitiam adminiſtrabunt, ſecundum leges, & conſvetudines Archiepiſcopatus, & Livoniæ Provinciæ, relicta unicuique libera ad Nos provocandi facultate. Anno 1559.

In gerendo etiam communibus viribus adverſus Moſchos bello, illum morem, & conſvetudinem tenebimus, ut Præfecti Exercituum noſtrorum caſtra ſua, quoties fuerit opus, cum caſtris, atque copiis Livonicis, & Archiepiſcopi coniungant, conſiliaque inter ſe mutuo communicent. Quo ordine videlicet rem ex utilitate communi, & quo conſilio gerere debeant. Quodſi Divino adiuvante beneficio, partem aliquam hoſtilis Regionis, atque Terræ occupare, atque ſubiugare nos communibus viribus contigerit, tum partitio, atque diviſio ipſius ex æquo inter Nos, atque Livones fieri debebit. Dummodo Regiones ipſæ bello quæſitæ, ex eo numero non ſint, quæ præteritis annis a Magno Ducatu Litvaniæ per Moſchos ſunt abſtractæ, et occupatæ. Namque hæ regiones, ſi recuperatæ fuerint, Nobis, Magnoque Ducatui Litvaniæ cedere, atque adiungi rurſus debebunt. Eadem quoque ratione et illa, quæ Livonibus per Moſchos ſunt erepta, ſi recuperabuntur, in ditione, et poteſtate Livonum manere debebunt. Atque etiam quoties Nos hos exercitus ad propulſandum hoſtem in Livoniam duci neceſſitas inevitabilis poſtulaverit, providebitur,

Anno 1559. tur, ne ſubditis Archidiœceſis, & ipſius Provinciæ vis ulla, devaſtatio, aut damnum aliquod per milites noſtros fiat. Perfecto autem cum Moſchis bello, aut pace certis aliquibus conditionibus cum iis compoſita, ſi ipſi Reverendiſſimi, ac Illuſtriſſimi Domini Archiepiſcus, & Coadiutor, aut eorundem Succeſſores, a Nobis, vel noſtris Succeſſoribus Præſidatus memoratos Nobis tradendos, habere, atque conſequi voluerint, ſummam nomine ſumptuum bellicorum, hoc eſt centum millia florenorum, viginti quatuor groſſos Litvanicos pro ſingulis florenis numerando, Nobis, aut Succeſſoribus noſtris prius numerabunt, qua tandem pecunia numerata, Arces, & Præſidatus prædicti dimitti illis in eodem ſtatu, in quo eos accepimus, per Nos, vel Succeſſores noſtros ſine ulla difficultate, & cunctatione debebunt. Verum ſi miſſa Legatione ad Moſcum, Livonia pacem obtinuerit, ita, ut bellum inferre neceſſarium non ſit, ſummam ipſam integram a Reverendiſſimis, ac Illuſtriſſimis Dominis Archiepiſcopo, & Coadiutore, Capitulo, Archidiœceſique, & ſubditis illius non exigemus, ſed pro ratione ſumptuum minore pecunia erimus contenti. Æquum etiam eſſe cenſemus, ut Pactis apud Poswolie initis utrinq; ſatisfiat; conventum etiam inter Nos eſt, ut ante omnia mittamus Oratores noſtros ad Moſchorum Principem, ita, ut ad tempus Divi Martini conſtitui illic poſſint, denuntiantes illi, ut a Livonibus, veluti iam clientelæ noſtræ populis, abſtineat, neque in eam Provinciam, quæ nomine protectionis, & clientelæ noſtræ, noſtra iam quodammodo facta eſſet, hoſtilia arma inferat, utque etiam ablata omnia, & occupata una cum captivis reſtituat, damnaque illata reſarciat, alioqui Nos defuturos Livonibus non eſſe. Sub idem vero tempus Divi Martini, Reverendiſſimi, & Illuſtriſſimi Domini Archiepiſcopus, & Coadiutor, Præſidatus memoratos per Commiſſarios ſuos hominibus noſtris, quos ad accipiendam poſſeſſionem miſſuri ſumus, tradere, & dimittere ſine ulla cunctatione debebunt, atque ſubditis omnibus illorum locorum, & Præſidatuum iniungere, & præcipere, ut Nobis, Præfectisque noſtris, & Officialibus in omnibus pareant, & obediant, nomineque omnium redituum, vectigalium, & tributorum, ita, ut ex antiquo ſoliti ſunt, reſpondeant. Quantum etiam victus, commeatus, inſtrumenti bellici, aut domeſtici, in ipſis Arcibus relinquetur, tantundem in reſtitutione Præſidatuum ex Inventario rurſus reddatur. Quoties etiam expeditionem adverſus Moſchos, vel alios quoscunque hoſtes facere Livones contigerit, conventum inter Nos eſt, ut Nobilitas, quae Praeſidatibus ipſis Nobis tradendis continetur, quaeque ad ferenda munia bellica antiquitus eſt obligata, coniungere ſe aliis Livonibus in ipſa expeditione aſtricta ſit. Hoc etiam adiecto, ut, ſi quid Praefecti Arcium, rerum, vel debitorum ſuorum habent, exportandi, & exigendi illa iuſtum, atque liberum tempus habebunt. Atque ea etiam, ut tanto maiore fide, & authoritate ſancirentur inter Nos, Sigillum noſtrum hiſce Literis appendi iuſſimus. Actum & Datum Vilnae d. 15. Sept. 1559. Anno 1559.

CXXXI.

Oratores ab Archiepiſcopo Rigenſi cum plena poteſtate miſſi, promittunt eum Pacta ſuper defenſione Livoniæ cum Sacra Regia Maieſtate inita, ſuis Literis comprehenſurum, & confirmaturum, Datum Vilnæ d. 15. Sept. An. 1559. *Ex Archivo Magni Ducatus Litvaniæ.* 1559.

Nos Reverendiſſimorum, & Illuſtriſſimorum Principum, & Dominorum, Domini Gvilhelmi Dei Gratia Archiepiſcopi Rigenſis, Marchionis Brandeburgenſis, Stetiniæ, Pomeraniae, Caſſuborum, ac Vandalorum Ducis, Burgravii Norimbergenſis, & Rugiae Principis, & Domini Christophori eiusdem Gratia Coadiutoris Archiepiſcopatus, Adminiſtratoris Epiſcopatus Radzeburgenſis, Ducis Megapolenſis, & Vandalorum Principis, Terrarum Roſtochiæ, & Stargardiæ Domini, nec non Venerabilis Capituli, Ordinum, Statuum, & ſubditorum Archidiœceſis, Jacobus Mecle Decanus, & Michael a Roſen Conſiliarius, deputati Legati. Notum facimus univerſis, & ſingulis, quorum intereſt, per præſentes Literas. Quod cum ſuperiore anno Livonicam Provinciam, & Archiepiſcopatum Rigenſem Moſchorum Princeps armis invaſiſſet, multisque in ea cædibus editis, atque patratis, longe, lateque vaſtaviſſet, ita, ut Sereniſſimum, & Potentiſſimum Principem, & Dominum, Dominum Sigismundum Augustum Regem Poloniæ, & Magnum Ducem Litvaniae, Ruſſiae, Pruſſiae, Maſoviae, Samogitiaeque Dominum, & Hæredem &c. Reverendiſſimi ſupra memorati Archiepiſcopus, & Coadiutor ſuo, & Archidiœceſis nomine, cum viderent ſe, Livoniamque

Anno 1559. amque totam positam esse in summo discrimine, atque periculo, confugere, opemque Regiam implorare coacti essent, miserunt nos supradictos suos Legatos plenis Mandatis (sicut eadem Sacræ Regiæ Maiestati exhibita sunt) ut eas conditiones, quibus iureiurando, fideque hosti data Sacra Sua Regia Maiestas soluta esse possit, proponeremus. Cum itaque post multos tandem, variosque Tractatus ultro, citroque in hoc negotio habitos, Divino mediante auxilio constitutum, & ea pactio facta sit, prout in Litteris utrinque confectis, & a S.R. Maiestate Nobis traditis comprehensum, confirmatum, & corroboratum est: Postulabat Sacra Regia Maiestas a Nobis, ut Sacræ suæ Regiæ Maiestati Nos quoque vicissim hic promitteremus, & caveremus, quod Reverendissimi Domini Archiepiscopus, Coadiutor, Capitulum, Ordines, & Status Archidiœcesis eandem pactionem Literis quamprimum mandarent, & sigillis suis confirmatam Sacræ Regiæ Maiestati in Formula sua authentica transmitterent. Quod cum æquitati consentaneum sit, Nos pro officio, atque ex Mandato nostro scienter his pollicemur, & eorum nomine appromittimus, quod sæpememorati Reverendissimi Domini Archiepiscopus, Coadiutor, Capitulum, Ordines, & Status Archidiœcesis hisce nostris Literis obligati esse debent, ut eandem Pactionem, & Fœdera, quæ cum Sacra Regia Maiestate inita, constituta, & confirmata, Nobisque exhibita sunt, Literis, & sigillis suis comprehendere, confirmare, corroborare, atque quamprimum transmittere debeant, quo sic utrinque Pacta confirmata perpetuum robur obtineant, Nobisque hæ præsentes Literæ alteris acceptis reddantur. In huius evidens, & inviolabile testimonium Sigilla nostra appensa sunt. Actum, & Datum Vilnæ die decima quinta Mensis Septembris, a Nativitate Domini Anno millesimo quingentesimo quinquagesimo nono.

CXXXII.

1560. *Instructio Legationis ad Reverendum, & Magnificum Dominum Magistrum Livoniæ, atque Reverendissimum Dominum Archiepiscopum Rigensem, data Venerabili Stanislao Gabrielowicz Narkuski Canonico Vilnensi, ac Generoso Nicolao Naruszewicz Markovienſi Capitaneo, Secretariis, & Oratoribus Regiæ Maiestatis.* Dat. Vilnæ d. 5. Jan. Anno 1560. *Ex Archivo Regni.* Lib. Legat. Lit. R. fol. 39.

Anno 1560.

Oratores nostri primum nostro Nomine Rever. & Magnificum Dominum Magistrum Livoniæ salutabunt, faustaq; cuncta illi precabuntur, deferentque ei amica studia nostra, promptamque voluntatem ad omnia officia, in quibuscunque Magnificentiae illius gratificari, atque nostram erga illam benevolentiam declarare possumus. Deinde exponent, tenere memoria Magnificentiam illius, quid Nobis, cum ea in Pactis, quæ inter Nos instituta sunt, convenerit. Etenim ad ea Pacta firmanda, cautum extitit, ut tam Nos cum Magni Ducatus nostri Litvaniæ Consiliariis, quam Reverendus, & Magnificus Dominus Magister cum Reverendis ac Generosis Episcopis, Commendatoribus, & Ordinibus Livoniæ iusiurandum de eis conservandis præstarent, & Sigilla sua Literis Pactorum apponerent. Ea itaque omnia facta per Nos esse Magnificentia illius præsente, memoraſseque Nos, ac Consiliarios Magni Ducatus Litvaniæ, Sigilla nostrum, ac illorum, Literis esse appensa, neque quidquam ex parte nostra esse prætermissum, quod ad Pacta inter Nos conventa stabilienda desiderari a Nobis debuit. Eadem porro a Magnificentia eius, propter Episcoporum, atque Commendatorum Livoniae absentiam præstari, tum, cum Magnificentia eius apud Nos esset, non potuisse, dilataque mutuo consensu ad Conventum Livoniæ esse. Ad eum itaque Conventum se a Nobis missos, ut iureiurando Ordinum, de eis Pactis conservandis interessent, atque Literas eorundem nomine confectas, & sigillis firmatas acciperent, & ad Nos referrent. In quo quin Magnificentia eius, atque uniti Ordines id, quod officium, fidesque Pactorum ab illis postulat, integre, candideque facturi sint, non dubitare Nos decet. Habebunt autem formulam iuramenti per Nos, Consiliariosque nostros Ducatus Litvaniæ præstiti, secundum quam idem Reverendus, & Magnificus Dominus Magister, ac Episcopi, Commendatores, & Ordines Livoniæ iurare debebunt, atque id curæ Oratoribus nostris erit. Exponent deinde Reverendo, & Magnifico Domino Magistro, retulisse ad Nos Reverendum, & Generosum Dominum Gasparum a Munster seniorem Marschalcum Livoniæ, quemadmodum Magnificentia illius, secundum id, quod ei constitutum Nobiscum erat, dederit sibi Praefecturam Vindanensem, id quod tum illius eam, tum

quod

Anno 1560. quod datum esse a Magnificentia eius intercessioni nostræ locum intellexerimus, pergratum nobis extitisse; cæterum quod eandem Præfecturam & exhaustam, et pertenuem esse, neque se eius reditibus pro dignitate sustentari posse dicat, petere illum a Magnificentia eius, ut sibi in eius locum alteram ex duabus his concedat, Mittin scilicet, vel Ascherat cum curia Nerilen, vel Bagen. Aut sane, si id aliqua causa fieri nequeat, ut illi ad eam, quæ ipsi attributa iam per Magnificentiam eius est, adiungatur vicina advocatia in Grabin, vel curia Doblin. Cum itaque a Nobis peteret, ut pro eo apud Magnificentiam illius intercederemus, speramus opera nostra ad causam suam adiuncta, se in ea, id quod petit, facile obtenturum a Magnificentia illius esse, noluimusque in eo studium, intercessionemque nostram illi denegare. Postulamus itaque a Magnificentia illius, ut illi in eis postulatis ipsius facilem se, benignamque præstare velit, atque quamcunque illarum rerum illi ad ampliorem, honestioremque sui sustentandi conditionem permittat. In eiusdem quoque Domini Marschalci causa promiserat Nobis Magnificentia illius, de proscriptione, quæ in eum superiore tempore constituta fuit, abolenda, & abroganda, tum de promulgandis per Livoniam decretis, ne illi ea proscriptio in posterum vel ad nominis famam, vel ad honorum gradus obstet, ac officiat, neve ei ullis in rebus sit fraudi. Instabunt itaque Oratores nostri, id ut Magnificentia illius præstet, atque secundum ea quam maxime & existimationi, famæque, & fortunis illius prospiciat. Tum ut quoque Nobilis Viri Joannis ab Hoyl ratio per Magnificentiam illius secundum ea, quæ inter Nos & Magnificentiam illius acta, & constituta sunt, habeatur. Quibus quidem nominibus vicissim omnia studia nostra prompta, parataque semper illi sunt futura. Eadem hæc quoque de Pactis iidem Oratores nostri apud Reverendissimos & Illustrissimos Dominum Archiepiscopum Rigensem, & Coadiutorem illius agent, atque salutatis nostro nomine Reverendissimis Paternitatibus illarum, omnibusque prosperis eventis illis precatis, ac delato studio nostro, ad omnia nostræ necessitudinis, & coniunctionis Officia, dicent. Quæ Pacta inter Nos ac Reverendissimarum Paternitatum illarum Legatos, ob susceptam per nos illarum, Diœcesisque earum defensionem facta sint, existimareque Nos Paternitatibus illarum cognitum esse, idque tum ex Oratoribus suis, tum ex Literis nostris, quas quidem eorundem Pactorum firmandorum causa confectas, atque et subscriptione, & Sigillo nostro munitas, Reverendissimis Paternitatibus earum transmisimus. Itaque Reverendissimis Paternitatibus earum de eis Pactis conservandis satis cautum per Nos existere, nihilque, quod ad eorum, quæ inter Nos conventa sunt, fidem sanciendam proficisci a Nobis debuit, prætermissum esse. Vicissim vero ad nostram Cautionem constitutum Nobis cum Reverendissimarum Paternitatum illarum Nuntiis esse, ut Reverendissimarum Paternitatum illarum Literas suis, Capitulique, ac Ordinum suorum Nominibus confectas, eodemque verborum tenore, ac contextu conscriptas, tum Sigillis omnium consignatas & communitas Nobis traderent. Vti quidem id Paternitates illarum facturas esse, Nuntii earum plenis Mandatis instructi Nobiscum convenerunt. Itaque datum sibi a Nobis in Mandatis esse, ut eiusmodi Literas Pactorum, ad eum modum, qui inter Nos, & Nuntios Paternitatum illarum constitutus est, confectas ab eis accipiant, & ad Nos apportent. In conscribendis autem eis Literis diligenter Nuntii nostri animadvertent, ut in illis idem verborum contextus, eademque Orationis Sententia nominibus scilicet solis comitata conservetur, neve in eis quidquam, quod a nostris discrepet, apponatur. Anno 1560.

Exponet quoque Legatus noster Reverendissimo Illustrissimo Domino Archiepiscopo Rigensi, constitutum Nobis in Pactis cum Reverendissimæ Paternitatis illius Oratoribus esse, ut Nobis Paternitas eius, ob susceptam per Nos illius Diœcesisque eius, adeoque universæ Livoniæ adversus Moschos propugnationem, Arcem Lenevardi inter cætera tradat, quam quidem Nos ad eius summæ, quæ Nobis constituta per Paternitatem illius est, exolutionem retenturi essemus. Sed tamen cum intelligeremus, quantopere Paternitas illius & gravi illo superioris temporis casu suo, & præsenti infelicitate exhausta sit, ultro id Nos Paternitatis illius Oratoribus detulisse, ut Paternitati eius usumfructum eiusdem Arcis, bonorumque ad eam pertinentium, quoad Illa vivet, permitteremus. Id itaque iam per Nos fieri, atque Paternitati illius in eis bonis usumfructum constitui, Literasque ea de re confectas illi per Nos mitti, sed tamen ut in posterum cautum Nobis ad Jus nostrum tuendum sit, statuimus in præsentia eiusdem Arcis, atque Bonorum possessionem capiendam, quam acceptam iterum sine ulla mora Paternitati eius integram, ususfructus nomine

ANNO 1560. Nos dimiſſuros eſſe. Poſtulare itaque Nos a Paternitate eius, ut huic, quem ad eandem Arcem, poſſeſſionis accipiendæ cauſa, ablegaturi ſumus, eam tradi iubeat, ea ſolum cauſa, ut de illa noſtro nomine accepta in poſterum conſtare poſſit. Eidem porro Nos iniunxiſſe, ut illam acceptam confeſtim Paternitati eius dimittat. In quo tamen Reverendiſſima Paternitas eius facere velit, ut eum, quem illi Arci praeficiendum ſtatuet, in præſentia Legatorum noſtrorum iureiurando obſtringi patiatur, poſteaquam evenerit, ut Reverendiſſima Paternitas eius ab hac vita, quam illi diuturnam contingere a Deo Optimo Maximo precamur, excedat, illam eandem Arcem nemini præter Nos, ſive cui Nos mandabimus, traditurum eſſe, id enim, cum ad cautionem noſtram vehementer pertinebit, tum nulla in parte ius atque uſumfructum Reverendiſſimæ Paternitatis eius imminuet. Datum Vilnæ die V. Januarii Anno Domini MDLX.

CXXXIII.

1560. GOTHARDUS *Magiſter Livoniæ teſtatur ſe Pactis, quæ hic inſeruntur,* Vilnæ die 31. Auguſti Anno 1559. *cum Sacra Regia Maieſtate Poloniæ ſuper Defenſione Livoniæ initis, traditione Officialibus Regiis Arcium, Tractuum, Præſidatuum, Præfecturarum, in iis Literis memoratarum ſatisfeciſſe, promittitque reliquos Ordinis ſui Status eadem Pacta ratificaturos, & ſervaturos.* Datum Rigæ 14. Febr. Anno 1560. *Ex Archivo Magni Ducatus Litvaniæ.*

In Nomine Domini Amen.

Notum facimus omnibus et ſingulis, præſentibus et futuris harum notitiam habituris. Cum ſuperiore Anno Sacri Romani Imperii Provinciam Livoniam, Magno Ducatui Litvaniæ vicinam, Eœdereque, et Voluntate coniunctam, Moſchorum Princeps armis invaſiſſet, multisque in ea cædibus editis, atque patratis, longe, lateque vaſtaviſſet, et complura oppida, atque arces ibidem in ſuam poteſtatem redegiſſet, magnum præterea Captivorum nummerum inde in ſervitutem abduxiſſet, ita ut Nos Dei Gratia GOTHARDUS KETLERUS Ordinis Theutonicorum in Livonia Magiſter, atque Ordo noſter, cum videremus Nos, Livoniamque totam poſitam eſſe in ſummo diſcrimine, atque Moſci viribus imparem, ad Sereniſſimum, et Illuſtriſſimum Principem, Potentiſſimumque Dominum, Dominum SIGISMUNDUM AUGUSTUM Dei gratia Regem Poloniæ, Magnum Ducem Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitæque &c. Dominum, et Hæredem, Dominum Amicum, et Vicinum Nobis chariſſimum confugere, opemque Sacræ eius Maieſtatis in rebus noſtris dubiis implorare coacti eſſemus. Etſi Regia Maieſtas cum Conſiliariis ſuis Regni Poloniæ, et Magni Ducatus Litvaniæ perpenderet, quanta pericula Suæ Regiæ Maieſtati in defendenda Livonia adverſus Moſchos adeunda eſſent, quantusque ſumptus, quantus apparatus in id bellum faciendus, tum et illud inprimis veniret in mentem, Fœdus ipſi cum Moſchis hoc tempore intercedere, atque obſtare, quo minus Livones armis adverſus Moſchos iuvare poſſet. Tamen cum & conditiones, quibus iureiurando, fideque hoſti data ſoluta eſſe poſſet, ipſi proponerentur, & multa præterea adducerentur in medium, quamobrem Livoniæ periclitanti ferri ab Ea ſubſidium oporteret, poſt multos tandem, variosque Tractatus, ultro citroque habitos, miſerta vicem ac cladem coniunctæ ipſi Provinciæ, ita Nobiscum, & Ordine noſtro conſtituit, atque Pactionem eiusmodi fecit. Primo quidem, ut ſoluto iureiurando, atque Fœdere licite pro Livonibus contra Moſcos arma ſumere videri Sacra Regia Maieſtas poſſit, contulimus Nos, Ordinemque noſtrum, & Livoniam totius Ditionis noſtræ in fidem, clientelam & protectionem Sacræ ipſius Regiæ Maieſtatis, non derogando Sacri Romani Imperii directo Domino, habentes ad eam rem plenam facultatem, atque mandatum a noſtri Ordinis Statibus, & omnibus noſtris ſubditis cuiuscunque gradus, aut conditionis illi ſint. Atque eius Protectionis & ſumptuum bellicorum nomine, quos & poſtea, ſi bellum gerendum erit, & nunc iam ſtatim in apparatum ipſius belli facere Sacram eius Regiam Maieſtatem haud parvos oportebit, tum etiam gratitudinis ergo, tradituros Nos illi promiſimus certos Tractus, Arces, Præfecturas, & Præſidatus in Livonia iure obligatorio.

ANNO 1560.

Primo quidem tractum omnem, qui incipit a finibus Magni Ducatus Litvaniæ Drugicenſibus, ac deinde excurrit ſecundum fluvium Dunam, usque ad diſtrictum *Aſcherad*, præſidatu ipſo *Aſcherad* cum ſuis bonis omnibus ex utraque parte fluvii Dunæ excepto.

Item

ANNO 1560. Item Arcem, & Praesidatum Bawsko, & quidquid ipse Praesidatus in suis finibus antiquitus continet, vel quidquid habet, aut habere poterit redituum, vectigalium, & emolumentorum, servatis limitibus, atque terminis antiquis inter Litvaniam, Samogitiam, & Curoniam, ita, ut suarum cuique rerum certa, & stabilis possessio hucusque continuata, maneat.

Deinde tradituri sumus ipsius Regiae Maiestati Arces, & Praesidatus Rositensem, Lucensem, Duneburgensem, & Selburgensem, cum reditibus, utilitatibus, atq; emolumentis eorum, ac omnibus oppidis, villis, pagis, curiis, locis, vasallis, & subditis tam nobilis generis, quam plebei, & in universum cum omnibus iis, quicunque ad ipsos Praesidatus pertinent, velut ex antiquo ipsi Praesidatus Bawsko, Rositen, Lucen, Duneburg, & Selburg distincti sunt, & terminati, & quemadmodum ab Antecessoribus nostris Magistris Livoniae, sive Commendatoribus possessi sunt, & administrati, nihil excipiendo, vel in nostros, aut Ordinis nostri usus ibidem reservando, cum eodem quoque iure, & dominio, quod Nobis, vel Ordini nostro in eos competit Praesidatus.

Regia vero Maiestas vicissim pro se, & omnibus suis Successoribus promittit, quod manentibus his Pactis, & Conditionibus Nos, nostrosque Successores legitimos, Ordinemque nostrum, & Livoniam totam adversus omnem vim, atque impetum Moschorum armis, viribus, & copiis suis tuebitur, & defendet, Successoresque eius tuebuntur, & defendent, quamdiu Livoniæ ipsi Pax cum Moschis, sive armis, sive pactione, & conditione aliqua non fuerit constituta; Pactis tamen, atque Fœderibus apud Oppidum Poswoliae ante biennium initis, quantum videlicet ad expeditionem, bellumque cum Moschis communibus viribus gerendum pertinet, veluti ex ipsis Fœderibus liquet, ita, ut posteriora Pacta executionem illorum non impediant, manentibus Nobis cum Regia ipsius Maiestate integris, atque salvis.

Promittit quoque Sacra Regia eius Maiestas pro se, & Successoribus suis, quod singulis, in Praesidatibus memoratis, subditis nostris, tam Nobilibus, quam ignobilibus, spiritualibus, & saecularibus, militibus, & Ordinis Equestris hominibus, oppidanis, rusticis, colonis, Jura, Privilegia, Libertates, Leges, Sacra, Ritus, Religionem apud Nos usu receptam, & Consvetudines inveteratas, quibus hactenus usi sunt, integras conserva-

re velit, neque ullius subditorum bona mobilia, & immobilia temere auferri, invadi, vexari, aut diripi passura, ac nec ipsa insolitorum, aut non ferendorum vectigalium, & tributorum onere, atque exactione ipsos gravatura est. ANNO 1560.

Quod vero ad Nobilitatem, atq; Vasallos illorum Praesidatuum attinet, Officiales Regii ius dicent, & administrabunt secundum Leges, & Consvetudines Livoniae Provinciae, relicta unicuique libera ad eius Maiestatem provocandi facultate.

In gerendo etiam communibus viribus adversus Moschos bello illum morem, & consvetudinem tenebimus, ut Praefecti exercituum Regiae ipsius Maiestatis Castra sua, quoties fuerit opus, cum Castris atque Copiis nostris Livonicis coniungant, consilioq; inter se mutuo communicent, quo Ordine videlicet, & consilio rem ex utilitate communi gerere debeant.

Quod si divino adiuvante beneficio partem aliquam hostilis Regionis, atque terrae occupare, atque subiugare Nos communibus viribus contigerit, tum partitio, atque divisio ipsius ex aequo inter Regiam Maiestatem, atque Nos fieri debebit, dummodo Regiones ipsæ bello quaesitae ex eo numero non sint, quae praeteritis annis a Magno Ducatu Litvaniae per Moschos sunt abstractae, & occupatae; Namque eae Regiones, si recuperatae fuerint, Regiae ipsius Maiestati, atque Magno Ducatui Litvaniae cedere, atque adiungi debebunt. Eadem quoque ratione & illa, quae Livonibus per Moschos sunt erepta, si recuperabuntur, in ditione, & potestate nostra, & Livoniae manere debebunt.

Atque etiam quoties eius Maiestatis exercitus ad propulsandum hostem in Livoniam duci necessitas inevitabilis postulaverit, providebitur, ne subditis nostrae Provinciae vis ulla, devastatio, aut damnum aliquod per milites Regiae ipsius Maiestatis fiat.

Perfecto autem cum Moschis bello, aut Pace certis quibusdam conditionibus composita, si Nos, Successoresve nostri a Regia eius Maiestate, vel ipsius Successoribus Praesidatus memoratos ipsi tradendos, habere, atque consequi voluerimus, summam nomine sumptuum bellicorum, hoc est, sexies centena millia florenorum, viginti quatuor grossos Litvanicos pro singulis florenis numerando, Sacræ Regiæ Maiestati, aut eius Successoribus prius numerabimus, qua tandem pecunia numerata Arces, & Præsidatus prædicti dimitti Nobis in eodem statu, in quo eos accipiet sua Regia Maiestas, per ip-

Anno 1560. ſam, vel Succeſſores ipſius ſine ulla difficultate, & cunctatione debebuntur.

Verum ſi miſſa Legatione ad Moſchum Livonia pacem obtinuerit, ita, ut bellum hoſti inferre neceſſarium non ſit, ſummam illam integram a Nobis, vel Ordine noſtro Sacra Regia Maieſtas non exiget, ſed pro ratione ſumptuum minore pecunia contenta erit.

Æquum etiam cenſemus, ſi quid adverſus Pacta apud Poſwoliam inita utrinque commiſſum eſt, ut ex præſcripto illorum ius dicatur iis, qui aliquod damnum, iniuriam, aut vim perpeſſi ſunt, atque hac ratione unusquiſq; iuſtitiam debitam conſequatur.

Conventum etiam inter Nos eſt, ut ante omnia mittat Sacra Regia Maieſtas ſuos Oratores ad Moſchorum Principem, ita, ut ad tempus Divi Martini conſtitui illic poſſint, denuntiantes illi, ut a Livonibus, veluti iam clientelæ Regiæ eius Maieſtatis populis abſtineat, neque in eam Sacri Romani Imperii Provinciam, quæ nomine Protectionis, & clientelæ Sacræ ipſius Regiæ Maieſtatis iam quodammodo facta eſſet, hoſtilia arma inferat, utque etiam ablata omnia, & occupata una cum captivis reſtituat, damnaq; illata reſarciat, alioqui Sacram Regiam Maieſtatem defuturam Livonibus non eſſe. Sub idem vero tempus Divi Martini Nos Præſidatus memoratos per Commiſſarios noſtros hominibus Regiis, qui ad accipiendam poſſeſſionem a Regia ipſius Maieſtate mittentur, tradere, & dimittere ſine ulla cunctatione debebimus, atque ſubditis omnibus illorum locorum, & Præſidatuum iniungere, & præcipere, ut Sacræ eius Maieſtati, eiusq; Præfectis, & Officialibus in omnibus pareant, & obediant, nomineq; omnium redituum, vectigalium, & tributorum, ita, ut ex antiquo ſoliti ſunt, reſpondeant. Hoc etiam adiecto, ut ſi quid Commendatores, vel Præfecti illorum Præſidatuum in illis Arcibus, ſive Curiis rerum, vel debitorum ſuorum habeant, exportandi, & exigendi illa iuſtum, atque liberum tempus habeant, qua in re a Præfectis Regiis adiuvari, & non impediri debeant.

Quantum etiam victus, commeatus, inſtrumenti bellici, & domeſtici in ipſis Arcibus relinquetur, tantundem in reſtitutione Præſidatuum ex inventario rurſus reddetur. Quoties etiam expeditionem adverſus Moſchos, vel alios quoscunque hoſtes facere Nos contigerit, conventum inter Nos eſt, ut Nobilitas, quæ Præſidatibus ipſis tradendis continetur, quoque ad ferenda munia bellica antiquitus eſt obligata, coniungere ſe Nobis, & noſtris Succeſſoribus in ipſa expeditione ſit adſtricta. Anno 1560.

Regendorum autem finium negotium hac parte, qua Præſidatus ipſi tradendi ditiones Regias attingunt, manere debet in ſuſpenſo uſque ad Præſidatuum ipſorum reſtitutionem, ita, ut circa reſtitutionem ad executionem deducatur.

Commendatorem etiam veterem Bauſcenſem Juſtum Walzaven, in uſufructu, & poſſeſſione Curiæ Meſolen, ad Præſidatum Bauſcenſem pertinentis, ad extremum vitæ eius tempus relicturam eſſe ſeſe Regia ipſius Maieſtas promiſit, ſalvo tamen iure Sacræ ipſius Regiæ Maieſtatis, atque ut poſt mortem ipſius Curia cum omnibus bonis, & reditibus, quæ ad eam pertinent, ad ſuam Regiam Maieſtatem, & Succeſſores eius devolvatur.

Aliis vero Commendatoribus, qui Regiæ eius Maieſtati Arces, & Præſidatus memoratos tradent, atque dimittent, liberum erit, ſingulis ſingulas Curias in ipſis Præſidatibus retinere, uſque ad initium Menſis Martii anni inſequentis.

Atque ea omnia, ut tanto maiore fide, religione, & authoritate ſancirentur, inter Sacram eius Regiam Maieſtatem, & Nos Gothardum Livoniæ Magiſtrum, Ordinemque noſtrum totum, adhibito iureiurando, atque a Regia Maieſtate obſignata, & manu noſtra ſubſcripta obligationis Formula exhibita, ſervaturos Nos ſancte, & inviolabiliter illa promiſimus. Actumque eſt iſtud a Nobis memorato Magiſtro Livoniae *Vilnæ apud eius Regiam Maieſtatem exiſtentibus, ultima die Menſis Auguſti, Anni ſuperioris milleſimi quingenteſimi quinquageſimi noni.* Jamque & Arces ipſae omnes ſuperius memoratae, & quae hiſce iisdem partes tradendae fuerant, Officialibus eius Sacrae ac Sereniſſimae Maieſtatis per Commiſſarios noſtros traditae, atque dimiſſae ſunt, eamque Conventionem noſtram Vilnenſem cum eius Sacra Regia Maieſtate factam, tum etiam traditionem memoratarum Arcium, Tractuum, Praeſidatuum, & Praefecturarum noſtri Commendatores, & Conſiliarii, qui Vilnae non aderant, Reverendi, Generoſi, ac Nobiles, Chriſtophorus de Nova Villa, alias Ley Senior, Philippus Schall de Bell, Generales Mareſchalci Livoniae, Varnerus Schall de Bell in Goldingen, Mathias de Rede in Dobluchen Commendatores, Henricus de Galen Senior in Bawſko, Chriſtophorus Siborch a Dumeto in Candau, Vilhelmus Schiling Senior in Selburg, Advocati, Johann Bukhorſt, ac Gerhardus Nolle, religioſe, & ſancte etiam ſe ſervaturos eſſe iurarunt, idque in praeſentia

Le-

ANNO 1560. Legatorum Regiae Maiestatis Reverendi Stanislai Gabrielis Narkuski Canonici Vilnensis, & Generosi Nicolai Naruszewicz Markoviensis Capitanei, Secretariorum Regiae Maiestatis.

Cum vero interim etiam nonnulli Status Ordinis nostri praesenti actui praesto interesse non potuerint, occupata scilicet hostilibus armis Moschicis hac Provincia, tum etiam aliquibus in Legatione ad Sacram Caesaream Maiestatem ablegatis: Idcireo Nos toties memoratus Magister cum omnibus praesentibus Statibus Ordinis nostri, eorum omnium absentium nomine, cuiuscunque illi Conditionis, Eminentiaeve fuerint, tam Spiritualium, quam Saecularium, quorumcunque hoc interest, in eorundem Pactorum ratihabitionem, firmamque, ac integram conservationem promittendum, & cavendum duximus, prout & promittimus, atque cavemus. In quorum omnium, ac singulorum, quaecunque superius hisce Literis expressa sunt, & continentur, fidem, evidentiam ac testimonium nostrum saepius memorati Magistri, ac dictorum Ordinis nostri Statuum, & eorum, qui Vilnae Nobiscum fuerunt, & Sacramentum iurisiurandi praestiterunt, videlicet Reverendi, & Nobilis Domini Caspari de Ziborch in Vischlingen, Vicecommendatoris Rigensis, ac Othonis Grothusii Consiliarii, Sigilla iisdem Litteris appendi mandavimus, tum etiam & subscriptione nostrae, eorundemque Ordinis nostri Statuum memoratorum manuum easdem ipsas Literas communitas esse voluimus. Actum, & Datum Rigae in Livonia die decima quarta Mensis Februarii, Anno Salutis humanae millesimo quingentesimo sexagesimo.

CXXXIV.

1560. *Confirmatio Pactorum super defensione Livoniae, cum* SIGISMUNDO AUGUSTO *Rege Poloniae Vilnae d. 15. Sept. Anno 1559. initorum, per Archiepiscopum Rigensem facta.* Datum Rigae d. 15. Febr. 1560. *Ex Archivo Magni Ducatus Litvaniae.*

In Nomine Domini Amen.

NOS GUILHELMUS Dei Gratia Archiepiscopus Rigensis, Marchio Brandeburgensis, Stetiniae, Pomeraniae, Cassuborum, & Vandalorum Dux, Burgravius Norimbergensis, & Rugiae Princeps &c. & CHRISTOPHORUS eadem Gratia Coadiutor Archidiocesis Rigensis, Administrator Episcopatus Radzeburgensis, Dux Megapolensis, & Vandalorum Princeps, Comes Sverinensis, Terrarum Rostochiae, & Stargardiae Dominus &c. Notum facimus universis, & singulis, praesentibus, & futuris, harum notitiam habituris. Quod cum superiore anno Archiepiscopatum nostrum, & Livoniam Provinciam, Magno Ducatui Lithvaniae vicinam, Foedereque, & voluntate coniunctam, Moschorum Princeps armis invasisset, multisque in ea caedibus editis, atque patratis, longe, lateque vastavisset, & complura oppida, atque arces in suam potestatem redegisset, magnumque praeterea captivorum numerum hinc in servitutem abduxisset, ita, ut ad Serenissimum, & Potentissimum Principem, & Dominum, Dominum SIGISMUNDUM AUGUSTUM DEI Gratia Regem Poloniae, Magnum Ducem Litvaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiaeque &c. Dominum & Haeredem, Nos memorati Archiepiscopus, & Coadiutor, una cum Venerabili Capitulo, Ordinibus, Statibus, et subditis Archiepiscopatus nostri Rigensis, cum videremus Nos Archiepiscopatum nostrum, Livoniamque totam positam in summo discrimine, atque Moschicis viribus imparem, confugere, opemque in nostris rebus dubiis implorare coacti sumus. Sacra vero Regia Maiestas, etsi cum Consiliariis suis Regni Poloniae, et Magni Ducatus Litvaniae perpendebat, quanta pericula sibi in defendenda Livonia adversus Moschos adeunda essent, quantusque sumptus, quantus apparatus in id bellum faciendus, tum et illud inprimis veniebat in mentem Suae Maiestati, Foedus sibi cum Moschis hoc tempore intercedere, atque obstare, quo minus Livones armis adversus Moschos iuvare posset: tamen cum et conditiones, quibus iureiurando, fideque hosti data, soluta esse posset, sibi proponerentur, et multa praeterea adducerentur in medium, quamobrem Livoniae periclitanti ferri ab eius Regia Maiestate subsidium oporteret, post multos tandem, variosque tractatus ultro, citroque habitos, Miserta vicem, atque cladem coniunctae sibi Provinciae, ita Nobiscum constituere, pactionemque inire, ac facere dignata est Sacra Regia Maiestas. ANNO 1560.

Primo quidem ut Sacra Regia Maiestas soluta iureiurando, atque Foedere, licite pro Nobis Archiepiscopo, Coadiutore, Capitulo, Statibus, & subditis nostris contra Moschos arma sumere videri possit; contulimus Nos Capitulum, Ordines, Status, & subditos nostros, in fi-

ANNO 1560. dem, clientelam, & protectionem Sacrae Regiae Maiestatis, misimusque ad Sacram suam Maiestatem Legatos nostros plenis mandatis ad rem præstandam instructos, atque eius protectionis, & sumptuum bellicorum nomine, quos & postea, si bellum gerendum erit, & nunc iam statim in apparatum ipsius belli facere ipsam haud parvos oportebit. Tum etiam gratitudinis ergo traditurosNos promisimus, atque constituimus Sacrae Regiae Maiestati certos Tractus, Arces, Præfecturas, & Præsidatus in praedicta Archidiœcesi, nostra iure obligatorio, videlicet: arces Marienhausen, et Lenevarde, et præterea duas curias, Labon, et Bersen, cum omnibus oppidis, villis, pagis, curiis, locis, vasallis, et subditis, tam nobilis generis, quam plebei, reditibus quoque, utilitatibus, et emolumentis quibuscunque, et in universum cum omnibus iis, quæcunque ad ipsas Arces, Præsidatus, atque ad ipsas Curias pertinent, veluti ex antiquo Arces, et Curiæ ipsae suis metis, et limitibus circumseptae sunt, et terminatae, cum omni Jure, et Dominio, nihil ibi pro Nobis, aut nostris Successoribus reservando, aut excipiendo. Sacra autem Regia Maiestas vicissim promisit pro se, & Successoribus suis, quod manentibus his Pactis, & Conditionibus, Nos Archiepiscopum, Coadiutorem, Capitulum, Status, & Archidiœcesim nostram, nostrosque Successores legitimos adversus omnem vim, atque impetum Moschorum armis, viribus, & copiis suis tuebitur, & defendet, Successoresque eius tuebuntur, & defendent tamdiu, quamdiu Livoniæ, Archiepiscopatuique ipsi cum Moschis, sive armis, sive pactione, & conditione aliqua Pax non fuerit constituta. Pactis tamen, & Fœderibus apud Oppidum Poswolie ante biennium initis, & confirmatis manentibus integris, atque salvis. Promisit etiam Sacra Regia Maiestas pro se, & Successoribus suis, quod singulis, in Præsidatibus memoratis, subditis tam nobilibus, quam ignobilibus, spiritualibus, & sæcularibus, militibus, & Ordinis Equestris Archidiœcesis hominibus, Oppidanis, Rusticis, Colonis, Jura, Privilegia, Libertates, Feuda, Leges, Sacra, Ritus, Religionem apud eos usu receptam, & consvetudines inveteratas, quibus hactenus usi sunt, integras conservatura, neque ullius subditorum bona mobilia, vel immobilia temere auferri, invadi, vexari, aut diripi passura, ac nec ipsa insolitorum, ac non ferendorum vectigalium, & tributorum onere, atque exactione illos gravatura sit Quod vero ad Nobilitatem, atque Vasallos eorum Præsidatuum attinet, Officiales Sacræ Regiæ Maiestatis Jus dicent eis, & iustitiam administrabunt, secundum leges, & consvetudines Archiepiscopatus, & Livoniæ Provinciæ, relicta unicuique libera ad Sacram Regiam Maiestatem provocandi facultate. ANNO 1560.

In gerendo etiam communibus viribus adversus Moschos bello, istum morem, & consvetudinem tenebimus, ut Præfecti Exercituum Regiae ipsius Maiestatis castra sua, quoties fuerit opus, cum castris, atque copiis Livonicis, ac nostris coniungant, consiliaque inter se mutuo communicent. Quo ordine scilicet & consilio rem ex utilitate communi gerere debeant. Quodsi Divino adiuvante beneficio, partem aliquam hostilis Regionis, atque Terræ occupare, atque subiugare Nos communibus viribus contigerit, tunc partitio, atque divisio ex æquo inter Sacram Regiam eius Maiestatem, & Nos Livones fieri debebit. Dummodo Regiones ipsæ bello quæsitæ, ex eo numero non sint, quæ præteritis annis a Magno Ducatu Litvaniæ per Moschos sunt abstractæ, et occupatæ. Nam eæ Regiones, si recuperatæ fuerint, Sacræ Regiæ Maiestati, Magnoque Ducatui Litvaniæ cedere, atque adiungi rursus debebunt. Eadem quoque ratione et illa, quæ Livonibus per Moschos sunt erepta, si recuperabuntur, in ditione, et potestate Livonum manere debebunt. Atque etiam quoties eius SACRÆ REGIÆ MAIESTATIS Exercitus ad propulsandum hostem in Livoniam duci necessitas inevitabilis postulaverit, providebitur, ne subditis ipsius Archidiœcesis, ac Provinciae vis ulla, devastatio, aut damnum aliquod per Milites Regios fiat. Perfecto autem cum Moschis bello, aut pace certis aliquibus rationibus cum iis composita, si Nos Archiepiscopus, Coadiutor, aut nostri Successores a Sacra Regia Maiestate, vel suis Successoribus Præsidatus memoratos iam traditos habere, atque consequi voluerimus, summam nomine sumptuum bellicorum, hoc est centum millia florenorum, viginti quatuor grossos Litvanicos pro singulis florenis numerando Sacræ Regiæ Maiestati, aut Successoribus eius numerabimus, qua tandem pecunia numerata Arces, & Præsidatus prædicti dimitti nobis in eodem statu, in quo eos Sacra Regia Maiestas accepit, per eandem Sacram Regiam Maiestatem, & Successores suos, sine ulla difficultate, & cunctatione debebunt. Verum si Legatione ad Moschum missa, Livonia Pacem obtinuerit, ita, ut bel-

ANNO 1560. bellum inferre neceſſarium non ſit, ſummam ipſam integram a Nobis Archiepiſcopo, Coadiutore, Capitulo, Archidiœceſique, & ſubditis noſtris eius Sacra Maieſtas non exiget, ſed pro ratione ſumptuum minori pecunia contenta erit. Æquum etiam eſſe cenſemus, ut Pactis apud Poſwolie initis, & confirmatis, utrinque ſatisfiat. Conventum etiam inter Nos eſt, ut ante omnia Sacra Regia Maieſtas Oratores ſuos ad Moſchorum Principem mittat, ita, ut ad tempus Divi Martini in anno ſuperiore proxime elapſo conſtitui illic poſſint, denuntiantes illi, ut a Livonibus, velut iam clientelæ Suæ Maieſtatis populis abſtineat, neque in ea Provincia, quæ nomine protectionis, & clientelæ ipſius iam quodammodo facta eſt, hoſtilia arma inferat, utque etiam ablata omnia, & occupata una cum captivis reſtituat, damnaque illata reſarciat, alioqui Sacram Regiam Maieſtatem Livonibus defuturam non eſſe. Sub idem vero tempus Divi Martini Nos Archiepiſcopus, & Coadiutor, Præſidatus memoratos, per Commiſſarios noſtros hominibus Regiis, qui ad accipiendam poſſeſſionem a Regia ipſius Maieſtate miſſi ſunt, ſine ulla cunctatione, ut debuimus, tradidimus, & dimiſimus, atque ſubditis omnibus illorum locorum, & Præſidatuum iniunximus, & præcepimus, ut Sacræ eius Regiæ Maieſtati, eius Præfectis, & officialibus in omnibus pareant, & obediant, nomineque omnium redituum, vectigalium, & tributorum, ut ex antiquo ſoliti ſunt, reſpondeant. Quantum etiam victus, commeatus, inſtrumenti bellici, aut domeſtici in ipſis Arcibus relictum eſt, tantundem in reſtitutione Præſidatuum ex Inventario reddetur. Quoties etiam Expeditionem adverſus Moſchos, vel alios quoscunque hoſtes facere Livones contigerit, conventum inter eius Sacram Maieſtatem, & Nos eſt, ut Nobilitas, quæ Præſidatibus ipſis a Nobis Sacræ Regiæ Maieſtati traditis continetur, quaeque ad ferenda munia bellica antiquitus eſt obligata, coniungere ſe aliis Livonibus in ipſa expeditione adſtricta ſit. Hoc etiam adiecto, ut ſi quid Præfecti arcium, rerum, vel debitorum ſuorum habent, exportandi, & exigendi illa iuſtum, atque liberum tempus habeant, qua in re a Præfectis eius Sacræ Maieſtatis Regiæ adiuvari, & non impediri debent, atque ea omnia, ut tanto maiore fide, & authoritate ſancirentur, & inviolabiliter inter Nos ſervarentur, Sigilla noſtra tum etiam Capituli, ac Statuum Archidiœceſeos, Conſiliariorumque noſtrorum hiſce Literis appendi iuſſimus, & ſubſcriptione noſtrarum, ac reliquorum Ordinum, ac Statuum Archidiœceſeos, Conſiliariorumque noſtrorum manuum easdem ipſas Literas communivimus. Cum vero interim nonnulli Status Archidiœceſis noſtræ præſenti actui præſto intereſſe non potuerint, occupata videlicet hoſtilibus armis Moſchicis ea Provincia, proinde Nos ipſi ſæpius memoratus Archiepiſcopus Rigenſis, & Coadiutor cum omnibus noſtris præſentibus Statibus eorundem omnium abſentium nomine, cuiuscunque conditionis, eminentiæve exiſtentium, tam ſpiritualium, quam ſæcularium, quorumcunque id intereſt, in ratihabitionem, firmamque eorundem Pactorum conſervationem, promittendum, atque cavendum duximus, prout etiam præſentibus id ipſum promittimus, atque cavemus. Actum, & Datum Rigæ decimo quinto die Februarii, anno a nato Chriſto milleſimo quingenteſimo ſexageſimo. Præſentibus Reverendis, Venerabilibus, Generoſis, ac Magnificis Dominis Georgio Suhwank, Eccleſiæ Cathedralis Rigenſis Præpoſito, & Jacobo Medeen, eiusdem Eccleſiæ Decano, nec non Michaele a Roſen, Joanne a Roſen, a Hoheroſen, Engelhardo a Mengden, Georgio a Roſen, a Majan, Joanne Uxkul a Meklendorff, Henrico Tiſenhauſen, a Berſon, Reinholdo Koſkul, Conſiliariis, Luca Hubner, Joanne Fauſten, Joanne Koler Secretariis, Chriſtophoro a Tiſenhauſen, a Vetell Capitaneo, Henrico a Tiſenhauſen ab Odſe, Chriſtophoro ab Vngern, & multis aliis de Nobilitate præſentibus. ANNO 1560.

CXXXV.

Recognitio Archiepiſcopi Rigenſis, 1560. *quod Arcem Lenevart* SIGISMUNDO AUGUSTO *Regi Poloniæ, hypothecæ nomine, ex vi Pactorum a ſe traditam, ab eodem cum omni uſufructu, quoad vixerit, poſſidendam acceperit.* Datum Rigæ 15. Februar. 1560. *Ex Archivo Magni Ducatus Litvaniæ.*

NOS GVILHELMUS Dei gratia Archiepiſcopus Rigenſis, Stetiniæ, Pomeraniæ, Caſſuborum, & Vandalorum Dux, Burgravius Norimbergenſis, Princepsque Rugiæ, ſignificamus per præſentes Literas, quorum intereſt univerſis, & ſingulis. Quod cum Sereniſſimo, ac Potentiſſimo Principi, ac Domino, Domino SIGISMUNDO AUGUSTO Dei Gratia Regi Po-

Anno 1560. Poloniæ, Magno Duci Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiae, Maſoviae, Samogitiaeque &c. Domino, & Hæredi, Conſobrino noſtro chariſſimo, ob ſuſceptam noſtri, Archidiœceſisq; noſtrae, atque univerſae Livoniae adverſus Moſchos propugnationem, ſumptuum nomine, quos Sacra eius Regia Maieſtas neceſſario in bellum factura eſſet, conſtituiſſemus noſtro, ac Venerabilis Capituli Rigenſis, Ordinumq; noſtrorum nominibus, per Oratores noſtros plena Mandata eam ad rem habentes certam pecuniarum ſummam, atque ex cauſa eius pecuniæ pignoris, ſeu hypothecæ iure obtuliſſemus, tradituros Nos Sacræ, ac Sereniſſimae Regiae Maieſtati ſuae Arces Marienhauſen, & Lennevart, cum omnibus villis, pagis, colonis, quidquid ad easdem Arces pertinet, quocunque iure, & nomine cenſeatur, ita omnino, ut per Nos habitæ, poſſeſſæque ſunt, uſque ad eius conſtitutae Nobis ſummae exolutionem plenam. Sacra Regia eius Maieſtas accepta earundem Arcium, omniumque ad eas pertinentium reali poſſeſſione, demum pro neceſſitudinis coniunctione, quæ Nobis cum Sacra, ac Sereniſſima eius Regia Maieſtate intercedit, commodo, atque utilitati noſtræ conſulens, faciendum duxit, ut Nobis uſumfructum Arcis Lennevart, omniumque ad eam pertinentium, ad extremum vitae tempus concederet, uti etiam Literis ſpecialiter in hoc Nobis datis conceſſit, permittens, ac tradens Nobis, quoaduſque vivamus, uſufructuario nomine plenam, & integram ſupradictæ Arcis, & quorumvis ad eam pertinentium poſſeſſionem, ac facultatem omnium, ac ſingulorum redituum ex iis obvenientium utendorum, fruendorum, & quosvis uſus voluntate, arbitrioque noſtro conferendorum, ita tamen, ut interim Sacrae ſuae Maieſtati ſalvum, & integrum pignoris, ſeu hypothecæ, atque captae poſſeſſionis, Nobis hac vita ſublatis, continuandae, ius in eadem Arce, atque omnibus ad illam pertinentibus permaneat, prout hiſce Literis noſtris permanſurum recipimus, & pollicemur. Quare etiam Capitaneus noſter, qui nunc, aut deinceps a Nobis Arci Lennevart ad vitam noſtram pro commoditate præficiendus erit, Sacrae Regiae eius Maieſtati ſemper iureiurando, quod modo, & in præſentia Legatorum Maieſtatis ſuae præſtitit, obſtrictus eſſe debet, ne videlicet, Nobis hac vita defunctis, Arcem ulli alii, præter Sacrae, ac Sereniſſimae Regiae Maieſtati, aut cui Maieſtas ſua eandem Arcem tradendam mandaverit, tradere, atque reſtituere debeat, & velit. Sin autem Præfectura illa, novis vicibus per Nos commu tanda, alteri- Anno
que Capitaneo, ſvadente neceſſitate, com- 1560.
mittenda erit, tum Nos id Sacræ Regiæ Maieſtati ſatis mature indicabimus.

Præficiendum Capitaneum ſemper in eo obligatum eſſe volumus, ut Sacræ Regiæ Maieſtati, aut cui Sacra Regia Maieſtas, pro Regia ſua Authoritate, & locorum commoditate commiſerit, iureiurando obſtrictus eſſe debeat. In cuius rei fidem, & teſtimonium hiſce Literis manu propria noſtra ſubſcripſimus, & Sigillum noſtrum appendi iuſſimus. Datum Rigæ decimo quinto die Menſis Februarii, Anno Domini milleſimo quingenteſimo ſexageſimo.

Literæ Fidei datæ Nicolao Duci Palatino Vilnenſi Sacræ Regiæ Maieſtatis ad Archiepiſcopum Rigenſem, ac reliquos Livoniæ Status Legato. Ex Archivo Regni. 1560.

Reverendiſſime, & Illuſtriſſime in Chriſto Pater, Domine Conſobrine noſter chariſſime. Salutem, proſperosque rerum omnium eventus. Cum intelligeremus legationibus de iis rebus, quæ ad rationes, Statumque Livoniæ pertinent, ultro, citroque inter Nos mittendis multum temporis abſumi, & occaſiones rei bene gerendæ negligi, faciendum ſtatuimus, ut quemadmodum Reverendiſſimæ, & Illuſtriſſimæ Paternitati Veſtræ per Literas, atque Nuntios ipſius ſignificavimus, iſthuc ablegaremus Illuſtrem, & Magnificum Dominum Nicolaum Radziwiłł, in Ołyka, & Nieśwież Ducem, Palatinum Vilnenſem, Magni Ducatus noſtri Supremum Mareſchalcum, & Cancellarium, Brzeſtenſem, Caunenſem, Szaulenſemque Capitaneum, cum plena facultate omnium rerum, quæ ad rationes, & conſilia præſentis temporis pertinent, cum Reverendiſſima, & Illuſtriſſima Paternitate Veſtra, cæterisque Livoniæ Ordinibus conſtituendarum; quamobrem poſtulamus ab Reverendiſſima, & Illuſtriſſima Paternitate Veſtra, ut illi omnibus de rebus, de quibus ad eam noſtro nomine referet, integram fidem habere velit, atque cum eo non ſecus, acſi Nos ipſi præſentes iſthic adeſſemus, omnia conſilia, quæ præſentis temporis uſus, ac neceſſitas exigit, inſtituere. Tandem Reverendiſſimam, & Illuſtriſſimam Paternitatem Veſtram bene valere cupimus. Datum Vilnæ 3. die Junii, Anno 1560.

Li-

ANNO 1560. *Literæ Plenipotentiæ eidem Duci Nicolao Palatino Vilnenſi datæ.*

SIGISMUNDUS AUGUSTUS DEI Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ &c. Significamus per præſentes Literas, quorum intereſt, univerſis. Quod cum Nos clades eas, quibus Livonia a Moſchis in dies affligitur, tum multarum in ea Arcium, Civitatum, Oppidorum, Villarum devaſtationem, occupationemque pro noſtra cum Statibus Livonicis, & vicinitatis, & Pactorum coniunctione, communem pene Nobis, Ditionibusque noſtris ſtatueremus, atque eisdem de cauſis officium noſtrum agnoſceremus, opis, atque auxilii illis primo quoque tempore ferendi, atque armorum adverſus communem hoſtem illis coniungendorum, volentes omnia tum ad rationes Arcium, & locorum, quæ periculo expoſita ſunt, præſidiis firmandorum, tum ad belli adminiſtrandi conſilia mature conſtituta eſſe, neque earum rerum, tractationumque cauſa, Legationibus mittendis tempus trahi, atque occaſiones rei bene gerendæ amitti, faciendum duximus, ut Illuſtrem, & Magnificum Dominum NICOLAUM Radziwiłł, in Ołyka, & Nieśwież Ducem, Palatinum Vilnenſem, Magni Ducatus noſtri Litvaniæ Supremum Mareſchalcum, Brzeſtenſem, Caunenſem, Szaulenſemque, & Boriſſovienſem Capitaneum eo ablegaremus, eique daremus plenam, ac integram poteſtatem, uti quidem hiſce Literis noſtris damus, & concedimus agendi, tractandi, & conſtituendi cum Reverendiſſimis, & Illuſtriſſimis Dominis Archiepiſcopo, & Coadiutore Rigenſibus, nec non cum Reverendo, & Magnifico Domino Magiſtro, & Statibus Livoniæ, de rationibus belli communi conſilio, ac ſententia inſtituendi, & adminiſtrandi, Præſidiorumque Arcibus, & locis periculo, ac impetui hoſtium propoſitis imponendorum, tum omnium, & ſingulorum gerendorum, & conſtituendorum, quae uſus, ac neceſſitas conſulendi Livoniæ, bellique gerendi, & adminiſtrandi flagitabit, quæque noſtra cum eis Pactorum coniunctio, atque ſuſceptæ illorum propugnationis officium foret. Promittentes, quidquid per eundem Illuſtrem, & Magnificum Dominum NICOLAUM Radziwiłł, in Ołyka, & Nieśwież Ducem, hoc nomine actum, tractatum, conſtitutum, atque concluſum erit, id Nos ratum, & firmum habituros, conſervaturosque eſſe. In cuius rei fidem, & teſtimonium hiſce Literis manu noſtra ſubſcripſimus, & Sigillum noſtrum Magni Ducatus Litvaniæ apprimi iuſſimus. Datum Vilnæ die 3. Junii Anno 1560. ANNO 1560.

CXXXVI.

Literæ plenæ poteſtatis, & Mandati, Legatis eo tempore, quo Livonia Provincia omnibus auxiliis, a Sacro Romano Imperio expectatis, deſtituta, poſt mutatam Ordinis Theutonici conditionem, in fidem, & poteſtatem Regis, ac Regni Poloniæ, ſumma urgente neceſſitate ſe tradere cogebatur, ad Sacram Regiam Maieſtatem, Dominum SIGISMUNDUM AUGUSTUM *miſſis, a Nobilitate, & reliquis Provinciæ Ordinibus datæ. Ex Archivo Regni.* 1561.

NOs Philippus ab AItenbockum Subiudex Curlandiæ, Joannes Wrangel de Weidemar, Otto Grotthuſen, Valentinus Hane, Joannes Tryden, Joannes Plettenberg, Sanderus Nettelhorſt, Nicolaus Wahl, Joannes Schmœling, Joannes Anrep, Chriſtophorus de Rope, & Dyoniſius de Gülſen, nomine omnium, qui hactenus, & ad hunc uſque diem Illuſtriſſimo, ac Reverendiſſimo Principi, & Domino, Domino GOTTHARDO KETTLERO, Equeſtris Ordinis Theutonici Magiſtro, paruerunt, manifeſtum facimus, & declaramus publicis hiſce Literis.

Cum Nos, et omnes huius Provinciæ Ordines, et Incolæ, cum ſupra nominato Illuſtriſſimo Domino, et Principe, Domino noſtro Clementiſſimo, a Sacra Romana Imperatoria Maieſtate, Electoribus, et cunctis Ordinibus Sacri Romani Imperii, Nationis Germanicæ, reiteratis noſtris precibus, implorationibus, et ſollicitationibus omnino poſtpoſitis, per quatuor annorum ſpatium ſine ope, ſine præſidiis, et ſine ſpe auxilii deſeramur, et ne quid deſit noſtræ calamitati, ii, qui merito Nobis ſuccurrere deberent, omnibus humanitatis officiis, æquitatis, et Religionis Legibus neglectis, enſes in Nos ſtringant, et tam duro fato ad eam anguſtiam redacti ſumus, ut fieri non poſſit, quin ſuccumbamus. Singularis enim certe Divinæ Providentiæ ſignum eſt, Nos adhuc ultimum trahere ſpiritum. Summis hiſce anguſtiis quoque perpendentes, Sacram Regiam Maieſtatem, quæ quidem pro eximia ſua, et Rege digna, generoſa benevolentia Nobis non defuit, ſed non

ANNO 1561. niſi contra Moſchorum invaſiones opem, et auxilium promiſit, per modo memoratas inexpectatas inimicitias vicinorum impediri, noſtram vero conditionem in dies fieri infeliciorem.

Propoſitionibus, quas Sacrae Regiae Maieſtatis Nuntius, Illuſtriſſimus & Magnificus Princeps, ac Dominus, Dominus Nicolaus Radziwiłł, in Ołyka & Nieświez nomine REGIÆ MAIESTATIS nobiscum communicavit, probe examinatis, Nos una cum Illuſtriſſimo Domino noſtro, ac Principe Clementiſſimo, & omnibus Ordinibus, Statibus, & Civitatibus, quia aliud conſervationis noſtræ remedium in promptu non habemus, prævia matura deliberatione, & communi omnium conſenſu, conſilium Provinciæ Regi tradendae, Regnoque conſociandae cepimus. Et cum Regia Maieſtas nobis viciſſim protectionem Regiam, & auxilium contra quemcunque, iuſtitiae promptam adminiſtrationem, liberi Religionis, purioris Eccleſiae, ad normam Auguſtanæ Confeſſionis exercitii, nec minus Regalium, Dignitatum, Jurium, Statutorum, tam lege ſcripta, quam conſvetudine, & longo uſu introductionem, nec non formae Regiminis ſemel receptæ, cuius lege, nullum præter nationis, & linguae Germanicae Dominum recognoſcimus, omnemque nexum ſubiectionis cum peregrino abhorremus, conſervationem, nec non Capitum, & Articulorum de hocce negotio, conſcribendorum confirmationem, per ſubſcriptionem Diplomatis deſuper nobis extradendi, Sigilli appoſitionem, nec non iuramenti, ſolennia promiſerit. Nuntiorum autem deputationem, qui Mandato noſtro, & plena poteſtate muniti, una cum Illuſtri Principe, ac Domino noſtro Clementiſſimo comparere, traditionis ab una, & acceptationis ab altera parte, nec non Juramenti a Rege præſtandi Solennibus intereſſe, confirmandorum, & ſtabiliendorum confirmationem & augmentationem urgere, & mandato noſtro, ubique ſatisfacere poſſint, gratioſe permiſerit.

Nos igitur harum Literarum vigore, Nuntios noſtros, videlicet Nobiles, Reimpertum Gildesheimium Juris Doctorem, Gregorium Francken, Henricum Plahtern, Joannem de Mehden & Fabianum a Borck, plena poteſtate munimus, ut una cum Sereniſſimo noſtro Domino, ac Principe, aut ſeorſim, ita, ut circumſtantiae temporis, aut conſilia Illuſtriſſimi Principis noſtri ſvadebunt, ad profitendam, & recognoſcendam ſubiectionem compareant, & poſt acceptam, Sacræ Regiæ Maieſtati ea ſubmiſſione, qua par eſt, gratias agant, ſolennibus iuramenti, a Rege præſtandi interſint, et iuramenti tenorem fideliter Literis conſignent, deinde, ſi Illuſtriſſimo Domino noſtro conſultum videbitur, noſtrum omnium nomine, & in animas noſtras Homagium corporali iuramento præſtent, denique Regem de confirmatione eorum, quae Regis Nuntius, Illuſtriſſimus, & Magnificus Princeps, ac Dominus, Nicolaus Radziwiłł in Ołyka & Nieświez Dux, & Palatinatus Vilnenſis, nomine Regiae Maieſtatis promiſit, liberi nempe exercitii Religionis, adamuſſim Auguſtanae Confeſſionis adornati, Sacrorum, Ceremoniarum ad cultum divinum pertinentium, & Regiminis Eccleſiaſtici compellent, Regemque humillime ſollicitent, ut Eccleſiis ſufficienti reditu carentibus, neceſſaria ſuſtentatione, & dote ex liberalitate Regia proſpicere, redituum vero ab Eccleſiis alienatorum, ſive ſint cenſus, ſive fundi ablati, reſtitutionem imperare. Secundo confirmationem Dignitatum, Privilegiorum, Immunitatum, Legum, Judiciorum, & Jurium Germanorum conſvetorum, ſub perpetuo Dominio, ex Natione, & linqua germanica ſemper conſtituendo, in poſterum ſine interruptione continuandorum largiri, & tertio permittere velit, ut conſideratione ſingularis gloriae, & incrementi, quod regnum Poloniae ex hac noſtra acceſſione, & conſociatione capit, omnium Feudorum, Beneficiorum, & Bonorum, acceptorum, vel longo temporis uſu acquiſitorum poſſeſſio, cum libera diſpoſitione, ſecundum ius apud Nos receptum, quo tam maſculi, quam fœminei ſexus agnati in Feuda ſuccedunt, per novam Infeudationem Nobis conſervetur, & cum plures ſint in Livonia, qui cum conſanguineis ſuis atque aliis familiis lege, ſimultaneæ ſeu coniunctæ manus, contrahendi facultatem olim nacti ſunt, hoc Privilegium per novam confirmationem in æternum vigeat. ANNO 1561.

CXXXVII.

Revalienſes ERICO XIV. *Regi Sveciæ ſeſe addicunt, ac ſubiiciunt.* 1561.

Nos infraſcripti Sereniſſimi, Potentiſſimique Principis, ac Domini ERICI XIV. Svecorum, Gothorum, atque Vandalorum Regis, Domini noſtri Clementiſſimi, Deputati, Plenipotentiarii, & Legati, Claudius Chriſtierni in Amine, Joannes Laurentii in Iſſenes, & Hermannus Bruverus confitemur, teſtatumque eſſe volumus hisce patentibus a Nobis ſignatis Literis, omnibus, ac ſingulis,

Anno 1561. lis, cuiuscunque dignitatis, conditionis, aut ſtatus, quibus eædem inſpiciendae, attendendae, & legendae occurrunt, aut offeruntnr: cum Regiones Livoniae direptionibus, latrociniis, atque incendiis, abrepta incolarum multitudine, aliisque calamitatibus a Moſco crudeli, ac cruento univerſi Chriſtiani Orbis hoſte, iam quartum usque annum, graviſſime, & miſerrime afflictæ, atque exagitatæ fuerint; atque ab eo usque tempore hactenus, ſicut, & nunc a ſuo quisque domicilio fugatus, in exilio vitam trahere compulſus ſit, adeo, ut loca iſta omni auxilio denudata prorſus relicta iacuerint: Jam vero ſpectabiles, conſulti, & iuris periti Domini, perquam dilecti amici noſtri, Conſules, Senatores, & Cives Vrbis Revalienſis, quo præveniant excidium ſuum, atque everſionem ultimam, ſuperius memoratae Sacrae Regiae Maieſtatis conſilium, ſolatium, atque auxilium per deputatos Legatos ſuos ſubmiſſiſſime imploraverint, ac petierint; atque ideo ſumme memorata Sacra Regia Maieſtas miſericordiæ Chriſtianæ inſtinctu, pro affectu ſuo, atque animo erga ipſos ſemper benevolo, in honorem Omnipotentis Dei, ad conſervandam, promovendam, propagandamque veram, ſalvificam, puram, et incorruptam Verbi Divini Doctrinam, tum ad avertendam, quæ ſubito metueretur, harum Terrarum peſſundationem, cum univerſi Chriſtiani Orbis inde anxii commodo, non modo prædictis Dominis Conſulibus, Senatoribus, Civibus, et Incolis Civitatis Revalienſis, ſed etiam toti huic Provinciæ, Clementiſſimam, et Benigniſſimam ſeſe præſtiterit, inprimis reputans, quantum periculi exinde crearetur non modo Sacrae Regiae Maieſtati, atque cæteris Principibus finitimis, verum etiam univerſo Chriſtianorum Cœtui, ſi urbs Revalia, quippe propugnaculum unicum iſtis in Regionibus, cum Diſtrictibus Harrico, Wierlandico, et Jervico, in hoſtis ſæviſſimi poteſtatem veniret, et ſub Dominio ipſius perſiſtere cogeretur, a cuius tyrannide nondum vindicati ſunt, iidem autem quo decenter, et modeſtia convenienti Sacræ Regiæ Maieſtati Domino noſtro Clementiſſimo, ſubiicerent ſe Reverendiſſimo Principi, ac Domino, Domino Gothardo Magiſtro Livoniæ, per Legatos ſuos officioſiſſime in mentem revocaverint, quam miſere ab ipſo, utpote Magiſtratu ſuo legitimo, iam quartum usque annum, omni auxilio, et ſubſidio deſtituti, periculisque expoſiti prorſus fuiſſent, quodque ne tum quidem firma, ac præſens vindicatio, aut liberatio ab ipſo Principe expectanda eſſet, inſuper denunciantes, qua cum neceſſitate extrema conflictarentur, propter quam ipſis neceſſum foret, quærere præſidia alia, & levamenta, eaque ratione, Principi ipſi præſtitum ante iuramentum, & homagium renuntiari, ac tolli curaverint, atque viciſſim una cum ſpectabili, & Conſulto Senatu, Civibus, atque Incolis Civitatis Revalienſis Sacræ Regiæ Maieſtati Sveciæ, Domino noſtro Clementiſſimo ſeſe addixerint, atque ut ſubditos dilectos, ac fidos ſeſe ſubmiſerint, ſubiecerintque; ea propter Nos ante memorati Sacrae Regiæ Maieſtatis plenam Potentiam, & cauſam gerentes, Legati, Sacrae Regiae Maieſtatis nomine, Senatores, Equites omnes, & Nobiles Diſtrictus Harrici, Wierlandici, & Jervici, una cum Spectabili Senatu, univerſo Cœtu, & Incolis Civitatis Revalienſis, poſtquam rite iam præſtitiſſent iuramentum obſequii, & fidei, ſingulos, atque omnes, in tutelam, & protectionem Sacræ Regiæ Maieſtatis ſuſcepimus. Idque hiſce, & vi Literarum præſentium, quam firmiſſime, ac fieri unquam eiusmodi poteſt, ratum habemus, facimus, & abſolvimus &c. In maiorem fidem, & robur hæc inter Nos conventa manuum noſtrarum ſubſcriptione, & ſigillis confirmamus. Revaliæ, die 4. Junii, Anno 1561. Anno 1561.

Subiectionis Revalienſium Confirmatio.

Nos Ericus XIV. Dei Gratia Svecorum, Gothorum, & Vandalorum Rex &c. Quandoquidem Ditiones Livoniæ invaſionibus, latrociniis, & exuſtionibus, depopulationibusque a Magno Moſcoviæ Duce, miſerrime, ac peſſime per quatuor fere annos vexatæ, devaſtatæ, atque peſſundatæ fuerint, adeo, ut omnes propemodum Nobiles ſuis evacuati, & privati bonis, in ſtatum miſerrimum inciderint, atque iam poſtea Equites, ac Nobiles Diſtrictus Harrici, Wierlandici, & Jervici, quos Magnus Dux in ſuam nondum redegit poteſtatem, una cum Civitate Revalienſi in anguſtiis illis, atque ærumnis ſuis deſerti a Magiſtratu ſuo, Magiſtro Theutonici Ordinis in Livonia, ipſius nempe, & aliorum ope privati, ut vindicaremus, auxilium ferremus, & liberaremus, implorarunt, atque ut in numerum ſubditorum noſtrorum reciperentur, deſideraverunt, idcirco firmis, validisque nitentes rationibus, per Commiſſarios ſpectabiles, & honeſtos, Claudium Chriſtierni, Joannem Laurentii, & Hermannum Bruſerum,

ANNO 1561. Equites, Nobiles, atque Incolas Diſtrictus Harrici, et Jervenſis, eosque, quos in Wirlandia iugo ſuo nondum penitus ſubmiſit Moſcus, in tutelam, et fidem noſtram, atque in ſubiectorum noſtrorum, et dilectorum Fidorum numerum, praeſtito homagio, referri, et ſuſcipi iuſſimus, eosque vi praeſentium harum Literarum patentium ſuſcipimus, et promiſſariis noſtris, confirmationemque veterum Privilegiorum, et Conſvetudinum ſequenti modo ratihabemus etc. Norcopiæ die 2. Auguſti Anno 1561.

CXXXVIII.

1561. *Pacta ſubiectionis inter* SIGISMUNDUM AUGUSTUM *Regem Poloniæ, & Gothardum Magiſtrum Ordinis Theutonici inita, quibus Provincia Livoniæ præfato Regi ſubiicitur, ac Magno Ducatui Litvaniæ adiungitur, dicto vero Gothardo Magiſtro Titulus Ducalis, cum omni dignitate tribuitur, nec non certi Diſtrictus in Livonia in feudum conceduntur.* Actum Vilnæ d. 28. Novembr. 1561. *Collatum cum Originali. Extat in Archivo Cancell. Regni* Lib. 169. ſub Lit. S. P. num. 170. fol. 123. Item Lib. 182. ſub Lit. R. C. num. 183. fol. 32.

SIGISMUNDUS AUGUSTUS, DEI Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, etc. Significamus praeſentibus Literis noſtris univerſis, et ſingulis, quorum intereſt. Cum Terra Livoniae Nobis, ex parte Magni Ducatus noſtri Litvaniae, et vicinitate, et multis, partim antiquis, partim novis Pactis, et Fœderibus devincta, et conſociata, iam ab aliquot annis immaniſſimi hoſtis Moſchi crudelibus armis, incendiis, et vaſtationibus propemodum funditus everſa, ac deſolata eſſet, ita, ut extrema quaeque illi imminerent, nec quidquam certius eſſet, quam quod ad primam quamque incurſionem illius praepotentis hoſtis, illud, quod reliquum tam in Diœceſi Rigenſi, quam in Terris Magiſtri Ordinis Theutonici fuerat, ſimilibus cladibus exſcinderetur, et in duriſſimam ſervitutem hoſtilem veniret, quemadmodum iam magna pars propter multarum Civitatum, Arcium, Propugnaculorum amiſſionem venerat, et ob maximam in omnes partes depopulationem, vaſtitatemque ferro, atque igni in ea allatam, et propter quotidianas incurſiones, magnumque hoſtis ad eius reliquias occupandas apparatum, ad eam anguſtiam, et difficultatem Ordines illius redacti eſſent, ut nequaquam opibus, viribusque propriis ſtatum ſuum defendere, atque ſe a ſervitute, et crudelitate hoſtili tueri, ac vindicare poſſent. Ideo Illuſtriſſimus, et Magnificus Dominus GOTTHARDUS, Equeſtris Ordinis Theutonici in Livonia Magiſter, Nobilitas, Civitates, Statusque, et Ordines illius univerſi, dum et omnia domeſtica conſilia ſua convulſa, et ſe ab aliorum praeſidiis, praeſertim Sacrae Caeſareae Maieſtatis, er Statuum Romani Imperii deſtitutos animadverterent, a vicino etiam Rege Sveciae terra, marique peterentur; tam ſuo, quam Civitatum, aliorumq; Ordinum Livoniae, ad dictum Magiſtrum ſpectantium nomine, crebris internuntiis, & literis præſentem calamitatem, & graviſſimum periculum Nobis expoſuiſſent, multisque precibus opem, & auxilium noſtrum imploraſſent. ANNO 1561.

Nos & commiſeratione afflictiſſimæ Provinciæ, & amore totius Reipublicæ adducti, & ne barbarus hoſtis latius pro ſua libidine in populo graſſaretur, dedimus negotium Illuſtriſſimo Principi, Domino Nicolao Radziwiłł, Duci in Olyka, & Nieśwież, Palatino Vilnenſi, &c. ut iterum in Livoniam properaret, & primo quoque Rigam peteret, ibique tam cum ipſo Magiſtro, quam cum illius Ordinibus, ac Civitatibus, de memoratæ Provinciæ defenſionis ratione tractaret. Cumque in illis tractatibus ab omnibus perſpiceretur, niſi communibus viribus, tam Polonorum, quam Litvanorum defenſio ſuſcipiatur, non poſſe potentiam hoſtilem reprimi, Polonorum vero auxilia, niſi deditio quoque ad Regnum Poloniæ, non ſolum Magnum Ducatum Litvaniæ fiat, nequaquam adduci poſſe: Tandem ad hunc extremum caſum, ita, ut fit in rebus deſperatis, & præſenti periculo expoſitis, deventum eſt, ut de facienda deditione ſtatuerent, eoque nomine communis profectio tam ab ipſo Principe prænominato, quam ab Ordinum, ac Civitatum Nuntiis, ad Nos ſuſciperetur.

Sed quia prædicto Principe, aliorumque Ordinum, ac Civitatum Nuntiis ad Nos Vilnam venientibus, & ſubiectionem certis conditionibus Nobis, Regno Poloniæ, Magno Ducatui Litvaniæ, Ruſſiae, Pruſſiae, Maſoviae, Samogitiaeque, caeterisque Ditionibus noſtris profitentibus, Senatus Poloniæ copiam tunc non habe-

ANNO habebamus, sine quo subiectio ipsa, ex
1561. parte Regni rite, atque commode peragi non possit, necessario huius rei tractationem in nostram in Poloniam Profectionem, ex parte Regni reiicere Nos oportuit. Ne vero interea, dum hæc ad Senatores, & Ordines Regni nostri perferuntur, atque ibi ab eisdem Ordinibus approbantur, multis modis afflicta Livonia vel in spe dubia, vel in ancipiti statu rerum suarum, vel etiam ope destituta, & extremæ depopulationi hostili expositа relinquatur, indeque mutata voluntate, vel servitutem tyrannicam, vel alias quantumvis iniquas conditiones subire cogatur, sed ut & illi de indubitata ope, & praesidio nostro, & Nos vicissim de constanti fide, & voluntate eorum certi simus.

Ita tandem post varios, multosque tractatus hoc tempore inter Nos, et praedictum Principem, aliorumque Ordinum, ac Civitatum Nuntios conventum est, ut ipsa Livonia ex nunc Nobis, ut Regi Poloniae, Magno Duci Litvaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiaeque etc. Domino, ac Haeredi, subiecta sit, et maneat, dum certi aliquid de approbatione Procerum Regni retulerimus.

Quandoquidem vero hoc negotium ad Regni Conventum, proxime in Masovia futurum, et ad Status, et Ordines Regni reiecimus, in eo quidem Conventu sancte promisimus, et authoritate harum Literarum promittimus, ut a Senatoribus, caeterisque Ordinibus Regni nostri in Polonia, professa subiectio tam Principis praedicti, quam subiectorum suorum, in commune seu coniunctum cum Regno, Ducatu Litvaniae, et caeteris Dominiis recipiatur, et approbetur, iuxta Tractatus hic Nobiscum initos, utque interea Livonia a Nobis totis viribus Regni, Magni Ducatus Litvaniae cum omnibus adiunctis Ditionibus nostris, tam adversus Moschos, quam adversus omnes alios hostile aliquid illi molientes defendatur, et propugnetur, et Civitates, Arcesque amissae armis repetantur. Si vero praeter spem nostram Status Regni nostri Poloniae subiectionem istam consentire, et ita Livoniam coniunctis viribus, prout conditiones praenominatae ferunt, defendere nollent; Livonia vero a solis Proceribus Litvaniae ad modum praescriptum defensa fuerit, extunc, prout exnunc, Magno huic Litvaniae Ducatui incorporata, illique unita esse censeatur.

Cum autem in conditionibus subiectionis illud inter caetera contineatur, quod tam praedictus Princeps, quam subditi, et Civitates sibi a Nobis caveri postularint, ne deditio, et subiectio illa, quam Nobis, ut Regi Poloniae, Magno Ducatui Litvaniae, aliarumque Ditionum nostrarum, extremis casibus, et periculis adducti obtulerunt, apud Caesaream Maiestatem, aliosque Imperii Ordines Germaniae, illis damno, et fraude sit; bona fide spondemus, et recipimus. Nos interea, donec cum Senatoribus quoque Regni de Livonia in fidem, et subiectionem recipienda acturi sumus, omnem curam, et diligentiam adhibituros, ut vel per Internuntios, vel per Literas nostras Caesareae Maiestatis, aliorumque Imperii Ordinum, inprimis vero Magistri Ordinis Theutonici per Germaniam animi ac voluntates ad probandam huius facti necessitatem, inducantur, et flectantur. Quodsi id plane confici non poterit, huc tamen totis viribus incumbemus, ne vel Princeps, vel subditi ullum detrimentum, tam in honore, et fama, quam in bonis, et fortunis ex hac necessaria deditione patiantur, nec ullam Imperii proscriptionem, aliave gravamina, hoc nomine incurrant, vel si incurrerint, Nos tamen providebimus, ne hoc cuiquam publice, vel privatim fraudi sit. ANNO 1561.

Dedimus praeterea fidem, sicut et praesentibus Literis sancte damus, recipimus, atque promittimus, Nos tam Principi ipsi, quam Civitatibus aliis, vel subditis suis cuiusque Ordinis, vel Status fuerint, liberum usum Religionis, Cultusque Divini, et receptorum rituum, secundum Augustanam Confessionem, in suis Ecclesiis, totiusque rei Ecclesiasticae integram administrationem, sicut eam hactenus habuerunt, libere permisimus, nec in ea ullam mutationem facturos, neque ut ab aliis fiat, permissuros.

Omnia etiam eorum Jura, Beneficia, Privilegia saecularia, et ecclesiastica, praesertim Nobilium, tam simultaneae Investiturae ius, quam et libertatem gratiae in successione haereditaria ad utrumque sexum, superioritates, praeeminentias, dignitates, possessiones, libertates, transactiones, et plebiscita, immunitatesve confirmaturos esse, denique et iurisdictionem totalem, iuxta leges, consvetudines, moresque antiquos.

Cum provocatione tamen eorum, qui tam ex Nobilibus, quam Civitatibus, immediate Imperio nostro, vigore praesentis cum eius Illustritate Transactionis, adiiciuntur, ad Vicegerentem nostrum per Livoniam, vel Senatum, Senatores, Judices nostros, per Nos in Civitate Rigensi constituendos, eligendos communibus Equestris Ordinis, hoc est, tam ipsorum Membrorum Theutonici Ordinis, quam Nobilitatis Livoniae suffragiis, idq; non

ANNO 1561. ex aliis, quam indigenis, & bene poſſeſſionatis illius Provinciae incolis, nempe ex Nobilibus, Vaſallis, & Civitatum Senatoribus, membrorum etiam Ordinis, qui, mutato ſtatu, totos ſe huic Provinciae dederint: ita tamen, ut eisdem ſubditis noſtris Equeſtris, & Civilis conditionis indifferens ſit appellatio, prout cuique appellanti provocare viſum fuerit, nempe immediate ad Nos, vel mediate ad Vicesgerentem, vel ad Senatum noſtrum præfatum. Illi vero, qui dicti Principis iurisdictioni ſubiecti, & ratione dominorum eius ſubditi erunt, & manebunt, ad ſuum tantum Principem provocabunt. In cauſis tamen gravibus, et maximi momenti, licebit Equeſtri Ordini a Principe ſuo ad Conventum provincialem terrarum Livoniae, iuxta veterem conſvetudinem, provocare.

Præterea recepimus, prout præſentibus recipimus, ſubditos provinciae illius penes Magiſtratum ſuum Germanicum relicturos eſſe etc. Proinde officia, præfecturas, praeſidiatus, iudicatus, burggraviatus, et id genus, non aliis quam nationis ac linquae Germanicae hominibus, ac adeo indigenis, collaturos eſſe, quemadmodum in terris Pruſſiae conferre ſoliti ſumus.

Et quidquid publice vel privatim univerſis, et ſingulis de iure, et æquitate competere videtur vel videbitur, noſtris literis, et diplomatibus confirmaturos, nec ullam in praedictis diminutionem, ſed potius pro Regia noſtra gratia, et beneficentia augmentum, et acceſſionem facturos, quemadmodum ex nunc re ipſa, vigore praeſentium diplomatum confirmamus, approbamus, augemus, ratificamus, atteſtamur, et comprobamus, confirmareque, et comprobare quibusvis hominibus privatim, et publice, nunc et in poſterum, quocunque tempore benigne ſuper ea re compellati fuerimus, debebimus, ac ad eundem modum in reliquis Civitatibus Livoniae, Imperio noſtro ſubiectis, Officiales noſtros conſtituemus; durante tamen tumultu bellico, reliquas arces hoſti vicinas, et periculo expoſitas indifferenter per cuiusvis nationis, et linguae Officiales adminiſtrabimus, quorum nobis virtus, fides, integritasque fuerit ſpectata; ita tamen, ut nihil attentent, faciant, iubeant, atque mandent, quam quae pro defenſione civitatum, ac arcium facere videbuntur, niſi forte in noſtrum, et Reipublicae damnum vergere quid iſti animadverterint, tum ad Nos ea de re referant, et pro virili ſatagant, ne quid detrimenti ad Nos, et Rempublicam redundet. Jus autem, iuſtitiam, et poteſtatem gladii exerceant tam in Cives, quam Nobiles, Magiſtratus Civitatum, atque Arcium Praefecti, ſepoſitis armis, et optata pace recuperata, non aliis, quam indigenis natione, et lingua Germanis, praefecturas in tota Provincia concedemus. ANNO 1561.

Porro Illuſtri Domino Magiſtro Livoniæ, cum ad Equeſtris Ordinis conſilium, & noſtram approbationem ſtatum mutaverit, ut per coniunctionem affinitatis, & Principum amicitia ſuffultus, contra huius Provinciæ hoſtes eo ſolidior firmiorque compareat, Ducalem titulum, ad inſtar Illuſtris Domini Ducis in Pruſſia, cum omni dignitate, inſignibus, & privilegiis Ducalibus tribuemus, ita ut Vaſallus noſter, feudatariusque Princeps ſit, quemadmodum ex nunc Illuſtritatem eius pro Vaſallo noſtro Principe, ſuſcepimus, habebimus, atque habemus.

Ac quo viciſſim Illuſtritas eius certa ſit, quamprimum voluntatem Regni noſtri Senatorum exploraverimus, aut illi cum Senatu noſtri Magni Ducatus Litvaniæ ſuper ea re convenerint, quotam Livoniæ partem a Nobis, & Succeſſoribus noſtris in feudum habere, tenereque debeat Illuſtritas ſua cum poſteris ſuis ex linea maſculina deſcendentibus, has arces ſubſequentes, diſtrictus, atque præſidiatus cum iure, ſuæ Illuſtritati conceſſimus in feudum, atque concedimus, (non obſtante, licet ipſa infeudatio, titulique inſignium & honorum ſolennis attributio nunc concedi nequeat, quæ omnia ad noſtrum ex Polonia reditum differenda eſſe duximus) poſſeſſionem illorum omnium Illuſtritati ſuæ aſſignavimus, contulimus, atque conferimus, primum totum illum tractum Curlandiæ, & Semigalliæ, incipiendo a ſalſo mari ſurſum ſequendo fluvium Hilgæ, aſcendendo ad antiquos limites, per Radziwiłłum inceptos, & diſpoſitos, inter Samogitiam, Litvaniam, & Ruſſiam ab una, & Livoniam ab altera, partibus, verſus Diſtrictum Polocenſem ad Dunam fluvium, deſcendente vero Duna usque in mare ſalſum, adeo, ut quidquid in iſtis terminis cis Dunam verſus Litvaniam continetur, & ad Ordinem Livoniae ſpectabat, nunc, et in perpetuum apud Illuſtritatem ſuam, & eius hæredes maſculos permaneat, Curias videlicet, bona, & Nobilitatem, quæ ad arcem Duneburgenſem, ex hac parte fluminis Dunæ verſus Litvaniam, ſpectarunt; Arcem Selburgam cum toto diſtrictu; Curias item, Nobilitatem, & omne id, quod videlicet ex hac parte ad arcem Aſcherat ſpectavit; arcem Bauſko, Neuguth, cum iis, quæ

ad

ANNO 1561. ad arcem Kircholm pertinebant; arces Mittaw, Tuckum, Neuburg, Doblen, Kandow, Alſwangen, Schrunden, Frauenburg, Zabel, tum & illas arces, quæ Nobis oppignoratæ ſunt, Goldingen, Haſenpoth, Durben, Windaw, in ſumma octuaginta millium. Arcem vero Grobin in quinquaginta millibus Illuſtriſſimo Principi Domino ALBERTO, Marchioni Brandeburgenſi, in Pruſſia Duci, itidem oppignoratam, & illas quidem ſummas Illuſtritati eius remittimus, Arcem vero Grobin ære noſtro apud ipſum Illuſtriſſimum Dominum in Pruſſia Ducem eliberabimus, ac dabimus operam, ut ab ipſa oppignoratione primo quoque tempore eliberetur, atque in poſſeſſione Illuſtritari ſuæ tradatur. Ad eundem modum & arcem Bauſko ex poſſeſſione, & uſufructu Reverendiſſimi, & Illuſtriſſimi Principis, Domini Archiepiſcopi Rigenſis eliberabimus, & ut eius poſſeſſio ad Feſtum Paſchæ Illuſtritati eius tradatur, curaturi ſumus. Ex altera vero parte Dunæ ſolam arcem Dunemundam Illuſtritati eius ad tempora vitae concedimus.

Pro Nobis vero, & Sereniſſimis Succeſſoribus noſtris, ratione ſuſceptæ defenſionis, & aditorum, ac etiam nunc adeundorum multorum periculorum, & certaminum, quæ Nobis pro Livonia propemodum iam deſperatis rebus ſumpſimus, totum Tractum, & omnem reliquam Provinciam ultra Dunam, vigore præſentis contractus cum Illuſtritate eius initi, reſervamus.

Primum, & ante omnia, Arcem, & Civitatem Rigenſem, cum omni, quod in ea antiquitus obtinuit, iure, dominio, & proprietate, meroque, et mixto Imperio, apud Imperatores Romanos obtento, de quo Nobis Illuſtritas eius condeſcendit, illudque Nobis reſignavit, prout præſentibus reſignat, cedit, et condeſcendit, et ab homagio, quo Civitas illa Rigenſis Illuſtritati ſuæ tenebatur, abſolvit, abſolvereque, et renuntiare coram Legato noſtro in Civitatem Rigenſem per Nos ablegando publice, tum et patentibus literis ſuis, etiamſi Civitas illa ei rei adverſari velit, aut quo modo reclamet, et ab ipſo homagio liberos facere: nec non omnia diplomata, ab Imperatoribus Romanis ſuper ea re obtenta Nobis tradere tenebitur, eamque ſicut et reliqua omnia, quæ ſequuntur, poteſtati, meroque, et mixto Dominio noſtro, permittere, ſicut iam ex nunc harum literarum vigore permiſit, ac permittit, tanquam ſcilicet eam Civitatem, cuius ſalute et conſervatione ſalus, et conſervatio reliquæ Provinciæ nititur, ex amiſſione vero extremum illi Provinciæ excidium, vicinis autem dominiis noſtris præſens, certiſſimum, et indubitatum periculum impendeat. In ea tamen Civitate Rigenſi, et Arce, non peregrinum aliquem alienigenam, et adventitium ad gerendum Magiſtratum, et alia officia præficiemus, ſed ex indigenis germanicæ, Livonicæque linguæ, et nationis. Et alterum quidem Officialem arcis, qui rei militari, & præſidiis noſtris, alterum vero, qui rebus urbanis Burggravius præſit, ex Senatorio civitatis illius Ordine, per illos deligendo, per Nos autem confirmando, ad exemplum Civitatis Gedanenſis, conſtituemus, qui tamen Nobis, Regi Poloniæ, Magno Ducatui Litvaniæ, ſpeciali iureiurando obſtricti ſint. ANNO 1561.

Sequentes vero Civitates, & Arces, Præſidatus, Præfecturæ, Tractus, pro Nobis ceſſerunt, tam videlicet illæ, quæ adhuc in poteſtate Ordinis permanſerunt, ut ſunt arces Kircholmia, Aſcherad, Duneburg, ad ripas Dunæ ſitæ, Roſiten, Lutzen, Trikaten, Ermis, Helmet, Karkus, Weiſeſten, cum tota Jervia, Arx, & Civitas nova Parnovia, Sahra, Rugia, Burtneck, & Arx, & Civitas Wolmaria, Wendena, Wolfard, Arries, Segewalt, Schuien, Jurgeburg, Nithow, Lemborch, Rodderppeus, Neumole. Dein & illæ, quæ iam in poteſtatem hoſtis pervenerunt, & armis noſtris recuperandæ ſunt, videlicet Ducatus Eſthonia, Epiſcopatus Derbatenſis, quantum in eo ſua Illuſtritas intereſſe habet, cum omnibus illarum Nobilibus, Vaſallis, Curiis, fundis, & univerſis bonis ad eas ſpectantibus, de quibus omnibus, certis perſonis, quæ adhuc ex Ordine Theutonico reſtant, nec non Conſiliariis, & aliis honeſtis Viris de Republica Livonienſi bene meritis, pro iudicio, & arbitrio noſtro, ſervato delectu, adhibitaque in perſonis proportione Geometrica, concedemus, providebimusque. Munitionibus tamen interim omnibus in noſtra, & Succeſſorum noſtrorum poteſtate reſervatis.

De perſona tamen Illuſtriſſimi Domini Magiſtri ſecus ſtatuimus, tandem de ea, quæ in Nos ſingulari fide, & obſervantia ſemper propendit, præ ceterisque Regni noſtri ſe obſervantiſſimam præbuit. Ideo parem gratiam, & benevolentiam noſtram illi referre volentes, dignum exiſtimavimus, cui Locum tenentiae titulum ac prærogativam in Arce, & Civitate Rigenſi concederemus, prout præſentibus concedimus, ut in ea reſideat, ius, & iuſtitiam cum aliis Officialibus noſtris adminiſtret, quam ad rem certum ſtipen-

Anno 1561. ſtipendium annuum illi ſuo tempore concedemus, aſſignabimusque.

Praeterea inter caetera, & hoc inter Nos, & Illuſtritatem ſuam convenit, ut permutatione Epiſcopatus Curonienſis, pro Sonneburga arce, & curiis Leal, & Habzel Illuſtriſſimus Holſatiæ Dux Magnus contentetur, quam ad rem noſtram illi recipimus operam, ut cum reliqua Curonia, Epiſcopatu quoque Curonienſi Illuſtritas eius potiatur.

Neve cum limitum indiſcuſſorum vicinis Illuſtritas eius controverſiam aut difficultatem habeat, pro Regia noſtra authoritate curabimus, ut primo quoque tempore fines ad præſcriptum pactorum Potzuolenſium, & poſteriorum Vilnenſium regantur, & certi conſtituantur in tota illa vicinia limites; interea vero neutra pars alteri damnum inferat, aut litem, & difficultatem moveat.

Cumque tractus Dunæ ſurſum atque deorſum limites inter Nos, & Illuſtritatem eius conſtituat, æquitatis ratio poſtulat, ut medietate fluvii in piſcando, & aliis commoditatibus eius Illuſtritas perpetuo gaudeat, quæque Inſulae, ſive mediamnes alteri partes viciniores ſunt, apud eandem partem maneant.

Et cum hoc ſexennali bello, ſuæ Illuſtritatis, quam etiam Nobilitatis Curonienſis, præcipue vero eorum Diſtrictuum, qui penes Nos manebunt, vires exhauſtæ ſint, relaxatam Illuſtritatem ſuam, & Nobilitatem ab oneribus huius belli, aut ſaltem, ut hoc præſtent, aut nitantur, quæ commode pro modulo ſuo poſſunt, volumus. Alio autem tempore eadem ſit ratio, quæ Illuſtritatis Domini Ducis Pruſſiae.

Neve etiam a Gedanenſibus, & Rigenſibus ob æs alienum contractum ſua Illuſtritas moleſtetur, Regia noſtra interceſſione ſtudebimus, ut aut in gratiam noſtram ſua Illuſtritas pecunia liberetur, aut non prius, quam commode ſolvi poſſit, repetatur. Quemadmodnm, & Wendenſibus, Wolmarienſibus, Pernovienſibus, ex mera noſtra gratia, & beneficentia Regia, in ſolvendis eorum debitis aliquid opis, per ſubminiſtrationem rei frumentariæ, & alterius generis commeatus adferemus.

Monetæ etiam cudendæ facultatem Illuſtri Domino Magiſtro concedimus, ad pondus, & valorem Litvanicæ, & ut eius promiſcuus, & indifferens uſus ſit, tam in Litvania, quam in Livonia, volumus attamen, ut ex una parte noſtra effigies, vel inſignia Regni, & Magni Ducatus Litvaniæ, in altera Illuſtritatis eius exprimantur.

Si quid porro Illuſtritati ſuæ vendendum, impignorandum, permutandumve fuerit, ſuper hoc Illuſtritati eius libertatem, facultatemque concedimus, ita tamen, ut ad Nos, & Sereniſſimos Succeſſores noſtros de eo primo loco referatur, Nobisque optio detur, ſi talem oppignorationem ipſi acceptare voluerimus: ſin minus, tum Illuſtritati eius liceat, cui volet. Anno 1561.

Dabimus etiam operam, quando Ducatus Eſthoniæ cum Civitate Revalienſi, vel transactione aliqua iuſta, & nomini noſtro honorifica, vel per belli rationes recuperatur, ut Illuſtritati ſuæ æqua portio, vel in bonis, vel pecunia concedatur; ſumptibus belli, ſi hoc nomine contra Sereniſſimum Sveciae Regem inſumendi erunt, ante omnia Nobis refuſis.

Tormenta item bellica, quae Nobis ad præſens in ceſſione Arcium, & Civitatum relinquuntur, bello confecto, pro ratione quantitatis, qualitatisve, a Nobis reſtituantur.

Judæis vero nulla per totam Livoniam commercia, vectigalia, teloniave ullo unquam tempore concedemus.

Curabimus etiam, ut interea temporis, dum a Magno Ducatu noſtro Litvaniæ abſumus, & negotium ſubiectionis in Polonia ex parte Regni tractamus, Livonia neceſſariis copiis militaribus, tam ad præſidia caſtrorum, & civitatum, qui id a Nobis poſtulaverint, quibusve id neceſſe fuerit, quam ad arcendam ſubitaneam incurſionem hoſtilem, in futurum eventum inſtruatur, & firmetur.

Hæc omnia, & ſingula Nos prædicto Principi aliorumque Ordinum, ac Civitatum Nuntiis ſacroſancte, & religioſe ſervaturos, Nos iureiurando ſpopondimus. Ipſe autem Princeps pro ſe, & ſuis ſubditis, cæterorumque Ordinum, utpote univerſae Nobilitatis, & Civitatum Nuntii, viciſſim fidem ſuam ſacroſancte præſtito ſolenni iureiurando obſtrinxerunt, ſicut & præſentibus obſtringunt, quod ab hoc tempore, & inpoſterum, in ea fide, voluntate, & obſequentia, quam Nobis ſemel detulerunt, conſtanter permanſuri, & firmiter perſeveraturi ſint, tanquam fidelem vaſallum, et ſubditos decet Imperio, et Poteſtati noſtrae ſubiectos. Nos vero, pari ratione Principem ipſum benevolentia, et favoribus, ſubditos vero illius, et noſtros clementia, et benignitate noſtra Rgia, proſecuturos, ornaturos, et aucturos, Nos recipimus, et praeſentibus, interventu iurisiurandi noſtri Regii recipimus, harum teſtimonio literarum, quibus in fidem Sigillum noſtrum praeſentibus

ANNO tibus eſt ſubappenſum. Datum Vilnae
1561. XXVIII. Menſis Novembris, Anno Domini MDLXI. Regni vero noſtri XXXII.

CXXXIX.

1561. *Privilegia Nobilitati a* SIGISMUNDO AUGUSTO *Rege, circa Subiectionem univerſæ Livoniæ indulta.* Datum Vilnæ, feria ſexta poſt Feſtum S. Catharinæ An. 1561. *Extat in Archivo Cancel. Regni.* Lib. 169. ſub Lit. S. P. Num. 170. fol. 117.

SIGISMUNDUS AUGUSTUS, DEI Gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitae, Livoniaeque &c. Dominus, et Hæres. Notum facimus per præſentes Literas, quorum intereſt, aut in poſterum quoquomodo intererit, univerſis. Cum Livonia Provincia gravi ac diuturno Moſchico bello, multisque cladibus afflicta, vaſtata, atque magna ex parte in poteſtatem hoſtium redacta eſſet: cumque et propter multarum Civitatum, Arciumque, et propugnaculorum amiſſionem, et ob maximam in omnes partes depopulationem vaſtitatemque, ferro atque igni in ea allatam, et propter quotidianas incurſiones, magnumque hoſtis ad eius reliquias occupandas apparatum, ad eam anguſtiam, ac difficultatem Ordines illius redacti eſſent, ut nequaquam opibus, viribusque propriis ſtatum ſuum defendere, atque ſe a ſervitute, crudelitateque hoſtili tueri, ac vindicare poſſent.

Illuſtriſſimus, ac Reverendiſſimus Dominus GVILHELMUS, Archiepiſcopus Rigenſis, Marchio Brandeburgenſis, Stetiniæ, Pomeraniae, Caſſuborum, et Vandalorum Dux, Rugiae Princeps, Burggravius Norinbergenſis, ac Illuſtriſſimus Dominus GOTHARDUS KETLERUS Equeſtris Ordinis Theutonici in Livonia Magiſter, Statusque, & Ordines Livoniarum univerſi, & Civitatum Nuntii, dum & omnia domeſtica praeſidia ſua convulſa, & ſe ab aliorum præſidiis deſtitutos animadverterent, magnam autem ſpem in noſtro ditionum noſtrarum auxilio deponerent, matura deliberatione habita, publicoque & concordi omnium conſenſu, ſe Provinciamque ſuam in fidem, & poteſtatem noſtram tradiderunt, ac in perpetuum ditionibus, dominiisque noſtris, ad inſtar Terrarum Pruſſiæ adiunxerunt, & incorporarunt.

Itaque Nos, & fœderibus, & vicinitate coniunctæ Nobis Provinciæ periculo, clade, vaſtitate, ſervitute permoti, & pro Chriſtiani Principis Officio pertinere ad fidem noſtram intelligentes, ut homines, Provinciamque Chriſtiani nominis a cæde, populatione, ſervitute barbari ac crudelis hoſtis prohibeamus, eosdem in fidem, & ditionem noſtram accepimus. Qua quidem fide, ac neceſſitate, in iure, libertate, fortunis, omnibusque commodis cæterorum ſubditorum, ac dominiorum noſtrorum conſervandis, & tuendis obſtrictos eſſe, Nos devincimus, & obſtringimus. ANNO 1561.

Cum autem inter reliquos Status eiusdem Provinciæ Livoniæ, qui ad profitendam, & recognoſcendam ſubiectionem ſuam apud Nos comparuerunt, univerſus Equeſtris Ordo totius illius Provinciæ, nempe ipſa Nobilitas, indigenæ, tam ultra citraque Dunam habitantes, per certos Nuntios, & Plenipotentes ſuos, videlicet Nobiles, Reimpertum Gilzemium Juris Doctorem, Gregorium Francken, Fabianum a Borch, Henricum, & Joannem de Medem, cum ſufficienti plenipotentiæ ſuæ mandato, Sigillis multorum Nobilium ex tota Provincia Livoniæ conſignato, apud Nos comparuiſſent, Nosque ſuo ac totius Nobilitatis Livonicæ nomine, de confirmatione iurium, libertatum, privilegiorum, & immunitatum ſuarum, humiliter atque ſupplici-ter compellaſſent; obtulerunt Nobis in ſcriptis certa capita, ſeu articulos, quos a Nobis in omnibus eorum punctis, clauſulis, & conditionibus confirmari, approbari, & ratificari, debita cum inſtanſtia ſupplicaverunt; quorum quidem capitum ſeu articulorum tenor de verbo ad verbum ſequitur, & eſt talis:

I. Primum, & ante omnia Sacræ Maieſtati Veſtræ, Domino noſtro Clementiſſimo, & tum libertatis noſtræ vindici, tum et liberatori, in quo omnem ſpem, et fiduciam liberationis noſtræ concepimus, debita, qua par eſt, humilitate noſtro, et totius Nobilitatis Livoniæ nomine ſupplicamus, ut Sacroſancta Nobis, et inviolabilis maneat Religio, quam iuxta Evangelica, Apoſtolicaque ſcripta purioris Eccleſiae, Nicænæ Synodi, Auguſtanamque Confeſſionem, hactenus ſervavimus, neve unquam ullis, ſive Eccleſiaſticorum, ſive Sæcularium, præſcriptis, cenſuris, et adinventionibus gravemur, turbemurque quovis modo; quod ſi præter ſpem acciderit, Nos tamen iuxta Sacroſanctae Scripturæ normam, qua præcipitur plus Deo, quam hominibus obtemperandum eſſe, noſtram retineamus Religionem, conſvetasque ceremonias, neque Nos in ulla ratione ab hac

ANNO 1561. avelli ſinamus. Si vero errores, quorum malus ille Dæmon author eſt, in illa ſuboriri continget, ut hiſce dirimendis, tollendisque Evangelici, Apoſtolicique Doctores purioris Eccleſiæ Auguſtanæ Confeſſionis adhibeantur.

II. Proximum eſt, ut Eccleſiæ conſerventur, collapſæ reſtituantur, & quæ Miniſtris puri Evangelii Doctoribus, ſive Concionatoribus, & iſtorum honeſta ſuſtentatione, non proviſæ, ut hiſce ex liberalitate Sacræ Regiæ Maieſtatis provideatur; & ſi quis cenſus, fundiq; adempti, vel ſuppreſſi fuerint, ut illi vel reſtituantur, vel aequivalente pretio compenſentur.

III. Ne pauperes negligantur, illorum enim iuxta atque Religionis rationem habendam eſſe cenſemus. Cum Nobis porro conſtet, quanta ſit calamitas pauperum, qui hac bellorum clade ex divitibus pauperes facti ſunt, ſuppliciter petimus, ut collapſa Hoſpitalia, bonaque illis olim conſecrata reſtituantur, & in quibus ante locis antiquitus erecta nulla fuerint, ut erigantur, & tam a Sacra Regia Veſtra Maieſtate, quam a Principe noſtro, pro Regia munificentia, & liberalitate dotentur. Quo facto Chriſtus, qui hæc in ſe collata reputabit, Veſtræ Regiæ Maieſtati Regnorum, Ditionumque ſuarum feliciorem, ſplendidioremq; faciet gubernationem. Ac cum hoc bello (proh dolor!) afflictiſſimæ, maritis, parentibusque cæſis, multæ viduæ, orbae parentibus virgines, in eam egeſtatem redactae ſint, ut, quo vitam agerent, vix habeant, obnixe oramus, ut inprimis de Collegiis cœlibum virginum ita conſtituatur, ut afflictiſſimae, & miſerrimae viduae, virginesque, maritis, parentibusque orbatae in haec recipiantur, neceſſarioque victu, amictuque proſpiciantur, donec vel cœlibem optent vitam, vel ſanctum petant matrimonium. Neque enim in in hoc vel cœlibum virginum, quarum numerus non ita magnus eſt, vel Praefectorum earundem privatum commodum, ſed commune potius bonum ſpectandum eſt. Utque idem cum Cœnobiis Monachorum, ſi illa Sacrae Regiae Maieſtati Veſtrae aliquando ex manibus hoſtium reſtituta fuerint, conſtituatur, propter miſeros exanimatos ſenes, & pupillos parentibus orbos, paternisque bonis deſtitutos, qui in iisdem ali, educari, & humanioribus literis erudiri poterunt, cum maximo Reipublicae commodo. Ita enim ex Cœnobiis praefatis vetus Collegiorum forma reſtituetur, ex quibus honorifica Eccleſiae, et Reipublicae organa, quandocunque neceſſarium fuerit, depromi poterunt. ANNO 1561.

IV. Cum nihil Reſpublicas magis quaſſare, atque concutere ſoleat, quam legum, conſvetudinis atque morum mutatio; Sacra Regia Maieſtas Veſtra bene conſtitutas Reſpublicas hac ratione non modo ſervandas, ſed collapſas reſtituendas, prudentiſſimo, atque vere divino conſilio cenſuit, quod per Illuſtriſſimum, atque Magnificum Principem, ac Dominum Nicolaum Radziwiłł, in Ołyka, & Nieśwież Ducem, Palatinum Vilnenſem, Dominum noſtrum Clementiſſimum, Principibus, Nobilibus, Civitatibus, atque Statibus Livoniæ, ſub ipſius Sacræ Regiæ Maieſtatis plenæ poteſtatis, Mandatique propoſito ſcripto promiſerit, Nobis non ſolum Germanicum Magiſtratum, ſed & Jura Germanorum propria, atque conſveta conceſſuram, permiſſuram, atque confirmaturam ſe eſſe, quod & ad præſentis ſtatus conſervationem, & collapſi erectionem, reſtitutionemque facit plurimum. Ut autem certum, atq; commune aliquod Provinciale Jus, quo omnes Provinciales teneantur, ex conſvetudinibus, Privilegiis, latisque Sententiis, Authoritate Veſtræ Sacræ Regiæ Maieſtatis conſtituatur, etiam atque etiam oramus, ut ad eam rem certi homines, in Juriſprudentia verſati, ex authoritate Maieſtatis Veſtræ deſignentur, qui talem Formulam Juris Provincialis concipiant, componant, & communibus Reipublicæ Livoniæ Ordinibus conſentientibus ad recognoſcendum, confirmandum, & promulgandum Veſtræ Sacræ Regiæ Maieſtati offerant.

V. Ut ſolis indigenis, & bene poſſeſſionatis Dignitates, Officia, & Capitaneatus, ad inſtar Terrarum Pruſſiæ, conferre dignetur, prout Nobis Regiæ Maieſtatis nomine promiſſum eſt, atque præſcribantur Nobis Dignitates, Officia, & Capitaneatus, & quando, & quibus quisq; praeficietur.

VI. Quamvis inficias ire non poſſumus, Appellationis remedium ad Tribunal Regium ſuperioritatem Sacræ Regiæ Maieſtatis maxime reſpicere, neque noſtri inſtituti ſit illam attenuare velle: Tamen putamus, Sacram Regiam Maieſtatem propter commodum, & profectum Provincialium aliam viam, & eam quidem compendioſiorem, & conſenſus communis arbitrio, & Veſtræ Regiæ Maieſtatis approbatione, invenire, conſtituereque poſſe, ne vel propter itinerum difficultatem, locique intercapedinem maximam, vel propter miſerorum inopiam, plures cauſas in iudicia delatas deferri, & divi-

tibus

ANNO 1561. tibus improbis, malevolisque hominibus insolentiae materiam praeberi contingat; consultum itaque nobis videtur, ut Sacra Regia Maiestas Vestra in Civitate Rigensi, tanquam totius Provinciae Metropoli, certos Judices, seu Senatores suos constituat, idque ex indigenis per nostrum Equestrem Ordinem delectos, per Maiestatem vero Vestram confirmandos, qui semel, bisve in anno Rigam statis temporibus una conveniant, & causas appellationum, ex Authoritate Maiestatis Vestrae decidant: ab illo vero Senatus Maiestatis Vestrae iudicio in causis gravibus, et maximi momenti, ad Tribunal Maiestatis Vestrae non minus ex Archidiœcesi, quam ex Maiestatis Vestrae, & Illustrissimi Domini Magistri ditionibus, hoc est, ex tota Provincia, ad Maiestatem Vestram, tanquam ad supremum, et haereditarium Dominum nostrum appelletur; Ita tamen, ut temerariae, & frivolae appellationes praecidantur, statuatur expressa pœna in temerarie appellantes, & extrahentes litem sine iusta, legitima, & probabili ratione, & ut taliter delinquentes condemnentur in decimam partem causae, cuius dimidia pars fisco Maiestatis Vestrae, altera dimidia pars apellato dependatur.

VII. Cum hoc proprium Regium decus sit, atque ipsa Maiestas, quae neminem vel minima laesione offendere, unicuique, quod suum est, tribuere, quod uniuscuiusque est, ex amplitudine munificentiae suae adaugere consvevit, liberalissime Vestrae Sacrae Regiae Maiestatis nomine promissum est nobis omnibus, atque singulis, de quorum nomine missi sumus, quod nobis atque ipsis beneficiorum, feudorum, a Principibus, & praedecessoribus suis acceptorum Diplomata, consignatas literas, possessiones, consvetudines, privilegia, ac libertates, & quaecunque longissimo temporum usu acquisivissent, obtinuissentque, inviolabiliter servari, & confirmari, sed si quae maiora ipsis omnibus, atque singulis ex usu esse possent, quod ea quoque ex Regia liberalitate de novo concedi deberent. Quam Regiam facilitatem, clementiam, & benignitatem ut observanti pectore animorum nostrorum prosequimur, ita eam fortunis nostris omnibus, vita, saluteque ipsa demereri, sedulo parati erimus. Proinde petimus, qua decet humillima observantia, ut non modo, quæ antea dicta sunt, præstentur Nobis; verum cum plures sint in Livonia, qui cum consangvineis suis, atque aliis familiis, ius simultaneæ, sive coniunctæ manus contrahendi facultatem olim nacti sunt, ut hoc ipsum Privilegium a Vestra Sacra Regia Maiestate cæteris quoque omnibus, videlicet universæ Nobilitati, æque illis, qui sub dominio Domini Magistri, cæterorumque Principum mansuri, ac illis, qui Sacræ Regiæ Maiestati Vestræ immediate subditi futuri sunt, nostrisq; personis ex liberali favore, pro Regio Vestro splendore, atque amplitudine, gratiosissime concedatur in omnibus eorum bonis feudalibus, quæ modo obtinent, quæ in futurum quovis modo, sive speciali gratia, sive contractu licito, obtinere poterunt, non modo cum consangvineis, affinibus, sed aliis quoque exteris familiis, atque sociis tale ius simultaneæ, sive coniunctæ manus coire, atque contrahere; hoc est, ut habeamus liberam, & omnimodam potestatem de bonis nostris disponendi, dandi, donandi, vendendi, alienandi, & in usus bene placitos, non requisito Maiestatis Vestrae consensu, & alterius cuiusvis Superioris convertendi. ANNO 1561.

VIII. Si forte in hac belli calamitate, depraedatione, igneve, vel alio casu cuiusque Diplomata, Monumenta privilegiorum, libertatum, aliarumque concessionum, atque obligationum amissa, absumpta, perditaque essent, ut illa a Sacra Regia Maiestate novis Diplomatis non modo innoventur, si de bonorum haereditatione tranquilla, atque continua possessione constiterit; verum ut etiam obligatoriarum literarum, quae hoc tumultu bellico perditae sint, fructu ii non careant, qui duorum, vel trium testium authoritate obfirmare possint, tales literas penes ipsos fuisse, & ex adverso de soluto, numerato, vel satisfacto per alia literarum argumenta nil constet.

IX. Ut Sacra ipsius Reg. Maiest. Nobiles, atque Proceres Livoniae omnium bonorum, dignitatum, iurium, libertatum, atque praerogativarum, quibus hactenus tam Ecclesiastici, quam Saeculares, Barones, atque Nobiles Domini Regni Polonici utuntur, & fruuntur, iuxta formam, atque modum, quibus Pruteni sub Sacra ipsius Regia Maiestate positi ab ipsa obtinuerunt, participes facere dignetur.

X. Ut nobis libertatem gratiae (ut vulgo appellant) pro Regia benignitate concedat, quemadmodum in successione feudorum subditi Ducatus Esthoniae, Harriæ, Wironiae, ac Diœcesis Rigensis, olim a Regibus Danorum singulari beneficio usque in hunc diem obtinuerunt, ut eodem modo Nos eiusdem Privilegii fructum, ex Vestrae Regiae Maiestatis ampliore, augustioreque munificentia capessere, atque cum perpetua Augusti Nominis celebratione posteris nostris relinquere possimus; hoc est, ut habeamus potestatem

ANNO 1561. ſuccedendi, non modo in deſcendenti, ſed etiam in collaterali linea utriusque ſexus; ita tamen, ut præferatur maſculinus, & fœmellæ pro modo facultatum dotentur; maſculis vero non exiſtentibus fœmellæ in omnibus ſuccedant, ſalvo tamen Maieſtatis Regiæ iure fiſci, ſeu iure caduco.

XI. Cum Nos Sac. Regiæ Maieſtati Veſtræ, illiusque Regno, Magno Ducatui Litvaniæ, ac ditionibus, inevitabili neceſſitate in hiſce noſtris anguſtiis, quibus propter barbari hoſtis inſolentiam ad extremum cum Principe noſtro redacti, & ab Imperio Romano deſerti, nos, vitamque noſtram, parentes, uxores, & liberos, tueri non poſſumus, ſed medius fidius in hoſtis crudeliſſimi poteſtatem venire oportuerit, priusquam ab Imperio defenderemur, in ſubiectione conſenſerimus; Sacra ipſius Regia Maieſtas efficiat, quemadmodum cautum eſt, ut propter hanc Principis noſtri deditionem, nosque ſubditos, apud Invictiſſ. Imperatorem, Electores, Principes, ac Status Rom. Imperii, tueatur honorem, ſubſtantiamque noſtram, ne cenſura Imperii publica, aliave infami nota vexemur, damnove afficiamur, quin potius indemnes conſervemur.

XII. Vt nos in poſterum a Sacra Regia Maieſtate non ſolum contra Moſchum, ſed quoscunque hoſtes noſtros, coniunctis Regni Poloniæ, omniumque ditionum ſuarum viribus, de facto defendamur, hoſtem in propriis ditionibus integra belli mole quamprimum adoriamur, ne vel hoſtilibus, vel ſociis armis, ſociorum terris graviora maioraque damna inferantur: melius etenim eſt ex hoſtium ſangvine æſtuare, quam noſtri ſociorumque deprædatione perditioneque ſaginari.

XIII. Vt nemo in ſuis graniciebus, atque conſtitutis limitibus prædiorum ſuorum, qui ex certis monumentis liquent, perturbetur, ſed in poſſeſſione illorum a Sacra eius Regia Maieſtate tueatur. Si vero qui limites temporum vetuſtate corrupti, amiſſive eſſent, ut illi ſive per delegatos, ſive per arbitros, prout æquitatis poſtulaverit ratio, innoventur, reſtituanturque. Vbi vero in terris Livoniæ diſperſi inter ſe Nobilium, item ruſticorum, agri habentur, & ut Germanice appellantur, *Strewlande und Hakenlande*, iſti ſecundum conſvetam menſuram unicuique integri, absque ulla diminutione, læſioneve permittantur, ut ſcilicet iuxta veterem præſcriptam formam quilibet uncus aut manſus agri, quem vulgo Haken nominamus, ſexaginta ſex Funes, ſive, ut dicitur, Baſtas, quarum Baſtarum quaelibet ſexaginta ſex Faden contineat. Quae vero ex vaſtis nemoribus, multo longoque ſudore acquiſita, ANNO 1561. primi occupantis, iuxta iuris communis ordinationem, manebunt, niſi prior occupans illa deinceps pro derelicto habuiſſet, ac alius ea abunde poſſediſſet, legitimeque præſcripſiſſet, ut is quoque in tali poſſeſſione retineatur, tueaturque.

XIV. Vt Nobilibus Livoniae integrum atque liberum ſit, per Regnum Poloniae, Magnum Ducatum Litvaniae, aliasque ſuae Regiae Maieſtatis ditiones, Regalibus viis, & ubicunque ipſis negotium fuerit, absque ulla remoratione telonii, aliarumve datiarum impoſitione, vel requiſitione, libere ire, atque tranſire, mercatoribus exceptis, idque tam terra, quam mari, cæterisque fluminibus, cum omni immunitate permittatur. Et ſi aliquem iſtorum in præfato Regno, Magnoque Ducatu Litvaniae, aliisque ditionibus quidquam deponere contingat, ut idem ſine ulla moleſtia, ulloque telonii & quarumvis aliarum datiarum gravamine, inde revocari, & reduci, quandocunque viſum fuerit, integrum, liberumq; maneat.

XV. Vt confecto hoc bello in Livonia, veteres regales, & communes ſtratæ reſtituantur in priſtinum ſtatum, ſerventurque, reliquæ vero ab uſu communi alienæ præcludantur, propter varia incommoda, quæ ultro citroq; dominis vicinis, eorumq; ſubditis inde ſuboriri poſſunt.

XVI. Ab hoſtibus pro defenſione communis patriæ capti, & poſtliminii iure, & redemptionis beneficio per Veſtram Sacram Regiam Maieſtatem fruantur, atque gaudeant, ut, etſi ſervitutis calamitate mortui cenſeantur, tamen ſpe recuperandæ libertatis vivere videantur.

XVII. Quamvis maior pars Nobilitatis per hoſtem partim bonis ſuis Feudalibus ſpoliata, partim diuturnitate belli fortunis exhauſta, ut uxorum, atque liberorum ſuſtentationis plerisque plane nihil, aliis vel minimum ſuperſit; tamen illos ſingularis erga Sacram Veſtram Regiam Maieſtatem obſervantia, item fortunarum, libertatum, dignitatis, vitæ etiam, atque ſalutis propriæ reſpectus eo impellunt, (quæ ipſis partim beneficio Veſtrae Sacrae Regiae Maieſtatis hactenus utcunque ſervata ſunt, partim Dei beneficio ſervata, ac reſtituta iri ſperant) ut non modo ipſam omni honore venerentur, ſed vita atque ſalute ipſa illud libenter conteſtabuntur. Et cum plurimi noſtrorum nihil reliquum habeamus præter vitam hanc, parati ſumus quoquo tempore apud Sacram Regiam Maieſtatem Veſtram exponere: reliqui vero, etiamſi & ipſi belli quinquennalibus ſumptibus exeſi; tamen ſe illi offerunt, & Nos una

Anno 1561. una cum eis offerimus ad omnia, quae poſſibilia eſſe poterunt, ſperamusque, Veſtram Sacram Regiam Maieſtatem, ſi ad expeditionem bellicam eo, quo conſveveramus, equitatu propter exhauſtas vires prodire non poterimus, illud non tam ulli neglectui, aut protervitati, ſed impoſſibilitati, imputaturam eſſe. Poſtulamus itaque, ut unusquisque ſecundum reſtantes facultates bellicam expeditionem Sacræ Regiæ Maieſtati Veſtrae ſerviat, non autem ſecundum eas, quas ante, rebus integris ſtantibus, obtinuit, & ut eodem plane modo, ſi qui extra numerum ſui debiti ac ſoliti equitatus ac ſervitii, in honorem atque commodum Sacrae Regiae Maieſtatis Veſtrae, plures equites atque milites educere poſſent ac vellent, ſtipendia conferantur, quemadmodum cæteris Sacrae Veſtrae Regiae Maieſtatis, Regni, & Magni Ducatus Litvaniae, incolis numerari, & conferri conſveverunt, utque id tam in praeſenti, quam futuris belli temporibus perpetuo ſervetur.

XVIII. Cum digna vox Maieſtate Regnantis ſit, fateri, Imperium ſubiectum eſſe legibus, ne deinceps ullus Princeps, ullus Magiſtratus, ſive ſuperior, ſive inferior, vel quivis alius, extra cognitionem cauſae, Nobiles, vaſallos, vel quosvis alios, poſſeſſionibus temere exuat, deſtituat, ſpolietve; ſed ſi quid iuris in alium habere quisquam putarit, hoc ipſum coram iudicio ordinario Senatorum Maieſtatis Veſtrae Regiae, vel Provinciali conventu experiatur. Non enim æquum eſt, ut in propria cauſa quis ipſe ſit iudex. Sicut enim ius oritur ex facto, ita de uniuscuiusque facto, aut culpa non niſi mediante iure, lege, & ſanctione, per iudicem decidi debet. Nemo itaque in poſterum cauſa indicta, non convictus, neque legitimo iuris proceſſu damnatus, fortunis aut facultatibus ſuis exuatur, quemadmodum antea exuti ſunt nonnulli honeſti, & in ſuos Principes & Magiſtratus obedientes, fideles & officioſi cives. Et ut in tali facto liceat oppreſſo ad Tribunal Sacrae Regiae Maieſtatis Veſtrae Regium, extraordinarie, coram Notario, inſtrumento gravaminis, & de ſalvo conductu ad cognitionem cauſae Sacrae Regiae Maieſtatis Veſtræ ſupplicare.

XIX. Vt nullus, cuiuscunque eminentiae aut conditionis exiſtat, perſonis, caſtris, domibus, aut poſſeſſionibus alicuius, ullam violentiam inferre, incurſiones facere, in publicis ſtratis inſidias ponere, præſumat. Qui autem ſuper his convictus, ut iuxta leges capitis pœna plectatur. Simili modo hi, qui honeſtas matronas, viduas, virginesque raperent, vel per vim ſtuprarent, comprimerentve, cum alias ipſis omnis debeatur honos, atque reverentia, ac merito, ut eodem capitis ſupplicio puniantur. Anno 1561.

XX. Cum etiam mercatores, præſertim peregrini ſive exotici homines, in Nobilitatis ac Civitatum iniuriam, pelles, frumenta, lupulum, & alia mercium genera, in villis, ac pagis clam, & publice coëmere, negotiationesque illicitas exercere ſoleant, ut illud Veſtræ Sacræ Regiæ Maieſtatis authoritate caveatur, prohibeaturque, ne id de cætero fiat. Vt autem ratio Dominorum, Nobilitatisque habeatur cum pellibus ferarum, & beſtiolarum, Sacra Regia Maieſtas Veſtra providebit.

XXI. Quemadmodum antiquitus omnibus Livoniæ Broceribus, Nobilibus, Equitibus, Vaſallisque libera in univerſum hucusque ferarum luſtra atque meatus fuerunt, ipſaque venatio liberrima, ita ſylvarum, nemorum, paſcuorum, pratorum, actuumque, liberrimum habuerunt uſumfructum, quod ex feris, beſtiolisque ſylveſtribus pelles, quas vulgo Wildwerck nominant, ex nemoribus, ſylvisque omnium lignorum uſum, qualemcunque meliore fructu habere, obtinereque potuerunt, quod Waldtwerck dicimus, in omnibus ſpeciebus eiusdem, in cinerem ſive liquoris picei extractione, ſive aliis lignorum diverſis ſectionibus, is comparari unquam poterat: ita quoque mutua atque tranſitoria fiat, & eſt adhuc hodie ſervitus, qua ultro citroque alter in alterius fundo liberrima habet apum paſcua, & mellifluas arbores. Quemadmodum hæc omnia inveſtiturarum monumentis, longiſſima, præſcriptaque conſvetudine, adhuc hodie ab omnibus Nobilibus obtinentur, & ſervantur; ita quoque omnes Nobiles atque Proceres Livoniae hactenus habuerunt ius coquendae cereviſiæ, illiusque ad ſuas tabernas vendendi poteſtatem, absque ullius impedimento, vel datiarum vel aſſiſiariorum gravamine. Ne vero in poſterum callidis officiariorum adinventionibus, ne dicamus expilationibus, in talibus libertatibus quoquo modo graventur, petunt Nobiles, ac Proceres Livoniae, ut hæc ſpecialius privilegio Regio explicentur, ne omiſſa impræſentiarum, nocuiſſe olim, ſed quae expreſſa iam prodeſſe, & in futurum, & perpetuum profuiſſe videri poterunt; publica tamen contributione, & alio vectigali, communi conſenſu Ordinum, & univerſae Nobilitatis, ad Sacrae Regiae Maieſtatis Veſtrae, & Reipu-

Anno 1561. blicae neceſſitatem pro tempore decernenda, ſemper excepta.

XXII. Vt ruſtici, qui vel per Principis conceſſionem in alicuius poteſtate fuerunt, ab aliis non capiantur, neque detineantur, ſed ad eius, cuius interſit, poſtulationem exhibeantur, niſi certis Diplomatum argumentis, viviſque teſtibus edocere quis poterit, illos ſibi a legitimis ipſorum Dominis conceſſos, atque translatos eſſe, manebunt in poteſtate eiusdem, in quem eum in modum conceſſi, translatique fuerunt, alias reſtituantur ſecundum receptum morem, & antiquam conſvetudinem Livoniae.

XXIII. Vt hactenus Nobilium ruſtici ad ſola Dominorum ſuorum opera fuerunt obſtricti, ita petimus provideri, ne ad alia ſervitia in libertatis noſtrae praeiudicium cogantur, ſed ut antiqua conſvetudo obſervetur.

XXIV. Ut fines terrarum diligenter obſerventur, ne praedones, & graſſatores ingrediendo impune graſſentur.

XXV. Ne lites, atque controverſiæ Tranſactionibus iudicatæ, vel ſopitæ in poſterum reſuſcitentur, Suæque Sacræ Regiæ Maieſtati, inclytisque Senatoribus moleſtiam inferant, ut in genere Tranſactiones, ac definitivæ Sententiæ omnes a Principibus Livoniæ dictæ, latæque per Sacram Regiam Maieſtatem Veſtram confirmentur.

XXVI. Cum ſæpenumero in Livonia acciderit, quod nonnulli Nobiles a propriis ruſticis clam occiſi ſint; ut vero in poſterum a talibus flagitiis deterreantur, petunt Nobiles Livoniæ, ut de ſingulari gratia, merique Imperii Sacræ eius Regiæ Maieſtatis poteſtate, ſuis Curiis capitalis, civilisque iudicii Privilegium, quemadmodum Nobiles Eſthoniæ Ducatus olim a Regibus Danorum conſecuti ſunt, & in hunc uſque diem obtinent, annectatur, concedaturque..

XXVII. Ultimo, cum ex monetæ inæqualitate hactenus varia, & inexplicabilia damna, atq; incommoda Livoniæ illata ſint; petimus de illa etiam certum quid conſtitui, ſcilicet, ut ea excudatur inpoſterum moneta, quæ in gravi valore, & æſtimatione par Polonicæ, & Litvanicæ exiſtat, ut ultro, citroque Polonica, Litvanicaque moneta in Livonia, Livonica e converſo in Polonia, & Magno Ducatu Litvaniæ currat.

Nos itaque Sigismundus Augustus Rex Poloniæ, & Magnus Dux Litvaniæ, præfatus &c. præinſertos Articulos XXVII. & humiles ſupplicationes univerſi Equeſtris Ordinis Nobilitatis Livonicæ, tanquam iuſtas, & legitimas, Authoritate noſtra Regia, tanquam directus Dominus, cui merum, & mixtum Imperium in totam Provinciam vigore præſentis ſubiectionis Nobis profeſſæ, competit, in omnibus earundem poſtulationum, & Articulorum clauſulis, punctis, & conditionibus confirmandos, approbandos, & ratificandos eſſe duximus, prout confirmamus, approbamus, & ratificamus præſentibus hiſce Literis noſtris, decernentes eas abhinc, & in poſterum robur debitæ, & perpetuæ firmitatis obtinere debere, utili tamen Dominio Illuſtriſſimi Domini Magiſtri per hanc confirmationem noſtram, in terris Illuſtritatis eius, nihil derogantes, harum teſtimonio Literarum, quibus in fidem præmiſſorum Sigillum noſtrum præſentibus eſt ſubappenſum. Dat. Vilnae, feria ſexta poſt Feſtum Sanctæ Catharinæ, Anno Domini MDLXI. Regni vero noſtri Anno XXXII. Anno 1561.

Concordat cum vero ſuo Originali.

Godefredus Dabritius
Notarius Publicus Regius mpp.

Juramentum Regis Poloniæ circa ſubiectionem præſtitum.

Ego Sigismundus Augustus, Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæque Dominus, & Hæres, iuro, ſpondeo, & promitto ad hæc Sancta DEI Evangelia, quod omnia Jura, Libertates, Privilegia, Immunitates Provinciæ Livoniæ, Eccleſiaſticas, & Saeculares, Eccleſiis quoque, & ſpirituali earum ſtatui, Archiepiſcopo, Epiſcopis, Principibus, Magiſtris, Capitulis, Commendatoribus, Advocatis, Nobilibus, Vaſallis, Civibus, incolis, & quibuslibet perſonis, cuiuscunque ſtatus, ac conditionis exiſtentibus, per Imperatores Romanos, & alios quoscunque Reges, Duces, Principes, Ordinis Theutonici Magiſtros, & alios legitimos Magiſtratus illi Provinciæ, & Statibus conceſſas manutenebo, ſervabo, cuſtodiam, & attendam in omnibus conditionibus, atque punctis. Omnia illicite ab eadem Provincia alienata, aut per hos belli tumultus Moſchorum avulſa pro poſſe meo, & coniunctarum Provinciarum mearum ad proprietatem eiusdem Provinciæ, armis, ſive pactionibus recuperabo, aggregabo; Terminos eiusdem Provinciæ non minuam, ſed pro poſſe meo diminuta, & in hoſtium poteſtatem redacta recuperabo, defendam, & dilatabo. Sic me DEUS adiuvet, & hæc Sancta Evangelia

Jura-

ANNO 1561. *Juramentum Ordinum Livoniæ,* SIGISMUNDO AUGUSTO *Vilnæ per Legatos præſtitum.*

NOs Commendatores, Advocati, Nobiles, Vaſalli, Cives, Civitatum Proconſules, Conſules, noſtro, & reliquorum noſtrorum amandatorum nomine promittimus, & iuramus, quod exnunc, & deinceps fideles, & obedientes erimus Sereniſſimo Principi, & Domino, Domino SIGISMUNDO AUGUSTO Dei Gratia Regi Poloniae, &c. pleno titulo, &c. Domino, & Haeredi, eiusque Succeſſoribus Regibus, ac Regno Poloniae, Magnis Ducibus, & Magno Ducatui Litvaniae; Suae Sacrae Maieſtati Regiae, Regno, ac Ducatibus aſſiſtemus, nec non eius Succeſſoribus contra quoslibet inimicos, quibuscum nullos tractatus, nulla fœdera, inducias, aut contractus faciemus, ſine S. R. Maieſtatis conſenſu, & approbatione; ſed Nos in omnibus fideles, obſervantes, et obſequentes omni loco, & tempore praeſtabimus, conſilium, & alterius generis mandata nobis credita ad Suae Sacrae Regiae Maieſtatis damnum non revelabimus, ſed fideliter exequemur, omnemque machinationem, quam practicari ſuboleverimus in praeiudicium Regiae Maieſtatis, & Ducalis dignitatis cuſtodiemus, praecavebimus, & pro poſſe noſto ſumma fide impediemus. Sic nos DEUS adiuvet, & Sacroſanctae Evangelicae veritatis profeſſio, nec non Crux, Supplicium, ac Mors Domini noſtri JESU Chriſti.

Juramentum Magiſtri Livoniæ.

EGo GOTHARDUS KETLERUS, Theutonici Ordinis Magiſter in Livonia iuro, quod ab hac hora, & deinceps fidelis ero, & obediens Sereniſſimo Principi, ac Domino, Domino SIGISMUNDO AUGUSTO, Dei Gratia Regi Poloniae, Magno Duci Litvaniae, Ruſſiae, Maſoviae, Samogitiae, Livoniaeque Domino, & Haeredi, profectum illius libenter procurabo, in negotiis Regiis, & Ducalibus fideliter conſulam, & ſecreta, quae mihi qualitercunque concredita, & communicata fuerint, in eorum detrimentum nemini pandam. Sic me Deus adiuvet, & Sacroſanctae Evangelicae veritatis profeſſio, nec non Crux, & Supplicium Domini noſtri JESU Chriſti.

Allegatio Archiepiſcopi Rigenſis, qua ſe a ſubiectione excuſat. ANNO 1561.

Sereniſſime Rex, & Conſobrine Clementiſſime!

CUm omni loco, & tempore pro eo, ſane, ac debui, conſilium, ac voluntatem Sereniſſimæ Maieſtatis Veſtræ excelſo loco habuerim, eamque ſemper tanquam unicam mearum actionum normam libentiſſime ſim ſecutus; nihil equidem acerbius mihi, iniuſtiusque foret, quam in quoquam ſententiæ, & arbitrio Sacræ Regiæ Maieſtatis Veſtrae refragari. Caeterum quo minus mihi nunc quidem integrum ſit, praeciſe acquieſcere, & accommodare me ſaluberrimis monitis, & conſilio Maieſtatis Veſtrae, conſentiendo nimirum in conditionem ſubiectionis, Sacrae Regiae Maieſtati, & unionis cum M. D. Litvaniae, quando ſcilicet Ordines Regni Poloniae in ſuam fidem, & tutelam recipere Livoniam recuſaverint, hanc cauſam, & obſtaculum eſſe, Sacra Regia Maieſtas Veſtra gratioſiſſime arbitretur, quod mihi caeterorum domi relictorum Ordinum, ac Statuum Archidiœceſis meae hac in parte plenaria poteſtas, & licentia deficiat, quibus inconſultis, aut non conſentientibus, nihil quidquam propria authoritate in tantae rei magnitudine me iuris ſumere, aut ſtatuere poſſe, clementiſſime Maieſtas Veſtra excuſatum habeat. Quare ſubmiſſe, magnaque, qua poſſum, humilitate clementiam Maieſtatis Veſtrae imploro, dignetur eadem hac in re tantillum dilationis, & temporis pro gratia ſua Regia aequi bonique ferre, donec ego propitia Divinitate ad meos reverſus, ſtatuam de hac ſubiectionis approbatione, unitis viribus, & ſuffragiis concordibus reliquorum Senatorum Equeſtris Ordinis, Civitatum, & ſubditorum meorum, id enim, ut primo ſtatim die fiat, deque eo Sacra Maieſtas Veſtra per me certior fiat, nihil ſtudii, & operae praetermittam. Quod ſi vero praeter ſpem, & expectationem Sacra Regia Maieſtas Veſtra precibus meis hac in parte nihil tribuendum exiſtimaverit, ego quidem, quod attinet ad me, facile conſilio, & monitis Sacrae Regiae Maieſtatis Veſtrae, ut Regi, ac Domino meo Clementiſſimo, ac Conſobrino ſubiicio, in quem ſecundum Deum fiduciam totius reliquae ſalutis meae, dignitatis, vitae, & fortunarum anchoram defigo, & in eius tutelam, & protectionem me totum dedo, atque ſubmitto; neque dubito, Sacram Regiam Maieſtatem Veſtram me adverſus omnium hoſtium oppreſſionem, & violentiam ſuis armis, &

ANNO 1561. viribus defenſuram, meam vero addictiſſimam voluntatem Sacra Regia Maieſtas Veſtra nunquam a ſe alienam fore certo ſibi perſvadeat. Vt autem conſenſus ad eundem modum a reliquis quoque Statibus, & ſubditis meis obtineatur, & impetretur, relinquo arbitrio Sacrae Regiae Maieſtatis Veſtrae, velitne eas partes certis Oratoribus ſuis ad Nos mittendis committere, an vero mihi, cuius operam, & ſtudium, ſibi ſingulare hoc nomine pollicebitur, id negotii demandare. Jam autem, quod ad me attinet, totum me, univerſamque ſalutem meam fidei, & clientelæ Sereniſſimae Maieſtatis Veſtrae humiliter commendo, atque committo, & rogo, ut me Clientem ſuum fidelem Gratia fovere, & Clementia ſua Regia complecti, atque proſequi nunquam deſinat. Ego pro immortalibus beneficiis immortalem, perpetuamque gratitudinem, omniaque ſtudia, & obſequentiſſimam voluntatem Sacrae Regiae Maieſtati Veſtrae defero, & polliceor.

Juramentum Archiepiſcopi Rigenſis.

Ego GVILHELMVS Dei gratia Archiepiſcopus Rigenſis, Marchio Brandeburgenſis &c. Juro, quod ab hac hora deinceps fideliter, & integerrima fide ſervaturus ſum Sereniſſimo Principi Domino, ac Domino SIGISMUNDO AUGUSTO Regi Poloniæ, Magno Duci Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæque Domino, & Hæredi, Domino, & Conſobrino meo Clementiſſimo, quæcunque hic Vilnæ, a me cum Sacra Regia Maieſtate ſua acta, facta, & transacta ſunt, ſecundum Formulam Maieſtati ſuæ Regiæ ſuper hoc porrectam, ſic me DEUS adiuvet, & Sanctum eius Evangelium.

CXL.

1561. SIGISMUNDI AUGUSTI *Regis Privilegium adminiſtrandi Ducatum Livoniæ, Duci Nicolao Radziwiłł Palatino Vilnenſi.* Datum Vilnæ d. 28. Novembr. Anno 1561. *Ex Originali.*

SIGISMUNDUS AUGUSTUS DEI Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniae, Ruſſiae, Pruſſiae, Samogitiae, Livoniaeque &c. Dominus, & Hæres.

Significamus præſentibus Literis noſtris univerſis, & ſingulis, quorum intereſt. Quod cum hoc tempore recepta in fidem, & ditionem noſtram Livonia, in Regnum noſtrum Poloniae profectionem noſtram adornaremus, ut Status, & Ordines Regni illius noſtri, ad approbandam eiusmodi deditionem, & communem opem, ad ſalutem non minus ipſius Livoniae, quam huius Magni Ducatus Litvaniae contra communem, & hæreditarium hoſtem noſtrum Moſchum, expirantibus Fœderum Induciis adduceremus, ſollicite, anxieque, proſpicientes, ut omnia interim hic ſub abſentia noſtra recte gerantur, belli quidem armorum, & defenſionis rationes aliis Ducibus, & Capitaneis noſtris, urbanas vero, civiles, ac adeo togatas res Illuſtri, & Magnifico Domino Nicolao Radziwiłł in Ołyka, Nieświez Duci, Palatino Vilnenſi, M. D. Litvaniæ Supremo Mareſchalco, & Archicancellario, Brzeſtenſi, Caunenſi, Boriſovienſi, Szaulenſique Capitaneo Generali, ſincere nobis Dilecto, totius Provinciæ illius commiſimus, prout præſentibus committimus, dantes, & concedentes illi ſub hac abſentia noſtra ab hoc Magno Ducatu Litvaniæ plenam, integram, et ſolidam poteſtatem, omnia, & ſingula in ea, prout uſus, & neceſſitas requirit, agendi, ordinandi, diſponendi iuramenta fidelitatis, & obedientiae, a Civitatibus, a Tribubus, & Communitatibus, ac aliis Ordinibus, ſive per ſe, ſive per delegatas ſuas perſonas recipiendi, Judices, Burgrabios, Capitaneos, Vice-Capitaneos, & alios Officiales, & locum tenentes noſtros pro iudicio, & arbitrio ſuo deligendi, & conſtituendi, eosque ſpecialibus iuramentis de iuſte iudicando, & recte, fideliterque munere quisque ſuo perfungendo, obligandi, Jura, Privilegia, Diplomata, & Conceſſiones antiquas ex authoritate noſtra patentibus Literis ſuis perpetuo, Novas vero ad beneplacitum noſtrum confirmandi, & penſiones annuas, ſeu feuda ad hæc ipſa officia, & aliis quibusvis perſonis itidem ad beneplacitum noſtrum concedendi; Præfectos etiam militum, Arcium, & Civitatum præficiendi, Sacramento militari obſtringendi, inauthorandi, & reciproca ratione removendi, & exauthorandi, Literas, & Diplomata ſuper præmiſſis omnibus, & aliis, quæ emerſerint, negotiis, conficiendi, cavendi, fidemque ſuam pro Nobis interponendi, & generaliter omnia, & ſingula faciendi, quæcunque res, uſus, & neceſſitas illius Provinciae poſtulare quoquomodo videantur, promittentes verbo noſtro Regio, omnia rata, & grata habere, firmiterque, & integre obſervare, quæcunque per eundem Illuſtrem Magnificum Dominum Palatinum noſtrum Vilnenſem acta, geſta, & Literis teſta-

ANNO 1561.

Anno 1561. teſtata fuerint. In cuius rei evidentius teſtimonium præſentes plenipotentiae noſtrae Literas manu noſtra ſubſcripſimus, & Sigilli noſtri ſub appreſſione communiri mandavimus. Datum Vilnae die 28. Menſis Novembr. Annno Domini 1561. Regni vero noſtri 32.

CXLI.

1562. *Cautio nomine Maieſtatis Regiæ Ordini Equeſtri Archidiœceſis Rigenſis in ſubiectione data*, in Arce Rigenſi 17. Mart. 1562. *Ex Archivo Nieśviſienſi.*

Nicolaus Radziwiłł DEI gratia in Ołyka, & Nieśwież Dux, Palatinus Vilnenſis, Magni Ducatus Litvaniæ Supremus Mareſchalcus, & Cancellarius, Brzeſtenſis, Caunenſis, Boriſovienſis, Szaulenſisque Capitaneus generalis. Significamus praeſentibus Literis noſtris univerſis, et ſingulis, quorum intereſt. Quod cum nomine Sacræ, & Sereniſſimæ Maieſtatis Poloniæ, Magni Ducis Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitæ, Livoniæque Domini, & Heredis, legatione apud Status, & Ordines Livoniæ fungeremur; & de præſtando homagio fidelitatis, nomine eiusdem Sacræ Regiæ Maieſtatis, per reliquos Ordines ageremus, idque in univerſali omnium Ordinum præſentia, ad comitia generalia Provinciæ illius congregatorum, edictorum vero, & deſignatorum ex nomine, & authoritate eiusdem Sacræ Regiæ Maieſtatis; Comparuit coram Nobis Equeſtris Ordo Statuum Archidiœceſis Rigenſis, nobisque exhibuit in ſcriptis certa Capita poſtulationum ſuarum, iura, libertates, & immunitates eorum concernentia, quibus antiquitus uſi ſunt, atque gaudebant, & expoſuerunt nobis, velle ſe ſumma animorum, ac voluntatum conſenſione fidem Sacræ Regiæ Maieſtatis ſequi, Imperio illius tanquam ſupremo & directo Dominio ſubiici, & homagium fidelitatis per iurisiurandi Sacramentum præſtare, ſi illis de iisdem Articulis per Sacram Regiam Maieſtatem confirmandis, conſervandis, & manutenendis recipere, ac ideo ipſis ex authoritate Sacræ Regiæ Maieſtatis iam & nunc confirmare, approbare, & ratificare vellemus, quorum quidem Articulorum tenor de verbo ad verbum ſequitur, & eſt talis.

Primo, ut Archidiœceſeos Rigenſis Capitulum, Conſiliarii, Equeſter Ordo, ac reliqui omnes ſubditi in puro ac ſalutifero verbo Dei, veraque, ſincera Chriſtiana Religione, ſecundum propheticam, & apoſtolicam doctrinam, confeſſionemque Auguſtanam retineantur, & conſerventur. Anno 1562.

Tollantur omnes abuſus atque ſcandala tum doctrinæ, tum vitæ, & vera Chriſtiana reformatio permittatur, nullo impio Banno, vel Excommunicatione prægraventur, ſed omnes Controverſiae Religionis, Evangelicis & Propheticis Theologis, Prælatis & Doctoribus decidendae committantur.

Vt omnium Monialium & Cœnobiorum bona, & eorum Diſtrictus conſerventur, in quibus boni, & Chriſtiani Prædicatores alantur, quo non ſolum Equeſtris Ordinis, & Nobilitatis, verum & honeſtorum Parentum, quorum opera ea fundata ſunt, filiae, & cognatae ibidem in timore Dei educantur, & a ſenioribus virginibus, & piis matronis ad honeſtatem, & virtutem invitentur, ita tamen, ut ex iisdem permiſſum, ac liberum ſit alicui, cum conſenſu Parentum, vel cognatorum nubere, & Matrimonium ex bonis hæreditariis contrahere. Similiter, ut Cœnobia Monachorum ad ſcholas Chriſtianas conferantur, & ordinentur, ibidemque docti, ac pii viri alantur, ut iuventus Nobilitatis, aliorumque felicia ingenia in timore Dei, et bonis literis ad communem utilitatem inſtituatur, et educetur. Vt Capitulum, Conſiliarii, et Nobilitas Archidiœceſis Rigenſis penes Dominum ſuum, et Magiſtrum germanum in priſtino præſtito iuramento (directo tamen dominii iuramento Maieſtatis Regiæ ſalvo) permaneant, et poſt obitum eiusdem in priori libera electione retineantur, ab eaque nullomodo avellantur, et ut Nobiles huius Provinciae ad dignitates Eccleſiaſticas idonee adminiſtrandas prae aliis promoveantur, tum ad adminiſtrandas Arces, et Officia deputentur, et ordinentur. Vt univerſi ac ſinguli Archidiœceſis Rigenſis ſpirituales et ſæculares Status, nec non privati, in omnibus Privilegiis, Libertatibus, Dominiis uſitatis, Conſvetudinibus, Statutis, Judiciis, et iuribus, initis Pactis, Transactionibus, Diplomatis, Caſtris, Domibus, Prædiis, Curiis, et bonis omnibus, et ſubditis ſecundum antiquos terminos, et fines ipſorum, feudis itidem omnibus Eccleſiaſticis, et maxime in iuribus, quæ vernacula lingua *die ſammender Hand genennet*, vocantur, id eſt: manus coniuncta, feudum gratiæ, et maſculinum, reliquisque omnibus Privilegiis vigore certorum Diplomatum, per Dominos Archiepiſcopos, et Capitulum

ANNO 1562. universis, & singulis super iis concessorum, & subsequenter per Romanos Pontifices, Imperatores, nec non Romanorum Reges approbatorum, & confirmatorum perpetuo maneant, atque conserventur. Ut Sacra Regia Maiestas Poloniae, Status, & subditos Archidiœcesis huius necessariae Subiectionis nomine apud Imperatorem, nec non Imperium Romanum, eiusdemque Electores, Principes, ac Status omnes, denique apud omnes, a quibus eo nomine possent impeti, excuset, tueatur, atque defendat, ne famae, existimationi, bonis tam mobilibus, quam immobilibus ipsorum damnosa sit, neve Bannum Imperii, Proscriptionem, vel quidquam aliud reformidare, incurrere, vel ferre cogantur.

Ut in posterum a Maiestate Regia realis defensio huius Provinciae subsequatur, & non solum contra communem haereditarium hostem Moschum, sed quoscunque etiam alios hostes defendantur. Ut item in posterum Archidiœcesis Magistratui, ac omnibus Nobilibus, & Equestris Ordinis hominibus, reliquisque incolis ordinarium, & legitimum iudicium exerceat, iustitiamque administret, nihil adversus eosdem in dicta causa, sineque praevia legitima cognitione violenter decernat, aut praesumat. Verum si ius aliquod, qualecunque id sit, adversus illos vel aliquem illorum sese habere putaverit, ut id legitimo, & ordinario modo coram Reverendo Capitulo, & duodecim Consiliariis Archidiœceseos secundum usitatam consevetudinem proponatur, prosequaturque. Ut appellationum causae in loco aliquo opportuno huius Provinciae, per quosdam Maiestatis Regiae Consiliarios (qui ex Nobilibus, & incolis huius Provinciae, & bene possessionatis eligantur) cognoscantur, & iustificentur, ne in longius distantibus locis, maximis sumptibus, expensis, & molestiis ius suum prosequi cogantur, quemadmodum id Sacra Regia Maiestas reliquae Nobilitati Livonicae clementer, & benigne ad illorum humilem postulationem recepit.

Ne in posterum, ac in perpetuum Nobilitas, & Equestris Ordinis homines ulla contributione molestentur, aut vexentur, neve ad eam praestandam a suo Domino, vel Magistratu superiore compellantur, sed potius, ut tam ipsi omnes, quam posteri ipsorum in libero Equestri Statu secundum pristinam consvetudinem maneant, & conserventur.

Nisi quatenus pro Reipublicae ardua necessitate, communi omnium Ordinum Archidiœceseos consensu aliqua contributio instituta fuerit. Ut ipsi una cum suis posteris ab omni vectigalis, aut tributi, tam maritimi, quam terrestris praestatione immunes sint, & omnes viae, tum flumina omnia secundum pristinum morem libera maneant, sicque nemo Nobilium vectigalibus, aut tributis molestetur, sed potius ut omnibus una cum suis bonis libere iter facere, & peregrinari permittatur, liceat quoque eis sua bona, & merces in Regno Poloniae, Magno Ducatu Litvaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiae, reliquisque Maiestatis Regiae Dominiis deponere, ac vicissim sine quovis teloneo, aut exactione eadem exportare. Item ut eis negotiationem ad curam, & sustentationem rei familiaris necessariam, cum nautis libere exercere, & cum extraneis contrahere liceat. ANNO 1562.

Quod si quispiam bellis, incendio, furto, vel quolibet alio casu fortuito Literas suas, Privilegia, vel quaecunque alia Diplomata amiserit, & idem in continua possessione, ac dominio bonorum illorum, super quibus Diplomata conscripta erant, fuisse constiterit, aut praescripserit, ut eidem tales Literae, Diplomata, Privilegia, & Libertates a Domino nostro, vel Magistratu superiore renoventur, aut tradantur. Quandoquidem constat in hisce bellis totam Archidiœcesim cum suo Capitulo, Equestris Ordinis hominibus, Nobilibus, incolis, & subditis a crudelissimo tyranno Moscho miserrime afflictam, devastatam, incendiis absumptam, & funditus fere eversam esse, ac insuper per diuturnum hoc bellum omnibo facultatibus adeo exhaustam, ut impossibile ei sit, servitia illa Equestria, uti hactenus consveverunt, praestare, supplicat itaque humiliter, & obnixe Equestris Ordo Archidiœceseos Rigensis Sacrae Regiae Maiestati, ut unusquisque bellicam expeditionem serviat secundum restantes facultates, pro modo virium, & facultatum suarum hoc tempore magnopere attritarum, non autem secundum eas facultates, quas ante rebus integris stantibus obtinuit, aliis vero futuris temporibus, ut pro more antiquo in hac Patriae usitato necessitate existente in bellicam expeditionem eatur, vel secundum taxam, & aestimationem bonorum antiquitus introductam, vel postmodum communi omnium Ordinum suffragio in Comitiis Generalibus introducendam, rogandamque, & per Sacram Regiam Maiestatem tum temporis approbandam, idque intra fines Livoniae; si vero fines militantibus transcedendi essent, ut tunc illis stipendia militaria conferantur, quemadmodum caeteris Sacræ Regiæ Maiestatis Regni, & Magni Ducatus Litvaniae Incolis

ANNO 1562. colis numerari, conferrique conſveverunt, utque hoc in praeſenti, quam in futuris belli temporibus ſervetur. Ut Sacra Regia Maieſtas non ſolum hanc reſiduam partem Livoniae defendat, ſed etiam bona amiſſa, ut Diœceſim Derpatenſem, aliaque loca armis, vel pactionibus recuperet. Tum quoque miſeris, et exulantibus Nobilibus, qui ab hoſte bonis ſuis exuti ſunt, pro ſua Regia Clementia, & benignitate proviſionem neceſſariam decernere dignetur. Ac ſi quandoque auxilio divino praedicta per Moſchum ablata vel vi, vel Transactione aliqua Maieſtati Regiae, atque Provinciae Livoniae recuperata, atque reſtituta fuerint, quod tunc quoque eiusdem Diœceſis Capitulum, Nobilitas, Status, ac Civitates, in priſtinis Privilegiis, Libertatibus, Judiciis, & Jure, Arcibus, Domibus, Curiis, Terris, ac ſubditis quibuslibet retineantur, & conſerventur, tum quoque miſeri captivi liberentur, & in priſtina bona reſtituantur.

Ut una, & æqualis moneta cudatur, eiusdemque communis ſit uſus, cuius vel augendæ, vel minuendæ pro arbitrio nemini poteſtas privatim concedatur.

Ut ruſtici profugi, vel abducti, ſecundum huius Provinciae conſvetudinem, & receſſus, ſive in Civitatibus, ſive ruri in hac Provincia, vel Maieſtatis Regiae ditionibus, vel ubicunque tandem locorum reperiantur, ſine omni exceptione, contradictione, aut aliqua alia ſolutione detentoribus reſtituantur.

Ex quo item per Cancellarium hactenus non leviter gravati ſumus, eiusdemque emendationem Reverendiſſimus Dominus Caſparus Linden, quartus Archiepiſcopus Rigenſis, ante modernum noſtrum Reverendiſſimum Dominum Archiepiſcopum promiſerit, ideo nunc quoque Status Archidiœceſis petunt, ut hic quoque Articulus moderetur, & praefato gravamini ſuccurratur in hunc ſcilicet modum: ut pro Decreto obtento in cauſa mille Talerorum quinque Taleri pro extracto, ſeu capite eiusdem, medius Talerus pro proteſtatione damnorum, aut expenſarum, pro teſtimonio, literis paſſus medius Talerus, pro Literis interceſſoriis item medius Talerus exigatur.

Ut praeterea Archidiœceſis Conſiliariis, Capitaneo Nobilitatis, ac duobus Judicibus delegatis, vulgo *Manrichter* dictis, in Conventibus, et Judiciis Generalibus a Domino ipſorum victualia, pabula, aliaque neceſſaria ſecundum antiquum morem ſuppeditentur.

Ne Status, et ſubditi Archidiœceſis, qui bonis ſuis ſpoliati, et fere exuti ſunt, inpoſterum per Maieſtatis Regiae Exercitus in ſuis Curiis, aut domibus, vel domiciliis, tam quantum ad proprias Perſonas illorum, quam etiam miſeros ruſticos, amplius praegraventur, aut diripiantur, ſed talia committentes pro delicti atrocitate gravi pœna afficiantur. ANNO 1562.

Nos itaque NICOLAUS Radziwiłł Dux, et Palatinus praefatus, attendentes praeſentes Articulos, libertates, immunitatesque Equeſtris Ordinis concernentes, quae Sacra Regia Maieſtas pro clementia, et benignitate ſua augere ſolet, et non diminuere, volentes etiam pro debito officii Noſtri negotia publica ex dignitate Sacrae Regiae Maieſtatis hoc tempore hic conſtituere, recepimus illis, et repromiſimus, prout praeſentibus repromittimus, et recipimus, de confirmatione earundem Libertatum, idque eo magis, quod illis antiquitus uſi ſunt, atque gaudebant, per Sacram Regiam Maieſtatem, ſicut iam exnunc eadem poſtulationis Capita, pro data Nobis facultate, ex nomine et authoritate Sacrae Regiae Maieſtatis, in omnibus eorum punctis, clauſulis, et conditionibus confirmavimus, approbavimus, et ratificavimus, prout praeſentibus confirmamus, approbamus, et ratificamus decernentes, ea debitae firmitatis robur obtinere debere, harum teſtimonio Literarum, quibus in fidem praemiſſorum Sigillum Noſtrnm eſt ſubappenſum. Datae in Arce Rigenſi, quarta Menſis Martii, Anno 1562.

CXLII.

Recognitio Gothardi, per Curoniam & Semigalliam in Livonia Principis, quod tria millia talerorum, ad rationem quindecim millium talerorum ſibi a SIGISMUNDO AUGUSTO *Rege pro Arce Dunamundenſi ex pacto debitorum, receperit.* Dat. Rigæ 17. Mart. 1562. *Ex Arch. Nieſviſienſi.* 1562.

Nos Gothardus Dei gratia per Curoniam, et Semigalliam in Livonia Princeps notum, teſtatumque facimus praeſentibus Literis noſtris, quorum intereſt, univerſis. Quod cum pro Noſtra in Sacram Regiam Maieſtatem, et Rempublicam fide, non oſcitanter nobiſcum expenderemus, plurimum in conſervatione Arcis Dunamundenſis ſitum eſſe, quod illa Clavis quaedam ſit maris Balthici, et portus Rigenſis firmum propugnaculum, ex qua portus

Anno 1562. ipſe recte cuſtodiri, & quæcunque hoſtiles machinationes terra, marique, illa ſervata, facile averti poterint, publicis, & Sacræ Regiæ Maieſtatis rationibus his tumultuoſis, & difficillimis temporibus in eo ſeſe accommodantes, eam rationem, ſeu contractum de præfata Arce Dunamundenſi cum Illuſtriſſimo Principe, & Domino Nicolao Radziwiłł, in Ołyka, & Nieśwież Duce, Palatino Vilnenſi, cum Domino, & Fratre noſtro Chariſſimo, tanquam Sacræ Regiæ Maieſtatis ad præſens in Livonia Oratore, & Geſtore negotiorum omnium, de, & ſuper advitalitate noſtra, quæ Nobis ex actione Vilnenſi proxime præterita ad illam Arcem competit, inivimus, prout Præſentibus inimus in hunc, qui ſequitur, modum: Nempe quod iam ex nunc ceſſimus, & cedimus de iure noſtro advitalitio eiusdem Arcis Dunamundenſis, illique in gratiam Sacræ Regiæ Maieſtatis Domini noſtri Clementiſſimi renuntiavimus, ac tradidimus ad manus eiusdem Illuſtriſſimi Principis, Domini Palatini Vilnenſis, nihilque Nobis in ea amplius iuris, & poteſtatis reſervamus, exceptis ſolummodo iis bonis, quæ trans Dunam in Finibus noſtris ſita ſunt, ſed omne id, quicquid Nobis ex Tranſactione Vilnenſi in illam Arcem competebat, Sacræ Regiæ Maieſtati reſignavimus, ratione cuius ceſſionis idem Illuſtriſſimus Princeps Dominus Palatinus nomine Sacræ Regiæ Maieſtatis tria millia Talerorum in auro, & alia moneta Nobis ad rationem quindecim millium Talerorum numeravit. De reſiduæ vero ſummæ ſolutione ita inter Nos convenit, quod ſex millia Talerorum ad proxime inſtans Feſtum Sancti Joannis, deinde alia ſex millia Talerorum ad Feſtum Sancti Martini hic in Civitate Rigenſi numerari Nobis debent. Item Thomæ Præfecto annonæ Maieſtatis Regiæ mille quingenti Taleri, debiti noſtri apud illum contracti, ſolvi, nec non certum honorarium, ſeu credentia per Sacram Regiam Maieſtatem Nobis dari, quæ argenti puri centum, & quinquaginta Marcas contineat. Ea tamen ceſſione Arcis praefatæ non obſtante, liberum ſit Nobis ingruente aliqua neceſſitate, aut metu hoſtili ad eam Arcem ſeſe, tanquam ad tutum, & certum receptaculum, cum certo Equitum numero conferre, a cuius ingreſſu prohiberi non debebimus. Liberum præterea erit Nobis, & Hæredibus noſtris ex eo Portu, & ex mercibus transmarinis, ex ſpeciali tamen conceſſione Sacræ Regiæ Maieſtatis, ea emere, permutare, vendereque, quibus in uſus noſtros domeſticos neceſſe habuerimus. Integrum etiam erit Nobis, quovis tempore noſtram inde ſuppellectilem, & omnia, quæ in eandem Arcem inveximus, ſive ſit frumentum, ſive commeatus, ſive tormenta, aut aliæ res, quocunque nomine cenſeantur, avehere, & in noſtrum proprium uſum convertere. Tormenta tamen bellica tantiſper iſthic relinquemus, donec eo Maieſtas Regia ſua mittat tormenta, exceptis iis, quæ gratitudinis noſtræ, tum fidei, & obſervantiæ ergo Sacræ Regiæ Maieſtati donavimus, &c. Quæ omnia, ſicut inter Nos acta, & conſtituta ſunt, hiſce Literis Sigillo noſtro communitis, & manu ſubſcriptis atteſtamur, & robur debitæ firmitatis obtinere volumus. Datæ in Arce Rigenſi, decimo ſeptimo die Martii, Anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſecundo. Anno 1562.

CXLIII.

Cautio Nomine Maieſtatis Regiæ a Nicolao *Duce Palatino Vilnenſi Civitati Rigenſi data.* Die 17. Mart. Anno 1562. *Ex Archivo Nieśviſienſi.* 1562.

Nicolaus Radziwiłł Dei gratia in Ołyka, & Nieśwież Dux, Dominus in Grodek, & Kleeko, Palatinus Vilnenſis, Magni Ducatus Litvaniæ Supremus Mareſchalcus, & Cancellarius, Brzeſtenſis, Caunenſis, Boriſſovienſis, Szaulenſisque Capitaneus Generalis. Significamus præſentibus Literis noſtris, univerſis, & ſingulis, quorum intereſt. Quod cum Sereniſſima Regia Maieſtas Poloniae, ex innata Regia benignitate, ac propenſa voluntate, pro ſalute Reipublicæ Livoniæ, Nos iam ad Status eiusdem Provinciae ablegavit, ut a reliquis Statibus, qui id Vilnae non præſtiterant, pro nomine uniuscuiusque conditionis, homagium fidelitatis, ac obedientiae, iuramenti religione firmandum exigeremus, atque Vilnæ pacta, & conſtituta expediremus, eaque Nobis commiſſa negotia Conſulibus, Senatoribus, totique communitati Civitatis Rigenſis, neceſſariis ad hæc circumſtantiis, proponeremus, ac ſcriptis cum illis tractaremus, donec tandem ſeſe in eam ſententiam declararent, quod profeſſæ iam antea Sacræ Regiae Maieſtati conditionali ſubiectioni, gratia propriæ omnium ſalutis, etiam nunc inſiſtere, eamque hiſce renovatam, ac corporali iuramenti præſtatione, iuxta ſtatutam deſuper formulam, eo, ut ſequitur, modo, confirmatam habere, eique inhærere prorſus cenſuerint.

Pri-

ANNO 1562. Primo. Ne cautioni noſtræ eis præterita æſtate anni ſexageſimi primi, ſuper præſtito tunc conſenſu data, aliqua in parte derogetur, ſed in præfixis ſuis terminis firmiter, atq; inviolabiliter ſervetur, ac a S. R. Maieſtate, ſicuti non aliter ſperant, idoneis, ac ad rem facientibus modis, ac mediis ad effectum perducatur. Promittimus itaque ac recipimus iis Sacram Regiam Maieſtatem, omnia in præſtita illa noſtra cautione proviſa, ratificaturam, approbaturam, omniaque ac ſingula in ea retenta honori, ac famæ totius Communitatis Civitatis Rigenſis cedere perfecturam, ita ut nihil damni, vel incommodi iis inde metuendum ſit, quod quidem omne Sacra eius Regia Maieſtas Regni ſui Poloniæ, Magnique Ducatus Litvaniæ, ac reliquorum ſuorum Dominiorum ad id ducto, atque obligato patrocinio præcavebit, ac avertet.

Secundo. Quandoquidem Civitas, ac Communitas hæc, medio hoc iuramento Sacram Regiam Maieſtatem ſuum Dominum recognoſcit, ideoque a Nobis Sacræ Regiæ Maieſtatis Oratorio Nomine omnia Privilegia, Jura, Beneficia, Libertates, Gratias, Immunitates, Judicia, Statuta omnis generis, omniumque iurium Tranſactiones, Pacta, eiusque generis reliqua, cuiuscunque nominis ſint, Civitatis iuriſdictioni, conſvetudini, uſui, ac proprietati dicata, ſpiritualia, ſive civilia, a quibuscunque etiam conceſſa iis ſint, ſibi confirmata velint, ut ea in univerſum omnia, ac ſingula ex Authoritate Sacræ Regiæ Maieſtatis Nobis conceſſa, illis ratificare, ſtabilireque dignaremur, Cum igitur id ipſum agnoſcimus ex Regio Mandato, quo fungimur, ab officio noſtro alienum non eſſe, idcirco Nomine Sacræ Regiae Maieſtatis omnia ea, ac ſingula pro fide Principis veri, expreſſis, atque indubitatis verbis hiſce confirmamus, ac ratificamus, ac ſicuti Literis, ac Sigillis comprehenſa, ac munita, vel longa praeſcriptione, aut conſvetudine obtenta, ac poſſeſſa ſunt, ita etiam Senatui, ac toti Communitati ea omnia libera, atque integra habere, & retinere hiſce concedimus, ut iis absque Sacrae Regiae Maieſtatis, vel ullius impetitione ita effectualiter, atque in executione uti, ac frui poſſint. Si etiam in aliquo iſtorum omnium, ſive a Domino Archiepiſcopo, ſive Magiſtro Livoniae turbati, ac moleſtati ſint, ex tractatis hiſce negotiis, inde nihil prorſus Juris ad Sacram Regiam Maieſtatem devolvetur, ſed penes Civitatem remanebit. Concedimus etiam, ac liberam eis relinquimus facultatem cum Sacra Regia Maieſtate de omnibus ſuis Privilegiis, quae aut qualia ea, & iam ſint, vel in poſterum acquirantur in genere, vel ſpecie, ſolidius agendi, & ab eius Sacra Regia Maieſtate eorundem corroborationem expetendi, prout etiam hiſce Nos obligamus, Sacræ Regiæ Maieſtatis conſenſum, & confirmationem ſubſecuturam, ac Senatum, populumque Civitatis huius ſatis, ſuperque ſecuros fore. Præcipue autem cavemus, in quibus partibus contra Domini Magiſtri datas Literas Homagiales, vel in aliis ſuis iuribus, ac libertatibus, præſertim ex novis prope arcem ſtructuris, ac moleſtiis in Dunæ flumine, nec non in ipſo portu illatis ſe ſe læſos ſentiunt, ſubſecuta primo quoque tempore Regia confirmatione, eos in iis omnibus priſtinae ſuae attributos libertati ſtatim conſtituendos, & omnia contraria, & noxia fore amovenda. ANNO 1562.

Tertio. quia igitur Senatus, totaque Communitas Sacræ Regiæ Maieſtati iuramentum fidelitatis iam offert, certiores eos fieri ſane convenit, ac neceſſe eſt, quod ſi, & in quantum profeſſa hæc Subiectio, a Statibus Regni Poloniae non approbaretur, et neq; Regno, nec aliis coniunctis Sacræ Regiæ Maieſtatis dominiis incorporaretur, atque ita non unita ſepararetur, quod eo caſu Civitas Rigenſis Magno Ducatui Litvaniæ unita quoque eſſe non cenſebitur. Quapropter recipimus, atque cavemus, quod Civitas Rigenſis eo caſu Magno Ducatui ſubiecta, vel incorporata eſſe non debeat, nec erit etiam ad unionem aliquam ſeparatim adſtricta, ſed ſaltem coniunctim cum Regno Poloniæ, Magno Ducatu Litvaniæ, & reliquis ditionibus pro arbitrio, ſicut id ex re fore viſum fuerit, ſe ſe unire, ac incorporare licebit. Hæc autem omnia, ubi ſtatim Regni Poloniæ, & Magni Ducatus Litvaniæ conſenſu recepta fuerint, recipimus etiam Sacram Regiam Maieſtatem eos ad præſtantiſſima huic Civitati ferenda auxilia promptos habituram, qui ingruente periculo Civitatem ſua ope non deſerent. Unione autem, ac defenſione non ſubſecuta, Civitas Rigenſis Sacrae Regiae Maieſtati tantum iuramento ac fide obſtricta cenſebitur, ita tamen utſi (quod abſit) controverſia ſive diſcordia in Sacræ Regiæ Maieſtatis Regno, ac Dominiis oriretur, Civitas Rigenſis ſe nulli parti applicet, neque adverſus alteram partem belli anſam præbeat.

Quod ſi etiam Sacra Regia Maieſtas neceſſarium ac proprio de ſanguine natum Hæredem Succeſſorem non habuerit, Regnive adminiſtrationi renuntiaverit, & alii ceſſerit, Electionem eam, &

ANNO 1562. Ceſſionem Sacræ Regiæ Maieſtati integrum non erit absque Conſenſu Civitatis Rigenſis inſtituere, ubi autem, & quatenus Regnum Poloniæ ſimul, ac Magnus Ducatus Litvaniæ, cum reliquis Dominiis unum Regem Poloniæ, ut omnium illorum Dominorum Regem agnoſcunt, ac colunt, eo caſu Civitas Rigenſis Maieſtati Regiæ fide, ac obedientia obſtricta erit. Quatenus autem ſe (quod abſit) diviſerint, & diverſos Reges, ac Dominos cooptaverint, tunc Civitati Rigenſi licebit ſequi partes, quas voluerit, ſive Regni, ſive Magni Ducatus Litvaniae. Quatenus vero Civitati integrum non fuerit, ſe ſe alterutri eorum Dominorum ſubiicere, liberum ei relinquitur, tunc ſe ſe aliis Regibus, ac Principibus applicare, quo caſu omnia Civitatis huius Sacræ Regiæ Maieſtati iam reſignata, & acquiſita Jura tunc rurſum Civitati libera cedent. Quæ omnia ac ſingula, cum Conſules, Senatus, ac tota Communitas Civitatis Rigenſis humillime Nos rogaverint, ut authoritate Sacræ Regiæ Maieſtatis, qua hoc nomine fungimur, conſenſu noſtro affirmare, corroborare, eorundemque ulteriorem confirmationem, ratificationem, adauctionem, & iuramentum apud Sacram Regiam Maieſtatem recipere, atque illis cavere dignaremur, Nosque ratione Mandati ac Plenipotentiæ Nobis in hac parte conceſſæ, officii noſtri eſſe duximus, ut hiſce adeo rationi, & æquitati convenientibus precibus Nos faciles praebeamus: quamobrem nomine, & ex Mandato Sacrae Regiae Maieſtatis, nobisque hac in parte conceſſa facultate, pro fide Principis veri promittimus, verisque recipimus verbis, ac cavemus, quod omnes clauſulas, & articulos hiſce ſupra inſertos firmiter, ac fideliter ſervare, eorum denique omnium effectum, ratificationem, approbationem, confirmationem, et adauctionem apud Sacram Regiam Maieſtatem præſtare, et perficere velimus, absque ullo dolo, vel Machinatione, fideliter ac ſincere iuramenti loco harum teſtimonio Literarum, quas manu Noſtra ſubſcripſimus, et Sigillo Noſtro communiri mandavimus. Datæ ex Rigenſi Arce Die 17. Menſis Martii. Anno Domini 1562.

Juramentum Civitatis Rigenſis.

Ego N. N. iuro, ac promitto, quod in profeſſa a me Sacræ ac Sereniſſimæ Regiæ Maieſtati Poloniæ, Magno Duci Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæque Domino, fide et ſubiectione, quatenus ea, quae ab Illuſtriſſimo et Magnifico Principe ac Domino Nicolao Radziwiłł in Ołyka, et Nieśwież Duce Palatino Vilnenſe, Regio Oratore in tractatis hucusque hiſce negotiis, nec non data eius deſuper cautione mihi promiſſa ſunt, in indicto iam conventu Statuum Regni Poloniae Piotrovienſi ratificata, approbata, ac Mihi praeſtita fuerint, conſtanter, atque irrevocabiliter perſeverare, eamque fidem ita firmiter ſervare, nec me ullius praeterea Dominio applicare velim. Sic me Deus adiuvet, et Sacrae Evangelicae Fidei Profeſſio. ANNO 1562.

CXLIV.

Literæ Conceſſionis adminiſtrandi Archiepiſcopatum Rigenſem a Sacra Regia Maieſtate JOANNI ALBERTO *Duci Megapolenſi datæ, conditionibus, quæ hic exprimuntur.* Dat. Varſaviæ die 6. April. Anno 1564. *Ex Archivo Nieśvieſienſi.* 1564.

In Nomine Domini Amen.

NOS SIGISMUNDUS AUGUSTUS, Dei Gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitae, &c. Dominus, et Haeres. Univerſis et ſingulis quorum intereſt, notum, teſtatumque eſſe volumus. Quod cum per complures iam annos magna Nobis cum Illuſtri Megapolenſium Ducum familia neceſſitudo interceſſiſſet, præcipue vero ſingulare erga Nos ſtudium Illuſtris Domini JOANNIS ALBERTI Ducis Megapolenſis perſpiceremus, facere non potuimus, quin benigne Illuſtritatis eius factis ad Nos precibus aſſentiremur. Nam etſi paulo ante Illuſtritatis eius Frater, Illuſtris Princeps, Dux CHRISTOPHORUS Megapolenſis, ita ſe erga Nos in Archiepiſcopatu Rigenſi per Nos conſtitutus geſſerit, ut iuſte gravius in eum, quam noſtræ ſit Conſvetudinis, animadvertere neceſſe habuerimus, æquum tamen Nobis viſum non eſt, unius ob delictum omnem noſtram in Illuſtrem Megapolenſium Ducum Familiam, benevolentiam claudere, nimirum quod ea ſpe nitamur, Illuſtrem Dominum JOANNEM ALBERTUM Ducem Megapolenſem, una cum Illuſtri Principe Domino SIGISMUNDO AUGUSTO Illuſtritatis eius filio, quantum frater Illuſtritatum illarum Dux CHRITOPHORUS erga Nos deliquit, tantum Illuſtritates earum per omnem occaſionem fide erga Nos, atque ſtudio compenſaturos. Cum itaque Illuſtris Princeps Dominus JOANNES

ANNO 1564. ANNONES ALBERTUS Dux Megapolensis officiose a Nobis peteret, ut Archiepiscopatum Rigensem Illustritatis suæ filio, Illustri Principi Domino SIGISMUNDO AUGUSTO concedere, atq; conferre dignaremur, ostendimus præstare Nos hoc Illustritatis suæ filio, Illustri Principi Domino SIGISMUNDO AUGUSTO, hoc tempore non posse, quod Illustritas eius vix dum annos sit nata septem, quæ ætas non saltem gerendis muneribus, regendisque populis non est accommodata, verum neque sui ius, potestatemque ullam habere posse videtur. Ne tamen precum Illustris Domini JOANNIS ALBERTI Ducis Megapolensis, Principis nostri charissimi, & nostri erga Illustritatem eius amoris nulla fuisse habita ratio videatur, concessimus Illustritati eius, atque concedimus hisce præsentibus Literis nostris Archiepiscopatus Rigensis administrationem tam diu, donec Illustritatis eius filius, Illustris Princeps Dominus SIGISMUNDUS AUGUSTUS maturiorem ætatem, id vero est, annum ætatis suæ decimum quintum attigerit, quo tempore, si Illustris Princeps Dominus SIGISMUNDUS AUGUSTUS ad eum Ordinem inclinatus esse videbitur, non recusaturi tunc sumus Archiepiscopatum Illustritati suæ concedere. Hæc autem omnia sub conditionibus infra scriptis, quibus se in Punctis omnibus, atque Articulis Illustris Princeps Dominus JOANNES ALBERTUS Dux Megapolensis se satisfacturum, eaque observaturum sancte, sub fide, & honore Principis recepit. Conditiones vero hæ tales sunt.

Primum omnium Quia Illustris Princeps Dominus SIGISMUNDUS AUGUSTUS nondum est in ea ætate constitutus, quæ ad præstandum rite iuramentum requiritur, debebit Illustris Princeps Dominus JOANNES ALBERTUS Dux Megapolensis suo, filiique sui nomine fidelitatem Regiæ Maiestati, Regnoque Poloniæ, bona, & Principe digna fide promittere, atque id ipsum scripto, & Diplomate sub sigillo, & manu propria confirmare, Illustritatis vero filius, Illustris Princeps Dominus SIGISMUNDUS AUGUSTUS, ubi annum quindecimum ætatis attigerit, fidelitatis, atque obedientiæ corporale iuramentum Regiæ Maiestati, Regnoque Poloniæ præstare tenebitur. Idque Illustritatem suam factùram, Illustris Princeps Dominus JOANNES ALBERTUS, tanquam Pater pro filio cavere, spondere, atque sub fide, ac honore Principis stipulari debet. Non alibi vero iuramentum hoc ab Illustri Principe Domino SIGISMUNDO AUGUSTO, Illustritatis eius filio, quam in Generalibus Regni Poloniæ Comitiis certa verborum formula, non tamen in detrimentum Romani Imperii, præstari debebit. ANNO 1564.

Secundo. Vt Capitulares, Magistratus, Capitanei, Præfecti, Nobilitas, & omnes totius Archidiœcesis Incolæ, cum Illustri Principi iuramentum facient, una quoque, atque pariter iurent, si Illustrem Principem fatis cedere contingeret, nemini se Arces, Præsidiaque omnia, ac totam Archidiœcesim tradituros, quam ipsi Serenissimo Regi, & Regno Poloniæ; & quotiescunque contigerit novum alicui loco Capitaneum, Præfectumve præfici, sive Canonicum novum, vel Præpositum qualemcunque in Archidiœcesi creari, ut iurent Serenissimo Regi, Regnoque Poloniæ fideles se semper futuros, nec post obitum Illustritatis eius in cuiusque alterius, quam in Serenissimi Regis, Regnique Poloniæ potestatem Arces, Præsidia, totamque Archidiœcesim se tradituros, quinimo, ut una quoque iurent, nulla se consilia contra Serenissimum Regem, Regnumve Poloniæ, aut inituros, aut celaturos, sed revelaturos, quicquid tam a privatis personis, quam ab ipsa Illustritate eius contra Regiam Maiestatem, Regnumque Poloniæ tentari, quomodocunque intelligere, quemcunque eorum contigerit, atque adeo, ut nemini officia, vel qualiacunque munera conferantur, nisi accepto prius tali a quolibet eorum iuramento, quod nostro isthic Commissario præstabitur.

Tertio. Vt eius Illustritas Arces omnes in Archidiœcesi Præsidiis, suisque impensis, omnibus viribus, omnique conatu, a quorumcunque hostium impetitionibus semper defendat, atque tueatur. Quod si vero tantæ essent hostium vires, ut ad frangendas eas Illustritas eius sola sufficere non posse videretur, tunc ex aliis Livoniæ partibus auxilia se Regia eius Maiestas Illustritati suae laturam promittit, quinimo, si necesse erit, alia etiam praeter Livonica auxilia ad repellendos hostes Regia eius Maiestas adhibebit. Debebit vero Illustritas eius per omnem occasionem, atque necessitatem Regiae Maiestatis in Livonia ditionibus, auxilia, quanta maxima pro viribus poterit, adferre, nec in eo voluntatem Regiae Maiestatis expectare, sed cum primum a Praefectis Arcium, atque Capitaneis Regiae Maiestatis compellata fuerit, adesse. Quod idem, ut in omnibus Archidiœcesis urgentibus necessitatibus Regiae Maiestatis isthic Ministri tanquam mutuo faciant, Maiestas eius curatura est.

ANNO 1564. Quarto. Vt quotiescunque Regiam Maieſtatem Exercitum in Livonia per ſe, vel per alios habere contigerit, Illuſtritas eius quoque impenſis ſuis adſit cum trecentis Equitibus armatis, ac bene in bellum inſtructis, & quingentis peditibus, praeter Nobilitatem Archidiœceſis, quae nihilominus Regiae Maieſtati militare tenebitur

Quinto. Vt Illuſtris Princeps aliqua vel Regni Poloniae, vel M. Ducatus Litvaniae, neceſſitate poſtulante, centum equites armatos, ac bene ad bellum inſtructos extra fines Livoniae in auxilium mittere obligetur, qui extra fines Livoniae educti Regiae Maieſtatis ſtipendiis, qualia Equitibus Polonis ſolvi conſveverunt, contenti eſſe debebunt. Quicunque vero militum horum Praefectus fuerit, Locumtenenti Regiae Maieſtatis, ſive Generali belli Capitaneo parere, atque obedire tenebitur.

Sexto. Vt tormenta, quæ ad Archidiœceſis Arces ex antiquo ſpectant, immota iſthic, integraque relinquantur; illa vero tormenta, quae Regiae Maieſtatis ſunt, ut liberum ſit Maieſtati eius finito hoc bello, ſemper iſthinc, quando Maieſtas eius volet, auferre.

Septimo. Vt, ſiquidem Illuſtritas eius expenſas in Archidiœceſim factas Maieſtati eius refundere non poſſe videtur, earum expenſarum loco Arx Kokenhaus penes Regiam Maieſtatem interim relinquatur, donec ea de re in proximis Regni Comitiis, in quibus & Archidiœceſis, Livoniaeque Ordines affuturi ſunt, conveniatur.

Octavo. Vt Capitulum Rigenſe, omnesque Archidiœceſis ſubditi clementer, ac benigne ab Illuſtritate eius tractentur, ne ulla omnino ratione gravari videantur.

Nono. Quod diverſitas Jurisdictionis in Civitate Rigenſi omnium fere in Livonia tumultuum cauſa extiterit, retinet Maieſtas R. penes ſe Civitatem Rigenſem totam cum omni Jurisdictione tantiſper, dodonec ea de re in proximis Regni Comitiis, ubi & Ordines Livoniae adfuturi ſunt, conveniatur, atque decernatur.

Vltimo. Vt Illuſtritas eius honorem, famam, dignitatemque Regiae Maieſtatis omnibus modis tueri, ac pericula omnia non Livoniae ſolum, ſed omnium Maieſtatis eius Dominiorum, quantum in Illuſtritate eius ſitum erit, praemonere, praecavere atque depellere obligetur, idque ut Illuſtritas eius ſub fide, atque honore, Illuſtris vero Princeps, Dominus SIGISMUNDUS AUGUSTUS iureiurando facturum ſe recipiat, quemadmodum quidem Illuſtris Princeps Dominus JOANNES ALBERTUS iam hiſce praeſentibus promittit, nec aliter, quam in ſupra commemoratis Articulis continetur, facturam ſe ſub fide, & honore Principis recipit, ſancteque pollicetur. ANNO 1564.

Vult etiam Sacra eius Regia Maieſtas, quemadmodum cum defuncto olim Archiepiſcopo Rigenſi fecerat, Arces quasdam Archidiœceſis commutari, idque citra damnum, atque praeiudicium Archidiœceſis, quod Maieſtati eius, quando volet, liberum eſſe debebit. In quorum omnium fidem & Nos SIGISMUNDUS AUGUSTUS Dei Gratia Rex Poloniae, &c. & JOANNES ALBERTUS Dux Megapolenſis manibus noſtris ſubſcripſimus, & Sigilla noſtra appendi iuſſimus. Datum Varſaviae ſexta die Menſis Aprilis Anno Domini 1564.

SIGISMUNDUS AUGUSTUS
Rex.

JOANNES ALBERTUS *Dux Megapolenſis, ſubſcripſit omnibus ſupra contentis manu propria.*

Juramentum Conſiliariorum Livoniæ Regi, & Regno Poloniæ præſtitum.

EGo N. iuro Deo Omnipotenti, quod ab eo tempore, & in poſterum fidelis ero Sereniſſimo Principi Domino, Dom. SIGISMUNDO AUGUSTO Dei Gratia Regi Poloniae, Magno Duci Litvaniae, Ruſſiae, Pruſſiae, Maſoviae, Samogitiae, Kiioviae, Voliniae, Podlachiae, Livoniaeque, Domino meo Clementiſſimo, & huic indiviſo Corpori Coronae Poloniae, nec ullum alium, praeterquam eundem Sereniſſimum Regem SIGISMUNDUM AUGUSTUM, & Suae Maieſtatis Succeſſores Reges Poloniae, libere, & coniunctim Electos, pro tempore exiſtentes, pro Domino recognoſcam, ſed aſtrictus ero praeſtare cum Succeſſoribus meis Sacrae illius Maieſtati, ipſiusque Maieſtatis Succeſſoribus omnem ſubiectionem, & obedientiam, & pro poſſe meo favebo, ac adiuvabo omne bonum Suae Maieſtatis, praecuſtodiamque omne malum, & nocivum, quod ſcirem eventurum Regiæ Maieſtati, vel Coronæ Poloniæ. Juro etiam, quod Regiæ Maieſtati fideliter conſulam, ſecreta, quæ mihi per Regiam Maieſtatem, & Conſiliarios tuæ Maieſtatis pandentur, quæ vel ipſam Regiam Maieſtatem concernerent, vel Rempublicam communem Coronæ, vel utrinque coniunctim, nemini in damnum Regiæ Maieſtatis, & Reipublicæ communis manife-

ANNO 1564. nifestabo. Quidquid autem intellexero, aut sensero Regiæ Maiestati, & Coronæ, Reipublicæq; communi nocivum, præcustodiam, & ne hoc fiat, me opponam, illudque pro posse meo avertam, omniaque faciam fideliter, obedienter, & diligenter, ut decet bonum fidelem Consiliarium. Sic me Deus adiuvet Trinus, & Unus, Sanctumque Evangelium.

Juramentum Terrigenarum Ducatus Ultradunensis Livoniæ Regi, & Regno Poloniæ præstitum.

Ego N. iuro Deo Omnipotenti, quod ab eo tempore, & in posterum cum omnibus, & singulis Ordinibus, & Incolis Ducatus Ultradunensis Livoniæ, a quibus huc missus sum, fideles erimus Serenissimo Principi Domino, Domino SIGISMUNDO AUGUSTO Dei Gratia Regi Poloniæ, Magno Duci Litvaniæ, Russiæ, &c. Livoniæque, Domino nostro Clementissimo, & huic indiviso Corpori Coronæ Poloniæ, nec ullum alium, præterquam eundem Serenissimum Regem SIGISMUNDUM AUGUSTUM, & Suæ Maiestatis Successores Reges Poloniæ, libere, & coniunctim electos, pro tempore existentes, pro Domino recognoscemus, sed astricti erimus præstare cum Successoribus nostris, ipsiusque Maiestatis Successoribus, omnem subiectionem, & obedientiam, & pro posse nostro favebimus, ac adiuvabimus omne bonum Suæ Maiestatis, præcustodiemusque omne malum, & nocivum, quod sciremus eventurum Regiæ Maiestati, vel Coronæ Poloniæ, omniaque faciemus fideliter, obedienter, & diligenter, quæ ad subditos bonos, & fideles pertinent. Sic me Deus adiuvet Trinus, & Unus, Sanctumque Evangelium.

Juramentum Terrigenarum Livoniæ, de observandis communibus inscriptionibus de Unione Magni Ducatus Litvaniæ cum Regno Poloniæ facta, per Nuncios præstandum.

Ego N. iuro Domino Deo Omnipotenti, quod ab eo tempore, & in posterum totum Actum Unionis mutuæ Ordinum omnium Regni Poloniæ, & Magni Ducatus Litvaniæ, quemadmodum in literis, inscriptionibus, ac obligationibus mutuis, & descriptis plene, realiter, & in effectu, cum Successoribus meis, omnibus fratribus meis Nobilibus, & aliis incolis Ducatus Ultradunensis Livoniæ, a quibus huc missus sum, tenebo, & observabo in omnibus Punctis, & Articulis, quemadmodum in illis Literis ultro, citroque inter Dominos Polonos, & Litvanos datis continetur, & pro posse meo semper curabo, omnemque dabo operam cum fratribus meis, a quibus huc missus sum, ut hoc commune nostrum, cum inclyti Regni Poloniæ, & Magni Ducatus Litvaniæ Ordinibus, Unionis vinculum firmum, & inviolabile perpetuis temporibus maneat. Ita me Deus adiuvet Trinus, & Unus, & hoc Sanctum Evangelium. ANNO 1564.

CXLV.

Instructio Nomine Sacræ Regiæ Maiestatis Magnifico Domino Chodkiewicz in Livoniam eunti data. Lublini d. 2. Aug. Anno 1566. *Ex Archivo Regni.* 1566.

Cum Terræ Livoniæ defensioni ad hæc tempora prospiciatur sumptibus Sacræ Regiæ Maiestatis ex Magno Ducatu Litvaniæ, neque vero quidquam certi adhuc haberi potest de Coniunctione, & Unione Provinciæ illius cum Dominiis Regiæ Maiestatis, itaque dabit operam Dominus Capitaneus, agetque apud omnes Status, ut iam Terra Livoniæ cum Magno Ducatu Litvaniae in perpetuum sit coniuncta, & unita, utque de hoc negotio certi quid in Conventu Rigensi proxime celebrando constitui possit.

Antequam vero ea Unio, & Incorporatio Terrae Livoniae subsequatur, quandoquidem intolerabiles sumptus Regia Maiestas pro defensione illius Provinciae, magno damno suorum subditorum, nec minore suo incommodo facere cogitur, cum pro hac temporum ratione alias Arces finitimas Ditionum Regiae Maiestatis praesidiis firmare opus sit, ipsa exigit necessitas, ut omnes Status Terrae Livoniae alendi, sustentandique Exercitus, qui pro defensione eorum missus est, rationem ineant, consulantque, ut praesidia etiam Arcibus imposita ulteriorem conservationem habeant, & ut denique modum inveniant, quo ruenti suae Patriae consulere possent.

Si Dux Curlandiae instabit de loco, & de praerogativa sua Ducali, id negotii ad Comitia nostra Generalia differri debet, si forte tota haec Provincia ad necessariam Concordiam, & Unionem accesserit. Interea vero spes ei facienda, quod, quando vocatus fuerit, locus illi in Magno Ducatu Litvaniae, adinstar Ducis Prussiae concedetur.

ANNO 1566. Quod ad Civitatem Rigenſem attinet, curabit omni ſtudio, ut ſecundum Formulam prioris Juramenti, Regiae Maieſtati de ſubiectione praeſtiti, iam nunc Civitas haec merum, & mixtum Imperium S. R. Maieſtatis agnoſcat, eique ſe per totum ſubiiciat, ac in ſignum ſuae ſubiectionis tributum aliquod pro defenſione illius Terrae ex portu ſuo pendat.

Quamvis vero Civitas illa id praeſtare recuſaret, vice Regiae Maieſtatis ſuperioritatem, quam olim Archiepiſcopi, & Magiſtri Ordinis in eam habuerunt, extendet, firmabitque, & ſine conſenſu Statuum teloneum in flumine Dzwina, ubi mari illabitur, conſtituet, agetque omni meliore modo, ut Imperium Regiae Maieſtatis in Civitate Rigenſi in perpetuum firmetur, ſtabiliaturque; & quo magis Rigenſes in officio ſuo contineantur, curabit Dominus Capitaneus, ut Arx prope Dunemundam erigatur in loco, ubi defenſio portus maxime commoda videbitur.

Vt Civitas Revalia cum omnibus Arcibus in Eſthonia ſitis, in poteſtatem Regiae Maieſtatis veniat omnibus viis, modisque rem ad exitum perducere tentabit. Poſſeſſiones vero in Revalia, & alibi in Livonia his, qui in negotio ſubiectionis Revaliae obſequium praeſtabunt, iure feudi ad beneplacitum noſtrum conferet, aut etiam iure haereditario, ſecundum merita, quod S. Regia Maieſtas Literis ſuis ſe confirmaturam promittit.

Aget etiam, ut certa Jura in Terra illa recipiantur, ſive Jus Culmenſe, ſive quo utitur Terra Pruſſiae, aut denique quodcunque aliud ſit, prout voluerint.

Cum Duce Curlandiae tranſiget, ut alteram partem ripae fluminis Dzwina apud Rigam cedat, prout & ad muſiam, tum & templum ſitum ad ripam fluminis Swięta.

Cum eodem tractabit, ut Grobin a Duce Pruſſiae redimi, eximique poſſit.

Si Dux Curlandiæ contra fidelitatis Juramentum agere quidquam velle videretur cum Duce Meklenburgenſi in damnum Regiæ Maieſtatis, in id omni modo intendet, ut ne Regiæ Maieſtatis, & Reipublicæ dignitas, utilitasque detrimentum patiatur.

Si Capitaneos Terrarum, Præfectosque Arcium Regiæ Maieſtatis minus fideles, officioque ſuo deeſſe obſervaverit, eas Præfecturas aliis ſubditis Regiæ Maieſtatis conferet, quos in illa Terra digniſſimos iudicaverit.

Habebit etiam Dominus Capitaneus poteſtatem, facultatemque inconſulta Regia Maieſtate abeundi ex Livonia toties, quoties ex commodo publico, & privato id ei opportunum videbitur, in eoque caſu Locumtenentem ſuum in Terra Livoniæ conſtituet. ANNO 1566.

Quamcunque etiam Arcem, vel Curiam in Livonia commodiorem ſibi ad inhabitandum, pro opportunitate bellicorum, & civilium negotiorum expediendorum iudicaverit, illam ſibi eligere integrum erit, easque Arces, & Curias illarum Præfecti tradere ei debent.

Si expeditio Generalis contra Principem Moſcoviae decernetur, promittit S. Regia Maieſtas ſe, eidem Domino Capitaneo maiores copias miſſuram, eoque deſtinaturam pro defenſione Livoniæ, Terram Samogitiæ, nec non Diſtrictus Caunenſem, Upitenſem, Wilkomirienſem.

CXLVI.

Literæ Sacræ Regiæ Maieſtatis ad Principem Gothardum, ut Archidiœceſim Rigenſem, ac omnes reliquas Arces in Livonia ſitas, in Adminiſtrationem Magnifico Joanni Chodkiewicz reſignet. Dat. Lublini die 2. Auguſti Anno 1566. *Ex Archivo Magni Ducatus Litvaniæ.* Lib. num. 118. 1566.

SIGISMUNDUS AUGUSTUS Dei Gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Litvaniae, &c. Illuſtris Princeps Domine, & Amice Chariſſime ſalutem, & feliciſſimos quosque rerum ſucceſſus Illuſtritati Veſtrae precamur. Conſulentes afflictis rebus Livoniae, quae undequaque, tam foris ab hoſte, quam domi effraena militum licentia premitur, atque vexatur, & cum omnia ibi ſine lege, & ordine miſceantur, quae & in Nominis noſtri indignitatem paſſim, ita in ipſius Provinciae noſtrae perniciem derivare, atque eorum populorum ſtudia, & fidem erga Nos debilitare non obſcure videntur; ut his tandem omnibus malis occurratur, & honeſta, ac legitima rerum adminiſtratio iſthic inſtituatur, deliberato noſtro, & Senatorum, ac Conſiliariorum noſtrorum Magni Ducatus Litvaniae conſilio, ad haec flagitantibus a Nobis cunctis Statibus, & Ordinibus eiusdem Magni Ducatus Litvaniae, in Comitiis nuper Brzeſcie congregatis, Authoritate noſtra Regia, cum plenaria, abſoluta, & irrevocabili poteſtate dum Nobis in propriamet Perſona propter arduas, & graviſſimas Regni, & Magni Ducatus Litvaniae occupationes adire Livoniam non licet, ablega-

Anno 1566. legavimus, & misimus Illustrem, & Magnificum Joannem Chodkiewicz, Baronem in Szkłowo, Capitaneum Samogitiae Generalem, Archimareschalcum Magni Ducatus Litvaniae, ac Plotelensem, Telszovienſemque Praefectum, nec non Archidiœceſis Rigensis, & omnium aliarum in Livonia Arcium Administratorem, & Exercituum nostrorum omnium per Livoniam Supremum Campiductorem, Senatorem, & Consiliarium nostrum sincere Nobis dilectum, quem non solum, quod illustri Familia ortus, & eius Maiores de Nobis, & Sereniſſimis Regibus Poloniae, & Magnis Ducibus Litvaniae, deque tota Republica praeclariſſime meriti sunt, verum ob propriam, & insignem ipsius virtutem, pietatem, fidem, iustitiam, Literarum, & multiplicem rerum cognitionem, atque militaris disciplinae peritiam, ac singulare erga Nos studium, & obſervantiam, & in Patriam summum, constantiſſimumque illius amorem, maximopere gratia, ac benevolentia nostra Regia complectimur, dignumque loco, & designatis ipsi muneribus obeundis esse censuimus. Quare Illustritas Vestra Archidiœceſis Rigensis, ac reliquarum nostrarum in Livonia Arcium omnium administrationem huic Administratori nostro resignet, atque eum tanti reputet, quanto Nos eum honore dignati sumus. Cumque Illustritas Vestra nostrum per Livoniam Locumtenentem, & Gubernatorem agat, velit omnia sua studia, & consilia ad nostram, & utriusque Vestram dignitatem, ac Livoniae Provinciae nostrae conservationem, & emolumentum, cum hoc Administratore nostro conferre, qui etiam omnia sua instituta Illustritati Vestrae communicabit, qua in re Illustritas Vestra rem Nobis gratiſſimam est factura, & huius Illustris, optimi, & heroici Viri, Senatoris nostri amantiſſimi, maximam benevolentiam est sibi consiliatura. Porro Illustritatem Vestram diu, feliciter, & optime valere cupimus. Datum Lublini die secunda Augusti, Anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſexto.

CXLVII.

1566. *Ad eundem pro Conventione Generali in Livonia cum Magnifico Domino Chodkiewicz celebranda.* Sub eodem dato. *Indidem.*

Sigismundus Augustus Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiae, Pruſſiae, Maſoviae, Samogitiae, Livoniaeque &c. Dominus, & Haeres. Illustris Princeps, Domine, & Amice Chariſſime, salutem, & exoptatam felicitatem. Etsi semper res Livoniae ita Nobis curae fuerunt, ut magno nostro desiderio consultum illis quam optime cupiverimus, tamen cum distenti Regni, & Magni Ducatus nostri Litvaniae graviſſimis curis, & occupationibus, institutum in eo nostrum ex animi sententia confici non licuerit, nunc autem opportunam rei bene gerendae nacti occasionem, dum Nobis cum hoste Moscho Induciae ad certum tempus intercedunt, simusque ex hac parte tranquilliores, omne nostrum studium in id convertendum esse duximus, quo tandem in Livonia dolo, ac fraude a Sveco occupata, Dei beneficio recuperemus, praesertim cum Moschus Revaliae, & caeteris istius tractus Munitionibus fraudulenter inhiare non intermittat; ex qua re quantum toti Livoniae periculi immineat, facile quivis intelligit. Ad hoc autem negotium feliciter auspicandum, & conficiendum, Illustrem, & Magnificum Dominum Joannem Chodkiewicz Baronem in Szkłowo, Capitaneum Samogitiae Generalem &c. in Livoniam cum plena potestate nostra ablegavimus, eique res nostras bellicas ibidem pro nostra dignitate, & illius Reipublicae utilitate administrandas commisimus. Verum cum hoc institutum nostrum Illustritatis Vestrae, & omnium Ordinum, ac Statuum Livoniae communem deliberationem, consilium, opem, & auxilium requirat, indicimus Conventionem Livoniae Generalem Rigae ad diem . . . praesentis anni celebrandam. Postulamus itaque ab Illustritate Vestra, ut eam nostram indictam Conventionem, quantum in Ea est, promoveat, tum Illustri, & Magnifico Joanni Chodkiewicz, pro solita sua erga Nos obſervantia, consilio, ope, & auxilio ita adsit, ut iam antea satis testatam suam in Nos fidem Illustritas Vestra hac ratione reddat cumulatiorem. Quod reliquum est, Illustritatem Vestram diu, feliciter, & optime valere cupimus. Datum Lublini d. 2. Aug. Anno 1566.

Anno 1566.

CXLVIII.

Eiusdem ad Civitatem Rigensem in eodem negotio. Sub eodem dato. *Indidem.* 1566.

Sigismundus Augustus Dei Gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Litvaniae, Ruſſiae, Pruſſiae, Maſoviae, Samogitiae, Livoniaeque &c. Dominus, & Haeres. Spectabilibus, ac Famatis Proconsulibus, & Consulibus, totique Communitati Civitatis nostrae Rigensis

Anno 1566. Fidelibus Nobis dilectis gratiam noſtram Regiam, ac proſperos rerum ſucceſſus. Variis adducti rationibus, maxime vero, quod intelligamus Moſchorum Principem nihil intermittere, quo Revaliam, caeteraque eius Diſtrictus loca, & propugnacula a Sveco obtenta, in poteſtatem ſuam redigat, ablegavimus Illuſtrem, & Magnificum Joannem Chodkiewicz Baronem in Szkłowo, Capitaneum Samogitiae Generalem &c. eique rem omnem bellicam adminiſtrandam commiſimus. Cum autem ea res communem omnium Statuum deliberationem diligentem, ac conſiliorum communicationem requirere videatur, indiximus Generalem Livoniae Conventionem Rigae die .... anni praeſentis celebrandam. Proinde F. Veſtras hortamur, ut ei Conventioni interſint, inſtitutumque hoc noſtrum pro ſua in Nos fide, & obſervantia ita promoveant, ut omnia ex dignitate noſtra, & Reipublicae Livoniae commodo, & utilitate procedant, Curiamque noſtram Archiepiſcopalem praefato Capitaneo Samogitiae Generali cedant, ac pro Comitatu ſuo de hoſpitiis provideant, quo fecerint F. Veſtrae rem ex omnimoda ſententia, & voluntate noſtra, ſuoque officio dignam. Datum Lublini d. 2. Aug. Anno 1566.

CXLIX.

1566. *Eiusdem Literæ Patentes ad omnes Livoniæ Status, ut Magnificum Joannem Chodkiewicz pro vero Livoniæ Adminiſtratore acceptent.* Sub eodem dato. *Indidem.*

Sigismundus Augustus Dei Gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Litvaniae, Ruſſiae, Pruſſiae, Maſoviae, Samogitiae, Livoniaeque &c. Dominus, & Haeres. Univerſis, & ſingulis, Reverendis, Spectabilibus, Magnificis, Generoſis, Nobilibus, Baronibus, Equitibus, Capitaneis, Egregiis, ac Honeſtis, Prælatis, Civibus, Incolis cuiuscunque ſtatus, praeminentiæ, & conditionis fuerint, Archidiœceſis noſtrae Rigenſis, ac reliquarum in Livonia Arcium noſtrarum omnium Præfectis, & ſubditis noſtris fidelibus dilectis gratiam noſtram Regiam, & fluentem pro voto felicitatem. Commiſerati turbulenti Livoniæ Provinciæ noſtræ ſtatus, quæ omni ex parte tam ab hoſte feroci, quam etiam in viſceribus ſuis a milite noſtro moribus diſſoluto multum incommodi, & detrimenti pati dicitur, omniaque iſthic ſublatis legibus pro libidine cuiusque gerantur. Volentes hæc mala avertere, atque in iuſtam, & legitimam adminiſtrandæ iſtius Provinciæ noſtræ formam redigere, dum propriamet Perſona propter arduas, & graviſſimas Regni, & Magni Ducatus noſtri Litvaniæ occupationes, accedere Livoniam non potuimus, miſimus, & ablegavimus iſthic in Livoniam ex Brachio, & Authoritate noſtra Regia, deliberato noſtro, & omnium Senatorum, ac Conſiliariorum noſtrorum conſilio, Illuſtrem, & Magnificum Dom. Joannem Chodkiewicz, Baronem in Szkłowo, Capitaneum Samogitiæ Generalem, Archimareſchalcum Magni Ducatus Litvaniæ, ac Plotelenſem, Telſzovienſem Præfectum, nec non Archidiœceſis Rigenſis, ac omnium reliquarum in Livonia Arcium noſtrarum Adminiſtratorem, & Exercituum omnium noſtrorum per Livoniam Supremum Ducem, & Campiductorem, cum plenaria, abſoluta, & irrevocabili poteſtate, quæ ſingulari noſtro Diplomate eſt comprehenſa, illique conceſſa. Proinde Vobis in genere omnibus, & in ſpecie ſingulis mandamus, ut præfatum Illuſtrem, & Magnificum Joannem Chodkiewicz, Capitaneum Samogitiæ Generalem, pro vero Adminiſtratore noſtro habeant, & acceptent, eique in omnibus, pro data, & conceſſa ipſi a Nobis poteſtate, obediant, ac pareant, ac omnem illi honorem, non ſecus, ac Nobis ipſis, deferant, rem in eo Nobis gratiſſimam, & officio ſuo dignam facturi. Datum Lublini die 2. Aug. Anno 1566.

CL.

Ad Eosdem, ut ad Conventionem celebrandam conveniant. Sub eodem dato. *Indidem.* 1566.

Sigismundus Augustus Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæque Dominus, & Hæres. Univerſis, & ſingulis Reverendis, Spectabilibus, Magnificis, Generoſis, Nobilibus, Prælatis, Baronibus, Equitibus, Capitaneis, Egregiis, ac Honeſtis, Civibus, & Incolis cuiuscunque ſtatus, præeminentiæ, & conditionis fuerint, Arcium, & Civitatum noſtrarum in Livonia incolis, & ſubditis noſtris, extra Archidiœceſim noſtram Rigenſem conſtitutis fidelibus Nobis dilectis Gratiam noſtram Regiam, & exoptatam felicitatem. Quamvis ſemper res Livoniæ ita curæ Nobis fuerunt, ut magno noſtro deſiderio conſultum illis quam optime cupiverimus, tamen cum diſtenti Regni, & Magni

Anno 1566. gni Ducatus noſtri graviſſimis curis, & occupationibus, inſtitutum in eo noſtrum ex animi ſententia confici non licuerit. Nunc autem opportunam rei bene gerendæ nacti occaſionem, dum Nobis cum hoſte Moſcho Induciæ ad certum tempus intercedant, ſimusque ex hac parte tranquilliores, omne noſtrum ſtudium in id convertendum duximus, quo tandem in Livonia, dolo, ac fraude a Sveco occupata, Dei beneficio recuperemus, præſertim cum Moſchus Revaliæ, & cæteris ipſius Tractus munitionibus fraudulenter inhiare non intermittat, ex qua re quantum toti Livoniæ periculi immineat, facile quivis intelligit. Ad hoc autem negotium feliciter auſpicandum, & conficiendum, Illuſtrem, & Magnificum Joannem Chodkiewicz, Baronem in Szkłowo, Capitaneum Samogitiæ Generalem, &c. in Livoniam cum plena poteſtate noſtra ablegavimus, eique res noſtras bellicas ibidem pro noſtra dignitate, & Reipublicæ utilitate adminiſtrandas commiſimus. Verum cum hoc inſtitutum noſtrum Illuſtris Curoniæ Princeps, & omnium Ordinum, ac Statuum Livoniæ, Sinceritatum Veſtrarum communem deliberationem, conſilium, & auxilium requirat, indiximus, ac hiſce indicimus Conventionem Livoniæ Generalem Rigæ die .... præſentis anni celebrandam. Mandamus itaque Sinceritatibus Veſtris, ut ad eam Conventionem conveniant, atque de omnibus, quæ Illuſtris, & Magnificus Joannes Chodkiewicz, Capitaneus Samogitiæ Generalis, nomine noſtro Sinceritatibus Veſtris dicet, atque proponet, certam fidem adhibeant, omniaque ſua ſtudia, deliberationes, & conſilia ad propoſitiones noſtras, Sinceritatibus Veſtris offerendas, ineant, & vires, & operas ſuas in conſervationem, & recuperationem Livoniæ Provinciæ noſtræ, Patriæ vero Veſtræ conferant; qua re Sinceritates Veſtras cum rem Nobis gratiſſimam, tum officio ſuo debitam facturas omnino confidimus. Datum Lublini d. 2. Aug. Anno 1566.

CLI.

1566. *Eiusdem ad Civitatem Rigenſem, ut Magnificum Joannem Chodkiewicz pro vero Adminiſtratore Archiepiſcopatus Rigenſis agnoſcant, eique Curiam Archiepiſcopalem, & nonnulla bona ad Archiepiſcopatum, & Capitulum Rigenſe pertinentia reſtituant.* Datum Lublini die 22. Auguſti Anno 1566. *Indidem.* Anno 1566.

Sigismundus Augustus DEI Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniae, Ruſſiae, Pruſſiae, Maſoviæ, Samogitiae, Livoniaeque &c. Dominus, & Hæres. Spectabilibus, Egregiis, & Famatis Proconſulibus, Conſulibus, totique Communitati Civitatis noſtræ Rigenſis, fidelibus nobis dilectis gratiam noſtram Regiam, & exoptatam felicitatem. Multis graviſſimis de cauſis vicem, & calamitatem Livoniæ reputantes, quæ extra ab hoſtibus, intra vero a militibus noſtris diſſolutis ultra modum infeſtatur, & cum omnia fere ſine lege, pro cuiusque libidine ibi gerantur; Volentes itaque, & hoſtium vires, ac impetus inde DEI beneficio arcere, & licentiam militum noſtrorum infringere, iuſtamque, ac legitimam adminiſtrandæ iſtius Provinciæ noſtræ rationem ordinare, inſtituereque, deliberato noſtro, & Senatorum noſtrorum conſilio, miſimus, & ablegavimus iſthic in Livoniam Illuſtrem, & Magnificum Joannem Chodkiewicz, Baronem in Szkłowo &c. cum plenaria, & abſoluta poteſtate noſtra, cui totius Archidiœceſis noſtræ Rigenſis, ac reliquarum in Livonia Arcium noſtrarum omnium Adminiſtrationem commiſimus, quam & fuſius Literis noſtris comprehenſam ſeorſim illi dedimus. Proinde hortamur F. Veſtras, ut eum ipſum Illuſtrem, & Magnificum Joannem Chodkiewicz &c. pro vero Adminiſtratore noſtro eius Archidiœceſis Rigenſis agnoſcant, & acceptent, eumque pro totius Livoniæ Provinciæ, & Civitatis noſtræ Rigenſis conſervatione, & utilitate huic præinſerto Adminiſtratori noſtro cum Fidelitatibus Veſtris conſultanda, agenda, & conſtituenda quaedam commiſerimus, volumus, ut iis, quæ proponet, fidem omnimodam tribuant, conſiliaque, & rationes, ac inſtituta eius ſequantur, ſiquidem nil aliud, niſi Veſtra & communis Livoniæ ſalus quæratur. Quoniam autem Curia Archiepiſcopalis, & Domus, bonaque nonnulla tam ad Archiepiſcopatum, quam ad Capitulum noſtrum Rigenſe pertinentia, tam in Urbe, quam etiam extra Urbem noſtram Rigam ſita, a Fidelitatibus Veſtris detineri dicantur. Mandamus itaque, ut viſis his Literis noſtris Fidelitates Veſtræ Curiam, & ipſa ea bona omnia huic Adminiſtratori noſtro ſine mora, et omni exceptione reſtituant, ac reddant, omnique iure in Archiepiſcopatu noſtro Rigenſi competenti liberrime eum uti, frui, et gaudere permittant. Qua in re facturæ ſunt Fidelitates Veſtræ cum Nobis rem

Anno 1566. gratissimam, et officio suo dignam, tum Vobis, et Patriae utilem, ac salutarem. Datum Lublini die 22, Augusti Anno 1566.

CLII.

1566. *Privilegium plenae, absolutae, & irrevocabilis potestatis cum Jurisdictione universa, administrandi Archidiœcesim Rigensem, a Sacra Regia Maiestate Joanni Chodkiewicz Archimareschalco Magni Ducatus Litvaniæ datum.* Lublini d. 26. An. 1566. *Ex Archivo Regni.*

Sigismundus Augustus Dei Gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Litvaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiae, Livoniæque Dominus, et Haeres. Significamus tenore Præsentium, quibus expedit, universis, & singulis. Posteaquam Livonia Provincia variis bellorum fluctibus, et procellis quassata, atque immanis hostis Moschi, et aliorum pressa viribus nostræ potestati, atque Imperio se subiecit, nihil magis in votis Nobis fuit, quam ut eam, et Regionis eius populos, qui studio, amore, et nostri nominis opinione singulari imbuti, atque adducti, quieto velut portui, se, suaque charissima pignora, et fortunas Nobis crediderunt, pari vicissim gratia, et benevolentia nostra complecteremur, ac foveremus, proque eo vere paterno nostro erga eos subditos nostros affectu, in liberanda, et conservanda Livonia, nullis nostris, et subditorum nostrorum Magni Ducatus Litvaniæ, immensis sumptibus, et nec sangvini eorum parsum est hactenus, cuius rei vel ipsimet Indigenæ Livoniæ testes esse possunt luculentissimi. Nec remittentes ab instituto nostro, sed in dies magis ea de Republica Livoniæ solliciti, dum vicini undiquaque hostes perpetuis insultibus, ac irruptionibus in eam grassantur, et nostri etiam milites stipendia ibi merentes dissolutis suis moribus, incolis isthic graves, ac molesti sunt, cumque cætera ibi omnia sine lege, & ordine susque deque ferantur, volentes iis malis occurrere, ac iustam, & legitimam Gubernationem constituere, ut omnia ex dignitate nostra Regia, & Dominii istius nostri utilitate administrentur, quando per Regni nostri, et Dominiorum nostrorum arduas, ac gravissimas occupationes Livoniam adire propria nostramet persona non liceat, ex brachio, atque auctoritate nostra Regia, ac deliberato nostro, ac Senatorum & Procerum Magni Ducatus Litvaniæ Consilio, & omnium Ordinum, ac Statuum Eiusdem Magni Ducatus Litvaniæ in Conventu Generali Brzestensi congregatorum demissa petitione, ablegavimus in Livoniam cum plenissima, ac absoluta, & irrevocabili potestate nostra, Illustrem, & Magnificum Dominum Joannem Chodkiewicz, Baronem in Szkłowo, Capitaneum Samogitiæ Generalem, ac Magni Ducatus Litvaniæ Archi-Marescalcum, nec non Telszovienssem, Plotelensem Præfectum, atque Archidiœcesis Rigensis, tum et cæterarum Arcium nostrarum per Livoniam Administratorem, & Exercituum nostrorum terra, marique collectorum, & colligendorum ibidem in Livonia Supremum Ducem, & Campiductorem, Senatorem, & Consiliarium nostrum sincere Nobis dilectum, cui cum ob virtutis, et natalium splendorem, siquidem Maiores eius multis retro sæculis, longa serie, continuaque Successione in Ordine Senatorio M. D. L. existentes, & domi tempore pacis, prudentia, consiliis, authoritate, magno usui, & ornamento fuerunt, & foris de hostibus amplissimas reportaverunt victorias, tum ob singularem ipsius pietatem, fidem, literarum, & Rei Militaris peritiam, ac illius erga Nos studium, & observantiam, & muneris eius, quo fungitur Archi-Marescalcatu Magni Ducatus Litvaniae, Authoritatem eximiam, quam grave hoc negotium rite peragendum requirit, Administrationem totius Diœcesis Rigensis, & reliquarum in Livonia Arcium nostrarum omnium, cum omnibus hisce præsentibus Literis nostris, articulis, & conditionibus insertis, atque infrascriptis, irrevocabiliter dedimus, & concessimus, ac per præsentes damus, & concedimus ei in Livonia universam Jurisdictionem Nobis deditam, nec non gladii potestatem, tum etiam plenissimam facultatem in præfata Archidiœcesi nostra Rigensi, tum cæteris quoque Livoniæ Districtibus, de rebus, negotiisque omnibus, & singulis tam spiritualibus, quam sæcularibus, tamque civilibus & forensibus, quam militaribus, & ad expeditionem bellicam pertinentibus, tam denique publicis, quam privatis, nullis penitus exceptis, vel excipiendis, quae directum Dominium nostrum, cognitionemque nostram spectant, liberrime disponendi, & constituendi, iudicia quoque omnis generis exercendi, cognoscendi, decernendi, in facinorosos, præsertim vero in milites nostros, qui incolis Livoniæ molesti, & iniurii fuere, pro modo delicti animadvertendi, & plectendi, ab-

Anno 1566.

ANNO 1566. ablataque reſtituendi, certum item iudiciorum ordinem, ſecundum quem omnes controverſiæ decidantur, præſcribendi, Judices, Magiſtratus, Capitaneosque ordinandi, & conſtituendi. Cum enim præfatum Illuſtrem, & Magnificum Dominum Joannem Chodkiewicz dignum iudicaverimus, cui officium Supremi Mareſchalci per Magnum Ducatum noſtrum Litvaniae (quod latiſſime patet) committeremus, non immerito ratione eiusdem Muneris, & Officii, omnium, & ſingularum quoque actionum, exercendorumque iudiciorum in Provincia noſtra Livonia authoritatem eidem concedimus, quin etiam pro amplianda præinſerti Adminiſtratoris noſtri authoritate, & reputatione, hoc adiectum volumus, ut ab omnibus delegatorum, vel etiam ordinariorum Judicum & Magiſtratus Sententia, ad Adminiſtratorem noſtrum provocare liceat, ab ipſius autem Adminiſtratoris Sententia, ad Nos, vel Tribunal noſtrum appellandi facultas; propter ſumptuum etiam immenſitatem, quibus partes in proſequenda appellatione exhaurirentur, nemini competat. In quibus omnibus Judiciis, mos patrius, ac conſvetudo iſthic obſervari ſolita (niſi expreſſum iuris errorem contineat, aut ab æquitate diſcrepet) imitetur. Arcium quoq; noſtrarum omnium per Livoniam diſpoſitionem liberam Adminiſtratori noſtro committimus, qui rationem diſpenſationis, & adminiſtrationis a Capitaneis exigat, de rebus omnibus inquirat, quosque dignos iudicaverit, in eodem officio reſervet, reliquos indignos removeat, de eisque ex præſcripto iuris, & iuſtitiæ decernat. Et ſi quæ ab Arcibus, & Curiis noſtris prædia, villæ ademptæ, vel quovis iure conceſſæ, tam antiquitus ab Ordine, quam etiam hac noſtra tempeſtate, in hæc Diplomatum & Privilegiorum ipſis datorum, a poſſeſſoribus petendi, inſpiciendi, & examinandi, ac valorem, ſeu taxam eorum bonorum adhibendi poteſtatem dedimus. Quare omnes Incolæ Livoniæ ſubditi noſtri ab Adminiſtratore hoc noſtro requiſiti, Privilegia ſuper conceſſis bonis videndi facultatem dare tenebuntur. Erit etiam in poteſtate Adminiſtratoris noſtri, quandocunque res poſtulare videbitur, toti nobilitati, & incolis, tum Capitaneis quoque, & Præfectis noſtris per Livoniam expeditionem bellicam indicendi, & denuntiandi, eaque denuntiatione facta, omnes debent propriismet perſonis hoſti obviam ire, pro modo facultatum ſuarum. Equitibus quisque ſuis inſtructis, quos antiquitus ex bonis propriis expedire, & ſecum ducere conſveverunt, vel cum ex conſtitutione huius Adminiſtratoris noſtri pro ratione novæ taxæ eis noſtro nomine indictum fuerit, nullas alias inſuper mandatorum noſtrorum Literas requirentes, contenti Epiſtolis, & denuntiatione huius Adminiſtratoris noſtri. Ii autem, qui ad defenſionem Patriæ ſuæ vocati Literis Adminiſtratoris iſtius noſtri, neglexerint, & progredi adverſus hoſtem noluerint, bonis ſuis omnibus privabuntur, ipſoque facto priventur. Ea autem bona ſic ad noſtrum fiſcum devoluta, poterit is Adminiſtrator noſter conferre his, qui fideliter ſtationem ſuam obeunt, vel qui de Republica bene merentur, ad noſtram tamen notitiam referendo. Præterea cum in defenſionem Livoniæ aſſidue exercitus ibi maximis ſumptibus fovendi ſunt, ne immenſam hanc æris profuſionem theſaurus noſter ferat, quam certe ultra modum, & omnem fidem hactenus tulit, ut non nullam ſaltem partem ſolvendis ſtipendiis militi Livones in conſervationem ſui conferant, delegavimus etiam, & poteſtatem fecimus præinſerto Adminiſtratori noſtro, vocatis omnibus Ordinibus, ac Statibus Livoniæ Comitia agendi, Contributionesque ex communi conſilio, & aſſenſu indicendi, conſtituendique, & quotiescunque pro eius Regionis defenſione opus fuerit, toties comitia agere, & indicere, ac Contributiones cum conſenſu omnium Incolarum ſancire licitum ei erit. Qua in re omnes Status, & Ordines Livoniæ propriam reputantes ſalutem, morem ipſi gerere debebunt. De teloneis item antiquis, & uſitatis, prout videbit, idem Adminiſtrator noſter diſponat, ac novorum etiam teloneorum pro communi Reipublicæ Livoniæ commodo inſtituendorum, diſponendorumque ius, & poteſtatem habebit. Monetæ cudendæ facultas in ea Provincia ditionis noſtræ, nulli competat. Si vero ea iſthic cudenda erit, tum nulli concedetur, niſi ex voluntate noſtra cum ſcitu Adminiſtratoris huius noſtri, nec cuiquam de valore Monetæ, qualiscunque formæ, & ponderis illa ſit, diſponere in omni Provincia Livoniæ, niſi Adminiſtratori noſtro licebit. Novas etiam urbes in ornamentum, & augmentum Livoniæ condere, ubi huic Adminiſtratori noſtro viſum fuerit, eidem fas, liberumque eſto, quas Nos Privilegiis, & libertatibus muniendas promittimus. De ſtatu item Capitularium Rigenſi, deque bonis ipſorum per quoscunque, ac qualitercunque eis ademptis, Adminiſtrator noſter is inquirat, et ut iuſtum, æquumque eſſe videbitur,

ANNO 1566.

Anno 1566. bitur, decernat, disponat, atq; constituat, et Ordinem Capituli instituat. Quoniam vero beneficiis plerumq; homines ad virtutem, fidem, præclaraque studia invitantur, ius, ac potestas erit Administratori huic nostro, agros in Livonia de Nobis, et Republica Livoniæ bene meritis conferendi, ad nostram tamen ratificationem. Postulante item occasione, et necessitate potestatem facimus huic Administratori, Comitia et Conventus cogendi in Livonia, pro meliori istius Reipublicæ modo, commodo, et utilitate. Ea vero omnia, quæ in Conventu, vel extra Conventionem cum eius Provinciæ nostræ hominibus instituet, et concludet, ad nostram tamen ratificationem remittendo, id Nos ratum, et firmum habituri sumus. Miles item extraneus, et domesticus, ac quæcunque suppetiæ, auxilia, et copiæ in Livoniam missæ, et in posterum mittendæ sunt, ac Præfecti, qui Exercitus eo adducent, sub potestate, et Imperio istius Administratoris nostri erunt, dictoque illius parebunt. Omnibus vero militibus nostris, et eorum Præfectis, Centurionibus, quandocunque is Administrator noster stipendia condicet, statuet, et nostro nomine pollicebitur, id Nos ratum, et pro solido susceпturi, pollicitaque præstaturi sumus. Quos autem ex militibus, vel Centurionibus militia excludendos, et exauctorandos censuerit, licitum illi esse debet. Ne autem in tanta rerum varietate, præter hæc, quæ sunt enumerata, alia excludantur, Nos cuncta summatim concludendo, huic Jllustri, et Magnifico Domino Joanni Chodkiewicz plenissimam et generalissimam Administrationem totius Archidiœcesis nostræ Rigensis, et reliquarum omnium Arcium nostrarum in Livonia, nec non per eandem Exercituum nostrorum primariam potestatem, hisce concedimus, committimus, atque tribuimus, cum omnimoda facultate, de rebus, et negotiis omnibus et singulis in genere, et specie, quocunque Nomine nuncupatis, vel nuncupandis, quæ omnia hic pro expressis habere volumus, ita ut nec generalitas specialitati, nec specialitas generalitati in quoquam deroget, liberrime cognoscendi, agendi, disponendi, ordinandi, constituendi, prout vel occasio rei gerendæ, vel dignitas nostra, vel etiam Provinciæ Livoniæ utilitas postulare videbitur, aut Nos ipsi, si ibidem præsentes essemus, agere, disponere, constituere possemus. Promittimus autem Verbo Nostro Regio, tam pro Nobis, quam Sereniſſimis Successoribus nostris, quidquid in præmissis a memorato Administratore nostro actum, constitutumque fuerit, id omne Nos futuris temporibus quibuscunque, ratum, gratum, firmum, validumque habituros, Successoresque nostri habebunt, semotis omnibus exceptionibus, ac iuris beneficiis, quibus expresse per præsentes renuntiamus. In quorum fidem, et evidentius testimonium præsentes manu propria subscripsimus, ac Sigillo Nostro muniri iussimus. Datæ Lublini die 26. Mensis Augusti, Anno Domini 1566. Anno 1566.

CLIII.

Privilegium Sigismundi Augusti *Regis Capitularibus Rigensibus indultum, quo eos & ex statu Spirituali, & Ecclesiastico in Saecularem transfert.* Dat. Grodnæ in Conventione Generali Magni Ducatus Litvaniæ d. 26. Decembris Anno 1566. *Ex Archivo Nieśvisiensi.* 1566.

Ratio ipsa dictare videtur, tantam passim rerum esse humanarum vicissitudinem, et inconstantiam, ut dum variis casuum, periculorumque procellis, subiaceant, nec diuturnæ esse, nec ad posteritatem recte transmitti possint, nisi certis, eisdemque firmis, ac indubitatis Literarum Monumentis comprehensæ firmentur, foveantur, & conserventur. Itaque Nos Sigismundus Augustus Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Livoniæque &c. Dominus, & Hæres. Significamus præsentibus Literis nostris, quorum interest, universis, & singulis, tam præsentibus, quam futuris, notitiam harum habituris. Quod cum Nos, postulantibus sic rebus Livoniæ, Illustrem, & Magnificum Joannem Chodkiewicz, Baronem in Szkłowo, & Bychow, Samogitiæ, Livoniæque Capitaneum, & Administratorem Generalem, Magni Ducatus nostri Litvaniæ Archimareschalcum, atque Supremum Regii Exercitus nostri in Livonia Campiductorem, Plotelensem, Telszovienſemque Capitaneum, Senatorem nostrum sincere Nobis dilectum, cum plena, absoluta, & irrevocabili potestate, de omnibus, & singulis rebus, tam spiritualibus, quam sæcularibus, togatis, & militaribus, publicis denique, ac privatis, ordinandi, constituendi, ac disponendi, ad Status Livoniæ Transdunensis ablegassemus, ibidemq; habitis seriis deliberationibus, ac consultationibus, communi omnium Ordinum Livoniæ consen-

Anno 1566. ſenſu, atque ſuffragiis, varii Tractatus, tam ſuper nova conſtituenda defenſionis ratione, firmandaq; cum M. Ducatu noſtro Litvaniæ Societate, Confœderatione, et Fraternitate, quam etiam ſpiritualis illius Status in ſæcularem mutatione, conſtituti, initique eſſent, in eam ſententiam ab omnibus itum, ac pro indubitato habitum eſt, Livoniam ab immaniſſimis hoſtibus nec rite defendi, nec conſervari poſſe, niſi ſublatis priſtinorum Ordinum differentiis, novam, ac ſolidam aliquam Reipublicæ faciem inter ſeſe (qui Ordinibus, Statuumque varietate haud leviter diſſidebant) conſtituiſſent, ac expreſſim renuntiantes priſtinorum Statuum differentiis, omnes Incolæ eius Provinciae, pari iure, ordine, modo, ac legibus eisdem Nobis ſeſe ex æquo ſubmiſiſſent, Magnoque noſtro Ducatui Litvaniae, perpetuo conſociationis, ac fraternitatis vinculo coniunxiſſent, et conglutinaſſent, ut ut ſic coniunctis utriusque dominii conſiliis, opera, atque auxilio, imminentium hoſtium inſultus eo facilius ſuſtineri, ac iam omnibus modis conquaſſata Provincia Livonia Deo auxiliante, tanquam poſtliminio priſtinae paci, ac tranquillitati reſtitui poſſit. Quam viam, ac rationem, cum omnibus, ac ſingulis, tanquam neceſſariam, ſibique ſalutarem perpetuis quibusque temporibus fore, ſeque hac unica ratione incolumes ab inhiantibus immaniſſimis hoſtibus ſupereſſe poſſe perſpicerent, eamque tanquam unicam, et ſacram ſalutis anchoram accipiendam putarent. Ideo Reverendi Jacobus Meck Decanus, Joannes a Munſter Senior, et Cellarius, Andreas Spill Canonicus Archidiœceſis Rigenſis, ſuo quoque ſuffragio, atque ſententia poſt celebratum ſuper eodem negotio, cum praefato Illuſtri, et Magnifico Ioanne Chodkiewicz certum Contractum, communibus rationibus Reipublicae illi conſulentes, non potuerunt non pro ſe quoque id, quod ab omnibus Statibus probaretur, approbare, ratificare, et acceptare, ac renuntiando veteri Statui Eccleſiaſtico (quod iam pridem multoties ab eis, tam a Reverendiſſimo piae memoriae Archiepiſcopo, quam communibus Archidiœceſeos Statibus poſtulatum, efflagitatumque erat) ſeſe una cum reliquis omnibus incolis eiusdem Provinciae, ſaeculari Statui, ac conditioni paribus legibus, iuribus, atque iudiciis Nobis ex aequo ſubmittere, ac quidquid eis Privilegiorum, ſuper ſtatu ſuo priſtino a Summis Pontificibus, Imperatoribus Regibus, conceſſum, ac datum antiquitus eſſet, Nobis, Succeſſoribusque noſtris cedere, atque transferre, certis tamen Articulis, Clauſulis, ac Conditionibus ſibi reſervatis, de quibus ſibi, ac poſteris ſuis omnibus per Nos, ac Succeſſores noſtros idonee caveri placuit, atque convenit, prout etiam Illuſtris, et Magnificus Ioannes Chodkiewicz in iisdem Tractatibus eis per Nos caveri debere, & oportere noſtro nomine ſpopondit, atque promiſit, quorum quidem Capitum tenor eſt talis, ut ſequitur. Anno 1566.

I. Vt Dei Verbum, eius denique cultus in Scholis, ac Templis pure doceatur, conſerveturque, et Miniſtri Eccleſiarum, et Scholarum honorifica, et ſufficienti ſuſtentatione provideantur.

II. Vt omnia Diplomata, et Literae Reverendi Capituli, tam Conſiliariis, quam Equeſtri Ordini, nec non aliis quibuscunque perſonis ſuper Feudis, iisque etiam apertis, ſuper venditionibus, oppignorationibus, aliisque cuiuscunque generis Contractibus, cum Reverendiſſimis piae memoriae Archiepiſcopis coniunctim, aut per ſe diviſim datae, atque conceſſae omnibus, ac ſingulis, ſalvae, integrae, et inviolabiles ſerventur, atq; permaneant.

III. Vt ſimiliter Diplomata, et Literae omnes in Civitate Rigenſi, vel extra eam, ſuper Feudis, Emphiteuſibus, precariis beneficiis, expectantiis, oppignorationibus, et aliis quibuscunque contractibus, tam aliis, quam ſibi ipſis datae, et obſignatae, vires ſuas, atque robur firmitatis perpetuae obtineant.

IV. Vt Capitularibus licitum, liberumque ſit, omnia, et ſingula debita olim contracta, a debitoribus ſuis ſecundum Syngraphas illorum exigere, percipere, et in uſus ſuos pro arbitrio convertere. Eo ſane conſiderato, quod cum in ſingularem defuncti Domini piae memoriæ Archiepiſcopi favorem, clementemq; gratiam, tum propter communem Archiepiſcopatus neceſſitatem iuvandam, non ſolum omnem pecuniam paratam erogarint, ipſorumque facultates exhauſerint, verum aliquot etiam millia aeris alieni conflare coacti fuerint.

V. Vt Senatus quoque Rigenſis omnium, et ſingulorum cenſuum, redituum, obventionum, ac fruitionum nomine hinc inde a morte Domini Archiepiſcopi re, factoque ex bonis Capitularibus perceptarum ſufficientem, ac iuſtam Capitularibus rationem reddat, omneque illud, quod a Senatu perceptum demonſtrari poterit, eis ſolvat, atque reſtituat, ſemperque ſalva actio ſuper iniuriis, violentiis, ac damnis, tam eis, quam beneficiariis eorum, quocunque modo illatis, nec non expenſarum quoque nomine, contra Senatum Rigenſem eis ſuperſit, at-

Annoque remaneat, ut libera quoque facul- Anno
1566. tas eis ſit omnes ac ſingulas penſiones a beneficiariis, ſeu Emphiteutis eorum, tam in, quam extra Civitatem Rigenſem ſitis, hucusque debitas exigendi, percipiendi, & in uſus ſuos convertendi.

VI. Quod ſi contigerit forte bona Capitularia, in, vel extra Civitatem Rigenſem ſita, & antehac in Capitulo oppignorata per quenquam redimi, aut cuiquam vendi, ut in tali redemptione, venditione, vel quovis alio contractu Capitulares moderni omnibus aliis præferantur, perſoluto eo, quod ab aliis offertur.

VII. Vt omnes, ac ſingulæ actiones, quæ ipſis forte a quoquam, priſtini ſui Status nomine, vel ex eo, quod ab eis, vel Prædeceſſoribus eorum, in priſtino Statu geſtum, actumque eſt, intentari poſſent, nunc & in poſterum in ſolam Sacram, & Sereniſſimam Regiam Maieſtatem transferantur, eorumque nomine Sacra eius Regia Maieſtas, & loco illius Maieſtatis Adminiſtrator pro tempore exiſtens eos manuteneat, tueatur, atque indemnes conſervet.

VIII. Vt quoque Dominus Kunhemius, atque Strubicius, a Sacra & Sereniſſima Regia Maieſtate ſufficienter contententur. Poſtremo cautum ſibi, ac Poſteris ſuis eſſe volunt Capitulares præmemorati, ne futuris ullis temporibus, ob hanc tam neceſſariam Status ſui mutationem, ceſſionemque Jurium ſuorum, a Pontificibus Romanis, Imperatoribus, Regibus, Jmperii Electoribus, cæterisque Principibus, ac Dominis, tum omnibus iis, qui ius aliquod eo nomine ſibi competere putaverint, infeſtentur, moleſtenturve, palam vel clam, neve actus ille honoribus, nominis reputationi, aut famæ illorum in quoquam obſit, aut damnum aliquod inferat, ne denique Capitulares, vel Poſteri illorum Banno Jmperii, aut Proſcriptioni ſubmittantur, ſed ut contra univerſos, ac ſingulos eo nomine per Nos, ac Sereniſſimos Succeſſores noſtros manuteneantur, defendantur, indemnesque per omnia conſerventur.

Nos igitur Sigismundus Augustus Rex Poloniæ, Magnus Litvaniæ Dux &c. Conſiderantes Illuſtrem ac Magnificum Joannem Chodkiewicz eiusmodi Tractatus cum Capitulo Rigenſi de certa ſcientia noſtra, ac omnimoda voluntate, iuſſione, ac mandato noſtro ſuſcepiſſe, & confeciſſe, tum omnia quoque, ac ſingula capita, ut hic ſuo Ordine diſpoſita præmittuntur, æquitate niti, ideo eadem, ac totam illorum ſeriem ratam, gratamque habendam, authoritate noſtra Regia approbandam, confirman- Anno
dam, & corroborandam eſſe duximus, 1566.
prout approbamus, confirmamus, & corroboramus præſentibus Literis noſtris, decernentes ea omnia, ac ſingula perpetuum firmitatis robur obtinere. Porro cum illorum etiam erga Nos perſpectam fidem ſinceram, ſingulareque in M. D. Litvaniæ, atque in primis Livoniæ Provinciam ſtudium, atque obſervantiam diligentius expenderemus, exiſtimavimus pro munere, atque officio noſtro Regio facturos, ſi eos, ac poſteros illorum uberiori quadam noſtra gratia & liberalitate complecteremur, ac foveremus. Ex certa itaque ſcientia, ſingulari motu, atque Regalis, & Principalis noſtræ poteſtatis plenitudine, nec non Principum, Procerum, Senatorumque noſtrorum Magni Ducatus Litvaniæ maturo conſilio, ac omnium Statuum Transdunenſis Livoniæ voluntate, atque conſenſu accedente, eos ex Statu Spirituali & Eccleſiaſtico, in Sæcularem transferimus, & collocamus, volentes, hocque perpetuo Privilegio noſtro decernentes, eos, ac Poſteros illorum omnes nunc, & futuris temporibus ad Conſilia placida, conventus, congreſſusque, ac omnes denique honeſtos actus, tam publicos quam privatos, Procerum, Senatorum, & Nobilium admitti, omnibusque Privilegiis, Libertatibus, & Immunitatibus uti, frui, atque gaudere debere, ac poſſe, quibus Senatores, Equeſtris Ordo, totaque Nobilitas Livoniæ utitur, fruitur, atque gaudet. Accipimus & recipimus quoque eos, eorundemque Succeſſores, Poſteros, & Hæredes in ſingularem protectionem, patrocinium, clientelam, & tutelam noſtram Regiam, verbo, atque fide noſtra Regia pollicentes, & promittentes, Nos eos ob factam Status ſui tam neceſſariam mutationem, ceſſionem, & reſignationem, omnium Privilegiorum, & bonorum, contra quoslibet univerſos, ac ſingulos, cuiuscunque Status, dignitatis, præeminentiæque fuerint, defenſuros & conſervaturos, nec admiſſuros ullis unquam temporibus, ut eo nomine, tam in nominis ſui, ac famæ exiſtimatione, quam fortunarum quoque ipſorum ubicunque locorum ſitarum diminutione, a quoquam offendantur, lædanturve. Si qui vero ſecus fecerint, aut tentare præſumpſerint, vel eiusmodi maleficia perpetrantes ſcienter receptaverint, ſe præter pœnas in legibus expreſſas, in gravem indignationem noſtram, & pœnam ſexaginta Marcarum auri puri toties, quoties contra factum fuerit, ipſo facto noverint incurſuros, quarum medietatem fiſco

Anno 1566. fisco nostro Regio, alteram parti læsæ volumus applicari. Hortamur itaque, atque requirimus Administratorem nostrum ibidem pro tempore existentem, ut hanc nostram & perpetuo valituram approbationem, ratificationem, & protectionem manuteneat, & a violatoribus immunem, atque illæsam conservet. Actum & factum Grodnæ in Conventione Generali Magni Ducatus Litvaniæ, die 26. Mensis Decembris, Anno Domini 1566.

CLIV.

1566. *Unio hæreditaria Statuum Transdunensis Livoniæ, cum Magno Ducatu Litvaniæ, per suos cum plena potestate Oratores inita, qua illi promittunt* Sigismundum Augustum *Regem Poloniæ, tanquam Ducem Litvaniæ pro vero suo hæreditario Domino habituros, & cum Magno Ducatu Litvaniæ se unius Regis, & Principis fideles subditos futuros, &c.* Dat. Grodnæ in Conventione Generali Magni Ducatus Litvaniæ die 25. Decembr. Anno 1566. *Ex Originali.*

In Nomine Domini Amen.

Cum omnia, quæ ad posterorum notitiam necessario transmittenda sunt, non aliter ab oblivionis errore, & iniuria commodius vindicentur, quam si Literarum munimentis, ac testimonio mandata, atque firmata fuerint, proinde Nos Oratores, ac Nuntii, videlicet Jacobus Meck Decanus Ecclesiæ Rigensis, Justus Furstemberg Capitaneus Vendensis, Reimpertus Gillesheim Juris utriusque Doctor, & Judex Terrestris Vendensis, & Justus Claudius a Statibus Livoniae Transdunensis cum plena facultate ablegati ad Serenissimum, & Potentissimum Principem, ac Dominum, Dominum Sigismundum Augustum Dei Gratia Regem Poloniæ, Magnum Ducem Litvaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiae, Livoniaeque &c. Dominum, & Hæredem, Dominum nostrum Clementissimum, nec non ad Reverendissimos, Illustres, Spectabiles, Magnificos, Generosos, ac Nobiles, Prælatos, Principes, Senatores, Consiliarios, atque Barones, reliquosque Status, Ordines, & Incolas Magni Ducatus Litvaniæ, notum, testatumque esse volumus, quorum interest, universis, & singulis præsentibus, & futuris notitiam harum habituris. Quod cum Sacra, & Serenissima Regia Maiestas, rebus Livoniæ sic svadentibus cum plena, & omnimoda facultate, ad Statum eiusdem Provinciæ ablegasset Illustrem, & Magnificum Dominum Joannem Chodkiewicz, Baronem in Szkłowo, & Bychow, Samogitiæ, Livoniæque Capitaneum, & Administratorem Generalem, Archimareschalcum Magni Ducatus Litvaniæ, nec non Exercituum Maiestatis Regiæ in Livonia Supremum Capitaneum, & Campiductorem, Plotelensem, Telszovienſemque &c. Tenutarium, Dominum nostrum gratiosissimum, variique, ibidem celebratis Comitiis, Tractatus pro Communi Reipublicae illius utilitate, atque salute instituerentur. Tandem Status, & Incolæ Transdunensis Livoniæ omnes, considerantes tristem rerum suarum faciem, perspicientesque immensa illa, & fortunarum, & vitæ suæ pericula, quibus iam pridem ad internecionem fere usque conquassati essent, non solum non minui, aut tolli, sed indies magis, magisque augeri, exasperarique. Itaque in eam Sententiam ab omnibus Statibus, & Ordinibus Transdunensis Livoniæ itum, ac pro indubitatum habitum est, se, uxores, liberos, dulcissima pignora, facultates, ac adeo patrios lares illorum, ab hostium immanissimorum direptionibus, vastationibus, cædibusque, ac denique extremo interitu vindicari, aut eripi non posse, nisi cum Magno Ducatu Litvaniæ, tanquam vicina, & iam pridem multis nominibus Livoniæ commendata Provincia, certam, perpetuamque Coniunctionem, Confœderationem, Fraternitatemque constituissent, atque firmassent, ut tali adminiculo suffulti, hostium crudeles insultus eo facilius sufferre, & impetus omnes a se propulsare, Livoniamque tanquam postliminio pristinæ paci, & tranquillitati restituere possent. Itaque hanc, quæ sequitur, cum Magno Ducatu Litvaniæ Amicitiam, Concordiam, Consociationem, ac perpetuam firmitatem Status Transdunensis Livoniæ omnes inierunt, constituerunt, atque confirmarunt, quorum tenor est talis, ut sequitur. Inprimis cum hactenus luce clarius Livonienses compertum habuissent, suoque malo experti essent, pluralitatem Principum illius Provinciæ, plus periculi, et dissensionis, quam commodi, salutis, atque utilitatis attulisse, idque se bene perspectum habere: Concordia nihil sanctius, nihilque utilius esse, præsertim cum unus aliquis Princeps regimini præsit, ac moderetur, admini-

ANNO 1566. miniſtretque omnia. Ideo communi omnium ſuffragio id omnes Status tam Archidiœceſis Rigenſis, quam reliquæ Provinciæ Livoniæ Transdunenſis receperunt, proque ſe ipſis, ſuisque Succeſſoribus ſancte, & inviolate ſub fide, & iuramento præſtito promiſerunt, ſe inpoſterum Sacram, & Sereniſſimam Maieſtatem Regiam præſentem, atque feliciter regnantem, videlicet Sereniſſimum, ac Potentiſſimum Principem, ac Dominum, Dominum SIGISMUNDUM AUGUSTUM Dei Gratia Regem Poloniæ, eundemque Magnum Ducem Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Samogitiæ, Maſoviæ, Livoniæque &c. Dominum, & Hæredem, Dominum noſtrum Clementiſſimum, ac poſteros, legitimosque Succeſſores eius Maieſtatis, pro ſuo unico, vero, Supremo, & Haereditario Principe, Dominoque habituros, agnituros, veneraturos, culturosque, ſeque Maieſtati eius Regiae, tanquam Magno Duci Litvaniae (quae iam in Provincia Livonia merum, & mixtum Imperium habet, & habitura eſt, Succeſſoresq; legitimi eius Maieſtatis habituri ſunt) in omnibus iuſtis, & licitis, ut fideles decet ſubditos, obedientes, ac fideles futuros. Loco vero Regiae Maieſtatis, nunc praefatum Illuſtrem, & Magnificum Dominum Joannem Chodkiewicz, & deinceps omnes reliquos, a Maieſtate Regia, ſuisque Succeſſoribus Magnis Ducibus Litvaniae, pro tempore exiſtentes Adminiſtratores, modo, quo inferius deſcriptum eſt, ordinatos, pro vero, legitimoque Magiſtratu acceptare, habere, eisque in omnibus licitis, & honeſtis debitam obedientiam praeſtare tenebuntur. Salvis tamen bono titulo obtentis; atque a Maieſtate Regia confirmatis, neque huic praeſenti novae Ordinationi Reipublicae adverſantibus Privilegiis, Libertatibus, Juribus, atque Conſvetudinibus receptis.

Volunt etiam nunc, & in poſterum, promittuntque, pollicentur, atque ſpondent, robore ſuarum Inſcriptionum, memores fraterni amoris erga ſe, Statuum, atque Ordinum Magni Ducatus Litvaniæ præſtitæ benevolentiæ, latique fideliter, quantum in illis fuit, auxilii, nec illos, nec eorum Succeſſores poſſe, aut debere ſeſe a Magno Ducatu Litvaniæ ſeiungere, avellere, ſubtrahere, tergiverſari, ſempiternis ullis temporibus, imo una, & pariter cum Magno Ducatu Litvaniæ eſſe unius Regis, & Principis fideles ſubditos, Membrumque unius corporis perfectum, unumque corpus unius Capitis, prout fraternitate, atque amicitia coniunctos, mutuoque nexu devinctos, conglutinatosque fratres, atque amicos decet, quinimo poſt deceſſum (quod utinam ſero contingat) Maieſtatis Regiæ, una pariter, coniunctimque inſeparabili modo cum Magno Ducatu Litvaniæ, nullum alium Principem, aut Dominum agnituri, recepturi, habituri, veneraturique ſunt, præterquam eum duntaxat, quem ex Progenie, poſterisque Maieſtatis Suæ divinitus in Magno Ducatu Litvaniæ, illisque pariter legitime datus, conceſſusque fuerit, ita tamen, ut quibus Privilegiis, Libertatibus, Prærogativis, & Beneficiis Status, atque Ordines Magni Ducatus Litvaniæ gaudere, uti, fruique apparuerit; iisdem quoque ex æquo Livones gaudeant, utantur, fruantur. ANNO 1566.

Nullos quoque Tractatus, Pacta, Tranſactiones, Confœderationes cum ullo Principum, vel quovis Reipublicæ Statu, tam belli, quam pacis tempore, tam publice, quam privatim, præſertim vero in contrarium, vel quod quovis modo hanc hæreditariam, & unanimem fraternæ Coniunctionis coagulationem labefactare, aut violare poſſit, in præiudicium Magni Ducatus Litvaniæ habituros eſſe, niſi una, & pariter cum Magno Ducatu Litvaniæ, eiusque omnium conſenſu, & approbatione, ſalvis nihilominus utriusque Dominii, a Pontificibus Romanis, Imperatoribus, Regibus, Magnis Ducibus, Archiepiſcopis, Magiſtris Ordinis Theutonici, aliisque Principibus, ac Dominis conceſſis Libertatibus, Privilegiis, Prærogativis, & Immunitatibus quibuſvis. Volunt etiam, eoque nomine ſe, ſuosque obligant in poſterum, cum Senatoribus, & Statibus Magni Ducatus Litvaniæ, Conventus, atque Comitia communia celebrare, proque poſſe ſuo conſilia, opem, atque operam pro communi Reipublicæ ſalute fideliter communicare, & in medium conferre, eandemque ſortem in rebus proſperis, & adverſis æqualiter ſuſtinere, utque hi Conventus utrinque ſemper communes ſint, Senatoribus, & Nuntiis Livonicis Seſſio, atque locus in Conventibus Magni Ducatus Litvaniæ decens, atque conveniens aſſignari debet, quo vocati comparere, atque in commune una, eademque forma conſulere tenebuntur, idque maxime, ne quid inſciis Livonibus in rebus eorum conſtituatur, vel decernatur.

Ne item hæc Concordia, atque Societas Incolis Livoniæ fraudi, damnove ſit; cum ipſa Sacra Regia Maieſtas pro ſe actura, præſtaturaque eſt, tum etiam omnes, & univerſi Status, ac Ordines Magni Ducatus Litvaniæ pro parte ſua acturi, præſtaturique ſunt, ne ob profeſſam eius

Ma-

ANNO 1566. Maiestati, communi Principi, ac Domino nostro Clementissimo tam necessariam subiectionem, & initam hanc utrinque Fraternitatem Incolæ Livoniæ tam Nobiles, quam in Civitatibus degentes, a Serenissima Romanorum Imperatoria Maiestate, Statibus Imperii Romani, aut aliis quibusvis, qui ius aliquod in Provincia Livonia se habere putaverint, ullam honoris, nominisve sui exprobrationem, aut facultatum aliquod damnum sustineant, vel denique Proscriptionis censura graventur, Bannove Imperii submittantur.

Ad hæc, quod Provincia Livonia, ac omnes Incolæ eius, in vera, & agnita Religione, prædicationeque Divini Verbi, & usu Sacramentorum iuxta Ordinationem Augustanæ Confessionis conservari, ac retineri debent. Nec Concionatores alterius Confessionis in eandem Provinciam ad mutandum, vel innovandum quicquam in doctrina Religionis unquam admitti, intrudive debebunt, aut poterunt.

Præterea ad conservandum in ea Provincia Religionis, & Divini Ministerii statum, veræque doctrinæ propagationem, ut homines eruditi, qui non tantum Ministerii munere in docendo, & administrandis Sacramentis fungantur, verum etiam vitæ sanctimonia irreprehensibiles sint, in Livoniam accersantur, & alantur, atque ut honorificum Collegium aliquod primo quoque tempore fundetur, ac instituatur, in quo stipendiis idoneis foveantur Doctores, ac Professores, ex quibus tandem Superintendentes, Consistoriales, Visitatores, Concionatores, Scholarum Rectores, Professoresque literarii haberi, & eligi possint. Imo ut hac quoque ratione erudiantur, educenturque, qui & Reipublicæ aliquando præsint: plures etiam Scholas, &. Ecclesias pro rustica plebe instituendas, & stipendiis ornandas, iuvandasque esse placuit: ne minus, ut cœlibum Virginum Cœnobia conserventur, tam propter honestarum, & minorennium Nobilium, quam aliarum Virginum educationem, tum ut senes, & annosae Matronae in iis alantur, exulumque, & ab utroque hoste Moscho, videlicet, & Sveco profligatorum, & bonis exutorum in illa Provincia habeatur pia ratio, Hospitaliaque, seu Xenodochia liberalius dotentur.

Cum etiam sublatum veterem Ecclesiasticum Statum, tam in Archidiœcesi, quam in reliqua Ptovincia Livonia, Ordini prius subiecta, & in saecularem mutatum prorsus esse constet, aequum, ac iustum esse ducunt, ut inter se Incolae Livoniae, sive sint de Noblli Stemmate, sive alia dignitate, & conditione praediti aliquam Patriarum Legum, Constitutionum, & Fraternitatis Compositionem faciant, ad quam quisque respicere debeat, & possit, ut sicuti nunc, & in posterum uno, eodemque utuntur, utenturque Domino, ita invicem iisdem libertatibus, iisque legibus vivant, & teneantur, utque in ea Coniunctione, nullus prae alio sibi usurpet prioritatem, aut praeeminentiam aliquam, praeterquam eam, quae in dignitatibus, atque honoribus per gradus a Sua Maiestate collata est, atque conferetur, salvis tamen Privilegiis, Beneficiis, ac Libertatibus personalibus, & singulorum. ANNO 1566.

Cumque Incolae Livoniae fere omnes sint origine Germani, linguae, morum, Magistratus, ac Legum Patriarum assveti, unde iudicia, officia Civitatum, Arciumque regimina nullis melius, quam Indigenis committi possunt, aequitati inprimis consulendo, sibi, & posteris cavent. Ut porro Magistratus Indigena, & Germanus in Livonia habeatur, ac retineatur, eaque Provincia in quatuor Districtus, nempe Rigensem, Treydensem, Vendensem, ac Duneburgensem partiatur, & ut in singulis hisce Districtibus tres Judices Terrestres, ad haec duo de Nobilitate Assessores, & Notarius, tam in Civilibus, quam in Criminalibus causis, & negotiis cognoscant, ius dicant, & iustitiam administrent secundum Leges Patrias, & consvetudines rationabiles ibidem usu receptas, Civitatibus tamen Juribus suis municipalibus, ac Privilegiis, Consvetudinibus, atque Statutis integris, & salvis, dummodo bono publico, consvetudini, Juri, ac Libertati ab antiquo possessae non adversentur. Qui quidem praefati Senatores de numero, compagine, membroque Senatus Magni Duatus Litvaniæ haberi, censeri, honorarique debebunt, inque publico Senatorum Magni Ducatus Litvaniæ Consessu locum, & sessionem certam, & decentem obtinebunt. Præfati vero Districtuum Judices, ad vocandos in ius, citandosque homines Sigillo Sacræ Maiestatis Regiæ, ad instar reliquarum Provinciarum Magni Ducatus Litvaniæ utentur. Causas vero decisas propriis suis appositis sigillis consignabunt, atque edent. Placuit quoque, atque convenit unanimiter, ita iudiciis per suos districtus distributis, appellationum causas extra Provinciam Livoniam non trahi, sed per Dominum Administratorem pro tempore existentem, & quatuor Senatores Districtuum cognosci, & iustificari debere.

Anno 1566. Deciſæ vero Actiones per Dominum Adminiſtratorem, & quicquid præterea, tam ad publicorum, quam privatorum negotiorum expeditionem pertinere videbitur, ea omnia ſub Sigillo Officii a Sacra Regia Maieſtate Provinciæ Transdunenſis Livoniæ dando edentur, exhibebuntur, & confirmabuntur. Actaque omnia Idiomate germanico concepta, Literis mandabuntur & edentur, ſub eodem Sigillo per Secretarios, & Notarios Domini Adminiſtratoris latinæ, & germanicae linguæ peritos.

Cum etiam contraria Mandata Regia, quæ hactenus ex diverſis Dicaſteriis, & Cancellariis, ſæpe ex ignorantia emanarunt, in Provincia Livonia haud leves difficultates pepererint, iam vero Livonia cum Magno Ducatu ſolum, immediate, atque hæreditarie coniuncta ſit, omnibus, & ſingulis placuit, Sigillum duntaxat Litvanicum in tota Livonia locum habere, & acceptari debere, ita tamen, ut ſub illo Sigillo omnia Privilegia, Libertates, conſvetudines Germanicæ uſitatæ, Jura, & Leges Incolarum, & quidquid præterea perſonæ bene meritae per iuſtam informationem & ſine detrimento Provinciae Livoniae legitime a Maieſtate Regia obtinuerunt in Livonia, vel adhuc obtinebunt, ratificentur, & confirmentur.

Debet quoque in iam coniunctis, & perpetuo connexis Provinciis Litvania, & Livonia, moneta uniformis, eiusdemque grani & ponderis excudi, quæ utrinque in contrahendis commerciis indifferenter acceptetur. Porro, quod ſi forte Senatores, Status, Nobilitas, vel Civitates Magni Ducatus Litvaniæ maioribus Libertatibus gaudeant, quam Incolæ Livoniæ, ut illæ non minus ad Livones, tanquam Confratres Statuum, atque Ordinum Magni Ducatus Litvaniæ, & ad Poſteros illorum omnes extendantur, ſintque Livonibus cum Magno Ducatu communes.

Atque ne futuris unquam temporibus, adminiſtrationis nomine in Livonia, aliqua vel controverſia, vel ambiguitas oriatur, convenit, ut per Sacram Regiam Maieſtatem tam conſilio Senatorum Magni Ducatus Litvaniæ, quam etiam Livoniæ, tanquam unius iam coniuncti Senatus, & utrorumque communi conſilio, & Suffragio Indigenae Livoniæ, eo vero deficiente, ſolum ex Magno Ducatu Litvaniae, Adminiſtrator Germanicae linquæ peritus, & muneri gerendo idoneus nominetur, eligatur, & conſtituatur, qui ſubditis Regiis, & Incolis in Livonia publice præſentetur, & offeratur. Quod ſi tum hi ſubditi in perſona præſentata, quicquam ſe deſiderare putaverint, cauſasque, ob quas Adminiſtrationi Livoniæ commode præeſſe non poſſit, habuerint, liberum eis erit, eo nomine Sacræ Regiæ Maieſtati ſupplicare, agereque, ut perſona magis idonea Adminiſtrationi præficiatur. Anno 1566.

Poſtremo placuit quoque, ut intercedente Unione Magni Ducatus Litvaniae cum inclyto Regno Poloniae, ſimul, & non diviſim, iisdemque punctis, clauſulis, & conditionibus Provincia Livonia, cum Magno Ducatu Litvaniæ Regno uniatur; atque tum ſit pars, & membrum Magni Ducatus, ſalvis tamen utriusque Dominii Privilegiis, Libertatibus propriis, & ſpecialibus. Hæc itaque omnia, & ſingula, uti præmittuntur, cum eo modo inter Status, & Ordines Magni Ducatus Litvaniæ, ac Transdunenſem Provinciam Livoniam, acta, transacta, concluſa, abſolutaque eſſent; & per præfatum Illuſtrem, & Magnificum Dominum Adminiſtratorem, Nosque ablegatos Nuntios, ſeu Oratores præmemoratos Livonicos ad Sacram Regiam Maieſtatem, atque Status Magni Ducatus Litvaniæ perferrentur, tam ab eadem Sacra Regia Maieſtate, quam Statibus quoque Magni Ducatus ſumma cum voluntate cognita, accepta, ratificata, approbata, & confirmata ſunt, decretumque ſpecialibus ſuis deſuper datis Literis, ac Diplomatis, ea omnia in omnibus ſuis Punctis, Clauſulis, & Conditionibus rata, grataque fore, ac perpetuum firmitatis robur obtinere debere. Itaque Nos fæpedicti Nuntii, ſeu Oratores Livoniae, viciſſim, tam pro Nobis, quam Statibus, & Ordinibus Transdunenſis Livoniae, Fratribus noſtris, bona, & candida fide, ſubque honore, & onere præſtiti iuramenti recipimus, promittimus, pollicemur, ac ſpondemus, Nos ea omnia pacta, & conventa ſuperius expreſſa, temporibus perpetuis ſancte, & inviolabiliter ſervaturos, nec in minimo puncto ab illis unquam diſceſſuros, vel eisdem contraventuros eſſe. Quin etiam omnes Status, ac Ordines Provinciae Transdunenſis Livoniae ſpecialibus ſuis Literis, & Inſcriptionibus, cum appenſionibus Sigillorum ſuorum, ac praeſtito corporali Juramento, eadem omnia approbaturos, ratificaturos, et inviolabiliter ſervaturos, nec unquam violaturos eſſe futuris quibuscunque temporibus, perpetuo, & in ævum. In quorum omnium fidem, ac robur Sigilla noſtra præſentibus Literis ſunt appenſa. Datum Grodnæ in Conventione Generali Magni Ducatus Litvaniæ,

ANNO 1566. niæ, die XXV. Menſis Decembris. Anno Domini milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſexto.

Jacobus Meck Decanus mpp. ſubſcripſi.
Reimpertus Gillesheimius J.V.D. Judex Terreſtris Vendenſis mpp.
Juſtus Furſtenbergius Capitaneus Vendenſis mpp.
Juſtus Claudius mpp.

CLV.

1566. *Diploma* SIGISMUNDI AUGUSTI *Regis, quo Unionem Livoniæ, cum Magno Ducatu Litvaniæ factam, approbat, ratificat, & confirmat, Provinciamque Livoniam Ducatus dignitate, ac titulo decorat, eidemque certa, & propria inſignia concedit.* Dat. Grodnæ in Conventione Generali Magni Ducatus Litvaniæ, die 26. Menſis Decembr. Anno 1566. *Ex Originali.*

In Nomine Domini feliciter Amen.

Cum omnia, quæ noſtra ætate geſta, & ad poſteritatem transmittenda ſunt, Literarum monumentis, & Sigillorum appenſionibus muniri ſoleant, quo ab erroribus, & oblivionis incommodo vindicentur. Proinde Nos SIGISMUNDUS AUGUSTUS Dei Gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Litvaniae, Ruſſiae, Pruſſiae, Maſoviae, Samogitiae, Livoniaeque &c. Dominus, & Haeres. Notum, teſtatumque eſſe volumus, quorum intereſt, univerſis, & ſingulis præſentibus, & futuris notitiam harum habituris. Quod cum Nos ſuperiore tempore gravibus Reipublicæ Livonicæ rationibus poſtulantibus, cum pleniſſima facultate de omnibus, & ſingulis rebus tam Spiritualibus, quam Sæcularibus, tamque publicis quam privatis ordinandis, diſponendis & conſtituendis, ablegaſſemus ad Status eiusdem Provinciae, Illuſtrem, & Magnificum Joannem Chodkiewicz Baronem in Szkłowo, & Bychow, Samogitiae, Livoniaeque Capitaneum, & Adminiſtratorem Generalem, nec non Magni Ducatus noſtri Litvaniae Archimareſchalcum, Supremum in Livonia Exercituum noſtrorum Capitaneum, & Campiductorem noſtrum, Plotelenſem, Telſzovienſemque Tenutarium, ſincere Nobis dilectum, Senatorem noſtrum, ac ibidem in Comitiis publicis varii Tractatus cum Statibus Livoniae, partim de ineunda nova defenſionis ratione, partim etiam Status ſpiritualis in ſæcularem mutatione, haberentur, poſt diligentem, et ſedulam conſultationem, deliberationemque unanimi omnium Livoniae Statuum conſenſu, atque Suffragio placuit, proque indubitato habitum eſt, Livoniam inhiantibus undequaque hoſtibus immaniſſimis, nec tueri, nec defendi, nec conſervari commode poſſe, niſi inita prius cum Magno Ducatu noſtro Litvaniae, tanquam amicis, et vicinis propinquioribus, certa Concordia, Societate, Confœderatione, ac perpetua quadam Fraternitate, ut ſic coniunctis utriusque Dominii conſiliis, opera, auxiliis, et viribus, hoſtium crudeles inſultus commodius ſuſtinerentur, ac reprimerentur, hacque ratione plusquam miſera, et afflicta Provincia, ex faucibus illorum erepta, tanquam poſtliminio priſtinae paci, tranquillitatique reſtitueretur. Quam quidem viam, et rationem cum tanquam ſalutarem, ac plus quam utilem ſibi, omnique poſteritati ſuæ fore, Incolae, Statusque Livoniae omnes, tam Spirituales, quam Sæculares, perſpicerent, hanc, quae ſequitur, unanimi conſenſu omnium, cum Statibus, et Ordinibus Magni Ducatus noſtri Litvaniae, Concordiam, Conſocietatem, et perpetuam Fraternitatem inierunt, conſtituerunt ac confirmarunt, cuius Capita hic ſubiecta ſequuntur. ANNO 1566.

Inprimis. Cum hactenus luce clarius Livones compertum habuiſſent, ſuoque malo experti eſſent, pluralitatem Principum illi Provinciae plus periculi, et diſſenſionis, quam commodi, ſalutis, atque utilitatis attuliſſe, idque ſe bene perſpectum habere, Concordia nihil ſanctius, atque utilius eſſe, præſertim cum unus aliquis Princeps regimini præſit, ac moderetur, adminiſtraretque omnia, ideo communi omnium ſuffragio, id omnes Status tam Archidiœceſis Rigenſis, quam reliquae Provinciae Livoniae Transdunenſis receperunt, proque ſe ipſis, ſuisque Succeſſoribus ſancte, et inviolate, ſub fide, et iuramento præſtito promiſerunt ſe in poſterum Sacram, et Sereniſſimam Maieſtatem Regiam præſentem, atque feliciter regnantem, videlicet Sereniſſimum, ac Potentiſſimum Principem, ac Dominum SIGISMUNDUM AUGUSTUM Dei Gratia Regem Poloniae, eundemque Magnum Ducem Litvanie, Ruſſiæ, Pruſſiae, Samogitiae, Livoniae Dominum, & Hæredem, Dominum noſtrum Clementiſſimum, & Poſteros, legitimosque Succeſſores eius Maieſtatis, pro ſuo unico, vero, Supremo, & Hæreditario

ANNO 1566. Principe, Dominoque habituros, agnituros, veneraturos, culturosque, ſeque Maieſtati eius Regiae, tanquam Magno Duci Litvaniae, quae iam in Provincia Livonia merum, & mixtum Imperium habet, & habitura eſt, Succeſſoresque legitimi eius Maieſtatis habituri ſunt, in omnibus iuſtis, & licitis, ut fideles decet ſubditos, obedientes, ac fideles futuros, loco vero Regiae Maieſtatis nunc praefatum Illuſtrem, ac Magnificum Joannem Chodkiewicz, & deinceps omnes reliquos, a Regia Maieſtate, ſuisque Succeſſoribus Magnis Ducibus Litvaniae pro tempore exiſtentes Adminiſtratores, modo, quo inferius deſcriptum eſt, ordinatos, pro vero, legitimoq; Magiſtratu acceptare, habere, eisque in omnibus licitis, & honeſtis debitam obedientiam praeſtare tenebuntur. Salvis tamen bono titulo obtentis, atque a Maieſtate Regia confirmatis, neque huic praeſenti novae Ordinationi Reipublicae adverſantibus Privilegiis, Libertatibus, Juribus, atque Conſvetudinibus receptis.

Volunt etiam nunc, & in poſterum, promittuntque, pollicentur, atque ſpondent robore ſuarum Scriptionum, memores fraterni amoris erga ſe Statuum, atque Ordinum Magni Ducatus Litvaniæ, præſtitæ benevolentiæ, latique fideliter, quantum in illis fuit auxilii, nec illos, nec eorum Succeſſores poſſe, aut debere ſeſe a Magno Ducatu Litvaniæ ſeiungere, avellere, ſubtrahere, tergiverſari, ſempiternis ullis temporibus, imo una, & pariter cum Magno Ducatu Litvaniæ eſſe unius Regis, & Principis fideles ſubditos, Membrumque unius Corporis perfectum, unumque Corpus unius Capitis, prout fraternitate, atque amicitia coniunctos, mutuoque nexu devinctos, conglutinatosque Fratres, atque Amicos decet.

Quinimo poſt deceſſum, (quod utinam ſero contingat) Maieſtatis Regiæ, una pariter, coniunctimque inſeparabili modo cum Magno Ducatu Litvaniæ nullum alium Principem, ac Dominum agnituri, recepturi, habituri, veneraturique ſunt, præterquam eum duntaxat, qui ex progenie, poſterisque Maieſtatis Suæ divinitus Magno Ducatui Litvaniæ, illisque pariter legitime datus, conceſſusque fuerit: ita tamen, ut quibus Privilegiis, Libertatibus, Prærogativis, & Beneficiis Status, atque Ordines Magni Ducatus Litvaniæ gaudere, uti, fruique apparuerit, iisdem quoque ex æquo Livones gaudeant, utantur, fruantur.

Nullos quoque Tractatus, Pacta, Tranſactiones, Confœderationes, cum ullo Principum, vel quovis Reipublicæ Statu, tam belli, quam pacis tempore, tam publice, quam privatim, præſertim vero in contrarium, vel quod quovis modo hanc hæreditatem, & unanimem fraternæ coniunctionis coagulationem labefactare, aut violare poſſit, in præiudicium Magni Ducatus Litvaniæ habituros eſſe, niſi una, & pariter cum Magno Ducatu Litvaniae, eiusque omnium conſenſu, & approbatione. Salvis nihilominus utriusque Dominio, a Pontificibus Romanis, Imperatoribus, Regibus, Magnis Ducibus, Archiepiſcopis, Magiſtris Ordinis Theutonici, aliisque Principibus, & Dominis, conceſſis Libertatibus, Privilegiis, Praerogativis, & Immunitatibus quibusvis. ANNO 1566.

Volunt etiam, eoque nomine ſe, ſuosque obligant inpoſterum cum Senatoribus, & Statibus Magni Ducatus Litvaniae Conventus, atque Comitia communia celebrare, proque poſſe ſuo conſilia, opem, atque operam pro communi Reipublicae ſalute fideliter communicare, & in medium conferre, eandem ſortem in rebus proſperis, & adverſis aequaliter ſuſtinere: utque hi Conventus utrinque ſemper communes ſint, Senatoribus, & Nuntiis Livonicis Seſſio, atque locus in Conventibus Magni Ducatus Litvaniae decens, atque conveniens aſſignari debet, quo vocati comparere, atque in commune una, eademque forma conſulere tenebuntur, idque maxime, ne quid inſciis illis, in rebus Livonicis conſtituatur, vel decernatur.

Ne item haec Concordia, atque Societas Incolis Livoniae fraudi, damnove ſit, cum ipſa Sacra Regia Maieſtas pro ſe actura, praeſtaturaque eſt, tum etiam omnes, & univerſi Status, ac Ordines Magni Ducatus Litvaniae pro ſua parte acturi, praeſtaturique ſunt, ne ob profeſſam eius Maieſtati communi Principi, ac Domino noſtro Clementiſſimo tam neceſſariam ſubiectionem, & initam hanc utrinque Fraternitatem, Incolae Livoniae, quam Nobiles, tam Civitatibus degentes, a Sereniſſima Romanorum Imperatoria Maieſtate, Statibus Imperii Romani, aut aliis quibusvis, qui ius aliquod in Provincia Livoniae ſe habere putaverint, ullam honoris nomini ſuo exprobrationem, aut facultatum aliquod damnum ſuſtineant, vel denique proſcriptionis cenſura graventur, Bannove Imperii ſubmittantur.

Ad haec quoque Provincia Livonia, ac omnes Incolae eius in vera, & agnita Religione, praedicationeque Verbi Divini, & uſu Sacramentorum, iuxta Ordina-

ANNO 1566. dinationem Augustanae Confessionis, conservari, ac retineri debent, nec Concionatores alterius Confessionis in eandem Provinciam, ad mutandum, vel innovandum quidquam in doctrina Religionis unquam admitti, intrudive debebunt, ac poterunt. Praeterea ad conservandum in ea Provincia Religionis, & Divini Ministerii Statum, veraeque doctrinae propagationem, ut homines eruditi, qui non tantum Ministerii munere in docendo, & administrandis Sacramentis fungantur, verum etiam vitae sanctimonia irreprehensibiles sint, in Livoniam accersantur, & alantur; atque ut honorificum Collegium aliquod primo quoque tempore fundetur, ac instituatur, in quo stipendiis idoneis foveantur Doctores, ac Professores, ex quibus tandem Superintendentes, Consistoriales, Visitatores, Concionatores, Schorum Rectores, Professoresque Literarii haberi, & eligi possint, imo ut ex hac ratione erudiantur, educenturque, qui & Reipublicae aliquando praesint: plures etiam Scholas, & Ecclesias pro rustica plebe instituendas, & stipendiis ornandas, iuvandasque esse placuit: nec minus, ut caelibum Virginum Cœnobia conserventur, tam propter honestarum, & minorennium Nobilium, quam aliarum virginum educationem, tum ut senes, & annosae matronae in iis alantur, exulum, & ab utroque hoste, Moscho videlicet, & Sveco profligatorum, ac bonis exutorum in illa Provincia habeatur pia ratio, hospitaliaque, seu Xenodochia liberalius dotentur.

Cum etiam sublatum veterem Ecclesiasticum Statum tam in Archidiœcesi, quam in reliqua Provincia Livoniae, Ordini prius subiecta, & in saecularem mutatum prorsus esse constet, aequum, ac iustum esse ducunt, ut inter se Incolae Livoniae, sive sint de nobili Stemmate, sive alia dignitate, vel conditione praediti, aliquam patriarum Legum Constitutionem, & fraternitatis compositionem faciant, ad quam quisque respicere debeat, aut possit, ut sicuti nunc, & inposterum uno eodemque utuntur, utenturque dominio, iisdem libertatibus, iisdemque legibus vivant, & teneantur, utque in ea coniunctione nullus prae alio sibi usurpet prioritatem, aut praeminentiam, praeterquam eam, quae in dignitatibus, atque honoribus per gradus a sua Maiestate collata est, atque conferetur, salvis tamen Privilegiis, Beneficiis, & Libertatibus personalibus, & singulorum. Cumque Incolae Livoniae fere omnes sunt origine Germani, linguae, morum, Magistratus ac Legum patriarum assveti, unde iudicia, officia Civitatum, Arcium Regimina nullis melius, quam Indigenis committi possunt, aequitati imprimis consulendo sibi, & posteris cavent, ut porro Magistratus Indigena, & Germanus in Livonia habeatur, ac retineatur, eaque Provincia in quatuor Districtus, nempe Rigensem, Traydensem, Vendensem, ac Duneburgensem partiatur, quorum cuivis praecipuus aliquis authoritate, usu, & peritia rerum praeditus, ex Indigenis Senator praficiatur; & ut in singulis hisce Districtibus tres Judices Terrestres, ad haec duo de Nobilitate Assessores, & Notarius, tam in civilibus, quam in criminalibus causis, & negotiis cognoscant, ius dicant, & iustitiam administrent, secundum Leges patrias, & consvetudines rationabiles ibidem usu receptas: Civitatibus tamen, iuribus suis municipalibus, ac Privilegiis, Consvetudinibus, & Statutis integris, ac salvis, dummodo bono publico, consvetudini, iuri, & libertati ab antiquo possessae non adversentur. ANNO 1566.

Qui quidem praefati Senatores de numero, compagine, membroque Senatus Magni Ducatus Litvaniae haberi, censeri honorarique debebunt, inque publico Magni Ducatus Litvaniæ Consessu locum, & sessionem certam, & decentem obtinebunt,

Praefati vero Districtuum Judices ad vocandos in ius, citandosque homines Sigillo Sacræ Maiestatis Regiæ, ad instar Provinciarum reliquarum Magni Ducatus Litvaniæ utentur, causas vero decisas propriis suis appositis sigillis consignabunt, atque edent.

Placuit quoque, atque convenit unanimiter, ita iudiciis per suos Districtus distributis, appellationum causas extra Provinciam Livoniæ non trahi, sed per Dominum Administratorem pro tempore existentem, & quatuor Senatores Districtuum cognosci, & iustificari debere. Decisae vero actiones per Dominum Administratorem, & quidquid praeterea, tam ad publicorum, quam privatorum negotiorum expeditionem pertinere videbitur, ea omnia sub Sigillo Officii, a Sacra Maiestate Provinciæ Livoniæ dando edentur, exhibebuntur, & confirmabuntur.

Acta etiam omnia idiomate germanico concepta Literis mandabuntur, atque edentur, sub eodem sigillo, per Secretarios, & Notarios Domini Administratoris, latinæ, & germanicæ lingvæ peritos.

Cum etiam contraria Mandata Regia, quæ hactenus ex diversis Dicasteriis, & Cancellariis saepe ex ignorantia emanarunt,

Anno narunt, in Provincia Livonia, haud le-
1566. ves difficultates pepererint; iam vero Livonia cum Magno Ducatu ſolum immediate, atque hæreditarie coniuncta ſit, omnibus & ſingulis placuit Sigillum duntaxat Litvanicum in tota Livonia habere locum, & acceptari debere, ita tamen, ut illo Sigillo omnia Privilegia, Libertates, Conſvetudines germanicae uſitatae, Jura, ac Leges Incolarum, & quidquid præterea perſonæ bene meritæ per iuſtam informationem, & ſine detrimento Provinciae Livoniae, legitime a Maieſtate Regia obtinuerunt in Livonia, vel adhuc obtinebunt, ratificentur, & confirmentur.

Debet quoque iam coniunctis & perpetuo connexis Provinciis Litvania, & Livonia, Moneta uniformis, eiusdemque grani, & ponderis excudi, quae utrinque in contrahendis commerciis indifferenter acceptetur.

Porro, quod ſi forte Senatores, Status, Nobilitas, vel Civitates Magni Ducatus Litvaniæ, maioribus libertatibus gaudeant, quam Incolae Livoniae, ut illae non minus ad Livones tanquam Confratres Statuum, atque Ordinum Magni Ducatus Litvaniae, ad poſteros illorum omnes extendantur, ſintque Livonibus cum Magno Ducatu communes.

Atque ne futuris unquam temporibus Adminiſtrationis nomine in Livonia aliqua vel controverſia, vel ambiguitas oriatur, convenit, ut per Sacram Regiam Maieſtatem, tam conſilio Senatorum Magni Ducatus Litvaniæ, quam etiam Livoniæ, tanquam unius iam coniuncti Senatus, & utrorumque communi Conſilio, & Suffragio Indigena Livoniæ, eo vero deficiente, ſolum ex Magno Ducatu Litvaniæ Adminiſtrator linguæ germanicae peritus, & muneri gerendo idoneus, nominetur, eligatur & conſtituatur, qui ſubditis regiis, & Incolis in Livonia publice præſentetur, & offeratur. Quod ſi tum hi ſubditi in perſona præſentata quidquam ſe deſiderare putaverint, cauſasque, ob quas adminiſtrationi Livoniæ commode præeſſe non poſſit, habuerint, liberum eis erit, eo nomine Sacrae Regiae Maieſtati ſupplicare, agereque, ut perſona magis idonea adminiſtrationi præficiatur.

Poſtremo placuit quoque, ut, intercedente Unione Magni Ducatus Litvaniae cum inclyto Regno Poloniae, ſimul & non diviſim, iisdem punctis, clauſulis, et conditionibus, Provincia Livonia cum Magno Ducatu Litvaniae, Regno uniatur, atque iam ſit pars, et membrum Magni Ducatus, ſalvis tamen utriusque Dominii privilegiis, libertatibus propriis, et ſpecialibus. Anno 1566.

Atque ita ab utrisque tam Magni Ducatus noſtri Litvaniae, quam et Provinciae Livoniae Statibus, ac Ordinibus, ſubmiſſe, atque ea, qua par eſt, reverentia, petitum a Nobis eſt, ut, cum in tali animorum coalitione, et coniunctione, utriusque Dominii noſtri utilitas haud leviter verſaretur, eam acceptare, et ratam, gratamque habere, authoritate noſtra Regia ratificare, approbare, et confirmare dignaremur. Nos itaque Sigismundus Augustus Rex Poloniae, Magnus Dux Litvaniae, &c. conſiderantes petitionem eam æquitate niti, tum ea in re pacem, tranquillitatemque publicam, communemque omnium ſalutem verſari, ideo præinſertam Transactionem, Concordiam, Societatem, et Fraternitatem inter Magnum Ducatum noſtrum Litvaniae, et Provinciam Livoniam, uti præmittitur, in omnibus ſuis punctis, articulis, clauſulis et conditionibus (per illos accurate prius perlectis, reviſis, atque perpenſis) authoritate noſtra Regia, ac principali acceptandas, ratificandas, approbandas, corroborandas, et confirmandas eſſe duximus, prout præſentibus, ac perpetuo hoc valituro Diplomate acceptamus, ratificamus, approbamus, corroboramus, et confirmamus, Provinciamq; Livoniam ex nunc Magno Ducatui Litvaniae re vera coniungimus, conſociamus, adiungimus, et conglutinamus irrevocabiliter, modoque inſeparabili, decernentes ea omnia, et ſingula, uti præmittuntur, perpetuum firmitatis robur habere debere perpetuo, et in ævum. Recipientes, ſancteque promittentes verbo noſtro Regio, atque ſub onere præſentis Jurisiurandi Reipublicae Magni Ducatus noſtri Litvaniae (utpote cuius Livonia nunc pars, atque membrum effecta eſt) tam pro Nobis, quam Succeſſoribus noſtris, Nos praeſcriptæ Societatis, Fraternitatisque univerſa, et ſingula capita, ut in antecedentibus expreſſe continetur, firmiter, ac inviolabiliter omni modo ſervaturos, nec vel in minimo illorum puncto labefacturos, eisve contraventuros, nec ut a quoquam alio, quantum in Nobis erit, violentur, labefactentur, aut quoquo modo illis contraveniatur, permiſſuros, conceſſurosve, ſalvo tamen in omnibus praeſcriptæ Conſociationis, ac Fraternitatis punctis, articulis, et conditionibus, iure ſuperioritatis, ac Præeminentiae noſtrae, integrisque omnibus Regalibus, ac Principalibus noſtris,

ANNO 1566.

ſtris, quacunque ratione nobis, Magnoque Ducatui fore competentibus.

Denique, cum ex praemiſſis pateat haud obſcure, Provinciam Livoniam, ſublatis priorum Ordinum, Statuumque ſpiritualium, et ſæcularium differentiis, pari iure, modo, et ordine ſeſe ex æquo Nobis, Magnoque Ducatui noſtro Litvaniae inſeparabiliter adiunxiſſe, partemque corporis Magni Ducatus noſtri factam eſſe, ubique incolas illius, una eademque lege impoſterum vivere, atque iisdem iuribus, et iudiciis teneri oportere, nullo relicto loco priſtinorum Statuum differentiis. Ideo totam Ultradunenſem Livoniam, tam Archidiœceſim Rigenſem, quam reliquam Livoniae partem, tamque eam, quae hoc tempore imperio noſtro paret, quam quae adhuc ſucceſſu temporis, Divina favente Clementia, a Nobis recuperata Dominiis noſtris addita fuerit, Ducali dignitate, ac titulo inſigniendam, ornandam, atque decorandam authoritate noſtra Regia eſſe duximus, prout praeſentibus Literis noſtris inſignimus, ornamus, ac decoramus, volentes hoc perpetuo valituro Edicto, ac Privilegio noſtro decernentes, totam Livoniam noſtram Ultradunenſem, ex nunc, et in poſterum pro Ducatu noſtro Ultradunenſi ab omnibus, et ſingulis haberi, cenſeri, nominari, dici, ſcribi, reputari, venerarique debere, et oportere perpetuo, et in ævum; eidemque Ducatui certa, et propria Inſignia concedentes, videlicet in Campo Rubro Gryphum album evectum, & dextro pede anteriore gladium ſtrictum geſtantem, in pectore vero primas ſeu initiales literas aureas, Nominis noſtri, ſcilicet S. & A. ſimul coniunctas, cum ſuprapoſita iisdem Literis corona, prout eadem pictoris induſtria accuratius hic concepta, & expreſſa cernitur, cuius uſus erit perpetuis temporibus in more reliquarum Provinciarum Magno Ducatui Litvaniae adhærentium, nempe ut in Vexillo terreſtri, deinde Sigillis Officiorum, in moneta, & aliis id genus rebus publicum uſum concernentibus. In quorum omnium fidem, & robur perpetuum præſentibus manu noſtra ſubſcripſimus, & Sigillum noſtrum appendi iuſſimus. Actum & Datum Grodnæ in Conventione Generali Magni Ducatus noſtri Litvaniæ, præſentibus, & ad præmiſſa omnia conſentientibus, imo vero inſtanter eadem a nobis petentibus, videlicet Reverendis in Chriſto Patribus, Illuſtribus, Spectabilibus, Magnificis, Generoſis, & Nobilibus, Valeriano Vilnenſi, Victorino Wierzbicki Luceorienſi, Georgio Piętkiewicz Mednicenſi, Nicolao Pac Kijovienſi Epiſcopis, nec non Nicolao Radziwiłł, Duce in Dubinki, & Birże, Palatino Vilnenſi, Archicancellario Magni Ducatus Litvaniae, Mozirenſi, Lidenſi, Boriſovienſique Capitaneo, Georgio Chodkiewicz Caſtellano Vilnenſi, Supremo Exercituum Magni Ducatus Litvaniae Duce, ac Grodnenſi Capitaneo, Stephano Duce Zbaraſki Palatino Trocenſi, Georgio Chodkiewicz Caſtellano Trocenſi, Bielſcenſique Capitaneo, Joanne Chodkiewicz Barone in Szkłowo, & Bychow, Samogitiae, Livoniaeque Capitaneo, & Adminiſtratore Generali, Archimareſchalco Magni Ducatus Litvaniae, Plotelenſi, Telſzovienſique Tenutario, Conſtantino Duce in Oſtrog, Palatino Kijovienſi, Mareſchalco Wołynenſi, nec non Wlodymirienſi Capitaneo, Paulo Sapieha Palatino Novogrodenſi, Alexandro Duce Czartoryſki Palatino Terrae Wołyniae, Staniſlao Pac Palatino Witebſcenſi, Baſilio Tyſzkiewicz Palatino Podlachiae, Pinſcenſique Capitaneo, Georgio Tyſzkiewicz Palatino Breſtenſi, Wilkowiſcenſique Capitaneo, Georgio Oſcik Palatino Mſciſlavienſi, Braclavienſique Capitaneo, Romano Duce Sanguſzko Palatino Braclavienſi, Szitomitienſique Capitaneo, Melchiore Siemiot Caſtellano Samogitiae, Paulo Sapieha Caſtellano Kiiovienſi, Georgio Szymkowicz Caſtellano Terrae Polocenſis, nec non Lepleńſi Capitaneo, Michaele Roſinſki Caſtellano Luceorienſi, Georgio Wołłowicz Caſtellano Novogrodenſi, Słonimenſique Capitaneo, Paulo Pac Caſtellano Witebſcenſi, Dorſunicenſique Capitaneo, Gregorio Tryzna Caſtellano Podlachiae, Joanne Hayko Caſtellano Bereſtenſi, Wilkienſique Capitaneo, Joanne Caſtellano Duce Sołomerecki, & Capitaneo Mſciſlavienſi, Andrea Duce Kapuſta, Caſtellano Braclavienſi, Owrucenſique Capitaneo, Nicolao Talwoſz Caſtellano Minſcenſi, Duneburgenſi Capitaneo, Euſtachio Wołłowicz Vicecancellario, ac Mareſchalco Curiae Magni Ducatus Litvaniæ, Brzezeſtenſi, Kobrinenſique Capitaneo, Nicolao Naruſzewicz Theſaurario Terreſtri Magni Ducatus Litvaniae, Markovienſi, Miodelenſique Capitaneo, Nicolao Kizka Pocillatore Sacrae Regiae Maieſtatis Magni Ducatus Litvaniæ, Drohicinenſique Capitaneo, Nicolao Olechnowicz Dorohoſtayſki Primario Dapifero Magni Ducatus Litvaniae alias *Stolnik*, Valanenſi Tenutario, Joanne Szymkowicz, Mareſchalco, ac Notario Sacræ Regiae Maieſtatis in Magno Ducatu Litvaniae, Tikocinenſi, Wilkomirienſique Capi-

ANNO 1566.

Anno 1566. Capitaneo, Mareſchalco Regiæ Maieſtatis, Petro Zabrowſki, Luca Swirſki, Joanne Wołłowicz, Joanne Wołczek, Joanne Swirſki, Joanne Jarzingez, Paulo Oſtrowicki, Notariis Sacræ Regiæ Maieſtatis, Laurentio Wayka, Michaele Haraburda, Baſilio Drzewinſki, Mathia Sawicki, aliisque quam plurimis Officialibus, tam Terreſtribus, quam Curiæ noſtræ, ac Nuntiis Terrarum in præſentibus Comitiis congregatis, ſincere, & fideliter Nobis dilectis. Die 26. Menſis Decembris Anno Domini MDLXVI.

SIGISMUNDUS AUGUSTUS.

(L.S.)

CLVI.

1569. *Conditiones Illuſtri Chriſtophoro Duci Megapolenſi ante ſuam liberationem a Regia Maieſtate propoſitæ. Ex Archivo Regni* Lib. Leg. Lit. V. fol. 9.

Primo. In publico confeſſu Regiæ Maieſtatis, ac omnium Ordinum Regni, deprecationem conceptis verbis faciet; ſe nimirum non aliqua iniuria per Maieſtatem Regiam laceſſitum, quin potius ab eadem magnis beneficiis affectum, pravis quorundam conſiliis adductum a Regia Maieſtate defeciſſe, ac partes Regis Sveciæ Erici XIV. hoſtis publici Maieſtatis ſuæ, ſecutum eſſe, ob eamq; cauſam iuſto Dei iudicio in hanc captivitatem incidiſſe, iureque optimo ſe culpam deprecari, & admiſſorum veniam petere ſignificabit.

Deinde Reſignationem, & Abrenuntiationem Juris ſui, ſi quod habet, ad Archiepiſcopatum, Capitulumque Rigenſe, viva voce, ac per Literas proprias faciet, Privilegiaque ad hunc ipſum Archiepiſcopatum, Capitulumque pertinentia, nulla mora interpoſita, Regiae Maieſtati tradet.

Scribet praeterea Literas ad omnes Ordines Livoniae, de Abrenuntiatione facta iuris, ſibi ratione Rigenſis Archiepiſcopatus & Capituli competentis, eosdemque iuramento, quo aliquando fidem illorum obſtrinxerat, liberabit.

Tum promittet, ac ſpondebit ſub honore Ducali, ſe nunquam contra Regiam Maieſtatem, Regnumque Poloniæ, ac reliqua Dominia, Feudaque Sereniſſimo Regi Poloniae ſubiecta, neque etiam contra Sereniſſimum Regem Daniæ, Confœderatum Principem Regiæ Maieſtatis; contra Sereniſſimum Joannem Regem Sveciæ, Affinem Maieſtatis Ipſius, eorumque Dominia bellum ullum moturum, aut hoſtilis erga illos animi, vel per ſe, vel per alios quoſvis ſignificationem verbo, vel facto præbiturum. Anno 1569.

Pollicebitur etiam ſe intra præſentis anni decurſum coram Sereniſſimo Rege Daniæ, tanquam Confœderato Sacræ Regiæ Maieſtatis Principe recogniturum ſe nullum Jus, ad Archiepiſcopatum, & Capitulum Rigenſe habere, & quod ex mera beneficentia, & liberalitate Regiæ Maieſtatis, ex hac diutuna captivitate, in quam (Deo ita volente) pravis quorundam conſiliis adductus, per imprudentiam ſuam inciderat, ad priſtinam libertatem Ducalem ſit reſtitutus. Eius vero Recognitionis Literas teſtimoniales, hic ipſe Dux ad Daniæ Regem intra unius anni decurſum ſe miſſurum Sac. Regiæ Maieſtati polliceri debebit.

Quæ quidem ſupra ſcriptæ Conditiones confirmabuntur Diplomatibus ſaltim ipſius Ducis, in quibus ſe omnia hæc ſervaturum ſub fide, honore, ac onere conſcientiae, loco iuramenti, ſancte & inviolabiliter promittet.

De qua re Inſtrumenta etiam Publicorum Notariorum confici debebunt.

Et quoniam non ſatis conſtat, an Dux Megapolitanus ſupraſcriptis conditionibus velit acquieſcere: deligendi ob eam rem erunt ex Senatorio Ordine nonnulli, qui illius animum pertentent, nimirum an in libertate per Maieſtatem Regiam conſtitutus, Conditiones ſupraſcriptas acceptare, in eoque fidem ſuam obligare velit. Qui, quæcunque ex eo cognoverint, hæc bona fide ad Regiam Maieſtatem, atque ad Senatum referent.

CLVII.

Reſponſum eiusdem Ducis ad Conditiones ſibi a Sacra Regia Maieſtate propoſitas. Indidem 1569.

Poſteaquam Sacra Regia Maieſtas Poloniæ &c. Dominus Clementiſſimus Illuſtres, Magnificas, ac Generoſas Dominationes Veſtras, ex Mandato eiusdem Sacræ Reg. Maieſtatis, ante biduum, ad Illuſtr. Principem, & Dominum, Dominum Chriſtophorum, Diœceſis Ratzenburgenſis Adminiſtratorem, Ducemque Megapolenſem, cum Capitulatione quarundam Conditionum, ſcripto conceptarum, utpote quibus Illuſtris Celſitudo ſua adimpletis dimitti, & interea liberationi reſtitui debeat, tanquam deputatos Commiſſarios, ex ſingulari gratia, favore, ac Regia benevolentia, quam inde Illuſtriſſima ſua Celſitudo haud obſcuris argumentis

Annotis deprehendit, misit, ablegavitque. A- 1569. git inprimis pro eo S. R. Maiestati eius, omni submissione, ac, qua par est, humilitate Illustrissima Celsitudo sua immensas, atque immortales gratias. Etsi autem nihil sit, quod pro tanta praestita gratia in gratitudiuis vicem refundi, aut recompensari possit, tamen eadem Illustrissima Celsitudo sua nunquam permissura est, ut promptitudo istius Regiæ benevolentiæ e memoria eius evellatur, sed iucundam eius memoriam in perpetuum, utpote accepti beneficii memorem decet, æquumque est, conservare possit. Quod autem inter cætera fontem, & originem principalis, & primariæ propositionis attinet; præclare sane Illustrissima Celsitudo sua meminit, quae antehac, de quibusdam Regiis oblatis conditionibus, per quosdam Magnificos, & Generosos Internuntios ad eandem Ravae missis, sint agitata. Sicut autem extunc Illustrissima Celsitudo sua quoad absq; enormi reputationis Ducalis sui Status, ac dignitatis laesione integrum fuit, saepe memoratis Ravae oblatis Regiis conditionibus magna ex parte acquievit, in eoque ad nutum, & voluntatem S. R. Maiestatis convertit, ita etiam exnunc iteratae, & a novo exhibitae Capitulationi Regiae nequaquam refragatur, sed iisdem potius morem gerit, nec non omnia Regia beneficia (quae non fuerunt exigua, sed omni celebratione, laude, & animi gratitudine dignissima) in Celsitudinem eius collata, agnoscit animo grato, tantisque rebus dignam gratiam referendam putat. Si quid autem hac parte desideratum, & neglectum sit, rogat Sacram Regiam Maiestatem tanquam Dominum suum Consangvineum, & Affinem summa observantia colendum, Illustrissima Celsitudo eius enixe, summopere, atque omni, qua par est, submissione, ut illud omne infelicitati, infortunio, ac rerum tenuitati Illustrissimae Celsitudinis suae clementissime adscribere, pristinam Regiam benevolentiam, qua non minus Illustrem Megapolensem Familiam, quam Illustr. ipsam Celsitudinem omni tempore benignissime amplexa, & prosecuta est, pro singulari & divinitus innata clementia toto terrarum Orbe celeberrima, resumere, redintegrare, Illustrissimamque suam Celsitudinem alias omni, & praesertim eorum, qui proximo gradu propinquitatis eam attingunt, auxilio destitutam, & post Deum ex sola, & summa Regia benevolentia, gratia, ac favore pendentem, & ad eandem, tanquam ad Sacram Anchoram confugientem sibi commendatissimam habere, sortisque praesentis Illustrissimae eius Celsitudinis ergo commisera- Anno tione quadam affici, nec non eidem suae 1569. Celsitudini responso grato, & Regia Clementia digno, ad sublevandos ulteriores intollerabiles sumptus, quos Illustrissima Celsitudo sua hactenus sustinuit, & adhuc non sine suo maximo detrimento sustinere cogitur, se quamprimum, & absque interiecta mora clementissime obviam exhibere dignetur. In eo praestabit Sacra sua Regia Maiestas rem, celebratissimae eius Clementiae consentaneam, erga eandemque Sacram Regiam Maiestatem Illustrissima sua Celsitudo ineffabilem praestitam illam gratiam summa animi gratitudine, nec non omni officiorum debitorum genere, sedulo demereri elaborabit, eniteturque.

Haec quam brevissime Sacrae Regiae Maiestati Domino Consangvineo, & Affini suo Clementissimo, Colendissimoque, ea, qua par est, submissione, ac humilitate ad supra memoratam Capitulationem Illustrissima sua Celsitudo respondenda duxit. Hisceque tandem se Regiae gratiae, favori, atque clementiae Illustrissima Celsitudo sua submisse, ac humillime commendat.

CLVIII.

Verba concepta, quibus Dux Megapolensis in deprecanda culpa, & admissorum venia a Regia Maiestate petenda usus est. Indidem fol. 11. 1569.

Serenissime Rex, & Domine,
Domine Clementissime.

Quod iam pridem edoctus calamitate mea, per me ipsum libenter fateor, & agnosco, id nunc quoque summa Sacræ Regiæ Maiestatis Vestræ gratia, atque clementia invitatus dissimulare non possum, maiorem esse erga me Maiestatis Vestræ Serenissimæ gratiam, quam ut eam ulla unquam mea merita assequi posse videantur.

Ego enim cum beneficio Sacræ Regiae Maiestatis Vestræ, & Coadiutor Archiepiscopatus Rigensis factus, & paulo post ex gravissima Magistri Livonensis obsidione, ac vinculis liberatus, & multis aliis Sacrae Regiae Maiestatis Vestrae officiis, ac benficiis adfectus essem, tamen vel fervore aetatis ipsius meae, vel pravis nonnullorum consiliis incitatus, ad Ericum XIV. Svecorum Regem, hostem publicum Maiestatis Vestrae defeceram, posthabita interim Sacra Regia Maiestate Vestra, Consangvineo, & Domino, ac Benefactore meo.

ANNO 1569. Pro quo ſane facto, ac exceſſu meo, illud etiam iuſto admodum Dei iudicio reportavi, ut in poteſtatem Sacrae Regiae Maieſtatis Veſtrae, & captivitatem devenerim, in eaque conditione, & fortuna annos pene ſex verſatus ſim, deſertus ab amicis, deſtitutus a propinquis, nudus ab omni prorſus cum meo ipſius præſidio, tum omnium aliorum. Et tamen Sacra Maieſtas Veſtra Regia cum amici mei, & noti mei dereliquiſſent me, ipſa aſſumpſit me, & pro iuvenilibus erratis, atque adverſum ſe commiſſis meis, hanc gratiam mihi pro ſua ſingulari clementia reddidit, ut me, & in cuſtodia admodum clementi per id tempus habuerit, & rebus ad victum neceſſariis benigne cum omnibus meis proſecuta fuerit, & ſpem præterea ſemper fecerit gratiae, atque clementiae ſuae Regiae, dummodo a tumultibus ipſis bellicis reſpiraſſet.

Quibus ſane omnibus, & multis præterea aliis in rebus, uti ſummam meam culpam, ita ſummam Sacrae Maieſtatis Veſtrae Regiae gratiam, atque clementiam libenter, & ex animo, mea ſponte agnoſco, & quoad longiſſime vixero, omni mea grata memoria, omni debita prædicatione, omnibus denique bene nati, ac bene inſtituti Principis ſtudiis, & obſequiis perpetuo agnoſcam.

Non ero unquam, nec verbo, nec facto, nec per me, nec per alium, contra Sacram Regiam Maieſtatem Veſtram, Regnumque Poloniae, aut reliqua Dominia, vel feuda Sacrae Regiae Maieſtati Veſtrae ſubiecta, nullas inimicitias cum Sacrae Regiae Maieſtatis Veſtrae amicis, inprimisque cum Sereniſſimis Daniæ fœderato, & JOANNE Sveciae Affine Maieſtatis Veſtrae, Regibus, exercebo, nullamque eorum Dominiis ſignificationem ullius hoſtilitatis dabo, ſed eos pariter, una cum Regia Maieſtate Veſtra, Domino, & Benefactore meo, & cum omnibus Maieſtatis Veſtrae Confœderatis, vaſallis, ſervitoribus, & omnino cum omnibus Sacrae Maieſtati Veſtrae addictis, omni meo ſtudio colam, & obſervabo.

Nunc quidem Archiepiſcopatu Rigenſi, quem beneficio Sacrae Regiae Maieſtatis Veſtrae antea obtinui, ſponte mea in gratiam eiusdem Maieſtatis Veſtrae cedo, iurique, ſi quod unquam ad eum, aut ad Capitulum Rigenſe habui, ſolenniter omni, quo poſſum, meliore modo, via, & ratione, publice, & clara voce, renuntio, neque me deinceps ad ea iuris aliquid habere prætendo, nec habiturum eſſe unquam prætendam, omnes etiam, & ſingulos, quorum forte fidem iureiurando obſtrictam in Livonia, & obligatam habui, hoc iureiurando ſolvo, & libero, ſolutosque, & liberatos pronuntio, inque harum omnium rerum ſignum, & teſtimonium illuſtrius, Privilegia, & quæcunque alia ad dictum Archiepiſcopatum, & Capitulum pertinentia, penes me habeo, Sacrae Regiae Maieſtati Veſtrae trado, nec plura his habere me profiteor, & ſi forte haberem, nunquam me his uſurum, ſed omnia Sacrae Regiae Maieſtati Veſtrae transmiſſurum eſſe polliceor. ANNO 1569.

Atque his ſane de cauſis cum debita reverentia Sacram Regiam Maieſtatem Veſtram accedo, eamque humiliter oro, & obſecro, ut & præteritis erratis meis pro ſua ſingulari clementia, & erga afflictos humanitate ignoſcere, & deinceps de me omnia boni clientis, & Conſangvinei officia ſibi polliceri, & uti me nunc iam omnibus auxiliis deſtitutum, et in ſolum Deum, ac ſolam Maieſtatem Veſtram proiectum, ex mera ſua Regia gratia liberum pronuntiare, ac conditioni meæ Ducali reſtituere (de quo immenſas, ac immortales Sacrae Maieſtati Veſtrae ago, atque habeo gratias) non fuit dedignata, ita inpoſterum eadem gratia, ac benevolentia ſua Regia proſequi ne dedignetur.

Ego autem, poſteaquam liber iam pronuntiatus, et conditioni meae Ducali a Sacra Regia Maieſtate Veſtra reſtitutus ſum, polliceor bona fide, me ea omnia, quæ dico, Literis etiam, ac Diplomatis meis Ducalibus, hic Lublini, quoad opus fuerit, teſtaturum, eademque iterum viva voce apud Sereniſſimum Daniae Regem, uti Fœderatum Sacrae Maieſtatis Veſtrae, intra præſentis anni ſpatium, recogniturum, ac confirmaturum, eiusque recognitionis, ac confirmationis meae Literas a Serenitate ipſius teſtimoniales, ad Sacram Regiam Maieſtatem Veſtram intra eiusdem anni ſpatium miſſurum eſſe.

Hæc autem omnia, et ſingula ſuprascripta, et cætera, quæcunque ad conteſtandum meum erga Sacram Regiam Maieſtatem Veſtram ſtudium, et gratitudinem pertinere unquam videbuntur, diligenter me ſemper eſſe, ac ſerio præſtiturum, neque ab iis, quæ hic verbo nuncupata ſunt, ulla ratione, aut colore quæſito, unquam diſceſſurum, ſub fide, et honore Ducali, ac militari, atque adeo ſub onere conſcientiae, in vim iuramenti publice hoc loco in conſpectu omnium Regni Sacrae Regiae Maieſtatis Veſtrae Ordinum, et quorumvis aliorum, ſancte, et inviolabiter, polliceor, ſpondeo, et promitto.

CLIX

ANNO 1569.

CLIX.

Responsum Sacræ Regiæ Maiestatis ad eadem Ducis Megapolensis verba, in publica audientia, Lublini 18. Febr. datum. *Indidem fol. 12.*

Quandoquidem Sacra Regia Maiestas Dominus noster Clementissimus, nihil aliud post Dei Optimi Maximi Gratiam charius apud se habeat, quam ut non solum apud populos sibi subiectos, iusti, prudentis, clementis, et moderati Principis laudem obtineat, verum etiam ad exteras quoque Nationes innatae virtutis et bonitatis suae præconia transmittat, ideo dubitari a nemine debet, Regiam illius Maiestatem, sicut adverso illo Illustris Celsitudinis Vestrae casu, cum ob naturae suae bonitatem, tum etiam propter hanc coniunctionem, ac necessitudinem, quae Maiestati Regiae cum Celsitudine Vestra, atque adeo cum Nobilissima Familia Megapolitana intercedit, vehementer commovebatur, ita nunc non potest Regia illius Maiestas non nisi benigno animo hanc modestam deprecationem Celsitudinis Vestrae, ac sibi Ipsi, Celsitudinique Vestrae gratulari, quod iam tandem ad eum exitum hoc negotium pervenerit, quem Regia Maiestas, quantum in ea situm erat, pridem exoptabat. Cum itaque Deo volente ita hoc negotium tali ratione transactum sit, Sacra illius Maiestas Dominus noster Clementissimus, oblita iam omnium offensionum, quibus aliquando a Celsitudine Vestra lacessita fuit, gratiam, amorem, & benevolentiam suam Regiam Celsitudini Vestrae benigne offert, libenterque in posterum omnia officia amica Illustri Celsitudini Vestrae præstabit, quotiescunque Maiestas illius Regia gratum id fore Celsitudini Vestrae intelliget.

CLX.

1569. *Literæ Ducis Megapolensis, quibus Conditiones ante suam liberationem a Sacra Regia Maiestate sibi propositas ratificat, & confirmat.* Dat. Lublini die 19. Febr. An. 1569. *Indidem. fol. 12.*

In Nomine Domini Amen.

Cum magnopere deceat, dicta Principum virorum firma, et inviolabilia esse, quæque ab iis verbo nuncupata sunt, ea ipsa memoriam quam maxime habere diuturnam. Idcirco Nos CHRISTOPHORUS Dux Megapolensis, Princeps Vandalorum, Comes Sverinensis, ac Dominus Rostochii, Stargardiaeque, ad perpetuam rei memoriam. Vniversis, ad quorum notitiam hæ nostræ Literæ pervenerint, notum facimus. Principio Nos olim ex gratia, et favore singulari Serenissimi Principis, et Domini, Domini SIGISMUNDI AUGUSTI Dei Gratia Regis Poloniæ, Magni Ducis Litvaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiae, Livoniaeque &c. Domini, & Hæredis, Domini Consanguinei, ac Benefactoris nostri Clementissimi, ad Coadiutoriam Archiepiscopatus Rigensis in Livonia, accedente consensu Reverendissimi in Christo Patris, et Illustrissimi Principis ac Domini VILHELMI Dei gratia Archiepiscopi Rigensis, Marchionis Brandeburgensis, Stetinensis, Pomeraniae, Cassuborum, Sclavonum Ducis, Principis Rugiæ, et Burggrabii Norimbergensis, Consobrini præfati Serenissimi Domini SIGISMUNDI AUGUSTI Regis Poloniæ perveniisse. Deinde autem ope atque præsidio eiusdem Sacrae Regiae Maiestatis, ex gravissima obsidione, ac vinculis Illustris, & Reverendi Domini Fürstembergii, quibus una cum Illustrissimo, & Reverendissimo Domino Archiepiscopo in Livonia tenebamur, liberatos fuisse, præterea etiam multa alia beneficia ab eadem Sacra Regia Maiestate recepisse, quorum apud me memoriam nulla in posterum delebit oblivio. Pro iis tamen Maiestatis ipsius benefactis, cum ætas mea iuvenilis in quorundam hominum non optima consilia incidisset, factum fuit imprudentia adolescentiæ meæ, ut a Maiestate ipsius, quam omnimodo obsequio colere debui, defecerim, meque ad ERICUM quatuordecimum Svecorum tunc Regem, hostem Maiestatis eius publicum, contulerim, ex qua etiam ipsa re paulo post, summo, & iusto admodum Judicio Dei, in manus & potestatem Maiestatis ipsius, inq; captivitatem perveneram, in qua annos fere sex versatus sum, desertus ab amicis, destitutus a propinquis, nudus ab omni prorsus auxilio, cum meo ipsius, tum omnium aliorum. Quo quidem ipso tempore, non clauserat etiam Maiestas ipsius a me solitam benignitatem suam, nam me & in admodum clementi custodia per totum id tempus habuit, & rebus ad victum pertinentibus benigne cum omnibus meis providit, & spem præterea assidue fere ostendit Gratiæ, atque Clementiæ suæ Regiæ, quatenus ipsi per publicas Regni, Dominiorumq; suorum rationes licitum fuisset. Ad extremum autem, ut primum ex parte aliqua a tumultibus bellicis, quibus Maiestas illius detinebatur, re-

ANNO 1569. ſpiraſſet, & libertate, cuius ſpem mihi toties oſtendebat, ex mera ſua Gratia, & Clementia Regia me donavit, & conditioni meæ Ducali, in qua olim fueram, integre reſtituit. Hæc igitur omnia, & multa præterea alia conſiderans, cum in iis ſummam meam culpam, ſummam autem S. R. Maieſtatis ipſius Gratiam, atque Clementiam agnoſcerem, libenter feci, & ex animo, ut in libertate per Maieſtatem illius conſtitutus, Maieſtatem illius ſupplex, ſicuti decebat, adierim, ab eaqne erratis, ac delictis meis omnibus veniam petierim, gratias etiam immenſas, & immortales pro tantis beneficiis egerim, ad extremum autem, & Archiepiſcopatu Rigenſi ultro in Perſonam Maieſtatis ipſius ceſſerim, & omni iuri, quod forte ſuper dictum Archiepiſcopatum, & Capitulum habueram, renuntiaverim, & denique Privilegia omnia eodem pertinentia, quæ penes me tunc habui, Maieſtati eius tradiderim. Quæ quidem omnia & ſingula his Literis etiam facienda mihi eſſe exiſtimo; ac primum quidem Maieſtatem ipſius per communem humanitatem, perque mutuam cum Familia mea neceſſitudinem, & propriam ipſius Maieſtatis Clementiam humiliter oro, & obſecro, ut & præteritis erratis, ac delictis meis ignoſcere, & in poſterum de me omnia ſibi boni Clientis, & Conſanguinei obſequia polliceri, mihique porro veterem ſuam gratiam, & benevolentiam conſervare ne dedignetur. Deinde autem Sacræ Regiæ Maieſtati ipſius immenſas, ac immortales ago gratias, quod me & multis olim beneficiis immerentem affecerit, & nunc omnibus aliis auxiliis deſtitutum, & in ſolum Deum, ac ſolam Maieſtatem ipſius proiectum, libertate donaverit, ac conditioni meæ Ducali reſtituerit. Quod quidem ego beneficium, & nunc iam vere, atque ex animo profiteor, & quoad longiſſime vixero, lubens omni mea gratiſſima memoria, & omni debita, ac tanto beneficio digna prædicatione, ac omnibus denique bene nati, ac bene inſtituti Principis ſtudiis, & obſequiis perpetuo agnoſcam. Non ero unquam nec conſilio, nec verbo, nec facto, nec per me, nec per alium, contra Sacram Regiam Maieſtatem ipſius, Regnumve Poloniae, aut reliqua Dominia, vel Feuda Maieſtati eius quomodolibet ſubiecta. Nullas inimicitias cum Maieſtatis eius amicis, inprimisque cum Sereniſſimis Daniae Fœderato, & JOANNE Sveciæ Affine Maieſtatis eius Regibus exercebo, nullamque eorum Dominiis ſignificationem ullius hoſtilitatis dabo, ſed eos pariter cum Maieſtate eius, Domino, & Benefactore meo, cumque omnibus Maieſtatis ipſius Confœderatis, vaſallis, ſervitoribus, & omnino cum omnibus Maieſtati eius addictis, omni meo ſtudio colam, & obſervabo. Ad extremum autem Archiepiſcopatu Rigenſi, quem olim beneficio Sacræ Regiæ Maieſtatis eius obtinui, nunc iam ſponte mea in Perſonam eiusdem Maieſtatis, & Coronæ Regni Poloniae eiusdem Maieſtatis cedo, iurique, ſi quod unquam ad eum, aut ad Capitulum Rigenſe habui, ſolemniter, omni quo poſſum meliori modo, via, & ratione publice his Literis renuntio perpetuo & in ævum. Itaque nec me nunc ad ea Juris aliquid habere prætendo, nec deinceps habiturum unquam eſſe prætendam. Omnes etiam & ſingulos, quorum forte fidem obſtrictam in Livonia, & iureiurando obligatam habui, iureiurando illos ſolvo, & liberos, ſolutosque, & liberatos pronuntio perpetuo, & in ævum. Inque harum rerum omnium ſignum, & teſtimonium illuſtrius, Privilegia, & alia ad dictum Archiepiſcopatum, & Capitulum Rigenſe pertinentia, quæcunque penes me habeo, Maieſtati ipſius Regiae trado, & ultra ea, quæ trado, plura me non habere profiteor, & ſi forte poſtea haberem, nunquam me iis uſurum, ſed omnia ad Maieſtatem ipſius primo quoque tempore transmiſſurum eſſe, bona fide polliceor. Polliceor etiam eadem fide, me ea omnia, quae his Literis ſunt comprehenſa, viva voce apud Sereniſſimum Daniae Regem, uti Fœderatum Sacræ Maieſtatis ipſius, intra præſentis anni ſpatium iterum recognituru, & confirmaturum, eiusque recognitionis, & confirmationis meas Literas, a Serenitate ipſius teſtimoniales, ad Sacram hanc Regiam Maieſtatem, intra eiusdem anni ſpatium miſſurum eſſe. Hæc autem omnia & ſingula ſupraſcripta, & cætera quæcunque ad conteſtandum meum erga Sacram hanc Regiam Maieſtatem ſtudium, & gratitudinem pertinere unquam videbuntur, diligenter me eſſe, ac ſerio præſtiturum, neque ab iis ulla ratione, aut colore quæſito unquam receſſurum, ſub fide, & honore Ducali, ac militari, atque adeo ſub onere conſcientiæ, loco Juramenti, uti nuper publice in conſpectu omnium Regni Poloniæ Ordinum, ita nunc his Literis meis ſancte, & inviolabiliter polliceor, ſpondeo, & promitto. Quibus Literis manu mea ſubſcripſi, & Sigillum meum Ducale apponi iuſſi, in fidem, & teſtimonium præmiſſorum. Datum Lublini die decima nona Menſis Februarii anno Domini milleſimo quingenteſimo ſexageſimo nono.

ANNO 1569.

CLXI.

ANNO 1569.

CLXI.

Stipendium annuum Duci Megapolenſi a Sacra Regia Maieſtate conceſſum. Indidem fol. 14.

SIGISMUNDUS AUGUSTUS DEI Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæque &c. Dominus, & Hæres. Notum, & teſtatum facimus quorum intereſt, univerſis. Quod cum eam ſpem concepiſſemus de Illuſtri Domino CHRISTOPHORO Duce Megapolenſi, Principe Vandalorum, Comite Sverinenſi, ac Domino Roſtochii, Stargardiæque, Conſanguineo noſtro chariſſimo, propter illius virtutem, & rei militaris peritiam, eamque neceſſitudinem, quæ Nobis cum eo, ac eius nobiliſſima Familia ab antiquo interceſſit, ut eum exiſtimaremus procedente tempore tam Nobis, quam Reipublicæ noſtræ utilitati, atque ornamento futurum, aſſignavimus huic ipſi, & dedimus annuæ penſionis, atque ſtipendii nomine mille taleros ex theſauro noſtro pro Feſto Nativitatis Domini ſingulis annis depromendos. Id vero ea potiſſimum ratione, ut præfatus Illuſtris Dominus CHRISTOPHORUS Dux Megapolenſis &c. hac noſtra in illum benevolentia, atque animi promptitudine incitatus, ad officia Nobis præſtanda, præſertim vero ad munera militaria, quando Literis noſtris vocatus fuerit, in noſtro Exercitu obeunda promptior in poſterum, atque paratior reddatur. Quod univerſis, & ſingulis, præcipue vero Magnifico Staniſlao Sobek a Suleiow Caſtellano Sandomirienſi, Regni noſtri Theſaurario, &c. & aliis, qui illi in eo officio ſunt ſucceſſuri, notum facimus, atque mandamus, ut præſentibus Literis noſtris obtemperans, vel ipſi Illuſtri Domino CHRISTOPHORO Duci Megapolenſi, &c. viſa quietatione, vel ei, qui ab eo miſſus fuerit, mille taleros ex theſauro noſtro, reiecta omni procraſtinatione, ac cunctatione tradat, et numeret. Qua quidem quietatione inſpecta, Nos in rationibus exigendis eam pecuniæ ſummam pro rite expenſa ſuſcepturi, et huic, qui eam detulerit, acceptam relaturi ſumus. In cuius rei fidem præſentes manu noſtra ſubſcripſimus, et Sigillo noſtro communiri mandavimus. Datum Lublini &c.

CLXII.

1569. *Literæ Fidei Ducis Curlandiæ Interruntiis ſuis ad Regiam Maieſtatem miſſis datæ.* Die 29. April. Anno 1569. *Lib. Legation. Lit. V. fol. 296.* ANNO 1569.

Sereniſſime Princeps, Potentiſſime Rex, & Domine Clementiſſime

Obſequia quovis tempore promptiſſima, Sacræ Regiæ Maieſtati Veſtræ humillime defero, Domine Clementiſſime. Iniunxi Generoſis et Clariſſimis Viris, Conſiliariis, fidelibus mihi dilectis, Friderico Caunitz in Alſvangen, et Michaeli Brunno Cancellario, ut Sacræ Regiæ Maieſtati Veſtræ, quædam meo nomine oretenus quam ſubmiſſiſſime referrent, idcirco Sacram Regiam Maieſtatem Veſtram, qua par eſt, reverentia obſecro, dignetur pro ſua erga me Regia Clementia illis Oratoribus benigniſſimas aures, fidemque indubitatam adhibere, et tandem lætos exoratores, bono reſponſo a ſe dimittere. Factura eſt Sacra Regia Maieſtas Veſtra in hoc rem mihi gratiſſimam, et omnibus fidelis Vaſalli ſervitiis promerendam. Quod reſtat, Sacram Regiam Maieſtatem Veſtram in florentiſſimo Regni ſucceſſu fortiſſime ſervandam ad Neſtoreos annos, Deo Optimo Maximo fideliter, meque eiusdem Regiæ Gratiæ debita animi ſubiectione commendo. Datum ex Arce mea Goldingen 29. Aprilis, Anno MDLXIX.

Sacræ Regiæ Maieſtatis Veſtræ

Obſequentiſſimus Vaſallus.
Gotthardus Dei Gratia in Livonia, Curoniæ, & Semigalliæ Dux.

Capita Legationis Oratorum Ducis Curlandiæ.

Conſtituta unione, ut omnium unitorum Ordinum conſenſu facta Sacræ Regiæ Maieſtati ſubiectio, acceptetur.

Sicque defenſione reali, et conſervatione laboranti, et fere non exciſæ Livoniæ ſubveniatur.

Occaſionem rei contra hoſtem Moſchum feliciter gerendæ hac tempeſtate non deeſſe, neque etiam mora negligenda videretur, omnem enim potentiam ſuperare tempus, fidele auxilium Maioribus noſtris creditum, et uſu ſemper expertum fuit. Si exhauſtæ vires tam Magni Ducatus Litvaniæ, quam afflictiſſimæ Livoniæ, belli aliquam molem ulterius ferre poſſe non viderentur.

Proinde utrique, imo toti Reipublicæ conſultius fore, quo reſpiret non nihil, et vires recuperet, pacificationi potius ad tempus, et induciis, quam bello incumbere.

ANNO 1569. Acceptata, ut ſuperius memoratum eſt, ſubiectione, ut in Ducatu ſuo Illuſtriſſimus Princeps noſter inauguretur, Regaliaque, & caetera Ducalis Dignitatis ornamenta iam dudum promiſſa, eius Illuſtritatis nomine, Nobis ad hoc mandatum habentibus, porrigantur.

Sicque prioris Inveſtiturae, ſeu proviſionis, & inſcriptionis Privilegiorum renoventur, & in authenticam formam redigantur, communiantur, & conſignentur Diplomata. In quem uſum, atque finem, una cum prioris proviſionis exemplo, Nos novam exhibemus conceptam formulam, disiunctis, & mutatis in priore ſuperfluis, & ad novam non pertinentibus, ſubſtitutisque in locum neceſſariis.

Invicem praeſtandum homagium, prout neceſſarium fuerit, alteruter noſtrum in animam, ex ſpeciali Mandato, iurabit Principis, qui iam ante Perſonae Sacrae Regiae Maieſtatis, in Perſona idem praeſtitit.

Ex priore Proviſione conſecuta hactenus nondum, ut iam tandem effectui dentur, cuius generis potiſſimum ſunt ſequentia: Eliberatio Grubinae oppignoratae Illuſtriſſimo Domino Duci Pruſſiae. Permutatio, & praeſtatio pro Soneburga Epiſcopatus Curlandiae, aut ut per Tranſactionem cum Sereniſſimo Rege Sveciae ipſa Soneburga Principi reſtituatur.

Finium inter Magnum Ducatum Litvaniae, & Livoniam regundorum ratio.

Praeſtatio centum, & quinquaginta ruſticarum familiarum ex Transdunana Livonia, quibus contentari debent Ordines, & bene meritae perſonae nonnullae reliquae.

Atque horum in nova notula fit mentio, quo etiam ſpectat negotium Doblinenſe, ut eius vetus Commendator Mathias a Reck Regia Authoritate remittatur ad ſuum, cui immediate ſubeſt, Principem.

Vt ſciat Princeps, quid de concredita Arce Rigenſi porro Sacra Regia Maieſtas fieri velit. In cuius neceſſariam reparationem, inque foſſas ad extruendum vallum de ſuo permagnos ſumptus, & impenſas fecit.

Et requirit ipſa neceſſitas, ut ſit ſarta tecta, ubique adhuc hac æſtate reparationes nonnullas oportet fieri.

Unde iam factæ, faciendæque (ſi faciendae erunt) debeant Illuſtritati eius refundi, atque perſolvi.

Unde item in militem praeſidiarium, quem ſemper, quamvis non magno numero, habuit, collata ſtipendia.

Vtque THOMÆ Cardinali Civi Gedanenſi ex Obligatione Regia perſolvatur debitum, ne is Principi hoc nomine moleſtus ſit. ANNO 1569.

Atque horum omnium clementiſſimam reſolutionem, & finalem conſtitutionem Sacram Regiam Maieſtatem huc miſſi Illuſtritatis eius humillime orant Internuntii.

CLXIII.

Literæ plenæ poteſtatis ab univerſa Nobilitate, & Civitatibus Ducatus Ultradunenſis Livoniæ Oratoribus ſuis ad Comitia Lublinenſia, die 15. Maii data. *Indidem.* 1569.

Nos Caſtellani, Barones, Equeſtris Ordinis Nobiles, Civitatisque Rectores, ac Communitates omnes, ac ſinguli Transdunenſis Regii in Livonia Ducatus notum facimus pro Nobis, poſterisque noſtris, omnibus, quorum intereſt, univerſis. Cum ex Sereniſſimi, atque Potentiſſimi Principis ac Domini, Domini SIGISMUNDI AUGUSTI Regis Poloniæ, Magni Ducis Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæque Domini, & Hæredis, Domini noſtri clementiſſimi, ſeveriſſimis Mandatis, ac ab Illuſtri, ac Magnifico Domino Joanne Chodkiewicz in Szkłow, & Bychow Barone, Terrarum Samogitiæ Capitaneo, Livoniæque Adminiſtratore Generali, & Supremo Campiductore &c. Domino noſtro gratioſo admoniti, & vocati eſſemus, ut ad Comitia Regni Poloniae, in Civitate Lublinenſi feliciter haud pridem inchoata, noſtros ablegaremus Oratores, qui ad ferias Pentecoſtes in iisdem Comitiis diu deſideratae Unionis Tractatui cum Regni Poloniae Ordinibus, & Magni Ducatus Litvaniae Statibus, caeterisque Ducatibus, & Dominiis ineundi, atque conſtituendi intereſſent, Diplomataque Privilegiorum, atque Libertatum noſtrarum, aut veras, vel auſcultatas copias ſecum eo deferrent. Nos itaque, ut quos decet ſanctiſſimis Sereniſſimi Regis noſtri iuſſionibus, & aequis Domini noſtri Adminiſtratoris poſtulatis parere, mittimus noſtro nomine Spectabiles, Generoſos, ac Nobiles Dominos: Jacobum Meck Rigenſem, & Ottonem ab Ungern Baronem in Purckell Torendenſem, Caſtellanos Regios, Joannem a Münſter, Rempertum Ghilſchemium utriusque Juris Doctorem, Theodericum Aderkas, & Laurentium Offenbergium, Conſiliarios, & Judices Terreſtres, qui non ſolum vigore Inſtructionis, & demandatorum ſibi negotiorum omnia

Anno 1569. omnia proponant, & agant, sed in primis sedulam, ac diligentem curam adhibeant, quo Religio nostra Christiana secundum Confessionem Augustanam, Privilegia, Immunitates, Libertates, Consvetudinesque usu receptæ, Pacta denique, & Fraternitates cum Magno Ducatu Litvaniæ inita, & a Sacra Regia Maiestate approbata, & confirmata, inviolabiliter, & integre sine ulla recissione, aut iterata novatione conserventur. Ad hanc namque actionem illis omnibus, aut etiam uno, alterove absente omnimodam, & plenam facultatem concedimus. Quicquid enim prædicto modo Domini Castellani, & Oratores nostri communicato cum Ordinibus, & Statibus Magni Ducatus Litvaniæ consilio egerint, statuerint, definierint, concluserint, & suis Sigillis munierint, hoc omne Nos ratum, gratumque, non secus habebimus, ac si præsentes hisce Tractatibus interessemus, verbo nostro, sigillisque nostris approbaremus, bona fide promittentes, nullo unquam tempore pro parte nostra contraventuros. In cuius rei testimonium, & fidem aliquot consensu Confratrum, & Sociorum nostrorum Plenipotentiam hanc Sigillis munivimus. Datæ Venden XV. Maii, Anno MDLXIX.

Supplicatio eorundem Oratorum.

Reverendissimi, & Observantissimi Domini.

Etsi non dubitamus, quin Reverendissimæ Paternitates Vestræ in habito nobiscum colloquio sententiam nostram abunde intellexerint, tamen cum finem horum Comitiorum iam imminere intelligamus, ut & citius, & commodius negotia Livonica peragantur, hanc nostram declarationem Paternitatibus Vestris, qua decet observantia, offerre voluimus, officiosissime orantes, dignentur eandem sententiam & Maiestati Regiæ, & præsentibus *D*ominis Senatoribus Regni referre, & ita sibi commendatam habere, ut optato aliquo responso, confectisque rebus nostris, hinc maturius dimittamur.

Ac in primis quidem quantum ad iuramentum. Hoc cum pure, & simpliciter a Nobis exigatur, dubium non est, eo modo a Nobis præstari non posse. Constat enim ex Literis evocationis Sacræ Regiæ Maiestatis, Nos tanquam Membrum Magni Ducatus Litvaniæ, ad hæc Comitia evocatos esse, ad perducendam scilicet Unionem cum Magno Ducatu Litvaniæ inchoatam, ex qua unica causa Status Livoniæ Nos ad hæc Regni Comitia ablegarunt.

Secundo obstat Mandatum speciale Nobis a Statibus Livoniæ in hac Legatione datum, in quo expresse cavetur, ne ullos novos Tractatus, & a prioribus initis Tractatibus diversos ineamus. Anno 1569.

Tertio obstat Articulus in Pactis clare expressus, debere scilicet Livoniam cum Magno Ducatu Litvaniæ simul coniunctim, & non divisim, una, eademque lege, modo, iisdem punctis, & conditionibus Regno uniri.

Quarto obstat quoque Juramentum a Statibus Livoniæ Magno Ducatui Litvaniæ, & econtra super perpetuo Fœdere, certisque Pactis præstitum, a quo Nobis salva Religione, fide, & honore discedere non licet.

His itaque, aliisque rationibus gravissimis ducti, in eam tandem sententiam descendimus, velle quidem Nos omnium Ordinum Livoniæ Transdunensis nomine inclytæ Coronæ Poloniæ iam nunc uniri, iuramentumque præstare consvetum, ea videlicet conditione, si Sacra Regia Maiestas, una cum consensu omnium Ordinum Regni, antea Nobis omnia Pacta, & Contractus, hactenus cum Sacra Regia Maiestate, Magnoque Ducatu Litvaniæ quoquo modo initos, ratificaverit, & confirmaverit, Statusque omnes, atque Ordines Regni, præstito reciproco iuramento, de iis quoque omnibus Nobis sufficienter caverint. Nos videlicet a Magno Ducatu Litvaniæ non avelli, sed salva Religione, salvis privilegiis, prærogativis, libertatibus, legibus, consvetudinibus, omnibusque concessionibus, donationibus, beneficiis omnium, atque singulorum, tam in publicis, quam in privatis rebus, Diplomatibus Regiis obtentis, & confirmatis permanere, atque conservari debere. Ac denique ea, quæ in hisce Unionis Tractatibus Magno Ducatui Litvaniæ promissa, indulta, & concessa sunt, quæque nostris Privilegiis, atque Libertatibus nil derogare, sed incrementum potius addere possent, ut iisdem quoque Livoniæ Ultradunensis Ducatui, tanquam Membro Magni Ducatus Litvaniæ, ex Pactis cum eodem Ducatu initis, uti, frui, gaudere, a Regno in perpetuum & concedatur, & confirmetur. Anno 1569.

Reverendissimarum Paternitatum
Vestrarum

Observantissimi.

Nuntii Livoniæ Ducatus Ultradunensis.

ANNO 1569.

CLXIV.

Responsum Sacræ Regiæ Maiestatis nomine Generosis Friderico a Kanitz, & Michaeli a Brunno, Illustris Domini Gothardi in Livonia, Caroniæ, Semigalliæque Ducis, Consiliariis, & Oratoribus. Dat. Lublini die 3. Augusti. Anno 1569. *Indidem.*

Non dubitat Sacra Regia Maiestas, Dominus noster Clementissimus constare Illustri Domino Curlandiae Duci, quantum studium, & diligentiam hactenus in Livonia tuenda, & defendenda posuerit. Quod eius Maiestatis studium, si aliqua ex parte finem optatum assequutum non est, nulli alii rei tribuendum esse existimare debet, quam quod Unionis negotium fatis adversantibus longius omnium opinione protractum, ac prolongatum fuerit. Nunc vero cum hoc ipsum negotium Dei Optimi Maximi benignitate, summoque, ac singulari Regiae Maiestatis labore, ac diligentia ad finem optatum perductum sit, magna in spe est Sacra Regia Maiestas Dominus noster Clementissimus, se deinceps ex hoc studio, ac diligentia rebus Livonicis hactenus praestita, clariores, ac uberiores fructus percepturam.

Ac primum omnium Suæ Illustritatis Plenipotentibus, & Oratoribus Generosis Friderico a Kanitz, & Michaeli a Brunno postulantibus consensu omnium Unitorum Ordinum, subiectionem eiusdem Illustritatis acceptavit Sacra Regia, Maiestas, ac eius subiectionis Diploma prædictis suae Illustritatis Plenipotentibus extradi iussit. Datura autem est operam omnem hæc ipsa Maiestas Regia ut Illustrem Dominum Ducem cum omni Ducatu, & eius Illustritatis Ditionibus in Fidem ac Clientelam suam, Regnique susceptum, eum, ac Ditiones eius, atque adeo ipsam Livoniam, ab immanissimo tyranno populatam, & afflictam, iuxta iuramentum Illustri Domino Duci, ac illi Provinciae praestitum, tueatur, ac defendat. Quodsi vero ita rationes prædictae Provinciae tulerint, ut pax, quam bellum magis expetendum esse videatur, promittit Sacra Regia Maiestas se rationem inituram, ut ad conditiones pacis ineundas, non nisi honestas & tolerabiles tam ipsius Illustritati, quam universae Livoniae descendatur.

Quod vero ad inaugurationem Illustritatis Suæ, ac Investituram attinet, quoniam hic actus ipsius Illustritatis praesentiam personalem requirit, neque etiam eam rem satis ex dignitate Illustritatis eius arbitretur, Sacra Maiestas Regia differt hoc ipsum negotium, cum omnibus circa Inaugurationem fieri solitis, de quibus Illustritatis suæ Oratores mentionem fecerunt, in id tempus, quo Illustritas sua ad Homagium Regiæ Maiestati, ac Regno cum Ducatu Litvaniæ iam unito præstandum, de consilio omnium Senatorum accesserit, ac venerit. Quo etiam tempore Diplomata prioris Investituræ renovabuntur, & ad authenticam formam secundum postulata Illustris Domini Ducis redigentur. ANNO 1569.

Eliberationem Grubinensem differt Sacra Regia Maiestas in tempus aliud, ad eam rem tractandam commodius. Nunc enim bellis his continuis Regiae Maiestatis ærario exhausto, rationem nullam iniri posse videt, unde pecuniae tanta summa tam brevi tempore persolvi possit.

Porro, in permutatione Episcopatus Curlandiæ pro Soneburga nihil plane constituere potest Maiestas Regia, donec hæc ipsa in potestatem Regiæ Maiestatis venerit. Nam neque cum Serenissimo Sveciæ Rege aliquid de hac ipsa re est constitutum, nec eius Serenitatis Oratores asserunt quidquam se de his ipsis rebus in mandatis habere.

Commissarii finium inter Livoniam, & Litvaniam causa regundorum, quoniam tam ab Illustri Principe, quam ab ipsis Litvanis expetuntur, mittentur a Sacra Regia Maiestate Commissarii. In quo negotio necessarium esse arbitratur, ut cum Illustri Domino Duce MAGNO de tempore ipsis Commissariis præfigendo statuatur. Interea tamen, ne quid contra Pacta, & Fœdera ab alterutra parte committatur, dari iussit Maiestas Regia ex Cancellaria sua ad Officiales, & Nobilitatem Mandata, ut ab omni iniuria, & occupatione fundorum prorsus abstineant, quieteque ac pacifice Commissariorum adventum expectent.

Sed præstatio centum quinquaginta rusticorum fieri a Maiestate Regia neque potest hoc tempore, neque etiam debet. Plures enim, ex quo tempore Administratio Livoniae Magnifico Joanni Chodkiewicz Magni Ducatus Litvaniae Supremo Marescalco, & Capitaneo Samogitiensi est delegata, quam centum quinquaginta donavit Regia Maiestas iis, quibus sua Illustritas suis commendationibus apud Regiam Maiestatem suffragata est.

De negotio Doblinensi nihil dum statuit eius Maiestas Regia, utpote quae hoc tempore plurimis, & gravissimis negotiis

ANNO 1569. gotiis distineatur, reiicitque hoc ipsum in aliud tempus ad eam rem cognoscendam, & constituendam accommodatius.

Cæterum Arcem Rigensem vult Maiestas Regia esse in provisione ac tutela Illustritatis Suæ, donec de ea re suam voluntatem, atque sententiam Illustritati Suæ perscribet.

Postremo quod ad debitum Cardinalis Thomæ attinet, commisit eam rem Sacra Maiestas Regia Magni Ducatus Litvaniae Thesaurario. Relatumque est Maiestati Regiae, eam pecuniam si non integram, at certe maiori ex parte hactenus persolutam esse.

Ad eundem Curlandiæ Ducem Literæ fidei, Oratoribus eius a Sacra Regia Maiestate datæ.

SIGISMUNDUS AUGUSTUS DEI Gratia Rex Poloniae, &c. Illustris Princeps, Amice sincere Nobis dilecte. Exposuerunt Nobis perdiligenter Oratores Illustritatis Vestræ Fridericus a Kanitz, & Michael a Brunno, quid hoc tempore Illustritas Vestra a Nobis expoſcat. Quæ cum intellexissemus, & Oratores Illustritatis Vestrae benigne excepimus, & petitioni Illustritatis Vestrae magna ex parte assensi sumus. Id quod Illustritas Vestra tam ex responso nostro, quam ex Oratoribus suis uberius, ac planius est recognitura. Quæ bene valeat. Datum Lublini die 3. Augusti, Anno 1569.

CLXV.

1569. *Incorporatio Ducatus Curlandiæ, & Semigalliæ cum Regno Poloniæ.* Dat. Lublini in Conventu Generali Regni. die 3. Augusti. Anno 1569. *Extat in Archivo Cancel. Regni.* Lib. 182. Lit. R. C. num. 183. fol. 32.

SIGISMUNDUS AUGUSTUS DEI Gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Litvaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiae, Kioviae, Volhyniae, Podlachiae, Livoniæ &c. Significamus præsentibus Literis nostris, quorum interest, universis, & singulis. Quod cum Illustris Dominus Gothardus in Livonia, Curoniae, Curlandiae, & Semigalliae Dux, Generosos Fridericum a Kanitz, & Michaelem a Brunno Consiliarios, & Senatores suos ad Nos, Regnique nostri Ordines cum certis Mandatis ablegavisset, atque hi ipsi Literis fidei suae Plenipotentiae, prædicti Illustris Domini Ducis demonstratis, id sibi ab Illustritate sua iniunctum esse dicerent, quo nomine Illustritatis Suae a Nobis, Regnique Ordinibus postularent, ac enixe peterent, ut quoniam negotium Unionis Regni nostri cum Magno Ducatu Litvaniae ad salutarem finem, exitumque optatum iam pridem Deo immortali adiuvante perduxissemus, tempusque adesset, quo Livoniæ quoque a barbaro, & truculento hoste maiorem in modum populatae, & afflictae per Nos aliquando consuli possit, subiectionem Illustris Domini Ducis, & subditorum eius de communi sententia, atque assensu omnium Ordinum Regni cum Ducatu Litvaniae uniti acceptaremus. Nos etsi memoria tenebamus, superioribus annis, quo tempore ab Ordinibus Livoniae crebris Literis, atque Nuntiis ad eam ipsam subiectionem acceptandam sollicitaremur, sortem illius Provinciae, atque calamitatem miseratos, hanc ipsam privatim ex Persona nostra in fidem, atque protectionem nostram suscepisse. Tamen & illud etiam meminimus, cum prædicta subiectio præsentiam Senatus Polonici, ac pleniorem deliberationem requireret, reiecisse Nos huius ipsius rei tractationem in tempus aliud, ad eam rem conficiendam commodius. Quod cum se Nobis obtulisset, faciendum esse existimavimus, flagitantibus præsertim Illustris Domini Ducis Plenipotentibus, & Unione Regni cum Magno Ducatu Litvaniae absoluta, & perfecta, & eius Illustritatis subiectionem, per supradictos Plenipotentes Illustritatis eius Nobis delatam, de consensu, & voluntate omnium Ordinum Regni, cum Magno Ducatu Litvaniæ, ita ut ante dictum est, uniti, in præsentibus Regni Comitiis acceptaremus, quemadmodum præsentibus Literis nostris acceptamus, ipsumque Illustrem Principem in fidem, & clientelam nostram, Regnique nostri cum omni Ducatu, & Ditionibus Illustritatis suae, publico Regni cum Magno Ducatu Litvaniae uniti nomine recipimus, nimirum ut ab eo tempore in posterum Illustritas sua, eiusque Hæredes cum Ducatu Curlandico, Semigallicoque, Regno nostro cum Ducatu Litvaniæ unito, tanquam uni, & indiviso corpori perpetuis temporibus subiiciatur, & incorporetur, ac in clientela, & defensione nostra, & Regni cum Magno Ducatu Litvaniae uniti, permaneat. Speramus autem Illustritatem suam, & eius Illustritatis Posteros in ea fide, voluntate, subiectione, quam Nobis, Regnoque cum Ducatu Litvaniae unito, per supradictos Plenipotentes detulerunt, constanter permansuros, & firmiter perseveraturos.

ANNO 1569. Quibus Nos viciſſim defenſionem noſtram, Regnique noſtri, ac conſervationem omnium Privilegiorum, Libertatum, Immunitatum a Nobis eisdem conceſſorum, Libertatibus noſtri tamen Regni non adverſantium, pollicemur, atque promittimus, quæ Privilegia, Immunitates, Libertates, tum renovaturi, confirmaturi, & in pleniorem formam redacturi ſumus, cum Illuſtritas ſua Nobis, Regnoque noſtro debitum Homagium præſtiterit. In cuius rei fidem, & teſtimonium, manu noſtra præſentes ſubſcripſimus, & Sigillum noſtrum appendi iuſſimus. Datum Lublini in Conventu Generali Regni. Die tertia Menſis Auguſti, Anno Domini milleſimo quingenteſimo ſexageſimo nono, Regni vero noſtri quadrageſimo. *Concordat tam cum Originali, quam cum Metrica Ducali.* Locus SIGILLI *Notarii Publici Regii.*

Godefredus Fabricius,
Notarius Publicus Regius.

CLXVI.

1569. *Cautio a Regia Maieſtate Oratoribus Livoniæ Ducatus Ultradunenſis data, quod Juramentum non coniunctim cum Magno Ducatu Litvaniæ de Unione cum Regno ab eis præſtandum, nullum eis dammum, aut præiudicium ſit allaturum.* Dat. Lublini in Comitiis Regni Generalibus die 6. Auguſti. Anno 1569.

SIGISMUNDUS AUGUSTUS DEI Gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Litvaniae, Ruſſiae, Pruſſiae, Samogitiae, Livoniae, &c. Notum, & teſtatum facimus tenore præſentium, quorum intereſt univerſis, & ſingulis. Miſſos huc eſſe ad Comitia Regni noſtri Generalia Nuntios Livoniae Ducatus Ultradunenſis Generoſos ac Nobiles, Egregiosque Viros, Jacobum Meck, Rigenſem, Ottonem ab Ungern Baronem in Berckch Thorendenſis Diſtrictus Caſtellanos, Joannem a Münſter, Reimpertum Gilleshemium, utriusque Juris Doctorem, Theodorum Aderkas, & Laurentium Offenbergium, Conſiliarios, & Judices Regios Ultradunenſis Ducatus, ut Unionis Actum, una cum Ordinibus Magni Ducatus Litvaniae, cum Regno Poloniae perficerent, ſed eosdem certis, & legitimis de cauſis, hoc ipſo tempore, cum Ordines Magni Ducatus Litvaniae prædicto iuramento ſeſe obligarent, ad idem Juramentum cum prædictis Litvaniae Ordinibus præſtandum admiſſos non eſſe. Quamobrem cum deinceps prædictos Nuntios pro officio, & auctoritate noſtra Regia admonuiſſemus, ne diutius fidem, ac ſubiectionem ſuam, a Regno Poloniae, cum Magno Ducatu Litvaniæ iam unito deſiderari paterentur, ſed ſingillatim, & a Ducatu Litvaniae ſeiuncti, iuramentum Nobis, ac Regno debitum præſtarent, cauſas tum illi ſuas afferebant, quamobrem id ſalva illorum conſcientia, ſalvo apud ſuos honore, ac dignitate facere non poſſent. Inprimis, quod ex Literis evocationis noſtris, eos tanquam Membrum Magni Ducatus Litvaniæ, ad conficiendam Unionem cum Magno Ducatu Litvaniæ inchoatam, ad hæc Comitia conſtaret evocatos eſſe. Deinde, quod mandatum ſpeciale a Statibus Livoniae accepiſſent huiusmodi, in quo expreſſe caveatur, ne ullos novos Tractatus, & a prioribus initis Tractatibus diverſos, inirent. Tum vero, quod Articulus in Pactis expreſſus, Livoniam cum Magno Ducatu Litvaniae ſimul, coniunctim, & non diviſim, una, eademque lege, modo, iisdem punctis, & conditionibus Regno uniri iubeat. Poſtremo quod Ordines Livoniae, Ordinibus Litvaniae, & e converſo mutuum iuramentum præſtitiſſent. Quas quidem cauſas, cum non eſſe parvas exiſtimaremus, & tamen illius Provinciae, atque adeo univerſae Reipublicae noſtrae plurimum intereſſe animadverteremus, ut Livoniae Ducatus Ultradunenſis cum Regno, modo iam prædicto cum Magno Ducatu Litvaniæ, copulato, et unito copularetur, & uniretur, perduximus hos ipſos iuſtis, & legitimis rationibus noſtris, ad Juramentum ſigillatim Nobis, & Regno, adinſtar omnium Ordinum Magni Ducatus Litvaniae præſtandum, id vero his conditionibus, ut cavendum, & promittendum illis verbo noſtro ſtatueremus, quemadmodum præſentibus Literis noſtris cavemus, & pollicemur, eis hanc iuramenti præſtationem in poſterum nocituram non eſſe, neque hoc nomine ipſos quidquam difficultatis, aut moleſtiæ a quoquam percepturos. Inſuper etiam eorum omnium Jura, Privilegia, Prærogativas, Libertates, Leges, Conſvetudines in proximis futuris Comitiis Nos confirmaturos, approbaturos, ratificaturos pollicemur, ita tamen, quod ſi quid forte in Privilegiis per Nos Ducatui Ultradunenſi adverſari, aut contrarium eſſe Libertatibus, ſupradicto unito iam Corpori Regni, & Magni Ducatus Litvaniae videatur, id Nos de communi Senatus noſtri Regni Poloniae, & Magni

ANNO 1569.

Anno 1569. gni Ducatus Litvaniae, & Livoniae quoque consilio, & consensu moderari promittimus. In quorum omnium fidem, & testimonium præsentes manu nostra subscripsimus, & Sigillum nostrum apprimi iussimus. Dat. Lublini in Comitiis Regni Generalibus die 6. Mensis Augusti, Anno MDLXIX.

SIGISMUNDUS AUGUSTUS.
Rex.

Juramentum Consiliariorum Livoniæ Ducatus Ultradunensis Regiæ Maiestati, & Coronæ Poloniæ præstitum Lublini die 6. Augusti. Lib. Legat. Lit. S. fol. 72.

Ego N. iuro Deo Omnipotenti, quod ab eo tempore, & in posterum fidelis ero Serenissimo Principi Domino, Domino Sigismundo Augusto Dei Gratia Regi Poloniæ, Magno Duci Litvaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Kiioviæ, Volhiniæ, Podlachiæ, Livoniæque Domino meo Clementissimo, & huic indiviso Corpori Coronæ Poloniæ, nec ullum alium, præterquam eundem Serenissimum Regem Sigismundum Augustum, & Suæ Maiestatis Successores, Reges Poloniæ, libere, & coniunctim electos, pro tempore existentes, pro Domino recognoscam, sed adstrictus ero præstare cum Successoribus omnem subiectionem, & obedientiam, & pro posse meo favebo, ac adiuvabo omne bonum Suae Maiestatis, præcustodiamque omne malum, & nocivum, quod scirem eventurum Regiae Maiestati, vel Coronæ Poloniæ. Juro etiam, quod Regiae Maiestati fideliter consulam, Secreta, quæ mihi per Regiam Maiestatem, & Consiliarios Suæ Maiestatis pandentur, quæ vel ipsam Regiam Maiestatem concernerent, vel Rempublicam communem Coronæ, vel utramque coniunctim, nemini in damnum Regiae Maiestatis, & Reipublicae communis revelabo, & pro virili commoda Regiae Maiestatis, & Reipublicae Coronae communis augebo. Quidquid autem intellexero, vel scivero, aut senserо Regiæ Maiestati, & Coronæ, Reipublicaeque communi nocivum, præcustodiam, & ne hoc fiat, me opponam, illudque pro posse meo avertam, omniaque faciam fideliter, obedienter, & diligenter, uti decet bonum, et fidelem Consiliarium. Sic me Deus adiuvet Trinus, & Unus, Sanctumque Evangelium.

Juramentum Commune Consiliariorum Livoniæ, de observandis Inscriptionibus, & Unione cum Ordinibus Regni Poloniæ, & Magni Ducatus Litvaniæ. Anno 1569.

Ego N. iuro Domino Deo Omnipotenti, quod ab eo tempore, & in posterum, totum Actum Unionis mutuae Ordinum omnium Regni Poloniae, & Magni Ducatus Litvaniae, quemadmodum in Literis, Inscriptionibus, ac Obligationibus mutuis est descriptus, plene, realiter, in effectu cum Successoribus meis tenebo, & observabo in omnibus punctis, & articulis, quemadmodum in Literis illis ultro, citroque inter Dominos Polonos, & Litvanos datis continetur, & pro posse meo semper curabo, omnemque dabo operam, ut hoc commune nostrum cum inclyti Regni Poloniae, & Magni Ducatus Litvaniae Ordinibus Unionis vinculum firmum, & inviolabile perpetuis temporibus maneat. Ita me Deus adiuvet Trinus, & Unus, & Sanctum Evangelium.

Juramentum Nomine Terrigenarum Livoniæ, per Nuntios eorum, Regi, & Coronæ Poloniæ præstitum.

Ego N. iuro Deo Omnipotenti, quod ab eo tempore, & in posterum cum omnibus Fratribus meis Nobilibus, & aliis Incolis Ducatus Ultradunensis Livoniae, a quibus huc missus sum, fidelis ero Serenissimo Principi Domino, Domino Sigismundo Augusto Dei Gratia Regi Poloniæ, Magno Duci Litvaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Kioviæ, Volhyniæ, Podlachiæ, Livoniæque Domino meo Clementissimo, & huic indiviso Corpori Coronæ Poloniæ, nec ullum alium, præterquam eundem Serenissimum Regem Sigismundum Augustum, & Suæ Maiestatis Successores, Reges Poloniæ, libere, & coniunctim electos pro tempore existentes, pro Domino recognoscam, sed adstrictus ero præstare cum præfatis Fratribus meis, ipsorumque, & meis Successoribus Sacræ illius Maiestati, ipsiusque Maiestatis Successoribus omnem subiectionem, & obedientiam, et pro posse meo cum iisdem Fratribus meis favebo, ac adiuvabo omne bonum Suæ Maiestatis, præcustodiamque omne malum, et nocivum, quod scirem eventurum Regiæ Maiestati, vel Coronæ Poloniæ, cum Magno Ducatu Litvaniae unitae, et in unum corpus coagulatae, omniaque cum di-

ANNO 1569. ctis Fratribus meis faciam fideliter, obedienter, & diligenter, quae ad ſubditum bonum, & fidelem pertinent. Sic me Deus adiuvet Trinus, & Unus, Sanctumque Evangelium,

Juramentum Terrigenarum Livoniæ per eorum Nuntios de obſervandis communibus Inſcriptionibus, de Unione M. D. Litvaniæ cum Regno Poloniæ præſtitum.

Ego N. iuro Domino Deo Omnipotenti, quod ab eo tempore, & in poſterum totum Actum Unionis mutuæ Ordinum omnium Regni Poloniæ, & Magni Ducatus Litvaniæ, quemadmodum in Literis, Inſcriptionibus, ac Obligationibus mutuis eſt deſcriptus, plene, realiter, & in effectu cum omnibus Fratribus meis, Nobilibus, & aliis Incolis Ducatus Ultradunenſis Livoniæ, a quibus huc miſſus ſum, tenebo, & obſervabo in omnibus punctis, & articulis, quemadmodum in illis Literis ultro, citroque inter Dominos Polonos, & Litvanos datis continetur, & pro poſſe meo ſemper curabo, omnemque dabo operam cum Fratribus meis, a quibus huc miſſus ſum, ut hoc commune noſtrum cum inclyti Regni Poloniæ, & Magni Ducatus Litvaniæ Ordinibus, Unionis vinculum firmum, & inviolabile perpetuis temporibus maneat. Ita me Deus adiuvet, & hoc Sanctum Evangelium.

CLXVII.

1570. MAGNI *Holſati, poſtquam Rex Livoniæ a Czaro Ruſſorum renuntiatus fuit, ad Civitatem Revalienſem Literæ, ut ſe Coronæ eius ſubiiciat. Ex Tabulario Illuſtriſſimi D. Comitis Joſephi Załuſki Epiſcopi Kijovienſis.*

Nos MAGNUS Divina Gratia Rex Livoniæ, Dominus Eſthoniæ, & Lettiæ, Hæres in Norwegia, Dux Sleſvici, Holſatiæ, Stormariæ, & Dithmarſiæ, Comes Oldenburgi, & Delmenhorſtæ, notum facimus omnibus Inhabitatoribus Civitatis Revaliæ, qui Chriſtianitatis utilitatem, afflictæ, atque deſolatæ Livoniæ commodum, libertatem, & veram ſalutem quærunt, quique & proprium, & poſterorum damnum, perniciem, atque ruinam, humanique ſangvinis effuſionem avertere cupiunt. Poſtquam infelix, atque afflicta Livonia a pluribus Nationibus miſere deſolata fuit, Incolæ autem onerati, atque oppreſſi ardentibus precibus Deum Omnipotentem imploraverunt, ut ipſis Chriſtianum ex Germanis Principem dare vellet. Nos equidem ab initio Regiminis noſtri, pariter benigniſſimum Numen ex animo fuimus precati, ut remedia ſuppeditaret, quibus priſtinam ſalutem calamitoſiſſima Provincia recuperare poſſet; tentavimus quoque varias vias, ut a malis ſuis liberari poſſet, ſed ſine effectu, dirigente nimirum ita Divina Providentia, donec tandem Imperator, Magnus Princeps, & Regnator omnium Ruſſorum, his ipſis temporibus, datis ſub Sigillo ſuo Literis, accedente quoque oſculatione Crucis, hac gratia Nos afficeret, ut Nos Regem totius Livoniæ conſtitueret ſequentibus ſub conditionibus: Vult nimirum Magnus Ruſſorum Princeps Nobis totius Livoniae poſſeſſionem procurare, ſive vi, ſive amicabili Tranſactione, vult præterea cum Sacro Romano Imperio contra Turcas, aliosque Chriſtianitatis hoſtes Fœdus inire, inſuper nullus alius Livoniæ imperare debet, quam Nos, hæredes noſtri, aut his deficientibus Corona Danica, aut ex Principibus Holſatiæ. Item nullus Ruſſorum Jus habere debet in Livonia regnandi, Imperator autem, & Magnus Dux Ruſſorum nomen Protectoris habere & debet, & vult, qui etiam in tutelam Livoniæ totum Imperium ſuum, imo vitam quoque ſuam ſe impendere velle per oſculationem Crucis promiſit, pro qua tamen Protectione Imperator, atque Magnus Dux a Nobis, levidenſe, & minime tanto beneficio dignum præmium exegit. Quoniam autem Magnus Ruſſorum Dux executurus promiſſa ſua, Nos cum Exercitu præmiſit, ut Svecos ex Livonia pelleremus: ideo ſi Civitas Revalienſis, ubi Literas has noſtras legerit, ſponte ſe Nobis, noſtrisque Hæredibus, aut iis deficientibus Coronæ Danicæ, aut Domui Holſaticæ ſubiicere voluerit, non tantum ſarta, tectaque manebunt ipſis Privilegia, ſed imo augebuntur illa inſigniter terra, marique. Ad quod faciendum, ſi ſe paratam declaraverit Civitas, in colloquium deſcendemus, Internuntiisque ſufficientem Regium Salvum Conductum præſtabimus. Quod ſi vero Civitas Revalienſis propria pernicie, atque ruina, effuſione ſangvinis, atque cædibus magis delectetur, ſciat, Imperatorem, & Magnum Ducem Ruſſorum omnibus viribus ſuis uſurum, ut Livoniam devaſtet, ac depopuletur, Incolasque in perpetuam ſervitutem redigat. Nihil magis optamus, quam ut Deus Omnipotens hanc Civitati Revaliæ immittat mentem, ut ſalutis ſuæ, vel pernicie me

ANNO 1570.

mor

ANNO 1570. mor ſit, utque priſtino Imperanti ſe ſubmittat, ſimulque conſideret, quanta Privilegia terra, marique conſequi poſſit, quamque e contrario impoſſibile ipſi ſit, ut ſe defendat contra Imperatorem, & Magnum Principem Ruſſorum, qui ipſam non æſtate tantum, ſed hyberno quoque tempore pro lubitu oppugnare, & domare poterit, ita, ut nullum hac in re impedimentum Rex Sveciæ afferre queat, qui ipſe, Deo volente, mox non tantum in Livonia, verum etiam in Finlandia, & aliis locis, quid contra ipſum decretum ſit, ſentiet. Id autem, quod mendaces homines divulgarunt, quaſi bellum hoc in commodum Magni Ruſſorum Ducis ſuſciperetur, purum eſt figmentum, & mera fallacia, qua ut decipi ſe non patiantur Revalienſes, graviter eos adhortamur, illi autem, qui hæc talia mentiuntur, ſanguine ſuo culpam luent. Denique ſi ſinceris noſtris admonitionibus nihil proficere poterimus, coram Deo, & univerſo Chriſtiano Orbe declaramus, inſecutu-rorum malorum, & calamitatum penes Nos culpam non fore. Quænam autem ſuper his omnibus mens veſtra ſit, ſcire per reſponſum veſtrum cupimus. In fidem autem omnium eorum, quæ ſupra dicta ſunt, propria manu ſubſcripſimus, Sigillumque noſtrum hic appendi curavimus.

CLXVIII.

1570. *Scheda in Literis Gothardi Ducis Curlandiæ ad Regiam Maieſtatem datis inſerta.* Lib. Legat. Lit. T. fol. 71.

Domine Clementiſſime.

Sacra Regia Maieſtas Veſtra ex Literis his ſatis intelligit, quo in ſtatu, & ſummo diſcrimine res Livonicæ (quas utinam Deus Optimus Maximus in melius vertat) poſitæ ſint. Cumque pro meo exiguo iudicio, & ſumma erga Sacram Regiam Maieſtatem Veſtram fide, obſervantiaque, nunc omnino videam non diutius ceſſandum, ſed ſummopere neceſſum eſſe, quatenus difficiliora pericula (quæ abſint) evitari debeant, ut quamprimum Sacra Regia Maieſtas Veſtra ad Urbem Rigenſem Commiſſarios certos, & quidem eos, qui non minus gratia, quam authoritate præ cæteris apud Rigenſes pollent, ſuſcipiendae cum illis alicuius Transactionis cauſa, etiamſi non omnia ex voto, & commodo fieri poſſint, abſque ulla longiori dilatione mittat. Hiſce enim difficultatibus, indies magis ac magis irruentibus, minus, quam deceat, credendum, & tempori inſerviendum (quod certe ſuo loco lucrum eſſe poſſet) omnino ſvadeo. Quapropter iterum Sacram Regiam Maieſtatem Veſtram rogo, & obteſtor, ne diutius differat, aliquos, qui Civitati non ſolum minus ſuſpecti, verum etiam ad perficienda negotia ſatis idonei, & Germanicae linguae gnari ſint, quamprimum mittere, atque malo ob oculos fere verſanti in tempore, dum datur, & fas eſt, occurrere. Quam meam humillimam, & ex fidelitate, qua S. R. Maieſtati Veſtrae devinctus ſum, proficiſcentem admonitionem, non aliter, quam optime interpretabitur, meque ſibi commendatiſſimum eſſe clementiſſime patietur.

ANNO 1570.

GOTHARDUS *Dux.*

Articuli Principales, ſuper quibus cum Rigenſibus agendum erit, ut vero de iis Sacra Regia Maieſtas cathegorice ſe declaret, operæ pretium eſt.

I. In primis: An Sacra Regia Maieſtas Jus Patronatus Eccleſiarum Civitatis Rigenſis Civitati illi cedere, ac Religionem Auguſtanae Confeſſionis ſalvam ibidem perpetuo eſſe velit.

II. Cum priores Domini Livoniæ ad binas portas Civitatis Rigenſis claves, & liberrimum earum uſum habuerint, an S. Regia Maieſtas claves eas Rigenſibus reddere, & iuri quaeſito renuntiare velit.

III. An Sacra Regia Maieſtas Curiam Archiepiſcopalem, & reliqua bona omnia in Civitate ſita, & Civitati adiacentia, quondam ad Archiepiſcopum, & Capitulum Rigenſe pertinentia, penes Rigenſes, Jure Dominii perpetuo eſſe velit.

IV. An ferre poſſit Sacra Regia Maieſtas, ut Dominium portus, atque adeo maris ipſius, ſit penes Rigenſes.

V. An Regia Maieſtas Senatum Rigenſem ſine Burgrabio Regio eſſe velit, an vero ut Burgrabius adinſtar Civitatis Gedanenſis eligatur, id quod Rigenſes vel maxime cupiunt.

VI. An propugnaculum ad Dunam nuper exſtructum, demoliri liceat.

VII. Vtrum ædificia ſuburbana, quae Rigenſes in præiudicium Civitatis exſtructa eſſe exiſtimant, tolli debeant.

VIII. An Sacra Regia Maieſtas omnia, & ſingula Privilegia Rigenſium, quoquo modo, & a quibuscunque hactenus obtenta, grata, rataque eſſe, & ſpecialibus Diplomatis confirmare velit.

IX. An Civitas Rigenſis nullum Adminiſtratorem, Gubernatoremque nomine Sacræ Regiæ Maieſtatis per Livoniam deputatum, & conſtitutum agnoſcere, neque illi parere debeat.

ANNO 1570. Quae omnia, & ſingula Rigenſes ſibi a Maieſtate Regia concedi petunt, & mordicus quodammodo inter cætera urgent, uti ex prioribus habitis Tractatibus apparet haud obſcure.

X. Item an domum officinae monetariae, quam conſtat fuiſſe priorum Dominorum, Sacra Regia Maieſtas velit Rigenſium eſſe propriam, vel Maieſtati Suæ reſervatam.

XI. Denique quid Sacra Regia Maieſtas de iure cudendae monetae, quod Rigenſibus niſi ſub inſcriptione, titulo, vel imagine, imo communibus ſumptibus, & emolumentis alterius Dominorum exercere non licuit, porro conſtitutum velit.

CLXIX.

1570. *Petitio Rigenſium ad emendanda, tollendaque Civitatis gravamina, Dominis Commiſſariis oblata. Indidem. fol. 230.*

I. Quamvis flumen Duna usque in ipſum mare, una cum libera navigatione, ac negotiatione antiquitus ad Civitatem Rigenſem pertinuerit, Jusque id vigore ſuorum Privilegiorum luſtrando naves adventantes, & irrogando pœnam prohibitas merces avehentibus Civitas exercuerit, atque poſſederit: non leviter tamen iuri illi per factam partitionem, diviſionemque fluminis Dunae, perque ſæpius illata gravamina ab Arce Rigenſi, & Dunemundenſi derogatum eſſe conſtat. Petit itaque Senatus, Communitasque flumen Dunae una cum portu, & ad id pertinente hactenus habita, et poſſeſſa iurisdictione, liberum, propriumque concedi, atque reſtitui, nec non omnia gravamina, quae paſſim in fluviis Dunam influentibus, contra libertatem Civitatis ex Curlandia, et ex Arce Rigenſi, et Dunemundenſi in præiudicium Senatus, ac Civium ſtruuntur, emendari, ac tolli.

II. Vt propugnaculum ad Dunam una cum facto aggere *Schantz* dicto in maximum præiudicium, et extremum exitium Civitatis Rigenſis, nec non inde alia gravamina penitus abrogentur, tollanturque.

III. Vt idem quoque cum ædificiis ſuburbanis vigore Privilegiorum Civitatis ſine longiori mora decernatur, exequaturque.

IV. Vt Senatui, et Communitati libera facultas ſit ex more, et conſvetudine priſtina in faucibus Dunae in navium adventantium gratiam, proque portus ipſius faciliori agnitione palos figendi, et immittendi, ut hac ratione varia navigantium pericula, et naufragia præcaveantur, et avertantur. ANNO 1570.

V. Ne quid cum naufragorum bonis, et colliſis, diruptisque navibus, et ſcaphis vi ventorum, et inclementia tempeſtatis ad littus forte deiectis, contra Privilegia Civitatis attentetur, neve a naufragium paſſis præter iuſtam remunerationem opitulantibus ſolvi ſolitam, quidquam exigatur, in eo enim hactenus multoties peccatum eſſe conſtat, ita, ut nec in hanc usque diem a Capitaneis Dunemundenſibus, miſeris naufragis bona illorum ab interitu vindicata, et conſervata reſtituantur, tantum abeſt, ut compenſatio, aut remuneratio aliqua iuſta eis conferatur.

VI. Vt itinera, et flumina ſecundum priſtinam conſvetudinem ſint libera, neve advectio, vel avectio mercium ex Civitate novis conſtitutis teloneis, et exactionibus, uti hactenus a Judæis in Arce Kircholmana, et a præſidiariis Regiis Arcis Novæmolae fieri conſvevit, tum etiam nunc denuo in Rockenhauſen fit, impediatur, vel prægravetur.

VII. Vt omnia inuſitata emporia, ac ædificia paſſim in Curlandia, et alibi circa Civitatem Rigenſem ad Novamolam in præiudicium, et ad diminuendam rem familiarem Civitatis Rigenſis exſtructa, et fundata tollantur.

VIII. Vt integrum, liberumque ſit ruſticis ex eo tempore, cum penſionem ſuam Dominis ſuis perſolverint, merces ſuas reſiduas omnes ſine ullo obſtaculo ad Civitatem deferre, maxime cum id in Privilegiis Civitatis expreſſe contineatur.

IX. Cum Senatus, et Communitas Rigenſis tam nautis, quam terreſtre iter inſtituentibus iam ab antiquo Literas paſſus dare conſveverit, id vero Jus Præfecti Arcis Rigenſis Civitati Rigenſi adimere, ſibique vendicare conentur, ideo petunt Rigenſes ſe in eo quoque illaeſos conſervari.

X. Cum itaque haec omnia, et ſingula gravamina Senatui, et Communitati Rigenſi contra illorum Privilegia, contraque datam Cautionem, Pacta, et Promiſſiones inferantur: petit Senatus illa omnia non ſolum emendari, verum etiam ſe in omnibus promiſſionibns, in cautione ea factis conſervari.

XI. Quantum ad Jura Maieſtatis Regiae per Dominos Commiſſarios poſtulata, exiſtimat Senatus Curiam Archiepiſcopalem, et bona Capituli in facta hac Statuum Livoniae mutatione, non niſi cum maxima difficultate, et præiudicio Ci-

ANNO 1570. Civitatis reſtitui poſſe, praecipue cum bona illa ſint Spiritualia, et ab Anteceſſoribus illorum ad ſuſtentandas Eccleſias collata: nunc vero a ſola Munificentia Maieſtatis Regiae pendeant. Petit itaque Senatus bona illa omnia Eccleſiis, Scholis, et Xenodochiis adiudicari, in quem uſum ſe etiam collaturos ea cum perpetua, et ſempiterna Maieſtatis Regiae memoria, et praedicatione recipiunt, atque promittunt Rigenſes.

XII. Ultimo petitur, ut Jus quoque clavium ad portas Civitatis pertinentium Senatui, Communitatique cedatur, et reſtituatur.

CLXX.

1570. *Literae plenae poteſtatis a* SIGISMUNDO AUGUSTO *Rege Commiſſariis ſuis, ad ordinandum Statum Civitatis Rigenſis datae* Varſaviae in Conventu Regni Generali, die 27. Junii 1570. *Ex Archivo Regni.*

SIGISMUNDUS AUGUSTUS DEI Gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæ &c. Dominus et Hæres. Significamus univerſis et ſingulis, præſertim ſpectabili Senatui, Communitati, Statibus, et Ordinibus Civitatis Rigenſis, caeterisque praeſentibus requirendis. Quod cum ſaepius hactenus a Nobis Senatu, Communitate, Ordinibusque Civitatis Rigenſis compellatis de reddendis, reſtituendisque, quae in Civitate Rigenſi Nobis debentur, nihil plane profecerimus, Civitate Rigenſe indulgentia, benignitateque noſtra in eo abutente, non deſiſtendum nihilominus a propoſito, quin ſedulo providendum cenſuimus, ut ne quid ulla in parte iuri noſtro, Reipublicaeque detraheretur. Denuo itaque conſtituentes Civitatem *R*igenſem in eo admonendam eſſe, rem omnem ad *R*everendum in Chriſto Patrem, atque Magnificos et Generoſos Georgium Pietkovicium Epiſcopum Mednicenſem, Michaelem Działyńſki Conſiliarium noſtrum, Succamerarium Chelmenſem, Capitaneum Bobrownicenſem, Jacobum Meckium Caſtellanum *R*igenſem, et Simonem Krzymańſki Secretarium noſtrum, ſincere, et fideles Nobis dilectos, deferendam duximus, quemadmodum praeſentium ſignificatione deferimus, iniungentes, ut a praedicta Civitate *R*igenſi, ſpectabili Senatu, Communitate, et Ordinibus Curiam noſtram Archiepiſcopalem, Bona ad Capitulum *R*igenſe olim pertinentia, tam in Civitate, quam extra Civitatem ſita, claves ſeu ius clavium ad utramque portam Civitatis illius pertinens, ac ius cudendae monetae, nec non reliqua univerſa iura, quae priores Domini in, et ſupra Civitatem *R*igenſem habuerunt, ſalva, et integra cum omnibus illorum pertinentiis, proventibus, ac fructibus repetant, atque realem, effectualemque in iis omnibus poſſeſſionem, tam ab Archiepiſcopis, quam a Magiſtris, olim ad Nos devolutam recipiant. Vniverſalem quoque, pleniſſimamque ſuis ſinceritatibus poteſtatem, facultatemque conferimus, atque tribuimus praeſentibus, primo quoque tempore, quorum Fundamenta iam quidem iacta ſunt, Tractatuum, altius quo conſtrui planeque perfici poſſint, cum Civitate, Senatu, Ordinibus, Communitateque de omnibus, et ſingulis iuribus Nobis competentibus, et ad Nos devolutis, de nova certa, ac indubitata Civitatis ſubiectionis forma, de exigendo Homagio directo, ac ſublatis priorum Ordinum differentiis de nova Civitatis illius facie, denique de univerſis, quae ad communem utilitatem pertinere videbuntur, tum et de querelis, et iniuriis, quae ſunt Civitatis, ac Privilegiis, Libertatibus, Praerogativis conſervandis, approbandisque, et ſive ratione noſtri, Reipublicaeque, ſive ratione Civitatis rebus caeteris ad negotium hoc de mera, mixtaque Civitatis ſubiectione feliciter perficiendum quoquo modo ſpectantibus, nullis in genere, & in ſpecie penitus exceptis, ita, ut nec generalitas ſpecialitati, nec ſpecialitas generalitati in quocunque deroget, liberrime, ac uti videbitur, conſultiſſimum, e reque noſtra, & Reipublicae agendi, tranſigendi, decernendi, ordinandi, ſtatuendique, non minus, ac ſi ipſimet praeſentes tranſigere, decernere, ordinare, & ſtatuere poſſemus. Super quibus omnibus praememoratis Commiſſariis noſtris authoritatem inſuper noſtram Regiam tribuimus, promittentes Verbo Regio, quicquid in praemiſſis cum Civitate a ſuis Sinceritatibus actum, conſtitutum, tranſactumque fuerit, id Nos in Conventu Regni noſtri confirmaturos eſſe, ac perpetuis quibusque temporibus ratum, gratum, firmum irrevocabiliter ſervaturos, nec eis Succeſſores noſtros vel in minimo contraventuros, perpetuo, & in aevum. In quorum omnium fidem, & evidens teſtimonium manu noſtra Praeſentes ſubſcripſimus, Sigilloque noſtro conſignare mandavimus. *D*atum Varſaviae in Conventu Regni Generali die XXVII. Junii Anno *D*omini milleſimo quingenteſi-

Anno 1570. mo septuagesimo, Regni nostri trigesimo.

SIGISMUNDUS AUGUSTUS *Rex.*

CLXXI,

1572. *Responsum Senatorum tam Ecclesiastici, quam Sæcularis Status M. Ducatus Litv. ad petitiones Equestris Ordinis, & Incolarum Transdunensium Ducatus Livoniæ expositas.* Dat. Vilnæ d. 31. Decemb. Anno 1572. *Ex Archivo Regni*

Post amicam, ac fraternam studiorum, officiorumque nostrorum commendationem, nec minus perpetuæ prosperitatis comprecationem. Maximo terrore Incolas Livoniæ ob inopinatam hostis invasionem perculsos, eandemque ob deplorandas Provinciæ conditiones, iam denuo omnibus fortunæ telis, quibus se liberari, & ereptos cupiebant, obiectam esse, ex propositis petitionibus satis abunde, nec sine maximo dolore intelleximus, ut quibus & prospera, & adversa communia sunt, & quicquid Terris Livoniæ adversi, ac e contra prosperi utcunque contingat, non minus ipsis, quam Nobis contigisse, ac evenisse certissimum sit. Quare sicut olim vivente Sacra Regia Maiestate Domino nostro clementissimo, piissimæ, & celeberrimæ memoriæ, nihil, quod æque ad Livoniæ Provinciae, quam Reipublicæ nostræ conservationem, atque defensionem spectare visum est, a Sacra eius Regia Maiestate, ac a Nobis, tanquam Confœderatis Amicis, atque Sociis, Fratribusque, & Collegis nostris chariſſimis, Dominis Senatoribus Regni Poloniæ, quibuscum unius Reipublicæ Membra facti sumus, intentatum relictum est, sic dies, noctesque sedulo invigilamus, enitimurque, ut benigno annuente Deo Rempublicam nostram communem, ac omnino eius Membra, hoc periculosissimo tempore, qua possumus, diligentia, & fide conservemus, ac tueamur. Aliam itaque opinionem, ac spem de Nobis Amicis, Sociisque confœderatis Status Livoniæ, eiusdemque Incolæ omnes nec in animum inducere, neque per quenquam sibi persvaderi permittant. Ne autem a Moschorum Duce violentur Inducíae, atque ut damna colonis Arcis Rigensis, nec non Nobilibus Joanni a Bredenbach, Bernhardo a Wefferen, & Gothardo Hering illata resarciantur, scripsimus eo nomine ad Woivodam Derpatensem, nec minus ad Moschum ablegabimus, atque speramus Inducias non violaturum, sed damna illata recompensaturum. Sin autem hostiliter terram nostram, aut Provinciam Livoniam invasurus sit, omnibus viribus resistemus, nec copiis, & auxiliis nostrae Provinciae Livoniae deerimus, sed Illustrem Dominum Administratorem Livoniae cum Exercitu mittemus, qui pro incolumitate, atque salute Provinciae coniunctis copiis cum viribus vestris, quae semper paratae in omnem eventum esse debebunt, divino implorato auxilio fortiter certabit. Nec praetermittemus haec, & alia ad Nos relata Statibus Regni Poloniae absque mora referre, qui & Nos periclitantes auxiliis, & copiis suis, tanquam Amicos, Fratres, & confœderatos Socios non deserturi erunt. Cum autem belli tempore nihil pernicioſius inteſtinis odiis, ac vicissim salubrius concordia sit, dabit operam Illustris Dominus Administrator, ut de omnibus, ac singulis iniuriis adveniens non solum diligenter inquirat, sed etiam omnibus, & singulis ius, iustitiamque administret. Ad cuius adventum, si quid hactenus factum est, omnia sopita esse debent, ita, ut ne quisquam Praesidiariorum Militum, nec Incolarum eo nomine quenquam molestare, aut offendere debeat. Si autem praeter spem quid evenerit, aut novi tumultus, quacunque de causa inter Indigenas, & Praesidiarios Milites exorti fuerint, tum Illustris Dominus Administrator ita constituturus est, ut Domini Castellani, quilibet in *D*istrictu suo adiunctis Capitaneis, aut Rotmagistris nostris, quos Castellani vocare voluerint, causam cognoscant, eandemque amicabiliter componant, aut sententia lata dirimant. Sin autem factum sine Illustris *D*omini Administratoris cognitione determinari queat, utraque Pars sub gravi pœnae interdictione, usque ad cognitionem causæ pacifice vivere debet. Sic non minus Praefecti, atque Capitanei omnium Arcium, Nobiles, atque Incolas, cum viduis, atque pupillis eiusdem *D*istrictus, ab Arcibus, quas refugii loco petunt, immaniter nec arcere, nec bona eorum violenter rapere, sed pio, & christiano zelo eos amplecti, atque loca, in quibus hyberno hoc tempore se sustentare, resque suas custodire possint, attribuere debent. Quod si secus factum fuerit, tum *D*omini Castellani singulos Capitaneos, aut Praefectos Arcium, quilibet in *D*istrictu suo, admonebunt, quo se in eum modum, quem Christiana pietas esse vult, & Nos, sub amissione Capitaneatus sui gerant. Quod nec minus ab aliis etiam, qui aut sub Regia liberalitate

Anno 1572.

ANNO 1572. litate, & clementia, aut hypothecae loco Arces impetrarunt, & obtinuerunt, ſub gravi indignatione noſtra expectamus. Curabitur quoque, ut de commeatu, atque victualibus ſingularum Arcium diligenter inquiratur, neceſſariaque eo quam primum mittantur. Hortamur itaque, & admonemus Equeſtrem Ordinem, nec non omnes Incolas amice, ac fraterne: Præſidiariis autem Militibus iniungimus ſevere, atque mandamus, ut hoc unice ſtudeant, quo ſint unanimes, & concordes, nec cauſam ullam præbere inteſtinorum diſſidiorum, ſed unanimi conſenſu, & voluntate pro focis, & aris certare, inque omnibus Dominis Caſtellanis, licitis, ac honeſtis morem gerere, mandatisque eorum obtemperare, nec ſe vi ulla opponere, ſed ad Illuſtrem Magnificentiam eius illa perſcribere, ſententiamque ipſius expectare velint. Quod etiam Domini Caſtellani non tam ad noſtram, quam Senatorum Regni, & Coronæ Poloniae amicam, & fraternam admonitionem Domino L. Chardo Kraus Baroni in Relles Arcem Treidenſem, iam antea ab Illuſtri Domino Adminiſtratore ad iudiciarios ſumptus ſuſtinendos Equeſtri Ordini conceſſam, certis conditionibus poſſidendam tradiderint, eoque nomine nunc multi graventur, deque iuſtitia denegata conqueruntur, non prætermittet Illuſtris Dominus Adminiſtrator, ut loco Arcis Treidenſis opportuniorem, & meliorem ad Judicia celebranda toti Provinciae Transdunanae tradat. Verum & Nos huius rei Authores, ac Promotores eſſe volumus. Nec minus æquum iudicamus eſſe, ut prædictus Dominus Kraus conditionibus ſatisfaciat, cum id ad reputationem Illuſtris Domini Adminiſtratoris, & etiam Caſtellanorum Authoritatem ſpectare videtur, ne defraudentur in eo, quod ab illis impenſe eſt acquiſitum, tum quod literis & iuſſu Domini Adminiſtratoris alteri datum, in alium cum iniuria alterius conferri non debeat. Cum itaque iudicia ob ſumptuum defectum, donec de iis proſpiciatur, celebrari non poſſint, amice rogamus, ut aliquantisper id æquo animo ferant; nam Illuſtris Dominus Adminiſtrator propediem in Livoniam iturus eſt, qui tum de omnibus & ſingulis rebus neceſſariis, ac præſertim de Judiciis celebrandis, pro dignitate, nec non legum ac conſvetudinum vigore acturus eſt, omnesque, qui aut vi, aut inordinario iuris Proceſſu bonis ſuis extruſi ſunt, authoritate ſua reſtituet, ac ut omnibus ius, iuſtitiaque adminiſtretur, curabit. Quod vero omnes Status Equeſtris Ordinis, Civitates, atque Incolae Transdunenſis Ducatus obnixe inſtant, ac amice rogant, ut omnia tam antiqua, quam nova Privilegia per Illuſtrem piae memoriae Dominum Palatinum Vilnenſem, Dominum Nicolaum Radziwiłł in Ołyka, & Nieśwież Ducem, ex pleniſſima, & irrevocabili poteſtate Oratoris nomine, tam in publicis, quam in privatis negotiis in genere, aut in ſpecie, primo ut Illuſtris Dominus Adminiſtrator Vendenſia Pacta, atque alia meliorem ſtatum concernentia, omnibus atque ſingulis in genere, atque in ſpecie confirmata, data, atque conceſſa, integra, atque ſalva eſſe velit, poſt hæc ut non minus reciproco modo in authentico Diplomate, & ſub manuum ſubſcriptione illa Transdunenſi Ducatui exhiberentur, ad illa ita reſponſum eſſe volumus: Nos omnes, & ſingulos ſub bona fide hiſce recipere, atque promittere, Nos non ſolum omnia, & ſingula antiqua, & nova Privilegia, omnibus in genere, atque ſingulis in ſpecie per piiſſimae memoriae Sacram Regiam Maieſtatem, nec non piae memoriae Palatinum Vilnenſem, atque Illuſtrem modernum Dominum Adminiſtratorem Livoniae data, confirmata, atque conceſſa, rata, grata habituros, atque ſervaturos eſſe, idemque Fratres, & Collegas noſtros cariſſimos, Dominos Senatores Regni Poloniae Nobiscum facturos perſvaſum habemus, & ut faciant, dabimus operam. Verum pollicemur, & ſpondemus, etiam Nos non minus, ſicuti Status Transdunenſis Ducatus Livoniae, obſignato Diplomate fecerunt antea, reciproco modo Pacta illa Vendenſia in authentico omnium noſtrum communis Reipublicae Senatorum Diplomate, ſub ſigillis atque manuum ſubſcriptione, Statibus Livoniae exhibituros, curaturosque eſſe, ut omnia a futuro Rege, & Magiſtratu approbentur, atque confirmentur, actu, atque effectu ſerventur. In quorum teſtimonium hæc ſigillis impreſſis, & manuum ſubſcriptione munivimus, & corroboravimus. Dat. Vilnae ultima Decembris, poſt ſalutiferam Domini noſtri JESU Chriſti Nativitatem Anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſecundo. *Valerianus Epiſcopus Vilnenſis. Nicolaus Pac Epiſcopus Kiiovienſis, Oſtaphius Wołłowicz, Nicolaus Radziwiłł, Joannes Gotkowicz ſubſcripſerunt.*

ANNO 1572.

CLXXII.

Literæ MAGNI *in Regem Electi Livoniæ ad Ducem Curlandiæ. Conſtitutum ſibi eſſe dicit, ſe* 1577.

ANNO 1577. *cum omni Jure quæsito, Ditionibusque, quas possidet, Regi Poloniæ subiicere.* Datum in Arce Helmeten die 19. Aprilis. Anno 1577. *Ex Archivo Regni.* Lib. 21. sub Lit. W. fol. 44.

Illustri Principi, Affini, Vicino, & Fratri nostro Charissimo, Domino GOTHARDO in Livonia Curlandiae, Semigalliaeque Duci.

DEI Gratia MAGNUS Electus in Regem Livoniæ &c. Hæres Norvegiæ, Dux Slesvicensis, Holsatiae, Stormariae, & Ditmarsorum, Comes Altenburgi, & Detmenhorst.

Amicitiam nostram, & quidquid praeterea ex affinitatis coniunctione grati, bonique præstare possumus. Illustris Princeps, Affinis, Vicine, & Frater Charissime. Ad ea, quae ante paucos dies ad Illustritatem Vestram per Reverendum Consiliarium nostrum, & Fidelem dilectum Christianum Schrapferum secreto, et confidenter perferri curavimus, et ad datam desuper resolutionem, pro qua fraterne, et amice gratias agimus, nunc demum finaliter, et conclusive Vestram Illustritatem de nostra omnimoda sententia, in qua Deo volente firmiter, et immote perseverare constitutum Nobis est, celare non possumus, Nos sicut idem Internuntius noster dilucidius explicavit, in omnibus, quae nunc in animum induximus, non tam considerare nostrum, et nostrorum prosperum Statum, quam perpendimus multis adducti verae, et Nos minime latentis certitudinis rationibus, liberationem, incrementum, ac felicem profectum non huius tantum miserrimae, et in summis periculis hærentis afflictissimae Patriae, sed et totius decrescentis Christianitatis, maxime huius septemtrionalis orae, pro cuius salute nemo bonus, et virtutis amans, vitam cum omnibus fortunis in discrimen ponere abhorrere, seu subterfugere debet. Quandoquidem itaque Nobiscum ea ratione de facto agitur, sicut Illustritati Vestrae nuper exponi iussimus, Nosque ex omnibus circumstantiis colligimus nihil in melius emendari, sed potius omnia in finem ad duriora, vilipensionem omnium, tam sancte factarum promissionum, exosculatæque crucis vergere, non equidem contra Nos, nostrosque solum, verum etiam aliquando ulterius, & contra eos, qui fortassis adhuc id minus suspicantur, & cogitant. Proinde Nos cogit necessitas, ut impendens infortunium, cum Deo, & honore, mediante salutari, & maturae deliberationis consilio in tempore antevertamus, non ducti ulla curiositate, levitate, aut privati compendii aucupio, sed tantum ut ad gloriam Domini Dei nostri, & sustentationem afflictissimae Christianae Reipublicae per ipsius Omnipotentem assistentiam commune bonum, & utilitas quæratur, promoveatur, & conservetur, utque quibusdam pravis hominibus insidiae, quas in alios machinati, multisque iam modis perpetrati sunt, aliquando domum redeant, & sic par pari referatur. ANNO 1577.

Idcirco ratum, & constitutum Nobis est, in nomine, & invocatione Altissimi Dei, Nos cum omni iure quæsito nostro, ditionibusque, & hominibus, quos possidemus, Illustritati Vestrae, & reliquis Provinciae Statibus in communionem, et connexionem unius corporis iterum coniungere, inque eiusdem superioris Principis subiectionem devenire, dummodo ne quid præiudicetur omnibus, & singulis Privilegiis, Immunitatibus, Libertatibus, verae Religioni Augustanae nostrae Confessionis, Juribus, Jurisdictioni, Judiciis &c. acceptare Nos, nostrosque, atque adeo contra hostes, & adversarios quoscunque nunc, & omni tempore sufficienter tueri, & defendere velit. Hac cautione expresse addita, si iuxta Dei voluntatem, Nos sine hæredibus masculis mori contingeret, ut tunc Germanus aliquis Princeps nostri sanguinis, & Prosapiae, Regio consensu in gubernatione harum terrarum, atque hominum Nobis succedat, utque is cum Ducali sua Domo, seu familia, iam nunc Nobiscum investiatur, datis, sicut moris est, authenticis Regio Sigillo communitis desuper Privilegiorum Diplomatibus.

Atque hæc, quae commemorata sunt, non de iis tantum proponimus bonis, quae in præsentiarum in possessione habemus, & de iis quae in maritima ora pro nostra parte in Ducatu paterno Holsatiae, quo cessimus, a Rege Danorum habuimus, & ex quibus pulsi, & electi sumus, sed in omne id, quod ultra Dunam est, quando per Dei Gratiam, & Auxilium, prout omnino confidimus, recuperabitur. Vt id omne Nos cum hæredibus nostris, seu Nobiscum coniunctam manum habentibus, tenere, possidere, uti, frui, libere, & perpetuo retinere possimus. Attamen hac de re tractatus Nobiscum instituendos, non detrectamus, in quibus Nos ita geremus, ut et beneplacere, & æquitatem animi nostri, ad subiectionem propendentis re ipsa testatam velimus.

Sub hisce prædictis conditionibus, & quae

ANNO 1577. quae praeterea pro neceſſitate ad eas pertinere videbuntur, Nos Illuſtritati Veſtræ negotium hoc fraterne, & amice concredimus, permittimusque, ut id ad debitum ſuum locum perferat, reſolutionem & declarationem deſuper, (ne ſit opus hoc nomine evitandi periculi gratia proprios noſtros Internuntios eo locorum ablegare) petat, eamque quam primum ſine omni mora ad Nos transmittat.

Quantum Epiſcopatum Curlandiae attinet, de eo erga Illuſtritatem Veſtram, ut decet, Nos fraterne, amiceque exibebimus. Idque a Nobis, & omne genus fraternae benevolentiae Illuſtritas Veſtra ſemper expectabit. Quam cum Conſorte & liberis, quos noſtris verbis ſalutari petimus, protectioni Omnipotentis, & ut diu ſint felices & incolumus fideliter commendamus. Datæ in Arce noſtra Helmeten. 19. Aprilis Anno 1577.

MAGNUS *manu propria.*

CLXXIII.

1577. *Regia Maieſtas Poloniæ ad Ducem Curlandiæ in negotio Ducis* MAGNI. *Indidem fol. 58.*

Illuſtris Princeps,

Sincere Nobis Dilecte.

Gratiſſima Nobis eſt opera Illuſtritatis Veſtrae, quam Nobis ac Reipublicae præſtat in iis, quae ad utilitatem, & ſtatum illarum Provinciarum ſpectant animo providendis. Ac ſane imprimis utilem fore Reipublicae Illuſtris Principis MAGNI ad Nos tranſitionem exiſtimamus, poſtulamusque, ut Illuſtritas Veſtra hoc negotium magnae curae habeat, & ut cæpit, ad bonum finem deducat. Nam illae quidem conditiones, quae ab eius Illuſtritate propoſitae ſunt, Nobis non valde faciles videntur. Nos ſcilicet ea, quae magno labore, multo ſanguine, multisque impenſis acquiſiverimus, ipſius Illuſtritati in feudum dare, ita ut nullus ad Nos, Regnumque eius laboris, impenſarum, ſanguinis effuſi fructus perveniat. Si ipſius Illuſtritas id per ſe aliqua ratione efficere valeat, ut Darbatum, aut aliquam Arcem inſignem, Civitatemve occuparet, eam ſane ipſius Illuſtritati adderemus, in tuendaque ipſius Illuſtritate ipſi non deeſſemus. Curet igitur Illuſtritas Veſtra, ut res ad æquiores conditiones deduci poſſit. Et primum omnium, quae ipſi videatur poſſe in conditionibus ulterior, ac finalis moderatio adhiberi, Nobis quamprimum ſignificet. Agat vero hoc negotium quam ſecretiſſime, ut ipſe Illuſtris Princeps MAGNUS illud diligenter tegat, donec res conveniat. In eo enim ipſi plurimum poſitum eſt, Nobis etiam non parum. Bene diuque Illuſtritas Veſtra valeat, Mariemburgi 29. Maii. Anno 1577. ANNO 1577.

STEPHANUS *Rex mpp.*

CLXXIV.

Explicatio Tractatuum Ducis MAGNI *cum Duce Curlandiæ, per Magnificum Dominum Caſtellanum Vilnenſem Regiæ Maieſtati miſſa. Ex Archivo Regni.* 1577.

Vera Declaratio, quid Dux MAGNUS *vafro ſuo inſtituto in animo gerat, Illuſtri Domino Adminiſtratori offerenda.*

Poſteaquam ſententiarum diſſonantia, Electio Romanorum Imperatoris in Regem Poloniæ facta eſt, Moſchus de Maieſtate ſua, Rege moderno male contentus eſt, ſed potius Cæſaream Maieſtatem in Vicinum ſibi, atque Regem Poloniæ creatum optaſſet, multisque minis uſus eſt, ſi terra Livoniæ Partes Romano-Cæſareæ Maieſtatis non ſequeretur, ſed ad præſentis Regiæ Poloniæ Maieſtatis Electionem inclinaret, atque illi ſubiectionem profiteretur, eam Provinciam maximis ſuis viribus hoſtiliter, ac extreme perſecuturum. Ideo Domini Caſtellani, cum Ordine Equeſtri, ſiquidem nulla re ipſa defenſio, ad evertendum hoſtem ab iſta Provincia appareret, in partes Cæſareæ Maieſtatis, & Romani Imperii coacti conceſſerunt. Ducis vero MAGNI inſtitutum hoc eſt, quandoquidem promotione Electoris Saxoniæ apud Rom. Imperium obtinuit, ut Livonia Provincia, & iure ſuper eam habito, Imperium illi ceſſerit, utriusque partis tam Romani Imperii, quam Magni Ducis Moſchorum conſenſu, totius Livoniæ Dominio potiatur, atque hoc fundamento innixus propoſuit: ſiquidem Vos ad Romanum Imperium provocatis, hoc ego itidem facio, & non minus ſum Princeps Imperii, quam reliqui Principes, & ſic Nobis utrinque, ſummam rei Romano Imperio tribuentibus, ad conſervandam unitatem iſtius Provinciæ, & liberandam tandem a diuturna oppreſſione, Coniunctio facienda eſt, Ego me Vobis coniungam, & Vos etiam mihi, ac ut miſera hæc Provincia hoc modo bello continuo attrita, in libertatem vindicetur, dabo operam, ut cum conſenſu Romani Imperii, ac Regiæ Maieſtatis Poloniæ (ſed is tantum prætextus fuit) & Magni Ducis Moſchorum, qui hac in re Romano Imperio conſentit,

Anno 1577. modo illi tributum certum, ut cupit, ex Livonia pendatur, acquieturum esse, atque hac ratione paci, & tranquillitati istius Provinciæ consultum foret. Quemadmodum & modernus Sereniſſimus Rex Poloniæ hisce mediis Transylvaniam pacificavit, & quamprimum hæc Unio, atq; Confœderatio inter Nos transacta fuerit, volo ipsemet propria Persona, modo Princeps Curoniæ conficiendo huic rite negotio operam suam præstet, ad Sacram Regiam Poloniæ Maiestatem me conferre, hocce institutum promoturus, uti satis callide per suum Sacerdotem Nobis id proponendum demandavit. Tales astutas practicas non quisque illico diiudicare potest, sed putant id esse optimum consilium, neque melius huic Provinciae consuli posse iudicant, non autem, quid inde sequatur, considerant, videlicet quamprimum Nobilitatem universam ad defectionem, ac periurium, ac ad eam Confœderationem, & Unionem perducturus esset, tum coram videndum proponeret, consensum a Romano Imperio obtentum, sicque inferret: quandoquidem inter Nos sumus confœderati, volumus etiam nunc Coniunctionem eam esse inter nos firmam. Jam hic cernitis Romani Imperii consensum, in quo mihi omnem Livoniam attribuunt, ac ea cedunt, Moschus etiam huic cessioni assentitur. Et quandoquidem Romano Imperio cum Rege Poloniae non bene convenit, & nec Dominium Livoniae moderno Regi ipsum concessurum est, tum volumus nos Moscho, qui nomine Imperii nos a Rege Poloniae tueri potest, coniungere.

Etsi, quod Deus avertat, eiusmodi Pactio inita fuisset, tum tota haec Provincia a Regimine Sacrae Regiae Maiestatis avelleretur, ac quid inde mali, & quanta sangvinis profusio sequeretur, quisq; prudens facile divinare potest, praeter id, quod universa hæc Regio sub Tyranni huius Moschi potestatem veniret.

Nemo autem existimet Ducem Magnum tam subito a Moscho defecturum, ac in partes Sacrae Regiae Maiestatis Poloniae concessurum, ex his causis, si hoc ipsius institutum esset, tum non tam crebras consultationes instituerat, de quibus pueris in plateis innotuit, sed consilia sua vellet esse occulta, ac se mediate, vel immediate Regi Poloniae committeret, & dictas conditiones subiectionis ita tractaret, ne in vulgus sparsae, ad aures Moschi deferrentur. Nam ubi Moscho notum foret, illum defectionem moliri, actum esset de ipso, atque omnibus illi adiunctis. Statuo igitur istud vafrum consilium ex voluntate, & consensu Moscho-

rum Ducis initum, ut hoc astu reliquum Livoniae sibi adiungeret, vel immediate, Duce Magno in potestatem suam redacto, vel tributo illi annuo pendendo impositio, ac post obitum Ducis Magni, tota haec Regio in fauces Tyranni deveniret. Postremo si Duci Magno cordi esset institutum, tum secus Christianus, & alii ipsius Consiliarii rem agerent, ac ipse propriamet persona breve iter ex Lemsel Volmariam suscepisset, de hoc suo proposito cum Połubenski collaturus, & neque minas eorum, qui huius rei sunt conscii, tam diu ferre potuisset. Anno 1577.

CLXXV.

Literæ facultatis Principi Magno *in Livonia versandi, & morandi concessæ.* Dat. Leopoli die 9. Sept. Anno 1578. *Ex Archivo Regni.* 1578.

Stephanus Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, &c. Dominus, & Hæres. Universis, & singulis ad quoscunque hae nostrae Literae pervenerint, Regni nostri, Magni Ducatus Litvaniae, cæterorumque omnium Dominiorum nostrorum Senatoribus, Palatinis, Castellanis, Capitaneis, Burgrabiis Arcium, Urbium, Civitatum, Oppidorum nostrorum Rectoribus, itemq; Copiarum, & Exercituum nostrorum Præfectis, Rotmagistris, ac eorum loca tenentibus, atq; in universum omnibus Officialibus nostris notum facimus præsentibus Literis nostris. Quia Nos ab Illustri Principe Domino Magno Ossiliæ, Revaliæ, Curoniæ Episcopatuum Administratore &c. Sereniſſimi Daciae Regis Fratre amanter requisiti, & rogati, illius Illustritati hanc facultatem concedimus, ut non solum in Transdunana Livoniae parte, sed etiam Cisdunana, tuto, & secure ire, transire, versari, stare, morari, & quævis sua negotia licita, & Reipublicae non periculosa exercere possit. Ita tamen, ut si quando eius Illustritatem ditiones nostras ingredi usus postulaverit, id prius Illustri, & Magnifico Nicolao Radziwiłł, Palatino Vilnensi, Cancellario, & Supremo Præfecto Exercituum nostrorum Magni nostri Ducatus Litvaniae, aut ei, quem is suo loco in Livonia habuerit, significet. Quam nostram facultatem Illustri Principi Domino Duci Magno &c. a Nobis concessam ad omnium, quorum interest, notitiam deducimus, mandamusque, ut eam Illustritati ipsius in omnibus sartam, & tectam conservent, neque ullis difficultatibus, aut impe-

ANNO 1578. impedimentis distineant, pro gratia, & indignatione nostra secus non facturi. In cuius rei fidem præsentes manu nostra Regia subscripsimus, & Sigillo nostro Magni Ducatus Litvaniae subsignari fecimus. Dat. Leopoli die 9. Septembr. Anno 1578.

STEPHANUS *Rex.*

Venceslaus Agrippa Notarius in Mag. Ducat. Litvaniæ.

CLXXVI.

1579. *Responsum Sacræ Regiæ Maiestatis Nomine Nuntiis ab Equestri Ordine Transdunensis Livoniæ Ducatus missis datum*, Vilnæ d. 11. Juni Anno 1579. *Ex Archivo Regni.*

Accepit perquam clementer Sacra Regia Maiestas, quæ Equestris Ordinis Transdunanae in Livonia Provinciae Nuntii scripto obtulerunt, & capit Sua Maiestas iam diu gravem animo dolorem, cum ex tristi Livoniae statu, tum potissimum ex acerba Equestris Ordinis calamitate, quam superioribus temporibus ab hoste crudelissimo cum vi ipsa, tum & sibi & Patriae universae infelicibus quorundam consiliis, studiisque, longoque progressu affecta est, cuius non tantum levandae, & depellendae, verum etiam vindicandae in illo hoste causa, quid Sacra Regia Maiestas simul ut evecta est a Deo præpotente ad Regni sui, Magnique Ducatus Litvaniae Gubernacula facere studuerit, contendens laboraverit, quid hoc tempore, & quam belli molem omnium Regni, & Magni Ducatus Provinciarum ope, quibus quidem per hostem illum pacatis esse licuisset, susceperit, & quo iam in procinctu sit, Nuntii ipsi Ordinis Equestris Livoniæ, atque adeo omnes vident. Pro eo igitur Regio studio, atque Paterna in Livoniam, suosque subditos cura, Sacra Regia Maiestas declarat, se liberata, Deo iuvante, ab hoste Livonia, ademptisque locis, vicissim ad potestatem & Dominium suum revocatis, quibus qui sedibus, bonisque suis propriis per vim hostilem exturbati sint, illis se clementissime eos restituturam, atque etiam pro meritis, maioribus commodis per occasionem amplificaturam esse, omnino enim faciendum sibi Sacra Regia Maiestas pro munere suo Regio existimat, ut fidelibus suis subditis omnibus iura, atque commoda sua conservet. Quod ad liberandos captivos attinet, Sacra Regia Maiestas etiamsi subditi sui non essent, tamen pro Christiani Principis officio, & peculiari clementia sua eo ferretur, si quæ eorum liberandorum potestas esset, quo maiore nunc eius rei desiderio accensa est, cum suos esse sciat. Cum autem Sua Maiestas iam iam in ipso in hostem progressu sit, & aliquot hisce mensibus, ut primum, ita maximum belli ardorem ferendum intelligat, qui certe omnia cum hoste commercia, & Tractatus excludat, non videt Sacra Regia Maiestas, suscipi hoc tempore liberandorum captivorum rationes ullas posse. Quae vero aliquot paucos post menses suscipi poterunt, eas libentissime ad eliberationem suorum pro cuiusque conditione accommodabit. Ad sublevandam etiam eorum egestatem, qui suis fortunis ab hoste exuti sunt, Sacra Regia Maiestas opem suam, munificentiamque Regiam libenter conferret, si id immensi, atque infiniti rerum pro communi omnium salute, & fortunis susceptarum sumptus, omnia quæcunque toto Regno, et in Magno Ducatu Litvaniae corradi possunt, vendicantes, ulla ratione paterentur. Quod cum per se ex magnitudine suscepti belli Ordo Equestris Livoniae facile perspicere possit, hortatur Sacra Regia Maiestas, ut cum quisque fortunam peculiarem suam in communi versari sciat, servire aliquantisper communi illi studeat, & quam gravioribus malis, & longiori tempori tolerantia accommodavit, eam parvo adhuc temporis spatio præstandam existimet. Qui vero nomina dare, atque operam militarem suam huic bello navare volent, eorum numerum certum Sacra Regia Maiestas adscribi in militiam suam iis stipendiis curabit, quæ cæteri Suæ Maiestatis milites stipendia facientes merent, neque enim fieri posse non modo sine invidia, verum etiam sine dissensione, & perturbatione Ordinis militaris Sua Maiestas intelligit, si inter subditos suos stipendiorum inæqualitas aliqua inducatur. Quod ad Gubernationem Livoniæ attinet, Sacra Regia Maiestas constare Ordinibus Livoniae intelligit, abs se Livoniae Gubernationis rationem, quam Regnum hoc capessens repererit, commutatam non esse. Etsi vero Sua Maiestas intelligat esse, quæ in hac gubernandi ratione desiderari possint, tamen cum hoc tempore non tam de gubernando, quam repetendo cogitari debebat, & in ipso belli ardore, quidquam immutare integrum non sit, necessario hæc consideratio in aliud tempus, opportuniusque differenda est. Quo quidem tempore Sacra Regia Maiestas collapsas, aversasque Livoniae res, earumque Gubernationem ita restitutura est, ut ANNO 1579.

ANNO 1579. omnes eius Ordines intelligere poſſint, cuncta ad Provinciæ ſalutem, ſecuritatem, utilitatemque relata eſſe. Quibus ſe Ordo Equeſtris iniuriis affici a Capitaneis, vel Præſidiis Regiae Maieſtatis conqueritur, iis ut ſuccurratur, Sacra Regia Maieſtas Commiſſarios ſuos in Livoniam mittet, qui cuncta cognoſcent, & quae diiudicare pro delegata ſibi poteſtate, integrum eſſe intelligent, disiudicabunt, quae Sacræ Regiae Maieſtatis authoritatem requirent, ea referent, cumque retulerint, faciet Sacra Regia Maieſtas, ut ex æquo omnibus iuſtitia adminiſtretur.

STEPHANUS *Rex ſubſcripſit.*

CLXXVII.

1579. *Diploma Inveſtituræ* GOTHARDO *Curlandiæ, & Semigalliæ Duci, a* STEPHANO *Poloniæ Rege de feudis Ducalibus conceſſæ.* Dat. in Caſtris ad flumen Dunam prope Dziſnam die 4. Auguſti. Anno 1579. *Extat in Archivo Cancel. Regni.* Lib. 92. ſub Lit. X. U. num. 93. fol. 172. Item Lib. 182. ſub Lit. R. C. num. 183. fol. 29.

In Nomine Domini Amen.

Ad perpetuam rei memoriam.

NOS STEPHANUS Dei Gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Litvaniae, Ruſſiae, Pruſſiae, Maſoviae, Samogitiae, Kijoviae, Volhyniae, Podlachiae, Livoniæ, nec non Tranſylvaniae Princeps. Significamus præſentibus Literis noſtris, quorum intereſt, huius, & futuri temporis omnis, Univerſis, & ſingulis. Cum iam antea Illuſtris Princeps Dominus Gothardus Curlandiae, & Semigalliae Dux, ſincere Nobis dilectus, tum temporis Equeſtris Ordinis Theutonici Magiſter, univerſa cum Livonia, Nobilitate, Civitatibus, Statibus, atque Ordinibus omnibus, ſe ad Sereniſſimi Prædeceſſoris noſtri Domini SIGISMUNDI AUGUSTI, & Succeſſorum, Regnique Poloniæ, & Magni Ducatus Litvaniae, Ruſſiae, Pruſſiae, Maſoviae, cæterarumque Ditionum noſtrarum fidem, ac poteſtatem contuliſſet, & in omne tempus ſubieciſſet, idque ut faceret, iuſtiſſimis, graviſſimisque cauſis, & perneceſſariis Livoniae rebus adductus eſſet, Magno nempe Moſchorum Duce, longo, ac crudeliſſimo bello in eam Provinciam graviſſime incumbente, ac longe, lateque omni iniuriarum, direptionumque genere, & flammae, ferrique ſævitia graſſante, iamque eouſque armis progreſſo, ut nihil non in eius poteſtatem venturum, cunctaque vi illa hoſtili ſuperatum, atque exciſum iri viderentur. Jam eius Illuſtritate, cunctisque Livoniae Ordinibus, magnitudine belli admodum fractis, & ne quidquam Sereniſſimorum Imperatotum Romanorum, Sacrique Romani Imperii fidem, auxilium, opem diu implorantibus, ſpemque iam nullam non modo priſtini ſtatus Provinciae, ſed ne quidem ſalutis, libertatis, vitæque ſingulorum amplius retinendæ habentibus aliam, quam quæ in Sereniſſimorum Poloniæ Regum, & Regni, Magnique Ducatus Litvaniæ defenſione, atque imperio ſita eſſet. Quod tum eius Illuſtritas cum Livonia univerſa, a Sereniſſimo Praedeceſſore noſtro Divo SIGISMUNDO AUGUSTO in fidem, poteſtatem, & ditionem ſuam, & Succeſſorum ſuorum, Regnique, Magnique *D*ucatus Litvaniae certis conditionibus, iuſte, legitimeque recepta ſit. Et quia eius Illuſtritatis ſtudium in adducenda ea Provincia ad Subiectionem, Ditionemque Poloniae Regum ſingulare extitiſſet, & ita mereri eius dignitas, virtus, fides cenſeretur, illi mutato, ex conſilio Ordinis Equeſtris, ſtatu priore approbante eam rem Sereniſſimo Rege *D*ivo SIGISMUNDO AUGUSTO, ab eodem, tanquam ſupremo, directo, naturali, & perpetuo Feudi illius *D*omino, *D*ucalis Titulus cum omni *D*ignitate, Inſignibus, Privilegiis *D*ucalibus, ac *D*itionibus certis tributus, & eius Illuſtritas Vaſallus Poloniae Regum, Feudatariusque Princeps, & Regni, Magnique *D*ucatus Litvaniae Membrum factus fuerit, pro eo, ut *D*iplomate Nobis exhibito, ac Vilnae 18. die Menſis Novembris, Anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo primo praeſcripto, & *D.* SIGISMUNDI AUGUSTI Praedeceſſoris noſtri manu ſubſcripto, certius, fuſiusque continetur. Quod praeterea, cum Illuſtritas eius de ſolenni ſua Inveſtitura Feudali, Sereniſſimum Praedeceſſorem noſtrum *D*ivum SIGISMUNDUM AUGUSTUM aliquoties appellaſſet, & per temporum rationem, magnitudinemque Regni negotiorum voti ſui compos, regnante, viventeque praedicto Domino Praedeceſſore noſtro effici non potuiſſet, a Nobis ad Regni noſtri Poloniae, Magnique Ducatus Litvaniae faſtigium Dei Benignitate evectis, diligentiſſimis precibus confirmationem ſuorum iurium a D. SIGISMUNDO AUGUSTO conceſſorum, & Ducalem Feudi Inveſtituram in Comitiis ad hoc a Nobis habitis flagitavit. Sed cum magnitudo, varietas-

ANNO 1579.

ANNO 1579. rietasque noſtrarum occupationum, tum locorum quoque intervalla, id a Nobis praeſtari non paterentur, & rei peragendae ex conſilio primariorum Regni noſtri Conſiliariorum, qui partim Nobis adfuerunt, partim per Literas de eo a Nobis appellati ſunt, pariterque eorum, qui ex Magno Ducatu Litvaniae frequentes Nobis in Senatu aſſederunt, praeſentis loci, temporisque opportunitas fuerit conſtituta, cumque eius Illuſtritas ad Nos hoc tempore, huncque in locum ſe contuliſſet, Nos die 4. Menſis Auguſti ſub Generalem Exercituum noſtrorum delectum, & recenſitionem in Caſtris, & Tentorio noſtro, poſtquam eius Illuſtritas a Nobis Inveſtituram petiiſſet, & Fidelitatis, Subiectionisque Jusiurandum Nobis, & Succeſſoribus noſtris, Supremis, directis, naturalibus, & perpetuis Dominis, Regnoque, Magnoque Ducatui noſtro Litvaniae praeſtitiſſet, Nos ex conſilio Conſiliariorum noſtrorum, tam lateri noſtro aſſidentium, quam per Literas de eo requiſitorum, prænominatum Illuſtrem Principem Dominum Gotthardum Curlandiae, & Semigalliae Ducem, ad Terras, Civitates, Oppida, Arces, Poſſeſſiones, Præeminentias, & Jura omnia, & ſingula, quæ a Divo SIGISMUNDO AUGUSTO, Sereniſſimo Anteceſſore noſtro conceſſa habet, tradito a Nobis ſolenni ritu feudali Vexillo inveſtivimus, & praeſentium Literarum noſtrarum authoritate, & tenore inveſtimus, ac omnia grata, rata habentes, confirmantesque, & & de integro ſolenni Inveſtitura confirmantes, quæ a prædicto Prædeceſſore noſtro Sereniſſimo, Diplomate die 18. Menſis Novembris, Anno Domini 1561. ſub ſuæ Serenitatis manu dato, eius Illuſtritati iam antea data, conceſſa, collata ſunt, atque ea quidem, quæ in illo commemorato Diplomate ad eius Illuſtritatem ſpectarent, hæc ſunt: Primum videlicet eius Illuſtritati, atque eius poſteris maſculis, legitime ex eius lumbis linea recta deſcendentibus, Ducalem Titulum, adinſtar Illuſtris Ducis in Pruſſia, cum omni Dignitate, Inſignibus, Privilegiis Ducalibus, confirmamus, & de integro in hac Inveſtitura conferimus, ita, ut Vaſallus, & Feudatarius Princeps noſter, & Succeſſorum noſtrorum, Regnique, & Magni Ducatus Litvaniæ Membrum ſit, itidemque prædicti eius poſteri ſint. Praeterea ut a D. SIGISMUNDO AUGUSTO Sereniſſimo Prædeceſſore noſtro eius Illuſtritati, poſterisque eius legitimis maſculis, ex eius lumbis linea recta deſcendentibus, nominatim Ditiones, Poſſeſſiones, Civitates, Oppida, Arces certæ, aſſignatæ ſine Infeudationis ſolennitate fuerunt, ita Nos vigore legitimæ Inveſtiturae, eidem attribuimus, damusque, atque conferimus. Primum totum illum Tractum Curlandiæ, & Semigalliæ, incipiendo a ſalſo Mari, ſurſum ſequendo fluvium Hilga, aſcendendo ad antiquos limites olim per Radzivilium inceptos, & diſpoſitos, inter Samogitiam, Litvaniam, & Pruſſiam ab una, & Livoniam ab altera Partibus, verſus Diſtrictum Polocenſem ad Dunam Fluvium, deſcendendo vero Duna uſque in Mare ſalſum, adeo, ut quidquid in iſtis terminis cis Dunam verſus Litvaniam continetur, & ad Ordinem Livoniæ ſpectabat, nunc, & in perpetuum apud Illuſtritatem ſuam, & eius prædictos Hæredes maſculos permaneat, Curias videlicet, Bona, & Nobilitatem, quæ ad Arcem Duneburgenſem ex hac parte Fluvii Dunæ verſus Litvaniam ſpectarunt, Arcem *Selburgam* cum toto Diſtrictu, Curias item, & Nobilitatem, & omne id, quod videlicet ex hac parte ad Arcem *Aſcherad* ſpectavit, Arcem *Bauſko*, *Neugudt*, cum iis, quæ ad Arcem *Kircholm* pertinebant, Arces *Mietau*, *Tuckum*, *Neuburg*, *Doblen*, *Candau*, *Alswangen*, *Schronden*, *Frawenburg*, *Zabell*, tum & alias Arces, quæ Sereniſſimo Anteceſſori noſtro D. SIGISMUNDO AUGUSTO oppignoratæ fuerunt, Goldingen, Haſenpoth, Durben, Windau, in ſumma octuaginta mil. lium; Arcem vero Grobin, in quinquaginta millibus Illuſtri quondam Principi Domino Alberto Marchioni Brandeburgenſi, in Pruſſia Duci itidem oppignoratam, & illas quidem ſummas, quemadmodum prædictus Prædeceſſor noſter in Diplomate ſuo remiſit Illuſtritati eius, & Nos remittimus, pro Nobis vero, & Sereniſſimis Succeſſoribus noſtris, & Regno, Magnoque Ducatu Litvaniæ, totum Tractum, & omnem reliquam Provinciam ultra Dunam, vigore Contractus a Divo Prædeceſſore noſtro SIGISMUNDO AUGUSTO cum eius Illuſtritate in ſupra memorato Diplomate, Vilnæ die 18. Menſis Novembris, Anno Domini milleſimo quingenteſimo ſexageſimo primo initi, reſervamus primum, & ante omnia Arcem, & Civitatem Rigenſem, cum omni, quod in ea antiquitus obtinuit, iure, dominio, & proprietate, meroque, & mixto imperio apud Imperatores Romanos obtento, de quo iam ante Illuſtritas eius Divo SIGISMUNDO AUGUSTO condeſcendit, illudque reſignavit, & Præſentibus iterum reſignat, & condeſcendit, & ab homagio, quo Civitas illa Rigenſis Illuſtritati ſuæ tenebatur, abſolvit, abſolvere-

ANNO 1579.

Anno 1579. que, & renuntiare coram Legato D. Sigismundi Augusti in Civitatem Rigensem per eius Maiestatem ablegato publico, tum & ab ipso homagio liberam facere, nec non omnia Diplomata ab Imperatoribus Romanis super ea re obtenta, eius Illustritati tradere tenebatur; quibus prædictis conditionibus, si nondum satisfeciisset, satisfacere tenetur, eamque Civitatem, sicut & reliqua omnia, quæ sequuntur, potestati, meroque, & mixto Dominio nostro permittere, sicut iam & tunc vigore Privilegii D. Sigismundi Augusti, ita & nunc vigore Præsentium permisit, & permittit. Sequentes igitur Civitates, & Arces, Præsidia, atque Præfecturæ, pro Divo Antecessore nostro, Nobisque, ac Successoribus nostris, Sereniſſimis Regibus Poloniæ, & Magnis Ducibus Litvaniæ sunt, tam videlicet illæ, quæ tum in potestate Ordinis permanserant, quam quæ D. Sigismundo Augusto traditæ fuerunt, ut sunt Arces Kirholm Ascherad, Duneburg ad rippas Dunæ sitæ, Roziten, Lutzen, Tricaten, Ermis, Helmet, Karkus, Weisesten, cum tota Jervia, Arx, & Civitas nova Pernovia, Sahra, Rugia, Burtneck, Arx, & Civitas Wolmaria, Wendena, Wolard, Arces Segewalt, Schuien, Jurgeburg, Nithow, Lemborg, Rodderppeus, Neumole. Deinde & illa, quæ iam tum in potestatem hostis Moschi pervenerant, & armis recuperandæ sunt, videlicet Ducatus Estoniae, & Episcopatus Derpatensis, quantum in eo Illustritas interesse habet, cum omnibus illorum Nobilibus, Vasallis, Curiis, Fundis, & universis Bonis ad ea spectantibus. Cumque inter cætera & hoc inter Sereniſſimum Prædecessorem nostrum, & eius Illustritatem convenerit, ut permutatione Episcopatus Curonienſis pro Soneburga Arce, Curiis Leal, & Madzel, Illustris Dux Magnus contentetur, & eam ad rem prædictus Sereniſſimus Prædecessor noster operam receperit, ut cum reliqua Curonia, Episcopatu quoque Curonienſi, eius Illustritas potiatur, Nos quoque eandem operam daturi sumus.

Neve etiam limitum indiscussorum cum vicinis Illustritas eius controversiam, aut difficultatem habeat, pro Regia nostra authoritate curabimus, ut primo quoque tempore ad præscriptum Pactorum Posvolienſium, & posteriorum Vilnenſium regantur, & certi constituantur in tota illa vicinia limites. Interea vero neutra Pars alteri damnum inferat, aut litem, & difficultatem moveat, prout hæc Privilegio prædicti Divi antecessoris nostri continentur. Cumque tractus Dunæ sursum & deorsum limites inter Nos, & eius Illustritatem constituant, Anno 1579. ius, & æquitatis ratio postulat, ut medietate fluvii in piscando, & aliis commoditatibus eius Illustritas perpetuo gaudeat, quæque Insulae, sive mediamnes alteri parti viciniores sunt, apud eandem partem iuxta Privilegium Divi Sigismundi Augusti maneant.

Monetæ etiam cudendæ facultatem, ut a prædicto D. Antecessore nostro data est, eius Illustritati confirmamus, & de integro concedimus, ad pondus, & valorem communis Reipublicae, & ut eius promiscuus, & indifferens usus sit, tam in Litvania, quam in Livonia. Volumus attamen, ut ex una parte, nostra Effigies, vel Insignia Regni, & Magni Ducatus Litvaniæ, in altera Illustritatis eius exprimantur. Si quid porro Illustritati suae vendendum, impignorandum, permutandumve fuerit, super hoc Illustritati eius libertatem, facultatemque concedimus, ut ante a D. Prædecessore nostro concessum est, ita scilicet, ut ad Nos, & Sereniſſimos Successores nostros de eo primo loco referatur, Nobisque optio detur, si talem oppignorationem ipsi acceptare voluerimus, sin minus, tum id Illustritati eius liceat, cui volet. Dabimus etiam operam secundum Privilegium prædicti D. Antecessoris nostri, quando Ducatus Estoniæ cum Civitate Revalienſi, vel Transactione aliqua iusta, & nomini nostro honorifica, vel per alias rationes recuperabitur, ut Illustritati Suae æqua portio vel in bonis, vel pecunia concedatur, sumptibus in ea recuperatione factis, ante omnia refusis.

Denique eius Illustritati iurisdictionem totalem, pro eo, ut Privilegio D. Sigismundi Augusti continetur, iuxta leges, & consvetudines, moresque antiquos confirmamus, & de novo concedimus. Et illi, qui eius Illustritatis iurisdictioni subiecti, & ratione Domiciliorum eius subditi erunt, & manebunt, ad suum tantum Principem provocabunt, in causis tamen gravibus, & maximi momenti, licebit Equestri Ordini a Principe suo ad Conventum Provincialem Terrarum Livoniae iuxta veterem consvetudinem provocare. Caverat etiam D. Sigismundus Augustus Antecessor noster, cum ante sexennali bello, tam Suæ Illustritatis, quam etiam Nobilitatis Curonienſis vires exhaustae essent, relaxata ut esset eius Illustritas, & Nobilitas ab onere belli, & ut hoc saltem præstarent & mitterent, quod commode pro modulo possent, alio autem tempore eandem habendam rationem, quam Illustris

Do-

ANNO 1579. Domini Ducis in Pruſſia, ita Nos & nunc pro hoc bello, copiis, de quibus Nobis cum eius Illuſtritate convenit, contenti erimus.

Poſtremo cum eius Illuſtritas perneceſſariis & iuſtiſſimis de cauſis ſe Ditioni, atque Imperio Sereniſſimi Prædeceſſoris noſtri, & Succeſſorum, Regnique, & Magni Ducatus Litvaniae ſubiecerit, extrema Magni Moſchorum Ducis iniuria, vi, atque oppreſſione hoſtili impulſus, fruſtra per annos complures, implorata Imperii Romani, atque Imperatorum ope, atque ſubſidio, iamque per longiſſimum temporis ſpatium veluti pro derelicto habita, ſub Ditione Poloniae Regum Anteceſſorum noſtrorum, & noſtra, nulla cum controverſia permanſerit, Nos quidem futurum non iudicamus, ut eius Illuſtritati eo nomine controverſia aut moleſtia ulla afferatur. Verumtamen ſi quæ allata fuerit, quæ cum labe aliqua nominis, aut aliquo detrimento coniuncta ſit, Nos in eo Regio noſtro officio, quod in defendendis ſubditis noſtris verſari non ignoramus, minime defuturi ſumus, quodque Sereniſſimos Prædeceſſores noſtros in cauſa Illuſtris quondam in Pruſſia Ducis ALBERTI egiſſe intelligimus, agere minime prætermittemus, defenſionemque contra hoſtem omnem, qualiscunque ille tandem fuerit, præſtabimus, & Succeſſores noſtri præſtabunt.

Ipſe vero Illuſtris Dux, pro hac Sereniſſimi Prædeceſſoris noſtri, & noſtra in ſe beneficentia, quæcunque Vaſallus, & Feudalis Princeps, erga ſuum naturalem, ſupremum, & directum Dominum fidelitatis, & obſervantiae, ſervitiorumque officia, & ſtudia præſtare tenetur, eius Illuſtritas præſtabit, & Hæredes, Poſterique legitimi in hoc Feudo Succeſſores præſtabunt.

Nosque viciſſim eius Illuſtritatem, & prædictos Hæredes, omni patrocinio, amore, & benevolentia, boni Regis, & ſupremi, directique Domini complecti, & in Juribus, & Privilegiis eorum conſervare tenebimur & Succeſſores noſtri tenebuntur. In quorum omnium, & ſingulorum fidem, & teſtimonium præſentes Literas manu noſtra ſubſcripſimus, & Sigillis Regni noſtri, Magniq; Ducatus Litvaniae muniri mandavimus. Datum in Caſtris noſtris ad flumen Dunam prope Dziſnam, die quarta Menſis Auguſti, Anno Domini milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo nono. Regni vero noſtri anno quarto. Præſentibus Illuſtribus Magnificis, Venerabilibus, & Generoſis Stephano Duce de Zbaraz Palatino Trocenſi, Euſtachio Wołłowicz Caſtellano Trocenſi, Magni Ducatus noſtri Litvaniae Vicecancellario, ac Breſtenſi, Cobrinenſique, Andrea Duce de Wisniowiec Volhyniæ, Nicolao Mieleczki a Mielecz Podoliae, Regni noſtri Supremo Exercituum Præfecto, ac Novæ Civitatis Korczyn, Grodecenſique, Nicolao Dorohoſtayſki Polocenſi, ac Wilkomirienſi, Lepelienſique, Januſſio Duce de Zbaraż Braſlavienſi, Krzemenecenſique Palatinis, & Capitaneis, Nicolao Talwoſz Samogitiae, Georgio Zienowicz Polocenſi, Dziſnenſi Caſtellanis, & Capitaneis, Joanne Zamoyſki de Zamośćie Regni noſtri Cancellario ac Bełſenſi, Kiniſchinenſi, Zamechenſi noſtro Capitaneo, Nicolao Chriſtophoro Radziwiłł Duce in Ołyka, & Nieśwież Magni Ducatus Litvaniae Curiae Mareſchalco, Joanne Demetrio Solikowſki Vladiſlavienſi, & Lancicienſi Scholaſtico, Joanne Kraſinſki Cantore Cracovienſi, Joanne Tarnawſki Vladiſlavienſi, Cruſwicienſique Præpoſito, Tidemano Giſe Jurisconſulto, Joanne Piotrowſki Cracovienſi, Poſnanienſique Canonico, Alberto Baranowſki, Secretariis noſtris, Venceſlao Grippe Magni Ducatus noſtri Litvaniae iurato Notario, Bernhardo Macieiowſki Curiae noſtrae Regni Poloniae Vexillifero, Demetrio Haleczki Magni Ducatus noſtri Litvaniae Enſifero, aliisque quam plurimis Dignitariis Officialibus, Militum Præfectis, Rotmagiſtris noſtris, ad præmiſſa teſtibus fide dignis. Datum per manus Illuſtris, & Magnifici Joannis Zamoyſki de Zamośćie Regni noſtri Cancellarii, ac Bełſenſis, Kniſchinenſis, Zamechenſisque noſtri Capitanei ſincere Nobis dilecti. ANNO 1579.

STEPHANUS *Rex.*

CLXXVIII.

Privilegium STEPHANI *Regis, quo Inſignia Duci Curlandiæ a* SIGISMUNDO AUGUSTO *donata auget, & approbat.* Dat. in Caſtris ad flumen Dunam prope Dziſnam d. 4. Auguſti Anno 1579. *Ex Archivo Regni.* Lib. 92. Lit. X. U. num. 93. fol. 177. 1579.

In Nomine Domini Amen.

Ad perpetuam rei memoriam.

NOS STEPHANUS Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Kijoviæ, Volhyniæ, Podlachiæ, Livoniæ, &c, nec non Tranſylvaniæ Princeps. Si-

ANNO 1579. gnificamus Literis hiſce noſtris, quorum intereſt, huius, & futuri omnis temporis, univerſis, & ſingulis. Cum Illuſtrem Dominum Gothardum Curlandiæ, & Semigalliæ Ducem ſincere Nobis dilectum, pro ſingulari eius cum erga Sereniſſimos Anteceſſores noſtros, tum Nosmet ipſos fide, ſtudio, atque officio, & eximiis meritis, ſummisque, ac Principe dignis virtutibus, non modo benevolentia, ſtudio, ac amore noſtro complectendum, ſed omni etiam beneficiorum, ornamentorumque genere cumulandum eſſe iudicaremus, & ſua Illuſtritas Nobis hoc tempore, ac loco, quo ei in Caſtris noſtris ea beneficia, bona, ac iura, quæ iam ante a Sereniſſimo Anteceſſore noſtro Divo SIGISMUNDO AUGUSTO conſecutus eſt, confirmavimus, & ritu ſolenni eorum Inveſtituram contulimus, expoſuiſſet, D. SIGISMUNDUM AUGUSTUM, Sereniſſimum Anteceſſorem noſtrum, cum eius Illuſtritati cætera auctoramenta Ducalis Excellentiæ, & dignitatis attribuiſſet, Inſignia etiam, quæ eius Illuſtritas iam ante a Maioribus ſuis Gentilitia accepit, præclara quadam acceſſione ornamentorum amplificaſſe. Verum quod tum eius Serenitas excluſa & temporum anguſtia, & occupationum Regiarum magnitudine fuiſſet, eorum Inſignium Sigillum tantum confectum, ſibique a prædicto Sereniſſimo Anteceſſore noſtro traditum, quo etiamnum eius Illuſtritas uteretur, Diploma vero nullum, quo iura eorum Inſignium continerentur, perſcriptum fuiſſe. Cumque Nos eius Illuſtritas rogaſſet, ut inter cætera Ducalis ſplendoris iura, a Divo SIGISMUNDO AUGUSTO conceſſa, illa etiam Inſignium confirmare, atque ut peculiari Diplomati mandarentur, facere dignaremur. Quod Nos eius Illuſtritatis dignitati, ſplendori nominis, ac iuri libenter faventes, Inſignia a Sereniſſimo Anteceſſore noſtro, Divo SIGISMUNDO AUGUSTO, eius Illuſtritati aſſignata, & conceſſa non modo confirmaverimus; verum etiam pro noſtra ſingulari erga eius Illuſtritatem propenſione, amplificanda Nobis, ac Literis hiſce ad omnem temporum memoriam tradi curanda iudicaverimus, in hanc nempe formam, ac modum. Primum: Clypeum, cuius planitiem totam, lineæ duæ rectæ ſe invicem effectis angulis rectis ſecantes in ſpatia quatuor æqualia, ſive, ut vulgo nominant, in campos quatuor æquales dividant, quorum ſuperior primus campus dextrorſum, & inferior ſecundus ſiniſtrorſum ſitus, uterque argentei coloris, Leonem rubrum integrum, ſurſum verſus capite, & pedibus anterioribus, ita, ut dexter ſiniſtrorſum, dextrorſum ſiniſter ſpectet, ſe efferentem contineat. Campus vero ſiniſter ſuperior, ac dexter inferior, uterque coloris cerulei dimidiæ calcis, anteriore corporis parte cornibus geminis, ac colore nativo ſuo præditæ, ut in campo ſiniſtro ſuperiore dextrorſum, in inferiore dextro ſiniſtrorſum ſpectet, pronum in modum ab ora clypei quaſi exeuntis imaginem complectatur. In ipſo autem clypei medio, quo loco ſe lineæ illæ duæ interſecant, clypeus minor aurei coloris collocatus ſit, a ſummo ad imum uſque linea recta in partes duas æquales diviſus, qui eius Illuſtritatis Gentilitia Maiorum Inſignia, Uncum ſcilicet rubrum triangularem, a dextera parte quinque dentibus ſerratum utraque ſui parte comprehendat. In unci autem intermedio ſpatio dextro, quod cerulei coloris ſit, Nos ad maiorem noſtræ erga eius Illuſtritatem benevolentiæ ſignificationem noſtra, & generis noſtri Bathororum ab Illuſtriſſima vetuſtate Maiorum accepta Inſignia, mandibulæ ſcilicet lupinæ erectæ, tribus lupinis dentibus albis ſurſum incurvis præditæ ſtatuimus, eoque eius Illuſtritatis Inſignia a D. SIGISMUNDO AUGUSTO, iam ante confirmata, & conceſſa, aucta a Nobis, atque amplificata eſſe volumus. In altera vero clypei iſtius minoris parte, Literæ initiales duæ nominis Sereniſſimi Anteceſſoris noſtri Divi SIGISMUNDI AUGUSTI, hunc in modum inter ſe implicatæ & contineantur, utraque vero iſtius clypei parte, & maxillam lupinam dentatam ex noſtris Inſignibus expreſſam, & Literas iſtas initiales, una eademque Corona Regia contegat. At vero in ſummo clypei maioris galeæ tres inauratæ, ore aperto cancellatæ ſtatuantur, in quarum media eius Illuſtritatis Gentilitia Maiorum Inſignia, ut ſuperius deſcripta ſunt, inter duas, dextera rubea, ſiniſtra flava, pennas extent, in dextera autem galea interiore ſui parte calcis dimidius coloris nativi, in ſiniſtra parte dimidius itidem Leo rubeus, capitibus utriusque aureis coronis exornatis ſurſum verſum e galearum coronis ita ſe efferant, ut mediam galeam ſeque invicem reſpectent. E ſingulis vero galeis pennæ, ſive lemniſci foliatim inciſi albi, & cerulei coloris, tanquam velamina defluant, pro eo, ut omnia hæc accuratius hiſce in Literis expreſſa, & depicta cernuntur. Atque Inſignia hæc praedicto Illuſtri Principi Curlandiæ, & Semigalliæ Duci, eiusque legitimis utriuſque ſexus liberis, poſterisque omnibus, ad Ducalis dignitatis auctoramentum per præſens noſtrum Diploma, ſemper valiturum ANNO 1579.

Anno 1579. turum conferimus, ita, ut eius Illustritas, legitimique eius omnes utriusque sexus liberi, posterique ex ea descendentes ea Insignia more, atque iure cæterorum Regni, & Magni Ducatus Litvaniæ Principum, imprimis vero Illustris in Prussia Ducis, in Vexillo Terræ, sive Sigillis, moneta ad modum in Privilegio nostro Investituræ expressum cudenda, torneamentis, tentoriis, aliisque rebus, actibusque legitimis omnibus habere, proponere, usurpare, iisque tanquam propriis, atque legitimis semper uti possit, liberique, ac posteri suæ Illustritatis legitimi omnes possint. In cuius rei fidem, & testimonium præsentes Literas manu Nostra subscripsimus, & Sigillo Regni nostri muniri mandavimus. Datum in Castris nostris ad flumen Dunam prope Dzisnam die quarta Mensis Augusti, Anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo nono, Regni vero nostri Anno quarto. Præsentibus Illustrissimis, Magnificis, Venerabilibus, & Generosis, Nicolao Radziwiłł Duce in Dubinki, & Bierze, Palatino Vilnensi, Magni Ducatus nostri Litvaniae Cancellario, & Supremo Exercituum Praefecto, Stephano Duce de Zbaras Palatino Trocensi, Eustachio Wołłowicz Castellano Trocensi, Magni Ducatus nostri Litvaniae Vice-Cancellario, & Brestensi, Cobrinensique nostro Capitaneo, Andrea Duce de Wisznowiec Volhyniae, Nicolao Mieleczki a Mielecz Podoliae Regni nostri Supremo Exercituum Praefecto, ac novae Civitatis Korczyn, Grodecensique, Nicolao Dorohostayski Polocensi, ac Wilkomirienſi, Lepelienſique, Janusio Duce de Zbaraz Bracławienſi, Krzemenecensique Palatinis, & Capitaneis; Nicolao Talwosz Samogitiae, Georgio Zienowicz Polocensi, Dzisnensique Castellanis, & Capitaneis, Joanne Zamoyski de Zamość Regni nostri Cancellario, ac Belsensi, Knischinensi, Zamechensique nostro Capitaneo, Nicolao Christophoro Radziwiłł Duce in Olyka, & Nieśwież, Magni Ducatus nostri Litvaniae Curiae Mareschalco, Joanne Demetrio Solikowski Wladislavienſi, & Lancicienſi Scholastico, Joanne Krasinski Cantore Cracovienſi, Joanne Tarnawski Wladislavienſi, Crusvicienſique Praeposito, Fidemano Gise Jurisconsulto, Joanne Piotrowski Cracovienſi, Posnanienſique Canonico, Alberto Baranowski Secretariis nostris, Bernardo Maciejowski Curiae nostrae Regni Poloniae Vexillifero, Demetrio Halecki Magni Ducatus nostri Litvaniae Ensifero, aliisque quam plurimis Dignitariis, Officialibus, militum Praefectis, Rothmagistris nostris ad praemissa testibus fide dignis. Datum per manus Illustris, & Magnifici Joannis Zamoyski de Zamość Regni nostri Cancellarii, Belsensis, Knischinensis, Zamechensisque nostri Capitanei sincere Nobis dilecti. Anno 1579.

STEPHANUS *Rex mpp.*

CLXXIX.

Recognitio Gothardi Ducis Curlandiæ de præstito a se Regiæ Maiestati Poloniæ Fidelitatis Juramento, tenore, qui hic exprimitur. Dat. d. 5. Augusti, Anno 1579. *Ex Archivo Magni Ducatus Litvaniæ,* 1579.

Nos Gothardus Dei Gratia Curlandiae, & Semigalliae *Dux* notum facimus, quorum interest scire, singulis, & universis. Quod cum ad Serenissimum, & Potentissimum Principem, & Dominum, Dominum Stephanum Dei Gratia Poloniae Regem, Magnum *Ducem* Litvaniae &c. in Castra eius Maiestatis prope Dzisnam ad Dunam flumen posita, homagii nostri praestandi, & ab eius Maiestate Investituram *Ducatus* nostri accipiendi causa venissemus, Nos suae Maiestati die quarta Augusti Anno *Domini* millesimo quingentesimo septuagesimo nono, in Castris homagium nostrum praestando, iuramentum fidelitatis hac, ut sequitur, forma de verbo ad verbum praestitisse. *Ego Gothardus Curlandiæ, & Semigalliæ Dux iuro Deo Omnipotenti, quod fidelis ero omni tempore Serenissimo, & Potentissimo Principi, Domino* Stephano *Dei Gratia Regi Poloniæ, Magno Duci Litvaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Kiioviæ, Vothyniæ, Podlachiæ, Livoniæque Domino, ac Regno Poloniæ, Magnoque Ducatui Litvaniæ contra omnem hominem nemine excepto. Quæ mihi secreta eius Maiestatis communicata, aut quoquo modo concredita erunt, nemini, neque verbo, neque ullo pacto pandam, in consilio nunquam ero, quo eius Maiestas, aut membrum aliquod amittat, aut in persona, honore, dignitate, dominiis, rebusque omnibus suis læsionem, vel damnum aliquod accipiat, & si quid tale agi ab aliis intelligam, de eo eius Maiestatem cito, & fideliter admonebo, & quod ad ea retinenda, conservanda, & augenda a me poterit proficisci, summa fide curabo, quod ad commodum, & utilitatem communis Reipublicæ Regni Poloniæ, Magnique Ducatus Litvaniæ pertinebit, pro posse meo procurabo,*

ANNO 1579. *quod vero contrarium, nocibile, damnoſum eſſe, & fore intelligam, quamprimum admonebo, atque omni diligentia præcavebo, & avertam. Juſtitiam in Curlandiæ, & Semigalliæ Ducatibus omni homini diligenter adminiſtrabo. Sic me Deus adiuvet.* Quæ omnia, & ſingula verba Nos iuraſſe, & conſervaturos eſſe præſentibus hiſce Literis noſtris teſtamur, ac profitemur. In cuius rei fidem hasce manu noſtra ſubſcripſimus, & Sigillo noſtro curavimus ſigillari. Datum in ſtatione noſtra, ad Caſtra, & flumen Dunam prope Dziſnam, die 5. Auguſti Anno Domini milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo nono.

CLXXX.

1581. *Recognitio Civitatis Rigenſis præſtiti Sacræ Regiæ Maieſtati Juramenti.* Dat. Rigæ die 7. April. Anno 1581. *Ex Originali.*

Nos Proconſules, Conſules, nec non omnes Ordines, Cives, & Incolae Regiae Civitatis Rigenſis: Notum facimus, & teſtamur hiſce Literis noſtris, profeſſos nos eſſe in dato infraſcripto, Sereniſſimo Principi, ac Domino, Domino STEPHANO Dei Gratia Regi Poloniæ, Magno Duci Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæque Domino noſtro clementiſſimo, mediante præſcripta iurisiurandi Formula, præſentibus Commiſſariis Maieſtatis Suae ad id ablegatis, Reverendo nimirum, ac Generoſis Dominis, Joannne Demetrio Solikowſki, a Soliki, Scholaſtico Vladiſlavienſi, & Lancicienſi, Cuſtode Sandomirienſi, & Venceſlao Agrippa Magni Ducatus Litvaniae Notario, & Præfecto Nemonoicenſi, Secretariis Regiis, debitam fidem, ſubiectionem, obedientiam noſtram Sereniſſimæ Maieſtati Suæ, eiusque legitimis Succeſſoribus primo coronatis, fideliter, & inviolabiliter præſtandam, & conſervandam, cuius præſtiti iuramenti Formula hæc eſt. *Ego N. iuro, quod fidelis ero Sereniſſimo Principi, & Domino, Domino* STEPHANO *Dei Gratia Regi Poloniæ, Magno Duci Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæque Domino meo Clementiſſimo, aliumque neminem, quam ipſum Sereniſſimum Regem* STEPHANUM, *& Succeſſores eius legitimos primo coronatos, pro Domino ſuſcipiam, eiusque Maieſtatis honorem, ſtatum Regium, & commodum communis Reipublicæ pro poſſe meo procurabo, ſuamque Maieſtatem de omnibus damnis, quæ ſcivero, aviſabo, & ea maniſeſtabo, omnemque fidelitatem ſemper præſtabo, ſic me Deus adiuvet.* Quod quidem iusiurandum Legati Germanico idiomate populo univerſo ita verbis præiverunt. In quorum fidem Sigillum Civitatis noſtræ præſentibus appendi iuſſimus. Dat. Rigæ die ſeptimo Menſis Aprilis. Anno MDLXXXI. ANNO 1581.

CLXXXI.

1581. *Reſponſum Sacræ Regiæ Maieſtatis, Generoſis Michaeli Bruno Cancellario, ac Samueli Anfabro Conſiliariis, & Oratoribus Illuſtris Domini Gothardi Curlandiæ, & Semigalliæ in Livonia Ducis.* Vilnæ die 31. Maii, Anno 1581. datum. *Ex Archivo Regni.*

Intellexit eius Sacra Regia Maieſtas querelas Illuſtris Ducis Curlandiae, quas contra Privilegia Rigenſium, non ita pridem ab eius Maieſtate obtenta, expoſuit. Quare cum illæ tales ſint, ut Privilegiorum utriusque partis cognitionem neceſſario requirant, quæ abſentibus Rigenſibus nulla hoc tempore fieri poterat, ac eius Maieſtatem magna ſollicitudo belli, & profectionis interim teneat, cognitionem eam poſt felicem ſuum ex bello reditum, in octo hebdomadas reiicere neceſſe habuit. Itaque, cum novis Privilegiis Rigenſibus datis, antiquioribus nihil derogatum eſſe Sacra eius Maieſtas cupiat, mandavit Rigenſibus, ut ad id tempus, ubi tunc conſtituta eius Maieſtas fuerit, Privilegia ſua mittant. Quod ut etiam Illuſtris Dux per Nuntios faciat ſuos, eius Sacra Regia Maieſtas hortatur. Datura autem eſt eius Maieſtas operam, ut perſpectis utrinque Juribus, & Privilegiis, id tandem in eo negotio decernatur, quod ius, & æquitas ipſa poſtulabit. Verum ne quid Rigenſes vigore iſtorum Privilegiorum prætendant, differentiasque iſtas cognitioni eius Maieſtati committant, ſerio illis mandare dignata eſt. In quorum omnium fidem Sigillum noſtrum præſentibus, eſt ſubimpreſſum. Dat. Vilnæ die ultima Maii. Anno Domini milleſimo quingenteſimo octuageſimo primo. Regni vero noſtri Anno ſexto. ANNO 1581.

STEPHANUS *Rex.*

CLXXXII.

STEPHANUS *Rex interdicit Civitati Parnavienſi, ne Catholicos a Magiſtratu arceat, neve publicum* 1582.

ANNO 1582. *cum Religionis Catholicæ exercitium impediat.* Dat. Grodnæ die 16. Januar. Anno 1582. *Ex Archivo Magni Ducatus Litvaniæ.*

STEPHANUS Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, &c. Dominus, & Hæres. Univerſis, & ſingulis, Proconſulibus, Conſulibus, totique Communitati Civitatis Derpatenſis, Fidelibus Nobis dilectis gratiam noſtram Regiam. Intelleximus a Fidelitate veſtra Catholicae Religionis homines, qui Derpati habitant, neque ad Senatum, neque ad Magiſtratus ullos admitti, quare graviter offendimur. Neque enim dum Auguſtanæ Confeſſionis uſum Derpatenſi Civitati, uti & Livoniæ vniverſæ permiſimus, Catholicam Religionem ab ea Civitate excluſam eſſe voluimus, quin qui eam profiterentur, eos eodem iure, eodemque loco, & ordine cum cæteris Civibus eſſe. Quapropter Fidelitati veſtræ mandamus, ut Catholicos in Civitate non tantum verſari, & in eam commigrare patiantur, ſed etiam eos in Senatum adſciſcant, & prout quis ad aliquem Magiſtratum publicum fuerit idoneus, ab eo eum non arceat; Nulla porro edere interdicta præſumant, quibus a Catholicis homines deterreant, ſed omnino Catholicam Religionem libere omnes, quibus ea voluntas fuerit, profiteri patiantur, neque ſecus faciant pro gratia noſtra, atque certo ſibi perſvadeant, nullo modo, ſi id facere perſeveraverint, Nos id toleraturos. Datum Grodnæ die decima ſexta Januarii Anno Domini milleſimo quingenteſimo octuageſimo ſecundo, Regni noſtri ſeptimo.

STEPHANUS *Rex.*

CLXXXIII.

1582. *Literæ Conceſſionis Coloniæ Generalis in Livonia.* Dat. in Połomiciis die 29. Januar. An. 1582. *Ex Archivo Regni.*

STEPHANUS Dei gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæ &c. Univerſis, & ſingulis, cuiuscunque Status, & Ordinis hominibus ſignificamus præſentibus Literis noſtris: Quod quamprimum benignitate Divina Provinciam noſtram Livoniam Superiorum Regum Poloniæ lenitate amiſſam, de potentiſſimo Moſchorum Principe recuperaviſſemus, & recepiſſemus, faciendum Nobis eſſe, quod recta ratio iubet, quod magni itidem, & pii Principes factitarunt, in conſtituendis rebus iſtius Provinciae, duximus, uti quidem, quod Nobis, & univerſæ Reipublicæ Chriſtianæ felix, & ſalutare ſit Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, de Religione Sancta, quæ illic iam plane obliterata erat, Epiſcopo Catholico conſtituto, advocatisque piis Sacerdotibus, & ſatis emptis poſſeſſionibus Eccleſiæ addictis, conſtituimus, & noſtram in id adhuc conferimus operam, ut Provinciam legibus devinctam iuris, & populo, rerumque copia auctiorem, & inſtructiorem faciamus. Sed quia ſine agraria, & mechanicorum operis, & commerciorum uſu, ne quidquam Provinciae illius ſtatum ſtabiliremus, placuit Nobis hincinde Literas noſtras Univerſales mittere, quibus omnibus quibuscunque liberis colonis, mechanicis, negotiatoribus in Provinciam noſtram præfatam Livoniam facultatem veniendi concederemus, ita, ſi graves inprimis aliqui, rerumque periti Viri Coloniam eam deducendi ſibi deſumpſerint munus, et officium. Cæterum conditiones, quibus Nos illis cavemus, et illi viciſſim Nobis debent, erunt iſtæ: Coloni, mechanici, negotiatores iſti, quos Coloniae Præfectus adducet, erunt Catholicae Romanae fidei, iisque colonis tum fundos cultoribus vacuos cum omnibus fertilium camporum, pratorum, ſylvarum, paſcuorum commoditatibus, paludum, aquarum decurſibus, illorum inſtituto accomodatis, attribuemus, quantum illis ſufficiet, iure hæreditario. Et ut certiores de iure poſſeſſorio rem familiarem curent melius, permittimus ei Coloniae in præfata Provincia, oppida, villas, prædia, atque in eis templa, ſcolas, domicilia, molendina, officinas, et alia id genus ædificia, præſertim ad œconomiam pertinentia exſtruendi, fundosque, qui ei attribuentur, prout ei melius, et commodius videbitur, ad culturam reducendi, in eisque proventus, et commoda quævis inſtituendi, opificia, et commercia exercendi, atque, ſalvo tamen Portorio noſtro aquatico, negotiandi, et ſi aliquod non ignobile oppidum ſucceſſu temporis exædificaverit, tum eidem Jura, et Privilegia Civitatibus reliquis Livoniae ſimilia conceſſuri ſumus. Ut autem hæc ipſa Colonia tanto citius incrementa ſua habeat, immunitatem, atque libertatem decennalem ab omnibus cenſibus, et exactionibus, atque oneribus ratione fundi, quem poſſidebit, illi concedimus, et in eadem Colonia conſervaturi ſumus. Interim autem tranſigemus cum eius Coloniae agricolis, mechanicis,

ANNO 1582. & Negotiatoribus de iusto aliquo censu, quem post exactam decennalem libertatem subsequentibus annis, redimendis oneribus, & operis rusticanis, thesauro nostro exsolvere tenebuntur. Praefecto quoque eius Coloniae, ut laboris, & sumptuum in ea adducenda referat fructum, satis competentem fundum, & agrum conferemus. Quibus quidem conditionibus suprascriptis Nos in toto, & in parte satisfacturos esse pollicemur, atque hisce praesentibus cavemus, modo & ipsi ei rei, quam in se recipient, sint satisfacturi. Petimus autem diligenter a Serenissimis Dominis Regibus, caeterisque Illustrissimis Principibus Christianis, in tam salutari negotio, in dimittenda Colonia constituenda in Provincia Livoniae, ut ne desint, quin mutuis Nos iuvent operis, praesertim cum non tam emolumentum quaeramus, quam Provinciae illius reformationem, quam Regno nostro adiectam, non tantum Nobis, sed & universae Reipublicae Christianae confidimus magno futuram esse commodo, & emolumento. In cuius rei fidem has Literas manu Nostra subscripsimus, & Sigillis tam Regni Poloniae, quam Magni Ducatus Litvaniae obsignari fecimus. Datum in Połomiciis die XXIX. Ianuari Anno *D*omini millesimo quingentesimo octuagesimo secundo, Regni nostri Anno septimo.

STEPHANUS *Rex*,

CLXXXIV.

1582. *Jurium omnium, Immunitatum, & Privilegiorum Civitatis Rigensis*, Drohicini *die 14. Januarii An. 1581. concessorum, & approbatorum, in Conventu Regni Generali Innovatio, & Confirmatio.* Dat. Varsaviæ d. 16. Nov. Anno 1582. *Ex Archivo Regni.* Lib. 100. sub Lit. W. G. fol. 131.

STEPHANUS Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, Kijoviæ, Volhyniæ, Podlachiæq;, nec non Princeps Transylvaniæ &c. Significamus tenore Præsentium, quibus expedit universis, præsentibus, & futuris, harum notitiam habituris. Quod cum Civitas nostra Rigensis iam ante a multis annis una cum universa Livonia, in ius, ditionemque Regni nostri, & Magni Ducatus Litvaniæ, necessariis, iustissimisque causis adducta contulisset, nec vero quibus legibus, conditionibusque sub Imperio Serenissimorum Poloniæ Regum futura esset, in illa temporum varietate definiri potuisset, ac vero eam ob causam Nuntios quosdam suos idonea cum potestate Drohicinum ad Nos ablegasset, cum iisque Nos plerisque de rebus, quæ ad rationes Civitatis spectare videbantur, Consiliariorum nostrorum consilio, maturaque deliberatione adhibita conveniissemus, partim Civitatis pristinis Privilegiis, ac Juribus accurate inspectis, partim gratia nostra Regia Privilegia quædam ei contulerimus, eaque omnia uno scripto Privilegio comprehenderimus, cuius hic est, qui sequitur, tenor: *In Nomine Domini Amen.* Ad perpetuam rei memoriam. Nos STEPHANUS Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Livoniae, Kijoviæ, Volhyniæ, Podlachiae &c. nec non Transylvaniae Princeps. Significamus praesentibus Literis nostris, quorum interest, & intererit inposterum universis, & singulis. Postquam iam ante Reverendissimus Princeps Dominus Vilhelmus Archiepiscopus Rigensis, & Illustris Dominus Gothardus Kettler tum temporis Equestris Ordinis Theutonici in Livonia Magister, nunc Curlandiae, & Semigalliae Dux, una cum subditis omnibus suis, universaque Livonia, ac praecipue Civitate Rigensi in Divi olim SIGISMUNDI AUGUSTI Sereniissimi Antecessoris nostri, & Regni Poloniae, Magnique Litvaniae Ducatus fidem, ditionem, & potestatem se contulisset, idque iustissimis, & perneccessariis de causis, armis Magni Moschoviæ Ducis summa vi, & immanitate oppugnati, desperatis omnibus aliis subsidiis, & inprimis frustra diu, multumque implorata Sacri Romani Imperii ope, hostili saevitia indies magis, magisque omnia ferro, & flamma delente, feciissent, neque tamen per temporum superiorum rationem, magnitudinemque aliarum occupationum Reipublicae, atque ipsam assiduam contra hostem Moschum Livoniae defensionem adhuc fieri potuisset, ut qua lege, quibusve conditionibus Civitas Rigensis Sereniissimorum Poloniae Regum, Magnorumque Ducum Litvaniae, iurisdictionis, atque potestatis esset, constitueretur, & Civitas fidelitatem, subiectionemque suam iuramento solenni comprobaret, & si ea de re saepius tam Sereniissimorum Antecessorum nostrorum, quam nostro tempore actum fuisset: Quod hoc tempore Civitas Rigensis ad Nos cum plena potestate, & sufficientibus Mandatis ex voluntate, & consensu omnium Civium Nuntios suos Spectabiles, ac Famatos Gasparum a Ber-

Anno 1582. a Bergen Proconsulem, Nicolaum Elien Consulem, Joannem Fastium Secretarium, Rudolphum Sesrodeü Collegii maioris in ea Civitate Tribunum miserit, Nobisque supplicaverit, ut tandem de rebus omnibus, quae tam Jus, Dominium, & Superioritatem nostram, Successorumque nostrorum, & Regni Poloniae, Magnique *D*ucatus Litvaniae, in ea Civitate spectarent, quam quae ad Civitatis ipsius Jura, Privilegia, Leges, Statum, & erga Nos Subiectionem pertinerent, constitueremus: professa sit etiam eadem Civitas, se iis rebus constitutis officio suo fidelitatis, & subiectionis in nostra verba iurando, prompte satisfacturam esse. Habita igitur deliberatiane cum Consiliariis nostris, tam Regni nostri Poloniae, quam M.D. Litvaniae, cum referre nostra, ac Reipubl. intelligeremus, ne haec res iam diu ducta diutius differretur. Civitatem Rigensem, iam ante a Sereniſſimo Antecessore nostro *D.* Sigismundo Augusto cum universa Livonia in subiectionem receptam, Nos quoque in fidem, ditionem, & potestatem nostram, Regnique nostri, Magnique Ducatus Litvaniae recepimus, ita, ut ea Civitas perpetuis temporibus, nostra, ac Successorum nostrorum, Regnique Poloniae, Magnique Ducatus Litvaniae subdita, & fidelis sit, ac permaneat. Cui praedictae Civitati Rigensi, Nos vicissim pro Nobis, & Successoribus nostris Regiam Clementiam, conservationem, defensionem, atq; ea omnia promittimus, quæ a Rege, & Domino iusto, & vero subditis praestari debent, & solent. Et quamvis futurum non iudicamus, ut quisquam Civitati nostrae Rigensi, ob hanc eorum subiectionem, tam gravibus, & legitimis causis Nobis, Regnoque nostro Poloniae, Magnoque Ducatui Litvaniae, factam, negotium ullum sive in Sacro Romano Imperio, sive alibi facessat, tamen si quid forte ista de causa acciderit, quod ad Civitatis, & Civium detrimentum, periculum, aut nominis labem pertinebit, Nos Regio nostro Officio, quod in defendendis contra cuiusvis inimicitias subditis nostris versari non ignoramus, minime deerimus, quodque Sereniſſimos Antecessores nostros, simili in casu maiorum nostrarum Prussiae Civitatum, feciſſe intelligimus, facere non praetermittemus. Ante omnia vero commemoratæ Civitati nostrae Rigensi, veteres omnes Libertates, & Jura, quorum in continuo usu fuerit, & adhuc sit, tam in rebus Ecclesiasticis, quam Civilibus, quibuscunque: omnia etiam Dominia, & Possessiones, earumque limites quibuscunque in locis, quemadmodum in Privilegiis Civitatis descripti, & assignati, & assidua possessione conservati fuerunt. Leges item, atque Jura omnia, Statuta, Plebiscita, omnesque cum universae Civitatis, tum singularum Tribuum, seu Collegiorum Ordinationes, Privilegia, Indulta, Beneficia, Praerogativas, Immunitates publicas, & privatas, generales, & speciales, a Spiritualibus, vel Saecularibus acceptas, & usu longi temporis observatas, bonas, legitimas, & acceptatas consvetudines, patrios mores, Pacta etiam, & Confœderationes negotiationum cum societate Civitatum, & Ansae, ex certa scientia, & plenitudine Regiae nostrae potestatis approbamus, confirmamus, ac perpetuo ratas habebimus, & Successores nostri habebunt. Ita quidem, ut haec omnia suprascriptae professae Nobis Subiectioni, ac Fidelitati, Jurique Publico non repugnent. Sigillatim vero confirmamus Jus Municipale, quod Rigense vocatur, atque Judicia in ea Civitate adhuc observata, similiterque iudiciorum processum. Volumusque, ut quemadmodum superioribus temporibus iudicia constituta, iusque tam in civilibus, quam criminalibus, seu capitalibus dictum, atque administratum fuit, ita in posterum etiam, iuxta veterem morem, rationemque administretur. Decernimus etiam, ut Magistratui Arestorum Jus pro ordine, & ratione iuris in exteros, ac Civitatum, & Oppidorum nostrorum homines ibi contrahentes conservetur. Approbamus etiam, ratumque facimus, ut penes solum Consulatum, Consules, & Advocatum Civitatis plena intra Territorium Civitatis, quod eius est proprium, tam in terra, quam in agris sit iurisdictio, & tam utrobique iudicandi, quam res iudicatas exequendi, mulctas etiam accipiendi, & in usum iudicii sui conferendi, tum quoque Salvi Conductus iis, quibus de iure solet, atque debet concedendi potestas, salvo tamen Dominio nostro, salvaque in casibus in Privilegio Magistrorum olim Livoniae expressis appellatione, ad Conventum Provincialem, quem deinceps in Livonia constituemus, quales quidem casus in Privilegio hi recensentur: Cum causa maiorem rei familiaris iacturam, vel famae, existimationisque laesionem spectat, idque coram Senatu a parte appellante, mediante corporali iuramento attestatum fuerit. Quod si vero, ut sunt leges humanae pro rerum, ac temporum varietate mutabiles, futuris temporibus in ipso Iure Municipali, Legibus, Statutis, Plebiscitis, Consvetudinibus, aliisque Ordi-

Anno 1582.

ANNO 1582. Ordinationibus, & rebus ad Jurisdictionem in ea Civitate pertinentibus aliquid novandum, mutandum, emendandum esse evidens necessitas, ac iusta ratio svaserit, id diligenti iudicio Consulatus Rigensis, pro veteri more fieri oportere decernimus, cui earum rerum condendarum, mutandarum, abrogandarum potestatem concedimus, sub ratihabitione, & confirmatione nostra, a Nobis impetranda. Præterea statuimus, & decernimus, ut Proconsules, Consules, Advocatos, & omnes urbanos Magistratus Rigenses aliosque publicis muneribus, & officiis quibuscunque in ea Civitate fungentes eligendi, & constituendi ius & potestas penes solum Consulatum, quemadmodum penes eum perpetuo fuit, omnibus temporibus permaneat, qui quidem ita ab ipsis electi, Nobis, ac Successoribus nostris iusiurandum dabunt. Nos vero in ea Civitate Burgrabium ex numero quatuor Consulum eius Civitatis quotannis eligemus, atque constituemus, quorum quatuor Consulum nomina Nobis quotannis Consulatus Rigensis præsentabit, quod quidem ad quodque Festum Paschatis facere tenebuntur. Is vero Burgrabius noster ita a Nobis constitutus, eum Magistratum pro iure, & consvetudine, quæ in tribus Maioribus nostris Prussiæ Civitatibus observatur, iureiurando Nobis dato, obibit, et administrabit. Constituimus etiam, ut si quæ iudiciaria controversia inter Proceres, & Nobiles, aliosque Incolas terrarum nostrarum Livoniæ, & Civitatem Rigensem ex altera parte, de limitibus, iniuriis, alisve negotiis quibuscunque orta fuerit, coram Conventu Provinciali disceptetur, ac finiatur. Interea vero temporis, dum Conventus ille a Nobis constituetur, res huiusmodi per Commissarios, quos ex Indigenis & Provincialibus Livoniae decernemus, diiudicetur. Si qua etiam inter Consulatum illius Civitatis, & Cives singulos, aut plures de Finibus aut Limitibus bonorum suorum lis mota fuerit, tum trium suspicione vacantium Civium Rigensium iudicio, & arbitrio, qui communi partium voluntate, & consensu eligantur, iuramento eam in rem præstito ex præscripto Privilegii olim a Legato Pontificis Maximi Cardinale Mutinensi concessi, res ea dirimenda est. Quodsi autem evenerit, ut quis Civium aut Incolarum Civitatis Rigensis, Consulatus aut Advocati, tam Civitatis, quam terrestre iudicium defugiens, e Civitate mutandi Judicii causa discesserit, & se alio in Arces, aut loca quæcunque Livoniæ, aut etiam Rigen. Magnique Ducatus nostri receperit, ille, vel illi ita effugientes in partem adversam, a Nobis, aut Capitaneis, aut quibuscunque Magistratibus, ac Officialibus Regni nostri, aut M. D. Litvaniæ in ea causa nec Citationem, nec Arestationem aliquam aut bonorum, aut peronarum, aut ullum cuiusvis generis Rescriptum obtinere, nec citati ad instantiam ita fugientium in hoc casu comparere, aut in iuris processu, qui in Civitate cæptus est, impediri debent, sed fugiens cum tota causa sua ad Ordinarium iudicium Consulatus aut Advocati Rigensis remittendus est. Et quia in iudiciis Civitatis antiquitus etiam receptum, & usitatum fuisse intelligimus, ut omnes intra Territorium Civitatis quoquo modo contrahentes, aut delinquentes, ratione delicti, vel Contractus illius, Civitatis iudicio civili, vel criminali subiiciantur, volumus, ut Civitas in posterum quoque eo iure in contrahentes, aut delinquentes utatur, eo tamen casu, quo Nobilem aliquem ex causis prædictis, iurisdictioni eius Civitatis subiici contingat, iudicio illi Civitatis, in quo Nobilis alicuius causa agatur, ex statuto Thorunensi, & pro more Civitatum nostrarum maiorum in Prussia, Burgrabium nostrum Rigensem præsidere, & sententiam proferre volumus, si qui etiam facinorosi delinquentes a Civitate Rigensi deprehensi fuerint, coram Consulatu eius Civitatis accusatio institui, iusque per Nos dici, & administrari oportere decernimus. Ac quo publicae pacis violatores, & prædones, quique alii Cives nostros Rigenses in viis publicis infestare instituerint, eo citius, atque certius pœnis cöerceantur, decernimus, ne huiusmodi homines nefarii ullo loco universae Livoniae, apud ullum subditorum nostrorum, tanto minus Præfectorum, aut Officialium nostrorum cuiuscunque dignitatis, receptum habeant, aut Salvum Conductum impetrent, Consulatui vero Rigensi potestatem concedimus, ut eosdem publicae pacis violatores, fures, prædones, eiusque generis homines facinorosos in omnibus locis cuiusvis Ditionis Terrarum nostrarum Livoniae investigent, inquirant, & pro communi tranquillitate comprehendere, & legitimis pœnis afficiendos, legitimoque cuiusque loci, in quo deprehensi fuerint, Magistratui sistere possint. Obæratis Mercatoribus, atque Civibus Rigensibus in præiudicium creditorum Moratorias nunquam dabimus, nisi si quos non culpa, sed fortunæ iniuria, bonis suis lapsos, Magistratus Civitatis Nobis testatum fecerit, nec aliquem a communibus oneribus aut muneribus Civitatis perso-

ANNO 1582.

na-

ANNO 1582. nalibus, aut realibus eximemus. Ad hæc univerſis Civibus relinquimus, & confirmamus plenum Dominium, poſſeſſionem, & uſumfructum integrum omnium fortunarum, atque rerum ſuarum tam mobilium, quam immobilium, cum poteſtate etiam acquirendi bona Terreſtria, ſub ratihabitione & confirmatione noſtra impetranda. Univerſae vero Civitati confirmamus Dominium, poſſeſſionem, uſumfructum rerum ad Civitatem de iure pertinentium, tam intra, quam extra aut circa Civitatem conſiſtentium, ut ſunt molendina, tam quae aquis, quam quae ventis aguntur, libraria domus tam in vulgaribus mercibus, quam auro, argento, aliisque metallis ponderandis, menſuras etiam, ut ſunt ab antiquo in Civitate conſtitutae, & uſurpatæ, volumus retineri. Eodem modo confirmamus illis ius piſcandi, venandi, ligna cædendi, pecora paſcendi in locis omnibus, in quibus id ius ipſis antiquitus etiam extra Civitatis fines competiit. Decimas etiam piſcium, ad uſum Civitatis ex gratia donamus. Præterea nominatim, & expreſſe prædictae ſoli Civitati confirmamus utile Dominium Dunae fluminis, ſic, ut eius Cives & Mercatores, tam indigenae, quam advenae veterem, & conſvetam libertatem navigandi, traiiciendi, & in omnibus negotiationibus merces importandi, exportandique, in parte tam ſuperiore, quam inferiore fluminis usque ad Civitatem, & de Civitate, liberam poteſtatem habeant. Aliorum item fluviorum, et amnium navigabilium liberum uſum usque ad ipſum mare, & per mare, quemadmoduni olim eum habuerunt, ita & in poſterum ſine omni impedimento, retentione, inſpectione, moleſtia, quocunque ex loco, aut arce terrarum noſtrarum Livoniae ea afferri poſſet, ſemper habeant. Naves etiam cum mercibus ubique ad littora, ripas, & terras libere, & ſecure appellere, ibidem in ſtatione retinere, inde pro arbitrio rurſus colluere, & curſum ſuum, quo velint Cives Rigenſes, ſuſcipere poterunt, quemadmodum ea de cauſa, in præiudicium Civitatis, aut liberae negotiationis, nihil in littore, ripave ædificari, aut ſtrui patiemur. In ipſo autem oſtio Dunae fluminis, Civitati pro conſvetudine veteri liberum erit perticas, ſeu trabes figere, facem ſeu lumen, quo noctu navigantibus introitus, & tutus curſus monſtretur, ſine ulla tamen munitione, ſed caſulis tantum aliquibus pro cuſtode luminis, et iis, qui navigantibus tutum ingreſſum in portum monſtrare ſolent, ædificatis, erigere. Item ſi quid controverſiæ, de iis, qui navigant, aut rebus ad navigia ſpectantibus in inferiore parte Dunæ fluminis a Civitate computando, usque ad mare, iudicandum evenerit, id ad cognitionem Magiſtratus Rigenſis pertinebit. Cumque traiectus, qui in flumine Duna iuxta Civitatem Rigenſem navigiis, & ratibus exerceri ſolet, ſemper penes Civitatem fuerit, volumus, ut penes eam permaneat. Portus etiam maris, in quem Duna illabitur, & eiusdem littoris uſum, & iurisdictionem Civitati relinquimus. Permittimusque, ut quae ex utilitate, & neceſſitate, cum Civitatis, tum univerſæ communis Reipublicæ in permittenda, aut prohibenda exportatione frumenti erunt, ea Civitas facere, & inſtituere cum iure inſpectionis in merces poſſit, ita ut negotiationis, & commerciorum adminiſtratio, & directio in mari, portu, flumine, littoribus, ipſi Civitati prorſus permittatur, ſalvo noſtro, & Succeſſorum Dominio. Jus quoque tam terra, quam mari dandi Literas Paſſus, ei Civitati, & eius Conſulatui permittimus. Quo autem negotiationes, & mercaturae, per temporum ſuperiorum gravitatem, bellique incommoda non mediocriter diminuta, in Civitate noſtra Rigenſi tanto facilius in priſtinum ſtatum, & frequentiam revocentur, Præfectis, & Capitaneis noſtris aliisque Nobilibus non permittemus, ut mercaturas, præter iura, & ordinem veterem exerceant. Statuimus item, ut Incolis & ruſticis terrae Livoniae pro tenore Privilegii Civitatis, libera vectura mercium ad Civitatem Rigenſem relinquatur, neque vero Peregrinis, vel Incolis Livoniae, aliisve cuiuscunque Nationis extraneæ hominibus ullum ius commerciorum exercendorum in Civitate Rigenſi aliud tribuemus, aut concedemus unquam, nec Succeſſores noſtri tribuent, aut concedent, quam olim in ea habuerunt. Monopolia etiam, quæ in fraudem iſtius Civitatis inſtitui, vel exerceri poſſint, vetita, & ſublata eſſe volumus. Prohibemus item, ne per vicinos fluvios, vel amnes, qui in flumen Dunam, ſeu Portum Rigenſem labuntur, præcipue vero per flumen Buldezavam, & per Treidezavam, quod flumen immediate in mare influit, & per quod ex mari merces in Dunam convehi poſſunt, frumentum, aut aliae merces venalitiae ad naves in portu conſiſtentes, vel ad vicinas ripas, aut inſulas apportentur, ſed volumus, ut merces ad ſolum portorium, vel forum Rigenſe conferantur, ibique veneant, & diſtrahantur, & inde ad naves evehantur. Quod quidem ut citra fraudem et impoſturam fiat, permittimus Magiſtratui Rigenſi, ut is ſolus

ANNO 1582.

ANNO 1582. Censores mercium iuratos, & aliarum rerum, in quibus id fieri necesse fuerit, ut in aliis portubus in usu est, constituat, eamque censuram tantum in Civitate pro more veteri, non alibi exerceri volumus, ita tamen, ut quæ merces sylvestres non probæ fuerint, dominis relinquantur, non autem dissectis vasibus dissipentur. Privilegia quoque Civitatis de bonis naufragis, & iactatis, & servatis, deque navibus ipsis, quocunque locorum naufragia passis, volumus veterem suam firmitatem, integritatemque obtinere. Facimus vero Rigensibus Civibus, aliisque Mercatoribus, etiam exteris, potestatem, bona in mari, vel fluminibus Livoniæ naufragium passa, ipsasque naves, aliasque res omnes ab occupatoribus, & detentoribus quibuscunque, ope, & auxilio Magistratus Rigensis, vel Præfecti loci, aut Judicis legitimi implorata, vendicandi, & repetendi. Qui quidem Magistratus, aut Præfecti, & Capitanei nostri, ac Iudices quicunque legitimi, hisce Rigensium Privilegiis satisfacere debent, nec permittere, ut illis fraus ulla fiat. Omnia vero itinera, omnesqne viæ ex Magno *D*ucatu Litvaniæ, Prussia, Samogitia, Curlandia, Semigallia, & tota Livonia, vel undecunque prodeuntes, tam terra, quam mari omnibus Civibus, Incolis, & Mercatoribus Rigensibus libera esse debent, ut omnibus per vias eas merces importare, aut exportare volentibus, cunctis temporibus pacis, & belli, pro libertate sua, suisq; Privilegiis tutum, integrumque sit. Multo vero minus Cives Rigenses in libera emptione boum, lignorum, equorum, piscium, aliarumque rerum in supradictis locis impediri, aut prohiberi debent, salvis teloneis Nobis debitis. Antiquam consvetudinem, alienos fugitivos rusticos ex Territorio Rigensi intra biennii spatium legitime non evocatos, retinendi, Civitati confirmamus. Et quia Civitas nostra Rigensis per Internuntios suos Nobis exposuit, se ius cudendi monetam, cum auream, tum argenteam, ad eamque rem propriam domum cum omni instrumento monetario habuisse, Nobisque supplicasset, ut id ipsum quoque confirmare dignaremur, Nos eam facultatem cum omni eius emolumento Civitati illi liberam (quod ius Civitatibus etiam maioribus Terrarum nostrarum Prussiæ Maiores nostri ante concesserunt) relinquimus, ita tamen, ut ex una pecuniæ parte effigies nostra, vel Insignia Regni, Magnique *D*ucatus Litvaniæ, in altera Civitatis Insignia exprimantur, pondus vero, & valor æquabilis monetæ Regni, ac Magni Ducatus Litvaniæ sit, eiusque pecuniæ usus, cum pecunia cusa fuerit, in communi Republica promiscuus, & indifferens sit. Finita quoque, & confecta Dei auxilio cum Moschis Pace, volumus, ut ne Moschici Mercatores cum mercibus suis recta Rigam contendentes, ullo in loco impediantur, ac curae Nobis erit, ne ratione Smolescensis mercaturæ, quæ ad Civitatem Rigensem libera antehac, minimeque impedita fuit, & esse debet, tam Moschis, quam aliis, & imprimis Civitatibus maritimis, vulgo Ansæ nuncupatis, quicquam concedatur, quod in præiudicium Civitatis Rigensis, eiusque veteris usus esse possit. Speciali quoque gratia Civitati Rigensi prospectum esse volumus, ne quisquam in cuiuscunque Dominio, & Districtu intra spatium duorum milliarium, a Civitate Rigensi consistens, poculenta coquere, & conficere audeat, exceptis tamen Præfectis, qui pro usu suo, ac suorum in Arce ea libertate uti possunt, itidemque Nobiles domi pro se, ac suis domesticis facere poterunt. Reliqui vero coloni, & subditi, a confectione poculentorum abstineant, eaque, quoties indigebunt, a Civibus nostræ Civitatis Rigensis emant, ac suis usibus inde exportent. Ad hæc omnia cum perneccessarium esse, atque ad publicam utilitatem plurimum pertinere iudicemus, in ditionibus nostris reditus Reipublicæ amplificari, qui bonis temporibus instituti, necessariis rebus præsidio esse possint, ea de causa de ærario, & mercibus, quæ importantur, aut exportantur, in Civitate nostra Rigensi constituendo, cum prædicta Civitate egimus, decrevimus, & constituimus, quemadmodum decernimus, & constituimus tenore præsentium nostrarum Literarum, tale Ærarium, vel Portorium ex importatione, aut exportatione mercium quarumvis, Nobis, & Sereniſſimis Successoribus nostris deinceps in Civitate nostra Rigensi constitutum esse debere, cuius quidem exactio ad eam taxam comparabitur, quæ cum Nobis a Civitate Rigensi oblata esset, Sigillo nostro subsignata est. ANNO 1582.

Quam quidem taxam ita ratam habemus, si Portorio Gedanensi inferior non fuerit, eaque taxa non inferior Gedanensi a Nobis, & Sereniſſimis Successoribus nostris, quocunque prætextu, aut nomine immutari, aut augeri non debet. Præterea ne commemoratæ Civitati nostræ, aut ulli hominum aliquæ Exactorum iniuriæ pertimescendæ sint, illi exactioni non externum, sed ex ipsius Civitatis Proconsulum, Consulum, Magistratus, aut Civium numero aliquem, vel aliquos præ-

ANNO 1582. praeficiemus, & Sereniſſimi Succeſſores noſtri praeficient, cui Civitas aliquem ex ſuis adiungere poterit Scribam, & noſtrum, vel ipſius Civitatis Rigenſis Civem, vel Livonem, vel Prutenum probatae integritatis, & fidei hominem adhibebimus. Locum etiam iſti exactioni non foris extra Civitatem, ſed intra ipſam Rigam commodum deputabimus, ubi exactio iſta rectiſſime fiat. Quo autem ex ea exactione peculiaris quidam fructus ad Civitatem Rigenſem perveniat, decernimus, atque conſtituimus partem tertiam univerſae illius exactionis ad ipſam Civitatem pertinere, ac pervenire debere, ita, ut partes duae Nobis, ac Sereniſſimis Succeſſoribus noſtris integrae conſerventur, ex qua quidem tertia parte, praedicta Civitas ante omnia portum reficere, purgare, & quam optime conſervare tenebitur, ſine ulla duarum noſtrarum partium diminutione. Quidquid vero aerarii ex iſta exactione pro partibus noſtris redactum fuerit, ita habita ratione defenſionis Civitatis Rigenſis, univerſae Livoniae, pro Noſtro, ac Sereniſſimorum Succeſſorum noſtrorum arbitrio erogari debet. Ne autem pluribus portoriis, aut teloneis in vicino Civitas noſtra Rigenſis gravetur, decernimus aliud portorium, aut telonium, tam in ſuperiore Dunae fluminis parte, quam in inferiore, uſque ad mare, aliisque vicinis locis, intra Livoniam, tam in aquis, quam terris ad decem uſque milliaria circa Civitatem, nullum inſtitui deberi. Et quo Civitatis noſtrae Rigenſis Cives Regiam noſtram Clementiam uberius exploratam habeant, decernimus ipſos Cives Rigenſes perpetuis temporibus ab omnibus teloneis, ſurſum in flumine *D*una a Civitate, uſque ad *D*uneburgum liberos, & immunes eſſe debere. Portus item, & nova Emporia alibi non aperiantur, quae in fraudem, & detrimentum huius aerarii noſtri vergere quomodocunque poſſunt. Bona item vacantia, & caduca, quorumve intra anni ſpatium nulla poſtulatio facta eſt, ut antiquitus ad illam Civitatem devoluta fuere, ita devolvi volumus, & Civitati relinquimus. Ad hæc vero, ut praeter iusiurandi religionem perpetuum extet ſubiectionis, & fidelitatis argumentum, commemorata Civitas Noſtrum, & Sereniſſimorum Succeſſorum noſtrorum Dominium recognoſcens, annis deinceps ſingulis ad quodq; Feſtum Circumciſionis Dom. mille florenos Polon. quorum ſinguli ſunt triginta groſſorum Polon. Nobis, & inpoſterum Sereniſſimis Succeſſoribus noſtris, temporibus univerſis adnumerabunt, & perſolvent. Praeterea etiam, quotiescunque Nos vel defenſive, vel offenſive expeditionem contra Moſchum, aut alios vicinos hoſtes ſuſceperimus, vel Sereniſſimi Succeſſores noſtri ſuſceperint, Civitas noſtra Rigenſis Vexillum trecentorum peditum alere, & Exercitui noſtro, aut Succeſſorum noſtrorum coniungere tenebitur, additis aliquot tormentis campeſtribus, eorumque tormentorum neceſſario pulveris, & globorum apparatu. Quae omnia ſupraſcripta a Nobis, & Succeſſoribus noſtris, rata, firma, & perpetua conſervabuntur. In quorum certiſſimam fidem haec manu noſtra ſubſcripſimus, & Sigillo cum Regni noſtri, tum Magni Ducatus Litvaniæ iuſſimus ſigillari, Dat. Drochicini die quarta decima Menſis Ianuarii, Anno milleſimo quingenteſimo octuageſimo primo, Regni vero noſtri quinto. STEPHANUS Rex. Nos igitur præfatus Rex STEPHANUS cum, Ordinibus Regni Varſchoviæ congregatis, Comitia haberemus, quo omnibus hæc teſtatoria eſſent, denuo illa repetere voluimus, quemadmodum & præſentibus repetimus. In quorum omnium fidem hæc manu noſtra ſubſcripſimus, & Sigillo cum Regni noſtri, tum Magni Ducatus Litvaniae iuſſimus ſigillari. Datum Varſchoviae in Conventu Regni Generali die decima ſexta Menſis Novemb. correcti Calendarii, Anno 1582. Regni vero noſtri Anno ſeptimo. Praeſentibus Reverendiſſimis, Reverendis, Magnificis, Generoſis, ac Nobilibus Staniſlao Karnkowſki Dei Gratia Archiepiſcopo Gneſnenſi, Legato Nato, & Regni noſtri Primate, Petro Miſkowſki Cracovienſi, Luca a Koſcielec Poſnanienſi, Martino Cromer Varmienſi, Victorino Wierzbicki Luceorienſi, Petro Koſtka Culmenſi, Adamo Pilichowſki Chełmenſi, eadem Gratia Epiſcopis, Staniſlao Szafraniec de Pieſkowa Skała Sandomirienſi, Staniſlao Comite a Gorka Poſnanienſi, Buſcenſi, Colenſique Capitaneo, Euſtachio Wołłowicz Caſtellano Vilnenſi, Magni Ducatus Litvaniae Cancellario, Breſtenſi, Cobrinenſique Capitaneo, Stephano Duce a Zbaraz Trocenſi, Alberto a Laſko Siradienſi, Ioanne Sierakowſki de Boguſławicze Lancicienſi, Palatinis, Ioanne Kiſzka Capitaneo Generali Terrarum Samogitiæ, Petro de Potulicze Brzeſtenſi, Conſtantino Duce in Oſtrog Kijovienſi, Mareſchalco Volhyniae, Ioanne Spławſki Inovladiſlavienſi, Filone Kmita Smolenſcenſi, Ioanne Tarło de Szczekarzowicze Lublinenſi, & Capitaneo Pilznenſi, Nicolao Doroſtayſki Polocenſi, Staniſlao Zołkiewſki Bełzenſi, Gregorio Zie-

ANNO 1582. liński Plocenſi, & Capitaneo Zakroczymenſi, Mławenſique, Staniſlao Kriſki de Drobin, Maſoviae, & Capitaneo Plocenſi, Nicolao Kiſzka de Ciechanowiecz Podlachiae, Bielſcenſi, Drohicenſique Capitaneo, Anſelmo Goſtomſki Ravenſi, Januſſio Duce in Zbaraz Braclavienſi, & Capitaneo Krzemienecenſi, Pinſcenſique, Chriſtophoro Koſtka de Stangembergk Pomeraniae Palatinis, Golubenſi, & Coſcerzynenſi Capitaneo, Paulo Szczawińſki Lancicienſi Capitaneo Sechaczovienſi, Varatenſique, Nicolao Talwoſz Samogitiae, Michaele Miſka Vołhyniæ, Andrea Firley de Dambrowicza Lublinenſi, & Capitaneo Sandomirienſi, Alexandro Laſzcz Czernenſi, & Capitaneo Chelmenſi, Staniſlao Leśniowolſki de Obory Podlachiae, & Capitaneo Loſſicenſi, Joanne Dulſki Culmenſi, Theſaurario Regni Generali, Branſcenſi, Rogoznenſi, Necenſique Capitaneo, Adamo Walewſki Elbingenſi, Nicolao Firley de Dambrowicza Biecenſi, Curiae Regni Referendario, Caſimirienſique Capitaneo, Georgio Mniſzech Radomienſi, Sanocenſi, Sokalienſique Capitaneo, Joanne a Sienno Zarnovienſi, Nicolao Liſſakowſki Chełmenſi, Stephano Grudzińſki Naklenſi, Joanne a Koſcielecz Biecenſi, & Capitaneo Bidgoſtienſi, Simone Szczawinſki de Subſko Inovlodenſi, & Capitaneo Goſtinenſi, Staniſlao Goſtomſki Sochaczovienſi, Staniſlao Radziminſki, Zakroczymenſi, & Capitaneo Livenſi, Camenecenſique, Caſtellanis, Andrea Opalinſki de Bnin Supremo Regni Mareſchalco, Maioris Poloniae Generali, Dohatynenſi, Srzemenſique Capitaneo, Joanne Zamoyſki de Zamośćie Supremo Cancellario Regni, Generalique Exercituum, ac Cracovienſi, Mariemburgenſi, Rinffinenſi, Miedzyrzecenſi, Capitaneo, Joanne Bornkowſki de Bilino Vice-Cancellario Regni, Plocenſi, Lancicienſique Præpoſito, Decano Varſovienſi, Andrea a Zborow Mareſchalco Curiae Regni, Radomienſique Capitaneo, Alberto Baranowſki Secretario Regni Maiore, Cantore Gneſnenſi, Vladiſlavienſi, Poſnanienſique, Joanne Tarnowſki Referendario, Vladiſlavienſi, Cruſvicienſique Præpoſito, & Cracovienſi, Joanne Piotrowſki Gneſnenſi, Cracovienſi, Poſnanienſique, Laurentio Goſlicki Decano Kielcenſi, Cracovienſi, Vladiſlavienſi, Sandomirienſique, Canonicis, Secretariis noſtris, Hiacyntho Młodzieiowſki Theſaurario Curiae Regni, Rrzeczovienſique Capitaneo, & aliis quam plurimis Dignitariis, Officialibus, & Aulicis noſtris, nec non Terrarum Nuntiis ad Conventum Regni Generalem congregatis. Datum per manus Magnifici Joannis de Zamośćie Regni noſtri Supremi Cancellarii, & Exercituum Generalis, nec non Cracovienſis, Mariemburgenſis, Rinffinenſis, Miedzyrzecenſisque Capitanei. ANNO 1582.

STEPHANUS *Rex.*

CLXXXV.

Inſtauratio, & Approbatio duorum Privilegiorum Rigenſibus conceſſorum: quorum primo STEPHANUS *Rex Curiam Archiepiſcopalem, nec non Ædes, & Areas ad Capitulum olim pertinentes Civitati Rigenſi iure perpetuo donat.* Dat. Rigæ die 7. Aprilis Anno 1582. *Altero* (ſub eodem dato) *templum D. Jacobo dicatum, nec non aliud templum S. Mariæ Magdalenæ Catholicis reſtituit, templum vero Cathedrale, ac alia omnia templa cum omnibus eorum proventibus, & Jurepatronatus Civitati Rigenſi addicit, ſtatuitque, ut in ea liberum Catholicæ Religionis, & Confeſſionis Auguſtanæ, excluſis aliis ſectis, exercitium ſit.* Dat. Varſaviæ in Conventu Regni Generali die 16. Novembr. Anno 1582. *Indidem fol. 141.* 1582.

STEPHANUS Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, Kijoviæ, Vołhyniæ, Podlachiæque; nec non Princeps Tranſylvaniæ &c. Significamus tenore præſentium, quibus expedit univerſis, præſentibus, & futuris harum notitiam habituris. Cum ſuperioribus temporibus benignitate Divina feliciter confecto bello Moſchico, graviſſimaq; ſervitute, & periculo ab ea depulſo, Regno noſtro Livoniam rurſum adiunxiſſemus, ac ut eandem quoque Legibus, & Inſtitutis fundaremus, in eandem ingreſſi Civitatem noſtram Rigam, tanquam totius Livoniæ caput, & primariam urbem acceſſiſſemus, Privilegia nonnulla ad Eccleſiaſticas res ſpectantia, eidem Civitati noſtrae contulerimus, quorum hic eſt, qui ſequitur tenor.

STEPHANUS Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, Kiioviæ, Volhyniæ, Podlachiæ, nec non Princeps Tran-

ANNO 1582. Transylvaniæ &c. notum testatumq; facimus in universum omnibus, tam præsentibus, quam futuris, ad quos harum Literarum notitia pervenerit. Quod cum satis Nobis sit cognita, perspectaq; fides, obsequia, & merita in Nos, & Rempublicam nostram Civitatis nostrae Rigensis, quam superioribus temporibus subministrandis, in communibus huius Provinciae periculis, vicinis arcibus, nostrisque hominibus auxiliis, & subsidiis quibusvis, & his posterioribus nostris contra hostem expeditionibus iuvandis, quod in eis esset, conatibus Nostris, & in Exercitum nostrum commeatibus, aliisque ad belli usum necessariis rebus subvehendis Nobis probarunt, ut aliquod nostrae quoque in eos gratiae, et Regiae beneficentiae extaret testimonium, alacrioresque in posterum ad omne obsequiorum genus efficerentur, Curiam nostram antiquam desertam, quæ olim Archiepiscopi Rigensis fuit, penes ipsa Civitatis mœnia Rigae sitam, quae nunc iuris nostri est, in publicos usus, et commoditates restaurandam, ac præterea ædes Canonicorum, et Capitularium, desertasque areas ad Capitulum olim pertinentes, quæ aliis non fuerint collatae, quæcunque intra mœnia Civitatis continentur, iisdem Civibus nostris donamus, et conferimus in perpetuum, cum universo iure, ac Dominio, et proprietate earum, illisque iam pura, ac irrevocabili donatione hac nostra, nec per Nos, nec per Successores nostros ullo unquam tempore infringenda, aut immutanda addicimus, atque ex nunc possidendas tradimus, simulque iuri, et iurisdictioni Civili adscribimus, et incorporamus. Quam quidem Donationem, et Concessionem nostram, tam nostro, quam Serenissimorum Successorum nostrorum nominibus, ratam, firmam, et inviolatam, in perpetuum futuram, ita quidem, ut nec a Nobis, nec a Successoribus nostris revocari, immutarique ulla ex causa possit, ac debeat, pollicemur, ac spondemus. Cum vero ex his Canonicorum, et Capitularibus ædibus, census quidam annui ad Nos pertinuissent, horum intuitu Cives nostri Rigenses Nobis centum florenos Polonicos singulis annis in perpetuum pendere debebunt, quod et libere in se suscepperunt, quos quidem Nos iam exnunc nostro, et Successorum nostrorum nomine in necessitates templi Divi Jacobi in hac Civitate Rigensi Clericorum Catholici ritus donamus, assignamus, et addicimus in perpetuum, iuxta dispositionem Nostram, ita ut pars media eorum, quinquaginta videlicet floreni, pro festo quolibet Paschatis, reliqua vero pars pro die S. Martini quotannis numeretur, sine ulla mora, et impedimento, sub mulcta huic ipsi summae simili, quoties supra præfixo tempore iam expressa pecunia in Prætorio Rigensi requisita, Divi Jacobi Plebano, vel eius mandatario libere tradita non fuerit. Quorum omnium in ampliorem fidem, et testimonium, has Literas manu nostra subscripsimus, et Sigillis tam Regni Poloniæ, quam Magni Ducatus Litvaniae obsignari mandavimus. Dat. Rigæ die septima Mensis Aprilis, Anno Domini millesimo quingentesimo octuagesimo secundo. Regni vero nostri sexto. Præsentibus Reverendis, Illustribus, Magnificis, Generosis, et Venerabilibus Georgio Radziwiłł Duce in Olyka, et Nieśwież Vilnensi, Melchiore Giedroyc Samogitiæ Episcopis, Eustachio Wołłowicz, Vilnensi, Cancellario M. D. Litvaniae, Brzestensi, Cobrinensique, Christophoro Radziwiłł Duce in Dubinki, et Bierze Trocensi, Magni Ducatus Litvaniae Vice-Cancellario, et Campiductore, Borissoviensi, Solecensique, Nicolao Firley de Dąbrowica Biecensi, et Regni nostri Curiae Referendario, Casimiriensique, Alberto Ręczayski Varsoviensi, Castellanis, et Capitaneis, Joanne Borukowski de Bilino Regni nostri Vice-Cancellario, Præposito Plocensi, Lancicienſique, Decano Varsoviensi, Alberto Baranowski Secretario Regni Maiore, Cantore Gnesnensi, Joanne Tarnawski Regni Curiae Referendario, Præposito Vladislaviensi, Cruswicienſique, Canonico Cracoviensi, Hiacyntho Młodzieiowski Regni Curiae Thesaurario, Rrzeczoviensiq; Capitaneo, Joanne Demetrio Solikowski Scholastico Vladislaviensi, Lancicienſiq; Custode Sandomirienſi, Mathia Konopacki Secretariis, et aliis quam plurimis Secretariis & Aulicis nostris ad præmissa testibus fide dignis.

Stephanus Rex. STEPHANUS Dei gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Livoniæq; &c. Princeps Transylvaniæ, notum, testatumque facimus, hisce Literis nostris universis, tam præsentibus, quam futuris, ad quos earum notitia pervenerit. Quod cum paulo Superioribus diebus hostem nostrum Moschum Summi Dei auxilio, atque benignitate, armis nostris, et continuis per aliquot annos ex eo relatis victoriis eo redegerimus, ut Nobis tandem universa Livonia, cuius magnam partem sibi iniquissime, a non paucis iam annis usurpaverat, et intollerabili tyrannide in hoc usque tempus premebat, cedere coactus sit. Ideoque ad componendum, et restaurandum eius ipsius Provin-

ANNO 1582. ciae afflictum undequaque Statum, Nos in illam contulissemus, ac in Civitatem nostram Rigam, tanquam huius orae primariam perveniissemus, faciendum id Nobis existimavimus, ut ab eo, quod ad ipsius Præpotentis Dei Gloriam propagandam spectaret, rerum omnium exordium sumeremus, tum ut Nos maximorum Divinae Clementiae in Nos beneficiorum gratos exhiberemus, tum ut hanc Gentem maximis ignorantiae tenebris, ob assiduos bellorum tumultus, & multiplicibus erroribus circumfusam, & seductam, ad veram Dei agnitionem, & cultum, pro officio nostro, quantum in Nobis esset, revocaremus, atque cum inprimis in hanc Civitatem nostram Rigensem oculos convertissemus, eamque non sine dolore nostro, Domino ita permittente, adeo a Religionis Catholicae cultu alienatam offendissemus, ut omnia ad Dei Gloriam in ea extructa templa ad normam Confessionis eius, quam Augustanam vocant, redacta, & conversa essent, nec ullus in ea Catholicis nostris reliquus esse locus videretur, maximeque id, & ad pietatem nostram erga Deum, & ad Dignitatem Regiam pertinere animadverteremus, ut tam in nostram, nostrorumque, quam aliorum, & Civium, & Advenarum, ac etiam Colonorum, qui in Catholica Religione perseverarent, vel ad eam reverterentur, usum, aliqua in hac urbe templa, nunc & in posterum ad Catholicum, & Sacrae Romanae Ecclesiae ritum restauraremus. De eo ita cum Consulatu, & Civibus nostris Rigensibus convenimus, ut videlicet templum antiquitus Divo Jacobo dicatum cum universo Cæmeterio ad Catholicorum sepulturas, atque ambitu ipsius, ædificiis, septem videlicet domibus ibidem extructis, & aliis isthic in templi usum locari solitis, una præterea domo e regione templi sita, ad hoc ipsum templum spectantibus, & universis censibus, peculiari quodam scripto expressis, proventibusque, & qualibuscunque aliis reditibus, atque ornamentis ad illud pertinentibus, ac præterea minus aliud illi contiguum Divæ Mariæ Magdalenæ templum, cum toto Cænobio Cisterciensis Ordinis Virginum, universisque illius ædificiis, areis, & proventibus, tam intra, quam extra Urbem, ubicunque locorum consistentibus, & ad id antiquitus quovis iure spectantibus (ex libero ipsorum Civium assensu, & de omni iure suo, quod ad utraque hæc templa unquam habuerint, cessione) ad usum S. Catholicæ Religionis in perpetuum addiceremus, deputaremus, ac consignaremus, prout iam in præsenti re ipsa addiximus, deputavimus, & consignavimus. Remanebuntque hæc ipsa templa, & omnes ad ipsa spectantes fundi, ædificia, possessiones, ac Proventus, & eorum Parochi, cæterique illis in templis Deo servientes Sacerdotes, & Clerici in protectione, & defensione, Jure Patronatus, & collatione nostra Regia, Successorumque nostrorum, nec sibi in eos, eaque Jurisdictionem Cives Rigenses usurpabunt, ita, ut Nobis, & ImmunitatiEcclesiasticæ adscripta esse censeantur. Templum vero, quod olim Archiepiscopi Cathedrale fuit, ac alia templa, sive Cœnobia Religiosorum, quæcunque intra Civitatem Rigensem continentur, etiam & Ritus Græci in id incluso templo, cum universis ipsorum ædificiis, cæmeteriis, proventibus, censibus, ac reditibus, ab antiquo ad ea intra ipsa Civitatis Rigensis mœnia spectantibus, præfatæ Civitati nostræ, aut adeo Consulatui Rigensi concedimus, omneq; Jus Patronatus, & Collationis Nostrum, in eosdem transferrimus, & trunsfundimus in perpetuum, eorumque iurisdictioni adscribimus, ut sive illa ad Catholicorum ritum, Domino Deo corda illorum ita disponente, reformare voluerint, sive in ea, quam nunc ibi profitentur, Augustana Confessione perstiterint, (modo ne alias quasvis ab hac differentes sectas introducant) in eorum id potestate, & mutuo consensu permaneat. Templaque præfata cum omnibus superius nominatis ad illa pertinentibus, Juris Patronatus Civium Rigensium publici semper sint. Id quoque Civibus nostris Rigensibus cautum esse volumus, ut nullum sit malefactoribus ad Templa Catholica perfugium. Quodsi aliqui eo confugerint, potestate sua, in eos Magistratus utatur. Ita tamen, ut si necesse fuerit Arcis nostræ Rigensis Præfecto, vel loci Ordinarii Officiali adhibito, qui, vel alteruter eorum id detractare non debent, sine ulla perturbatione Cleri, & rerum Ecclesiæ, ac domorum perquirantur. Armamentarium quoque, quod penes Divi Jacobi in publicum Civitatis usum extructum est, loco suo, & in Civium potestate in futurum relinquimus. Cæterum quemadmodum cuique in Civitate nostra, sive is Catholicam Religionem sequi, sive Augustanæ Confessioni adhærere malit, liberum id permittimus, ita, ne cuiquam vel pœnis aliquibus, vel coactionibus publicis, privatione, aut probris, a Magistratu civili, aut quibusvis privatis personis Religionis Catholicæ professio interdicatur, severe nunc cavemus, ac prohibemus, sub gravi indignatione ANNO 1582.

Anno 1582. tione, & animadverſione noſtra, prout nec ab Auguſtana hac Confeſſione quemque vel vi, vel minis, aut iniquis aliquibus rationibus deterreri volumus, atque hæc ita cum Civibus noſtris Rigenſibus, ex Senatorum noſtrorum conſilio a Nobis conſtituta, & tranſacta, eisque per Nos, noſtro, & Succeſſorum noſtrorum nomine conceſſa, & ab illis per omnia ſuſcepta, ut firmiora, durabilioraque ſint, præſentes Literas manu noſtra ſubſcripſimus, & Sigillis noſtris tam Regni Poloniæ, quam Magni Ducatus Litvaniae communiri iuſſimus. Datum Rigæ die ſeptima Menſis Aprilis, Anno Domini milleſimo quingenteſimo octuageſimo ſecundo, Regni vero noſtri Anno ſexto. Præſentibus Illuſtribus, Reverendis, Magnificis, Venerabilibus, & Generoſis, Domino Georgio Radziwiłł Duce in Oły-ka, & Nieśwież Vilnenſi, Melchiore Giedroyc Samogitiæ Epiſcopis. Euſtachio Wołłowicz Vilnenſi, Cancellario Magni Ducatus Litvaniæ, Brzeſtenſi, Cobrinenſique, Chriſtophoro Radziwiłł Duce in Dubinki, & Bierze, Trocenſi, Magni Ducatus Litvaniæ Vice-Cancellario, & Campiductore, Boriſſovienſi, Solecenſique, Nicolao Firley de Dambrowicza, Biecenſi, & Regni noſtri Curiæ Referendario, Caſimirienſique, Alberto Ręczayſki Varſchovienſi Caſtellanis, & Capitaneis, Ioanne Boruchowſki de Bilno, Regni noſtri Vicecancellario, Præpoſito Plocenſi, Lancicienſique, Decano Varſchovienſi, Alberto Baranowſki Secretario Regni maiore, Cantore Gneſnenſi, Ioanne Tarnawſki Regni Curiæ Referendario, Præpoſito Vladiſlavienſi, Cruſvicienſiq; Canonico Cracovienſi, Hyacintho Młodziejowſki Regni Curiæ Theſaurario, Rzeczovienſique Capitaneo, Ioanne Demetrio Solikowſki Scholaſtico Vladiſlavienſi, Lancicienſique, Cuſtode Sandomirienſi, Mathia Konopacki Secretariis, & aliis quam plurimis Secretariis, & Aulicis noſtris ad præmiſſa teſtibus fide dignis.

STEPHANUS Rex.

Nos igitur præfatus Rex Stephanus *cum, Ordinibus Regni Varſchoviæ congregatis, Comitia haberemus, quo omnia hæc notiora eſſent, denuo illa repetere voluimus, quemadmodum præſentibus repetimus. In quorum omnium fidem, & evidentius teſtimonium haſce manu noſtra ſubſcripſimus, & Regni noſtri, Magnique Ducatus Litvaniæ Sigillo communiri mandavimus.* Datum Varſchaviæ in Conventu Regni Generali, die decima ſexta Menſis Novembris correcti Calendarii, Anno milleſimo quingenteſimo octuageſimo ſecundo. Regni vero noſtri Anno ſeptimo, Præſentibus, ut ſupra &c. Anno 1582.

STEPHANUS *Rex.*

CLXXXVI.

Erectio Epiſcopatus Vendenſis. 1582.
Dat. Varſaviæ d. 3. Dec. Anno 1582. *Ex Archivo Regni.* Lib. 98. Lit. W E. n. 99. fol. 246.

Joannes Casimirus Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, Smolenſciæ, Czerniechoviæque, nec non Svecorum, Gottorum, Vandalorumque Hæreditarius Rex. *Significamus præſentibus Literis noſtris, quorum intereſt, univerſis, & ſingulis. Reperiri in Archivo publico Metrices Regni Cancellariæ noſtræ Literas Erectionis Epiſcopatus Vendenſis infraſcriptas, quarum tenor ſequitur, eſtque talis:* Stephanus *DEI Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæ &c. Princeps Tranſylvaniæ. Significamus præſentibus Literis noſtris, quorum intereſt, univerſis, & ſingulis, ſupplicatum Nobis fuiſſe nomine Reverendi in Chriſto Patris Domini Alexandri Mielinſki, Nominati Epiſcopi Vendenſis, & Abbatis Trzemeſnenſis, ut eius Diplomatis, atque Privilegii, quo Epiſcopatum Vendenſem in Livonia de novo fundavimus, atque ereximus, in Acta, & Libros Cancellariæ Regni noſtri relati, ipſi exemplum authenticum inde edi mandaremus, cuius quidem tenor de verbo ad verbum ſequitur, ut eſt iſte:*

In Nomine Sanctiſſimæ & Individuæ Trinitatis Amen.

Nos Stephanus Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Volhyniæ, Kiioviæ, Podlachiæ, Livoniæ &c. & Princeps Tranſylvaniæ. Ad perpetuam rei memoriam. Significamus præſentibus hiſce univerſis, & ſingulis. Cum Provinciam Livoniam ſuperiorum temporum calamitate, atque Moſchovitico Imperio graviter oppreſſam Regno noſtro ita rurſum adiunxiſſemus, ut ſingularem in eo benignitatem, clementiamque Divinam facile perſpiceremus, quo & noſtri erga eximium hoc beneficium grati, reverentisque animi ad poſteritatem quoq; perpetua memoria, ac immortale monumentum extaret, tamque præclari operis ſtabile, firmumque fundamentum iaceretur, cum primis faciendum Nobis exiſtimavimus, ut, quod in omnibus actio-

ANNO 1582. nibus noſtris propoſitum Nobis eſt, & in hoc quoque ſtudium noſtrum appareret, ac a pietatis, Religionisq; ſtudio hanc quoque Provinciæ huius reſtaurationem ordiremur; itaque, ut una cum Imperio Religio quoque Catholica, cuius ex ſuperiorum temporum vaſtitate, ne veſtigium fere ullum in illis oris reliquum fuerat, proferretur, qui illi cum authoritate præeſſet, atque eam amplectendo, exemplo, doctrinaque ſua hominibus illis præiret, Epiſcopum eidem ut præficeremus, cum primis neceſſarium Nobis videbatur, et ſi autem melioribus temporibus plures etiam iis in locis Epiſcopatus floruiſſe, inquirendo reperiebamus, facile tamen, vel pars Provinciæ eius tam afflictæ, exhauſtæque fortunæ, vel ſuperiorum etiam ætatum exempla, capitalesque, ac exitioſæ Provinciæ inter plures Magiſtratus diſſenſiones Nobis perſvaſerant, ut ita rectiſſime tum Eccleſiæ, tum Provinciæ eius rationibus conſulturos Nobis ſtatueremus, ſi unum in ea ſaltem Sacerdotum Caput, Epiſcopumque eſſe vellemus, ad eumque omnem rerum Eccleſiaſticarum authoritatem, curamque defferremus. Itaque, quod felix, fauſtumque ſit Eccleſiæ, inſtituendum, fundandumque in ea Provincia duximus, & vi præſentium inſtituimus, fundamusque Provinciæ Livoniæ unum, ſummumque Epiſcopatum, eidemque more, atque inſtituto Eccleſiæ peculiare Praelatorum, Canonicorumque Collegium, Praepoſitum nimirum, Decanum, Archidiaconum, Cantorem, Scholaſticum, & Cuſtodem, Canonicosque ſex adiungimus, perpetuamque eius ſedem, ac domicilium Vendam, eiusque Provinciae Oppidum, cultui vero divino Oppidi illius primariam aedem aſſignavimus, utque ab omni aliarum rerum cura remoti divinarum rerum, pietatisque ſtudio ſoli eo liberius vacare, idque, quod Nos unum tantopere hoc inſtituto noſtro ſpectamus, ut Provinciae illius homines a verae doctrinae inſtitutis partim temporum calamitate, partim haereticorum, ſectarumque aſtu alienati, ad verae pietatis, Religionisque ſtudium revocentur, tanto commodius aſſequi poſſint, conferimus eidem Eccleſiae, ſeu Epiſcopatui, Epiſcopisque univerſis, & ſingulis poſthac futuris, Dotis Eccleſiaſticae nomine Arces: *Wolmar*, *Frikatum*, *Butńiki*, *Odempe*, *Wrangel*, *Moyza*, *& Rodempens*, cum omni earum territorio, ambitu, locis, iisque omnino limitibus, quibus antiquitus quam latiſſime circumſcriptae fuerunt, omnibus denique, quae ad earum Arcium uſus, utilitatesque pertinuerunt, vel poſthac pertinere poſſint, Oppidis, Foris, Villis, earundemque incolis, aſcriptiisque praediis, tam ruſticis, quam urbanis, pratis, agris, fundis, campisque, tam paſcuis, quam novalibus, ſylvis item, lacubus, fluminibus, rivisque omnibus, eorundemque omni proventu, cuiuscunq; generis molendinorum, piſcatione, venatione, aucupiorumque, omnibusque adeo opportunitatibus, quae vel in illis ſunt, vel poſthac cuiusvis induſtria, ingenioque inſtitui poterint, nullis prorſus exceptis, reſervatis, omni praeterea iurisdictione, atque imperio, eo ſolo iure, quod in alios Regni noſtri Epiſcopatus Nobis competit, maxime autem, ne ſine noſtra, Succeſſorumve noſtrorum authoritate, conſenſuque permutare, alienareve ea poſſint, ſalvo, ſicut ad Nos optimo iure pertinerent, ita ea lege, qua qui optima poſſident, in perpetuum poſſidenda, tenendaque, pro utilitate Eccleſiæ libere adminiſtranda addicimus, donamusque. Domos praeterea, eiusdem Epiſcopi habitationi Vendæ, Parnoviæ, Dorpati, ac Felim, cum omni earundem uſu, fructuque ſingulas. Prælatorum vero Canonicorumque uſibus, Vendæ vicum unum, in eoque ſitas Domos omnes, arbitratui Epiſcopi in eosdem diſtribuendas, in perpetuum aſſignamus, donamusque. Proventus autem iisdem Prælatis, Canonicisque ex ſupra nominata dote Epiſcopali, Præpoſito, Decano, Archidiacono, trecentos, Cantori, Scholaſtico, & Cuſtodi, ducentos, reliquis ſex Canonicis centenos, & quinquaginta florenos annuos receptae, uſitataeque in Regno noſtro æſtimationis, ſingulis attribuimus, eosque qui poſthac Eccleſiae eius Epiſcopi fuerint, pro die S. Stephani Protomartyris, ſine ulla mora integre, pleneq; in pertuum quotannis ſingulis perſolvant, ac ita demum reliquos bonorum eorum reditus ex ſuo arbitrio, atque Eccleſiae utilitate adminiſtrare, atque in optimos Eccleſiae huius fructus convertere poſſint, præſentibus hiſce ordinamus, conſtituimusque. Reliqui etiam reditus, qui vel ex ſepulturis, vel aliis piis cauſis, ad Eccleſiam pervenerint, ſecundum ius commune, ſtatutosque hac de re a ſummis Pontificibus Canones, in Epiſcopum, Canonicos, Eccleſiaeque uſus diſtribuentur. Libertatibus praeterea, immunitatibus, iuribusque, ac Privilegiis omnibus, quibus in Polonia Epiſcopi, Prælati, aliique homines Eccleſiaſtici, vel iure ſcripto, vel more, ac conſvetudine utuntur, idem Epiſcopus Vendenſis, omnesque eius Succeſſores, Eccleſiae illius Prælati, & Canonici ipſi quoque libere utentur, fru-

ANNO 1582.

ANNO 1582. fruentur, neque ulla in re deteriori conditione erunt, quam qui in Polonia eius ordinis optima conditione ſunt. Nominatim autem in *C*onſilio Provinciae Livoniae, iudiciisque, ac conventibus omnibus Provincialibus Principem locum a Vicario, ſeu locum tenente noſtro, Jusq; dicendae ſententiae Epiſcopus, omnesque Succeſſores eius habebunt, atque uti dignitate, ita authoritate, cæteris omnibus præibunt. Ac licet pro Provinciæ tam afflictae tenuitate, ſeu potius vaſtitate, & noſtræ in Eccleſiam pietatis, et eius dignitatis, quanta haberi potuit, maximam Nos rationem habuiſſe arbitremur, quod ſi tamen reliqua quoque Livonia, quae a Rege Sveciae iam uſurpatur, Regno noſtro & ipſa adiuncta fuerit, ex ea Benignitatis Divinae acceſſione ad Eccleſiae etiam illius commoda, ornamentaque, libenter Nos quoque aliquid adiecturos hiſce recipimus. Nominationem autem Epiſcoporum horum Vendenſium, ſicut & Prælatorum, *C*anonicorum Eccleſiæ, eius Participationes, Nobis, Succeſſoribusque noſtris, in perpetuum recipimus, tenemusque.

Quia tamen in graviſſimo hoc contra Moſchum bello Illuſtris, & Magnifici ſincere Nobis dilecti Joannis Zamoyśćii Regni noſtri Supremi *C*ancellarii, Exercituumque Generalis *C*racovienſis, Mariæburgenſis, Medirecenſis, Kniſſovienſis, Krzeczovienſisque noſtri *C*apitanei præcipua opera, ac ſingulari virtute uſi ſumus, quo et illius virtutis, & noſtrae erga illum *C*lementiae ad poſteritatem quoque memoria prorogaretur, duorum Eccleſiae eius beneficiorum: Decanatus nimirum, & *C*anonicatus unius, Patronatus ius illi, legitimisque eius hæredibus, aut ſi quos ex ſe procreatos non habuerit, illi, in quos ius id vel Teſtamento, vel ſubſcriptione transtulerit, in perpetuum conferendum, donandumque duximus, quemadmodum & in præſens conferimus, donamusque; *C*uſtodiae etiam, & *C*anonicatuum trium ipſi Epiſcopo, omnibusque eiusdem Succeſſoribus idem ius tribuimus, reliquarum omnium tam Prælaturarum, quam *C*anonicatuum Nobis, Succeſſoribusque noſtris præſtandorum, ius, facultatemque retinentes: a quibus potiſſimum, qui nominabuntur, exhibebunturque, ut huiusmodi ſint, operam omnem daturos confidimus, qui ſua pietate vitam traducant, tum precum ſuarum aſſiduitate Deum pro Nobis, Ditionibusque noſtris continuo exorent. Cum primis autem Epiſcopus cum alia, quæ muneris ſui ſunt, diligenter exequatur; tum in ſingulis oppidis, quæ ſupra nominavimus, Vendae nimirum, Parnaviae, Derpati, ac Felin, Vicarios, Officialesque ſuos, qui in ipſius abſentia, quae muneris eius ſunt, adminiſtrent, habebit. Parochias etiam, & Scholas in Oppidis, quae illi attribuimus, ſuo ſumptu inſtituet. Tum *C*anonici etiam omnia, ſingulaque, ad quae communi Eccleſiae, Sacrorumque *C*anonum iure, & Summorum Pontificum ordinationibus tenentur, ſummo ſtudio, vigilantiaque perſequi tenebuntur, maxime autem, ne ullo alio in loco, quam Vendæ reſideant, iis tamen exceptis, qui a præfato *C*ancellario noſtro, eiusve hæredibus ex iure a Nobis illi conceſſo nominati fuerint, quibus etiam aliis in locis, honeſtis vel neceſſariis ex cauſis commorandi poteſtatem facimus. Hæc omnia, & ſingula quo ratiora, & firmiora ſint, ad Sanctiſſimum Dominum noſtrum Romanæ univerſalis Eccleſiæ Pontificem maximum inſtitutum hoc noſtrum Nos quam primum perſcripturos, utque ille ſuam quoque authoritatem pro ſua pietate, atque Paterna cum in omnes Eccleſias, tum in Nos voluntate ad tam pium opus accommodet omni ſtudio, contentioneque Nos acturos promittimus, eaque, quæ ſupra a Nobis conſtituta ſunt, in perpetuum firma, immotaque conſervabimus, Succeſſoresque noſtri conſervabunt. In quorum fidem praeſentes manu noſtra ſubſcripſimus, Sigilloque Regni noſtri conſignari iuſſimus. *Datum Varſaviæ die tertia Menſis Decembris iuxta Calendarium Gregorianum, Anno Correctionis milleſimo quingenteſimo octuageſimo ſecundo.* Per manus Illuſtris, & Magnifici Joannis Zamoyſki *C*ancellarii, & Generalis Exercituum Regni noſtri, atque *C*racovienſis, Mariæburgenſis, Medirecenſis *C*apitanei. Præſentibus Reverendis in *C*hriſto Patribus, Illuſtribus & Magnificis, Generoſis, ac Venerabilibus: Staniſlao Karnkowſki Archiepiſcopo Gneſnenſi, Legato Nato, & Regni noſtri Primate, Petro Myszkowſki, *C*racovienſi, Martino *C*romer, Varmienſi, Victorino Wierzbicki Luceorienſi, Adamo Pilchowſki Chelmenſi, Epiſcopis, Staniſlao Szafraniec de Pieſkowa Skała Sandomirienſi, Euſtachio Wołłowicz Caſtellano Vilnenſi, Magni Ducatus Litvaniæ Cancellario, Breſtenſi, Cobrinenſi, Stephano Duce de Zbaraż Trocenſi, Alberto Laſki Siradienſi, Chriſtophoro Radziwiłł Duce in Dubinki, & Bierze Caſtellano Trocenſi, Magni Ducatus Litvaniæ Vice-Cancellario, & Campi Duce,

ANNO 1582.

ANNO 1582. Boriſſovienſi, Solacenſique, Joanne Kiſzka Capitaneo Samogitiae, Joanne Tarło de Szczekarzewice Lublinenſi, Staniſlao Kryſki de Drobnin Maſoviae, atque Plocenſi, Nicolao Kiſzka de Ciechanovice Podlachiae, Bielſcenſi, Drohicienſi, Januſſio Duce de Zbaraż, Braclavienſi, atque Krzemenecenſi, Pińſcenſique, Palatinis, Staniſlao de Tarnow Sandomirienſi, Paulo Szczawińſki Lancicienſi, atque Sochacowienſi, Nicolao Talwoſz Samogitiae, Joanne a Krotoſzyn Junivladiſlavienſi, Staniſlao Herburt de Fulſtyn Leopolienſi, atque Samborienſi, Michaele Myſzka Volhyniae, Alexandro Łaſzcz Czernenſi, atque Chełmenſi, Martino Leśniowolſki de Obory Podlachiae, atque Łoſſicenſi, Joanne Dulſki Culmenſi, Theſaurario Regni Supremo, atque Branſcensi, Rogoſnensi, Svecensique, Adamo Walewſki Elbingensi, Joanne Hlebowicz de Bobrowno Minſcensi, Theſaurario Terreſtri Magni Ducatus Litvaniæ, atque Radoſcoviensi, Nicolao Firley de Dąbrowica Biecensi, Curiae Regni Referendario, atque Caſimiriensi, Joanne a Sienno Zarnoviensi, Biechoviensi, atque Bidgoſtiensi, Simone Szczawińſki Inovłodenſi, atque Goſtinenſi, Staniſlao Radzimińſki Zakroczimenſi, atq; Livenſi Caſtellanis, Andrea Opalińſki de Bnin Supremo Regni Mareſchalco, Maioris Poloniæ Generali, Srzemenſique Capitaneis, Joanne Boruchowſki de Bilno Vice-Cancellario Regni, Præpoſito Plocenſi, atque Canonico, Decano Varſavienſi, Andrea de Zborow Mareſchalco Curiæ Regni, Radomienſi Capitaneis, Alberto Baranowſki Secretario Maiore Regni, Cantore Gneſnenſi, Joanne Tarnowſki Referendario Curiæ Regni, Præpoſito Vladiſlavienſi, Cruſvicenſi, & Canonico Cracovienſi, Hyacinto Młodzieiowſki Theſaurario Curiæ Regni, Krzeczovienſi Capitaneo, Laurentio Goślicki Decano Plocenſi, atque Cracovienſi, Vladiſlavienſi, Sandomirienſi, Mathia Kłodźińſki Archidiacono Samogitiæ, atque Cracovienſi, Joanne Piotrowſki Gneſnenſi, Cracovienſi, Poſnanienſi, Petro Tylicki Poſnanienſi, Canonicis, Petro Gawłowſki Præpoſito Volborienſi, & Junivladiſlavienſi, Jacobo Łempicki Decano Volborienſi, Secretariis noſtris, aliisque plurimis Dignitariis, Secretariis, Officialibus, & Aulicis noſtris. Cui quidem ſupplicationi Nos benigne annuentes, eiusdem Privilegii Fundationis dicti Epiſcopatus Vendenſis Reſcriptum authenticum ex Actis Cancellariæ noſtræ edi mandavimus, volentes, ubique, & a quibusvis eisdem, atque ipſis Literis originalibus indubiam fidem adhiberi. Harum quibus Sigillum noſtrum eſt appenſum teſtimonio Literarum. Datum Cracoviæ die tertia Februarii, Anno milleſimo quingenteſimo octuageſimo tertio. Relatio Reverendi Joannis Boruchowſki Regni Poloniæ Vice-Cancellarii. *Quas quidem Literas Erectionis Nos ex Actis iisdem, fideliter de verbo ad verbum depromptas Parti poſtulanti in forma authentica extradi permiſimus. In cuius rei fidem præſentes Sigillo Regni communiri iuſſimus. Actum, & datum Feria ſexta intra Octavas Sanctiſſimi Corporis Chriſti Domini, ſcilicet decima Menſis Junii, Anno Domini milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo ſeptimo, Regnorum noſtrorum Poloniæ, & Sveciæ decimo nono Anno.*

ANNO 1582.

JOANNES de LESNO Supremus Cancellarius Regni mpp.

CLXXXVII.

Conſtitutiones Livoniæ a STEPHANO *Rege ſancitæ.* Datum, & Actum Varſaviæ d. 4. Decemb. An. 1582. *Ex Archivo Regni.* 1582.

STEPHANUS Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, Kioviæ, Volhyniæ, Podlachiæque, nec non Princeps Tranſylvaniae &c. Significamus tenore praeſentium, quibus expedit, univerſis, praeſentibus, & futuris, harum notitiam habituris. Quia Nos per *D*ei gratiam recuperata de poteſtate Moſchi Provincia Livonia, eius Statui, ac bono ordini proſpicientes, ac defenſionis, & iuſtitiae rationem habentes, adque exemplum inprimis Terrarum Pruſſiae Nos accommodantes, infraſcriptas Leges, & Conſtitutiones ei Provinciae de conſilio Conſiliariorum noſtrorum dandas, & promulgandas eſſe duximus, damusque, & promulgamus praeſentibus. Jura tamen noſtra Regalia integra Nobis in omnibus reſervando.

Epiſcopatus Vendenſis.

I. Inprimis Deo Optimo gratias pro victoria conceſſa agentes, ad eiusque cultum actiones noſtras referentes, fundavimus Epiſcopatum in eadem Provincia, in locum Archiepiſcopatus, & Epiſcopatuum, qui fuerunt ſuperioribus temporibus primum diſcordia interna, deinde vero hoſtili gladio exterminati. Cuius ſedes Vendae futura eſt, ubi etiam Canonicorum Collegium inſtituimus, ac item per Civitates, Villas, & Oppida noſtra Rega-

ANNO 1582. Regalia, Parochias, & Scholas Ritus Catholici ereximus.

De dissidentibus in Religione.

II. Annuimus petitionibus Provincialium Provinciae Livoniae, Rigae, & hic ad Nos factis, ut Augustanae Confessionis, quae unica post Religionem Catholicam, illam in Provinciam introducta est, liberum usum illis permittamus.

Tres Praesidatus in Livonia.

III. Provinciam Livoniam, quae adhuc a Nobis parta est, in tres dividimus partes, tum iuris dicendi, tum defensionis causa. Quarum prima erit Vendensis, atque id, quicquid inter flumen Dunam, & Goviam, & inde ad fines Moschoviae versus Opoczkam, supra Marienhausen situm est, & Praesidatum Vendensem spectabit, inclusis etiam Arcibus Marienhausen, Ludzen, & Rozythen. Altera Derpatensis, quae a flumine Govia ad fines usque Moschoviae extendetur, & versus Felinum Vilscher lacum terminabitur. Tertia Pernaviensis, quae Felinum, Pernaviam, & caeteras Arces inter Goviam flumen, & mare, & lacum Vilscher continebit.

Praesides Livoniae.

IV. Quibus quidem in partibus singuli Praesides, Vendenses scilicet, Derpatenses, & Pernavienses praeerunt eo iure, & authoritate in illa Provincia, qua Palatini in Prussia sunt, cum quibus etiam, necessitate exposcente, ad bellum movere debebunt, postquam praedicti Praesides a nobis, vel Gubernatore Livoniae, vel Locum-Tenente, vel Commissario nostro admoniti fuerint.

Succamerarii.

V. Statuimus, ut in eadem Provincia tres itidem Succamerarii sint, Vendensis, Derpatensis, Pernaviensis, eadem authoritate, & functione, qua Succamerarii sunt in Terris Prussiae. Iidem finibus inter Nobilitatem regundis praeerunt.

Vexilliferi.

VI. Tres itidem praedictae Livoniae Provinciae regiones, tres suos Vexilliferos habebunt, subque signis a Nobis illis attributis, necessitate exposcente, ut supra scriptum est, dictae Provinciae Nobiles, & Incolae ad bellum, & defensionem progredientur.

Judicia Terrestria.

VII. Judicia terrestria in singulis Praesidatibus quotannis bis celebrentur; ita, ut in Praesidatu Vendensi prima iudicia feria tertia post Dominicam Quasi modo geniti, secunda, feria tertia post Lamperti, in Pernavienſi, duabus post hebdomadibus, in Derpatensi duabus post aliis observentur. Ex quibus quidem iudiciis terrestribus, appellationes ordinariae fient ad Conventum Livoniae. ANNO 1582.

Judices, Scabini, & Notarii terrestres ac Tabelliones.

VIII. Judicia terrestria iudicabuntur a Judice. Judex autem cuivis Praesidatui ex quatuor e Nobilitate propositis, unus per Nos assignari debet: cui assidebunt sex Scabini, ex duodecim a Nobilitate propositis a Nobis designati. Notarium vero terrestrem ex quatuor a Nobilitate electis, unum itidem designabimus, qui Acta, & Decreta Judicii terrestris conscribet, & edet. Pro incidentibus vero passim necessitatibus, publici Tabelliones in Conventibus Livoniae modo infrascripto habendis, qui fuerint testatae probitatis, ac fidei, ex Conventus illius sententia creari poterunt,

De Appellatione.

IX. Vt autem frivolae, & temerariae appellationes nonnihil cohibeantur, quisquis in Judicio Terrestri ad Conventum appellaverit, octodecim Marcas Rigenses in iudicium reponat. Et si appellans succubuerit, in usum publicum Iudicii, in quo erant repositae, cedant: alioquin parti restituantur.

Judicia Praesidum, & sanguinis, ac facti recentis.

X. Nec Praesides causas ad Ius Terrestre spectantes, nisi de consensu partium iudicent, & provocantes ad Iudicium Terrestre remittant: exceptis causis levioribus, quae videlicet valorem triginta Marcarum Rigensium non excedant. Hae quidem sine strepitu Iudicii de simplici, & plano ab eis componi possunt. In causis autem sanguinis, & facti recentis indilatam iustitiam ministrent, nec partes contendentes ad componendam amice inter se controversiam cogant, nec ullas poenas exigant, nisi per Iudicium decretas. Quarum poenarum tertia pars Iudicio Terrestri, reliquae duae partes Praesidi loci cedant.

Praesides, & Capitanei, caeterique omnes Judicio Terrestri subsint.

XI. Praesides, & Capitanei, ac quivis Incolae Livoniae, sive Poloni, sive Litvani, aliique omnes citati, tam in iudicio Terrestri, quam conventuum publicorum respondere sint obligati, exceptis obligationibus super bonis nostris Regalibus emergentibus. Civitatibus etiam iudicia iuxta Privilegia ipsorum relinquimus.

De Commissionibus.

XII. Vt autem temerariae lites amputentur, Commissarios, sive Judices delegatos non deputabimus, in causis ad Iudicium Terrestre spectantibus, & minus in eo iam pendentibus, nisi per rationem ordi-

ANNO 1582. ordinariam, de qua infra dicetur, a ſententia definitiva, ſeu Interlocutoria iam lata, ad nos remiſſæ fuerint. Exceptis cauſis limitum bonorum Noſtrorum Regalium, & diviſionis fratrum, & proximorum. Nec Judices delegatos, ſeu Commiſſarios, a quibus ſemel appellatum eſt, in eadem cauſa denuo deputabimus, aut cauſam ad ipſos remittemus. Non enim veriſimile, aut honeſtum videtur, quod iudex ſuam priſtinam ſententiam retractet, aut aliter poſtea iudicet, quam antea iudicaverat.

De Conventibus publicis iudicialibus.

XIII. Conventus autem publici Iudiciorum cauſa in Livonia Vendæ quotannis bis celebrentur: Verno videlicet tempore ad diem Sancti Staniſlai: tempore autem autumni ad diem Sancti Michaelis, ad prædictos Conventus publicos omnes cauſae tam ex Civitatibus, quam ex Iudiciis Terreſtribus per Appellationem devolvantur, ac etiam ex Feudis Ducalibus; eæ vero Appellationes cognoſcentur in dicto Conventu ab Epiſcopo, tribus præſidibus, Capitaneo Vendensi, Quæſtore Provinciali, tribusque Succamerariis, Civitatumque Rigensis duobus, Derpatensis uno, Pernaviensis vno, Vendensis vno, Deputatis. Præſidebit vero Gubernator Livoniae, vel locum tenens, aut Commiſſarius noſter a Nobis pro tempore deſignandus, atque ibi omnes cauſae finientur, ſine ulteriori provocatione, exceptis causis amiſſionis hæreditatis bonorum, in quibus, ſi quæ pars a Conventu ſe gravatam putaverit, utriusque partis allegationes diligenter conſcribi, ac ad Nos obſignatæ Sigillis omnium ſuprascriptorum per Gubernatorem, aut locum tenentem, vel Commiſſarium noſtrum remitti debent, de quibus Nos ſententiam noſtram itidem ſcripto noſtro declarabimus, ac item exceptis cauſis famae, in quibus hoc idem, nisi ſint ſanguinis aut facti recentis, obſervari volumus. Decreta vero prædicta Conventionalia a Notario Terreſtri Vendensi conſcribentur, ſub Sigilloque eiusdem terræ edentur.

De iure Municipali Livonico.

XIV. Tam in Iudiciis Terreſtribus quam Conventionalibus iuſtitia adminiſtrabitur ex præſcripto Iuris Provincialis in Livonia recepti; ſalvis tamen noſtris Regiis ac publicis iuribus. Cuius quidem iuris Municipalis exemplum Provinciales ad Nos mittere debent intra quadrimeſtre, ut a Nobis recognoſcatur, & authoritate Noſtra publicetur, præteritas omnes iniurias facti inter privatos perpetua oblivione delendas cenſemus. De causis autem pecuniarum creditarum, & bonorum ademptorum inter ſe iure experiri poterunt. Neque tamen ab iis, qui tempore belli uſuras in bonis ſuis inſcripſerunt, exigi ea debent. In poſterum autem nonnisi mediocres inſcribi, & accipi poterunt. ANNO 1582.

Conventus neceſſitatis publicæ cauſa.

XV. Quando opus fuerit Conventu pro neceſſitate publica, quem Nos, & Succeſſores noſtri arbitrio noſtro, loco, & die, quo Nobis videbitur, indicemus, prius in ſingulis Præſidatibus, Vendensi, Derpatensi, Pernaviensi, fiat Nobilitatis Conventio particularis, quam Præſides in ſuis præſidatibus ad aliquem locum convenientem literis ſuis de mandato noſtro convocent, ut Nuntii ad huiusmodi Conventum eligantur. Qui autem vocatus non comparuit, pœnam ſex Marcarum Rigensium pendet. Cuius medietas Præſidi, altera vero fiſco Livonico proveniat. Mittent etiam ad eundem Conventum Nuntios,, duos Civitas Rigensis, unum Derpatensis, unum Pernaviensis, unum Vendensis, ac item Curlandiæ Dux, cuius Nuntio locus dignus, ac conveniens in conſeſſu attribui debet.

De executione rei iudicatæ.

XVI. At quum fruſtra ſententiae ferantur, nisi legitimae executioni demandentur, volumus, & ineffragabili Conſtitutione ſancimus, ut deinceps unusquisque, cuiusvis conditionis, aut eminentiae fuerit, rei iudicatae ſine omni contradictione cum effectu pareat, & obſequatur: alioqui locorum Præſides, nullo alio a Nobis mandato expectato, legitimam executionem faciant, adiuncto ſibi, ubi cauſae conditio id poſtulaverit, Capitaneo, & Nobilibus illius diſtrictus: aut etiam, ſi neceſſitas exegerit, omnibus, & ſingulis Vaſallis noſtris, ſeu Nobilibus illius præſidatus, quos ad aſſiſtendum illi ſub iurisiurandi debito, & amiſſione bonorum obligatos eſſe decernimus. Si vero maiori potentia ſit opus, negotium ad Nos referri volumus, ut opportunis rationibus, rebus provideamus. Præſides ſimiliter ad huiusmodi executiones faciendas, iuſtitiamque oppreſſis miniſtrandam, iusiurandum Nobis præſtitum adigat: quos etiam, ſi remiſſiores fuerint, quinquaginta florenorum Vngaricalium pœna plecti volumus: cuius mulctae medietas parti, cui iuſtitia denegata eſt, altera vero medietas fiſco cedat. Vbi autem quis exequutioni voluerit reſiſtere, aut iam factam violare convictus fuerit, pœna banni, ſive proſcriptionis, ac bonorum confiſcatione irremiſſibiliter puniatur. Ex quibus bonis

Anno 1582. nis parti læsae primum satisfiat: quod reliquum fuerit, prædicto fisco applicetur.

De violentiis, & viis publicis.

XVII. Statuimus præterea, ut nullus Capitaneus, Nobilis, Civis, aut quivis alius, cuiuscunque conditionis existat, qui personis, castris, domibus, aut possessionibus alicuius ullam violentiam inferre, incursiones facere, in publicis stratis insidias ponere præsumat. Super his convictus, capitali pœna puniatur.

De captivatione, criminibus, ac contractibus.

XVIII. Et cum aliquis Nobilis Decreto publici Conventus, iudicio præsidum, aut Terrestri capitur, quod sub certis pœnis in potestatem, aut carcerem civilem non tradatur, sed in manus præsidum. Si quis autem in Civitate, vbi nulla arx est, capitur, & authoritate Conventus præsidis aut iudicii in carcerem civilem coniicitur, in potestate eorundem, & non Civitatis permaneat. Fideiussoria autem cautione a carcere huiusmodi liberetur, nisi causa fuerit criminalis, & ut sub pœna viginti florenorum Vngaricalium, quorum medietas Præsidi, altera parti læsae cedat, absque vlla remissione persolvenda. Nobiles & eorum subditi authoritate seu potestate civili non capiantur, detineantur, aut arestentur, nec Nobiles authoritate propria capiant, aut detineant Cives, vel eorum subditos: sed unusquisque coram Judice suo ordinario conveniatur, & iustitiam requirat, nisi in casibus recentibus, & actionibus criminalibus. Nam delinquens in loco delicti deprehensus, & contrahens de contractu recenti, in loco contractus poterit conveniri.

De fluminibus.

XIX. Præterea, ne in fluminibus terrarum Nostrarum Livoniae quibuscunque ab antiquo navigabilibus obstacula fiant, ut tam piscibus, quam navibus, & lignis liber transitus permittatur, bonis, ac iuribus nostris Regalibus, & quorumcunque Privilegiis antiquis, & præscripta consvetudine salvis.

De bonis terrestribus Civium, & Nobilium Civilibus.

XX. Civibus bona terrestria, & Nobilibus civilia bona liberum sit deinceps emere, ita tamen, quod ad paria onera vtrinque ferenda sint obligati. Quod scilicet Cives ratione bonorum terrestrium omnia Nobilitatis onera, & Nobiles ratione civilium bonorum omnia civilia onera, æquis passibus ferant, & eidem iuri subsint.

De Prædonibus. Anno 1582.

XXI. Statuimus, ut Præsides, & Capitanei, quisque in suo Præsidatu, & Capitaneatu diligenter fines terrarum observent, ne prædones, & grassatores ingrediendo impune grassentur.

Rustici arma non ferant.

XXII. Et praeterea, ne rustici cum bombardis, radis, cuspidibus, lanceis, gladiis, aut similibus armis publice, aut privatim incedant, atque ea deferant, nisi ad venationem, aut publicam pacem tuendam a Dominis suis evocati fuerint, Scultetis etiam exceptis, quibus ob publicam functionem armatos esse liceat.

De mercimoniis & rusticis.

XXIII. Ne etiam Mercatores, & præsertim peregrini sive Exotici homines, in Nobilitatis, ac Civitatum iniuriam, merces in villis ac pagis clam, & publice coëmere, et negotiationes exercere audeant, authoritate nostra Regia firmiter prohibemus. Statuentes, ut deinceps subditi Dominorum merces, & res suas vendibiles in civitatem ducant, inque foro publico venales exhibeant. Cum vero supraactis temporibus plebem rusticam miris modis pressam in Livonia fuisse audiamus, eam ad tolerabilem statum reducendam, eiusque rei rationes aliquas in Conventu Provinciali ineundas censemus, ad quam Nos quoque authoritatem nostram & ordinationem, communicato cum Provincialibus in eodem Conventu consilio, adhibebimus.

De mercimoniis Moschoviticis.

XXIV. Mandamus locum Tenenti nostro, Præsidibus, Capitaneis, ac aliis Provinciae, ac Civitatum Magistratibus, ut merces omnes Moschoviticas Plescovia, & aliunde per ditiones nostras Rigam, aut Pernaviam, quo ad diversum aliquid pro ratione temporis statuerimus, dirigant, Riga vero, & Pernavia trans mare, tum in Litvaniam, Poloniamque, nec iis mercimoniis uti, nisi subiectos Nobis, patiantur, sub gravi animadversione.

De Constitutionibus in posterum faciendis aut emendandis.

XXV. Si quid postea de statu Livoniæ eiusque bono ordine statuendum sit, aut in supra scriptis Constitutionibus emendandum, mutandum, addendum, id prout res ac necessitas, tempusq; exiget, matura ac bona deliberatione faciemus. Quae omnia, ac singula, ut supra scripta sunt, sancimus, ac decernimus, robur debitae firmitatis habere debere, ac ab omnibus in eadem Provincia observari; ab iis vero, quorum interest, manuteneri, & exequi. Harum, quibus Sigillum nostrum appressum est, testimonio

ANNO 1582. Literarum. Actum, & Datum Varſaviae die quarta Decembris, Correctionis Anno milleſimo quingenteſimo octuageſimo ſecundo, Regni noſtri Anno ſeptimo.

Per manus Illuſtris, & Magnifici Joannis de Zamoſtie, Regni noſtri Supremi Cancellarii, & Exercituum Regni Generalis, Cracovienſisque, ac Marienburgenſis, Miedzyrzecenſis, Knyſchynenſis, Krzeſzovienſis &c. Capitanei, ſincere Nobis dilecti.

1585. *Pacta inter* STEPHANUM *Poloniæ, &* FRIDERICUM II. *Daniæ, Reges, quibus Epiſcopatus Curonienſis Regno Poloniæ pro ſumma triginta millium Talerorum reſtituitur.* Dat. in Arce Regia Croneburga d. 10. Aprilis Anno 1585. *Cum Confirmatione eorundem* SIGISMUNDI III. *Regis.* Dat. Varſaviæ in Comitiis Regni Generalibus d. 17. Apr. Anno 1589. *Ex Archivo Regni. Vide Cod. Dipl, Tom, I. fol. 372. num. X.*

CLXXXVIII.

1585. STEPHANUS *Rex Arcem Piltenſem, univerſumque Epiſcopatum Curonicum* GEORGIO FRIDERICO *Marchioni Brandeburgenſi, Duci Pruſſiæ in ſumma triginta millium Talerorum obligat.* Dat. Cracoviæ d. 7. Jun. Anno 1585. *Ex Archivo Regni.*

STEPHANUS Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Somogitiæ, Livoniæ, &c. nec non Tranſylvaniæ Princeps. Significamus præſentibus Literis noſtris, quorum intereſt, univerſis, & ſingulis. Quod cum interponente ſuam operam Illuſtri Principe, Domino GEORGIO FRIDERICO Marchione Brandeburgenſi, in Pruſſia, Stetini, Pomeraniæ, Caſſuborum, Vandalorum, nec non in Sileſia, Carnoviæ, &c. Duce, Burgrabio Norimbergenſi, Rugiæque Principe, Affine noſtro chariſſimo, in controverſia inter Nos, & Sereniſſimum Principem Dominum FRIDERICUM Secundum Daniæ, &c. Regem, occaſione Epiſcopatus Curonici, intercedente, ita cum præfato Rege Sereniſſimo tranſegiſſemus, ut ipſius Sereanitati triginta millia Talerorum, probæ, uſitatæ, & in Romano Imperio approbatae monetae numeraremus, eius vero Serenitas univerſo Epiſcopatu Curonico, uti cum Frater eius Serenitatis Germanus, Illuſtris olim MAGNUS Sleſvici, & Holſatiae Dux, eiusdem Epiſcopatus Adminiſtrator tenuit, accepta pecunia cederet, realemque poſſeſſionem & Arcis Piltenſis, & reliqui Epiſcopatus Nobis concederet, atque traderet, conſideraremusque eundem Epiſcopatum Curoniae a Nobis diſſitum, non æque commode per Nos ipſos, quam per Illuſtrem Dominum GEORGIUM FRIDERICUM Marchionem Brandeburgenſem, in Pruſſia *Ducem*, uti Ducatus Pruſſiae, quem ad praeſens curat, contiguum teneri, adminiſtrarique poſſe; habita condigna ratione eius ſuae Illuſtritatis, in ea cum Sereniſſimo Daniae Rege, occaſione eiusdem Epiſcopatus Tranſactione ſtudii, & operae de unanimi conſenſu, & ſententia Conſiliariorum noſtrorum, Regni, & Magni Ducatus Litvaniae in Conventu Generali Varſavienſi proxime praeterito condeſcendimus, ut Arcem praefatam Piltenſem, univerſumque Epiſcopatum Curonicum praefato Illuſtri Principi, Domino GEORGIO FRIDERICO, Marchioni Brandeburgenſi, in Pruſſia &c. Duci in iis triginta millibus Talerorum monetae approbatae, & in Romano Imperio uſitatae hypothecaremus, & obligaremus, uti quidem hypothecamus, & obligamus, praeſentibus Literis noſtris, cum omnibus, & ſingulis eius Epiſcopatus Caſtris, Oppidis, Villis, Fundis, & eorum commodis, utilitatibus, fructibus, uſibus, obventionibus, & pertinentiis, praeter Arcem Dundangenſem cum ſuis pertinentiis, quam in praeſentia noſtra, dum Rigae eſſemus, Illuſtris olim Dux MAGNUS Generoſo Martino de Borzewicze noſtro per Tranſylvaniam Cancellario in iuſtis ſatis ſummis pecuniariis, cum ſcitu, conſenſuque noſtro obligaverat, atque in poſſeſſionem tradiderat, praeter quoque Arcem Ambotenſem, quam Nos Generoſo, & Strenuo Wilhelmo Kethlero, perexcellentibus ipſius in Rempublicam Moſcovitico bello meritis, in ius feudi dedimus, & in poſſeſſionem eiusdem Arcis mitti ipſum fecimus. In quarum quidem Arcium, ſuarumque pertinentiarum integra, & quieta, ac pacifica poſſeſſione utrumque, & Martinum de Berzewicze & Vilhelmum Kethlerum conſervamus, conſervarique volumus, aliis nullis exceptis, pro Nobiſve, aut alio quopiam reſervatis, ita late, longe, & iis limitibus, atque metis, quemadmodum eum Illuſtris

ANNO 1585.

ANNO 1585. ſtris olim Dux MAGNUS poſſedit, & tenuit, modo obligatorio per eius Illuſtritatem tenendum, habendum, poſſidendum, utendum, fruendum, usque ad plenam, & integram ſummae praefatae triginta millium Talerorum ſolutionem, & praefati Epiſcopatus exemptionem. Vtque praeſens Obligatio ad ſuum deducatur effectum, deſignavimus ad eum Actum mittendum in poſſeſſionem Epiſcopatus praefati certos Commiſſarios noſtros, ut ii ad diem certum cum Illuſtris Principis Domini Ducis in Pruſſia Commiſſariis in Epiſcopatu praefato conveniant, realemque, & actualem poſſeſſionem Arcis Piltenſis, & reliqui Epiſcopatus eius Illuſtritati ſine ullis impedimentis, aut dilationibus tradant, caeteraque in talibus fieri ſolita obſervent. Juribus noſtris Regalibus, Regni, & Magni Ducatus Litvaniae ibidem manentibus, ſemper ſalvis. In cuius rei firmitatem, & robur praeſentes manu Noſtra ſubſcriptas Sigillis, & Regni, & Magni Ducatus Litvaniae noſtris conſignare mandavimus, atque eiusdem Obligationis Illuſtri Domino Duci, ſi id a Nobis requiret, in futuris Regni Generalibus Comitiis, vigore conventus, confirmationis Diploma edi curabimus. Dat. Cracoviae die ſeptima Menſis Iunii Anno Domini milleſimo quingenteſimo octuageſimo quinto, Regni vero noſtri Anno decimo.

STEPHANUS *Rex.*

CLXXXIX.

1585. *Promiſſio Cautionis dandae* GEORGIO FRIDERICO *Marchioni Brandeburgenſi, Duci in Pruſſia, de ſumptu, ſi quem ei praeter ſummam triginta millium Talerorum, in redemptionem Epiſcopatus Curonici facere eveniret.* Dat. ex Arce Piltenſi d. 13. Auguſti Anno 1585. *Ex Archivo Regni.*

NOS GEORGIUS Divina miſeratione Sanctae Romanae Eccleſiae Presbyter Cardinalis Radzivilus, perpetuus Adminiſtrator Epiſcopatus Vilnenſis, Dux in Ołyka, & Nieśwież, Sereniſſimi, & Potentiſſimi Poloniae Regis in Livonia Locumtenens, Ioannes Leſniowolſki de Obory, Caſtellanus Zakrocimenſis, & Capitaneus Pernavienſis, Procopius Pieniążek Eques Sanctorum Lazari, & Mauritii, Vendenſis, Ronneburgenſis, & Mitavienſis Capitaneus. Significamus tenore praeſentium, quod, poſteaquam a S. R. Maieſtate Poloniae, Domino noſtro Clementiſſimo, ad implendam Tranſactionem inter Sacram Regiam Maieſtatem Suam, & Sereniſſimum Daniae Regem de Curoniae Epiſcopatu factam, & ad poſſeſſionem huius Epiſcopatus Illuſtriſſimo Principi, Domino GEORGIO FRIDERICO Marchioni Brandeburgenſi, in Pruſſia, Stetini, Pomeraniae, Caſſubo-rum, Vandalorum, nec non in Sileſia, Carnoviae &c. &c. *D*uci; Burgrabio Norimbergenſi, Rugiaeque Principi, ratione triginta millium Talerorum, quae Tranſactionis nomine Sereniſſimo Daniae Regi numeranda veniunt, hypothecario iure tradendam, Commiſſarii deſignati fuimus, Nobisque Sacra Regia Maieſtas praefata peculiarem Cautionem de dicta ſumma triginta millium Talerorum dicti Illuſtriſſimi in Pruſſia Ducis, eo miſſis Commiſſariis, tradendam transmiſiſſet, qua viſa dicti Domini Commiſſarii illud etiam nomine Illuſtriſſimi Principis ſui deſideraſſent, ut praeter dictam triginta millium Talerorum ſummam, uberiorem illis Cautionem praeſtaremus, de duobus potiſſimum capitibus, nimirum ſi quid Illuſtriſſimo Pruſſiae Duci praeter dictam triginta millium Talerorum ſummam vigore Tranſactionis, & ex legitima Iuris cognitione in reluitionem, ſeu redemptionem bonorum iſtius Epiſcopatus, a Duce MAGNO bonae memoriae, aut ab alio quopiam oppignoratorum erogandum, aut numerandum veniret: & ſi quid praeterea in rem neceſſario verſum fuiſſet, id etiam ſorti principali triginta millium Talerorum adſcriberetur, & in redemptione Epiſcopatus ſupraſcripti ſimul, & coniunctim perſolveretur. Alterum, ut idem quoque fieret, in quantum reditus annui pro cenſu ſummae, ratione Epiſcopatus huius erogatae, non ſufficerent. Nos cum a Sacra Regia Maieſtate praefata ſpeciale de his rebus Mandatum non haberemus, & Illuſtriſſimi in Pruſſia Ducis Commiſſarii inſtantius eam Cautionem urgerent, nec aliter pecuniam numerare ſibi licere praetenderent, ne propterea huic Tranſactioni ſalutari, & neceſſariae mora aliqua intempeſtiva interponeretur, recepimus, & polliciti ſumus, quemadmodum vigore datae Nobis a Sacra Regia Maieſtate Inſtructionis recipimus, & pollicemur, ipſam Sacram Regiam Maieſtatem de omnibus ad ſupraſcriptam hypothecam pertinentibus in futuris Regni Comitiis Illuſtriſſimo Principi Marchioni, in Pruſſia Duci uberiorem, & firmiorem Cautionem daturam, & ex bono, & aequo cum eodem Illuſtriſſimo Principe conſtituturam, idque ſincere, & ANNO 1585.

Anno 1585. & bona fide. In quorum omnium fidem, & evidentius teſtimonium præmiſſorum, praeſentes Literas manu noſtra ſubſcripſimus, Sigillisque noſtris communiri fecimus. Datum ex Arce Piltenſi die 13. Auguſti Anno Domini milleſimo quingenteſimo octuageſimo quinto.

Georgius Carolus Radzivilus. mpp.
Jan Leſniowolſki z Oborny Caſtellanus Zakroczymenſis, Staroſta Pernawſki mpp.
Procopius Pieniążek Kawaler, qui ſupra, Capitaneus Vendenſis. &c. mpp.

CXC.

1585. *Literæ Commiſſariorum Sacræ Regiæ Maieſtatis, quibus teſtantur, ſe a Commiſſariis* Georgii Friderici *Marchionis Brandeburgenſis, Ducis in Pruſſia ſummam triginta millium Talerorum accepiſſe, iisdemque Epiſcopatum Curonicum in actualem poſſeſſionem tradidiſſe.* Dat. Ex Arce Piltenſi die 14. Auguſti. Anno 1585. · *Ex Archivo Regni.*

Nos Georgius Miſeratione Divina Sanctae Romanae Eccleſiae Presbyter Cardinalis Radzivilus, perpetuus Adminiſtrator Epiſcopatus Vilnensis, Dux in Ołyka, & Nieśwież, Sereniſſimi, & Potentiſſimi Regis Poloniae in Livonia Locum Tenens, Joannes Leſniowolſki de Obory Caſtellanus Zakrocimensis, & Capitaneus Parnaviensis, Procopius Pieniążek Eques Sancti Lazari, & Mauritii Hieroſolimitanus, Vendenſis, & Ronneburgensis Capitaneus, tenore præſentium recognoſcimus, & fatemur. Quod a Magnificis, & Generosis Illuſtriſſimi Principis Domini Georgii Friderici Marchionis Brandeburgensis, in Pruſſia, Stetini, Pomeraniæ, Caſſuborum, Vandalorum, nec non in Sileſia Carnoviae, &c. &c. Ducis, Burgrabii Norimbergensis, Rugiaeque Principis Legatis, ad Epiſcopatum Curoniae deſignatis Commiſſariis, Dominis Lennino a Bulcome, Caſpare Prantnero J. V. D. & Michaele Giſe recepimus triginta millia talerorum probae, & uſitatae, ac in Romano approbatae Imperio monetae ſummam, quam nomine Sacrae Regiae Maieſtatis Poloniae, Domini noſtri Clementiſſimi, Sereniſſimi Daniæ Regis Legatis, & Commiſſariis immediate tradidimus iuxta tenorem obligationis, ſeu initæ inter Sereniſſimos præfatos Reges Transactionis, in qua quidem ſumma Sacra Regia Maieſtas præfata ſupraſcripto Illuſtriſſimo Principi Epiſcopatum Curoniæ hypothecavit, quem Nos iisdem Dominis Legatis, & Commiſſariis in realem, & actualem poſſeſſionem tradidimus. In quorum omnium fidem, & evidentius teſtimonium præſentes manu propria ſubſcripſimus, Sigillisque noſtris muniri fecimus. Datum ex Arce Piltenſi die decima quarta Menſis Auguſti Anno Domini milleſimo quingenteſimo octuageſimo quinto. Anno 1585.

Georgius Carolus Radziwiłł. manu propria.
Jan Leſniowolſki z Oborny Kaſztelan Żakroczymſki, Staroſta Pernawſki.
Procop Pieniążek Kawaler, Staroſta Wendenſki ut ſupra manu propria.

CXCI.

Proteſtatio Gothardi Curlandiæ, & Semigalliæ Ducis de Jure ſuo in Epiſcopatum Curoniæ. Dat. Grodnæ die 15. Decembr. Anno 1585. *Ex Archivo Regni.* 1585.

Stephanus Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Kijoviæ, Volhyniæ, Podlachiæ, Livoniæ, nec non Tranſylvaniæ Princeps. Notum facimus univerſis, & ſingulis. Quod, cum Illuſtris Princeps Dominus Georgius Fridericus Marchio Brandeburgensis in Pruſſia, Stetini, Pomeraniae, Caſſuborum, Vandalorum, nec non in Sileſia, Carnoviæ Dux, Burgrabius Norimbergenſis, & Rugiæ Princeps, Affinis noſter chariſſimus, controverſia, quae inter Nos, & Sereniſſimum Dominum Fridericum ſecundum Daniæ Regem, occaſione Epiſcopatus Curonensis interceſſit, transacta, & tringinta talerorum millibus Serenitati ſuæ numeratis, Epiſcopatum Curoniae noſtro conſenſu redemerit, atque pro ea pecuniae ſumma, certis conditionibus, quæ peculiari Diplomate a Nobis dato, & conceſſo continentur, hypothecæ nomine teneat, & poſſideat, occaſione huius redemptionis, & poſſeſſionis Epiſcopatus Curoniae, Illuſtris Princeps Gothardus Curlandiae, & Semigalliae Dux per Nuntios ſuos cum plenaria potentia ad id negotium delegatos, Generoſum Vilhelmum Kettler a Keſſelrab, & Gothardum Welling Juris utriusque Do-

Anno 1585. Doctorem coram Nobis ſolemnem fecit Proteſtationem. Quod videlicet Epiſcopatus ille Curoniae iure multiplici ad ſuam Illuſtritatem pertineat, proinde ut redemptio, & poſſeſſio Ducis Pruſſiae Juribus, & Privilegiis præfati Illuſtris Ducis Curlandiæ in eum Epiſcopatum Curoniae competentibus, & ſervientibus, ne quicquam fraudi ſit, aut præſcribat, verum ut Jus illud univerſum, quod Illuſtris Dux Curlandiae ſuper Epiſcopatum Curoniae habet, ſalvum, & intactum ſit, Sua Illuſtritas contendit. Quàm quidem Proteſtationem Illuſtris Ducis Curlandiae, nomine Epiſcopatus Curoniae coram Nobis factam, & interpoſitam, ut in Acta Cancellariae noſtrae Magni Ducatus Litvaniae inſcribi mandaremus, iidem Nuntii ſupplicavere, quorum ſupplicationi Nos benigne annuentes eandem Proteſtationem Actis noſtris inſcribi mandavimus, ſub Sigilloque noſtro Magni Ducatus Litvaniae præfatis Nuntiis ex Actis noſtris tradi curavimus. Datum Grodnæ die quindecima Menſis Decembris Anno Domini milleſimo quingenteſimo octuageſimo quinto.

STEPHANUS *Rex.*

Leo Sapieha Magni Ducatus Litvaniæ Vice-Cancellarius. mpp.

CXCII.

1585. *Deſignatio Commiſſariorum ad continuandos Limites inter Litvaniam, & Curlandiam.* Datum Grodnæ die 17. Decembr. Anno 1585. *Ex Archivo Regni.*

STEPHANUS Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæ &c. Reverendiſſimo, Magnifico, & Generoſo Melchiori Giedroyc Samogitiae Epiſcopo, Joanni Wotminſki Caſtellano Polocenſi, Venceſlao Agripa Notario noſtro Magni Ducatus Litvaniæ, Commiſſariis noſtris ſincere Nobis dilectis, Gratiam noſtram Regiam. Reverendiſſime, Magnifice, ac Generoſe. Relatum eſt Nobis nomine Illuſtris GOTHARDI Curlandiæ, & Semigalliæ Ducis, Affinis noſtri chariſſimi, maximas, & præcipuas reſtare differentias occaſione limitum in ſuperiori Duna Diſtrictus Dynemburgenſis, inter ſubditos noſtros Magni Ducatus Litvaniae ex una, & ſubditos Illuſtris Ducis Curlandiae, ab altera partibus, & quaſi a ſubditis noſtris plurimum fundi, & bonorum, ſubditis Illuſtritatis Suae interceptum ſit, ſupplicatumque eſt, ut futuro anno in illis locis limites, cumulosque dirigere Sinceritati Veſtrae mandaremus. Et quoniam bona ſubditorum noſtrorum Magni Ducatus Litvaniae in bonis Ducatus Illuſtritatis Suae disiungere, & dislimitare fidei, & induſtriae Sinceritatis veſtrae commiſimus, & demandavimus, idcirco Sinceritati Veſtrae mandamus, ut habita mutua inter Vos cointelligentia, ſtatutoque die certo, & vocatis Illuſtritatis ſuae Commiſſariis, in ſuperiorem Dunam anno proxime futuro milleſimo quingenteſimo octuageſimo ſexto deſcendant, & ab ipſo loco, ubi aliquando Illuſtrem, & Magnificum Palatinum Vilnenſem iam demortuum, in ducendis illis in locis limitibus ſtetiſſe conſtabit, dirigere limites incipiant, & quod iuſtum, æquumque videbitur, re utriusque partis bene intellecta, & examinata, decernant, ſignaque ponant, & cumulos erigi faciant, & ita rurſum aſcendendo usque ad fines Ditionum Illuſtritatis ſuae in erigendis ſcopulis, ſignisque certis ſtatuendis, deinceps procedant, pro Gratia noſtra, & debito officii veſtri. Datum Grodnæ die decima ſeptima Menſis Decembris anno Domini milleſimo quingenteſimo octuageſimo quinto. Anno 1585.

STEPHANUS *Rex.*

CXCIII.

Literæ SIGISMUNDI III. *Regis ad Ducem Curlandiæ, ut Conventum publicum Provinciæ a Commiſſariis ſuis edicendum ipſe etiam obeat.* Dat. Cracoviæ die 30. Jan. Anno 1588. *Ex Archivo Regni.* 1588.

SIGISMUNDUS III. DEI Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, &c. Illuſtris Princeps, ſincere Nobis dilecte. Cum delato Nobis ab omnibus Ordinibus, & a Nobis accepto Poloniae Regno, ita iter noſtrum inſtituiſſemus, ut nona Menſis proxime præteriti die Cracoviam in ipſius Regni Sedem perveniremus, viceſima ſeptima deinde eiusdem Menſis die, ſumma omnium voluntate Coronam, atque Inſignia Regni, ipſamque Regni poſſeſſionem accepimus. Id inprimis Sinceritati Veſtrae etiam, ut quæ ipſa etiam Regni huius noſtri membrum ſit, ſignificandum putavimus. Cum autem Commiſſarios noſtros hoc tempore in Livoniam mittamus, eisdem ut publicum Provinciae Conventum edicerent,

Anno 1588. mandavimus, quem cum ex Formula, Conſtitutionibusque Provinciæ, ad Sinceritatem etiam Veſtram pertinere intelligimus, non modo ut ad diem, quæ ab iisdem Commiſſariis noſtris edicetur, Conventum Sinceritas Veſtra obeat, eam hortamur, verum ut iis etiam in rebus, quæ noſtro nomine eodem in Conventu proponentur, obſervantiam, atque ſtudium ſuum Nobis declaret. De quo ut non dubitamus, ita ut noſtram quoque in ſe propenſionem perſpiciat, libenter faciemus. Sinceritatem Veſtram bene valere cupimus. Datæ Cracoviæ die 30. Menſis Januar. Anno Domini milleſimo quingenteſimo octuageſimo octavo. Regni noſtri Anno primo.

CXCIV.

1588. *Eiusdem ad Civitatem Rigenſem, ut Juramentum Fidelitatis ei præſtet.* Sub eodem Dato.

Sigismundus Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiae, Livoniæ, &c. Spectabiles, & Famati, Fideles, Dilecti. Mittendos in Livoniam duximus Commiſſarios noſtros, quibus cum ad univerſos Provinciæ Ordines, tum nominatim ad Fidelitatem etiam Veſtram Mandata dedimus, maximeque, ut tanquam iam Coronatis, inque Solio Regio legitime Nobis collocatis, ſolenni Juramento Fidelitatem Veſtram, univerſamque Civitatem obſtringerent, commiſimus, qua in re, quemadmodum & in cæteris, de quibus noſtro Nomine cum illis agent, ut non modo fidem illis Fidelitas Veſtra adhibeat, verum in iisdem fidem etiam, ſtudium, atque obſervantiam Nobis præſtent, Fidelitatem Veſtram hortamur. Datum Cracoviæ die 30. Menſis Jan. Anno Domini milleſimo quingenteſimo octuageſimo octavo, Regni noſtri Anno primo.

CXCV.

1588. *Idem promittit omnem ſecuritatem Oratoribus Civitatis Rigenſis ad ſe venturis.* Sub eodem Dato.

Sigismundus III. DEI Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæ &c. Significamus præſentibus hiſce, quorum intereſt, univerſis, & ſingulis. Cum Civitas noſtra Rigenſis Internuntios ſuos ad Nos miſſura eſſet, ac vero quibusdam de cauſis, an tuto illi, ac ſecure ad Nos venire poſſent, dubitaret, Nos hiſce Literis publice cavere illis voluiſſe, quemadmodum quidem cavemus præſentibus, hac nimirum ratione, ac modo, ut quoſcunque primo quoque tempore Legatos ad Nos miſerint, quorum nomina, & cognomina pro inſertis hic habere volumus, ii non modo tuto, ac libere, ſineq; ullo impedimento ad Nos venire, verum pro ſuo etiam commodo atque arbitrio domum redire poſſint: promittentes verbo noſtro Regio non modo vim, aut iniuriam nullam illis, aut alicui eorum Nos fieri paſſuros, ſed etiam contra voluntatem cuiusque nullum eorum Nos retenturos, aut a quoquam retineri paſſuros, quominus ſuo commodo, aut arbitratu, vel perfectis, vel imperfectis rebus, a Civitate ſibi commiſſis, redire ad ſuos poſſint. In quorum fidem haſce manu noſtra ſubſcriptas Sigillo Magni Ducatus Litvaniæ muniri iuſſimus. Datum Cracoviæ die 30. Jan. Anno Domini milleſimo quingenteſimo octuageſimo octavo, Regni noſtri Anno primo. Anno 1588.

SIGISMUNDUS *Rex.*

CXCVI.

Edictum Sigismundi *Regis, quo prohibet uſum externæ monetæ in Livonia, niſi quæ in grano & æſtimatione monetam Polonicam, aut Litvanicam exæquet.* Datum Grodnæ d. 1. Jan. Anno 1589. *Ex Archivo Magni Ducatus Litvaniæ.* Libr. 161. fol. 46. 1589.

Sigismundus Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæ &c. Regni Sveciæ proximus Hæres & futurus Rex. Univerſis, & ſingulis, cuiuscunque dignitatis, ſtatus, & conditionis in Provincia noſtra Livonia hominibus ſincere, & fidelibus Nobis dilectis Gratiam Noſtram Regiam. Sincere, & fideles Nobis dilecti. Nil eſt, quod Regnis, & Provinciis, ac Rebuspublicis quibusvis, tum privatis quoque hominibus æque incommodum dare poſſit, quam ſi nummi, aut adulterini, aut minus, quam ratio Reipublicæ cuiusque fert, valentes in eam irrepſerint, unde omnium fere Gentium, ac Nationum, & noſtrae quoque Reipublicæ Legibus ſancitum eſt, ne quid ea in re præter conſtitutam, ac definitam rationem, atque normam fiat, aut introducatur. Jam vero perfertur ad Nos in Livonia minime id obſervari, atque paſſim ſine ullo diſcrimine nummos,

&

Anno 1589. & monetam minus probatam diverſam a Regni, & M. Ducatus Litvaniæ moneta, neque illi in grano, & valore correſpondentem uſurpari, & Polonicae, ac Litvanicae monetae in pretio aequari, quod non ſine maximo incommodo non modo illius Provinciae, verum Regni etiam, & Magni Ducatus Litvaniae hominum fit, Legibusque, ac Conſtitutionibus publicis adverſatur. Quare ne magis, magisq; hoc incommodum ſerpat, & ab illa Provincia ad ulteriores etiam promanare poſſit, Conſtitutioni nuper in Conventu Coronationis noſtrae editae inhaerentes, & eam in executionem deducentes, edicimus, & mandamus, ne quiſquam in Livonia, & aliis ubicunq; in Provinciis Regni noſtri, nummis, & moneta, ni quae in grano, & valore, ac aeſtimatione monetae Polonicae, ac Litvanicae correſpondeat, utatur, aut eam in pretiis rerum, ac mercium quarumcunque uſurpet, cuius rei Praeſides, Capitanei, ac reliqui Provinciae eiusdem, & Civitatum, ac Oppidorum in ea exiſtentium Magiſtratus, ſtatim poſt publicatum hoc Edictum noſtrum, curam ſuſcipere debent, efficientque ſub pœnis, legibus ea de re ſancitis, ne omnino alii nummi, & alia moneta in illa Provincia verſetur, in manibus hominum habeatur, quam Polonica, aut Litvanica, aut quae Polonicae, aut Litvanicae recte aeſtimatione ſua adaequata ſit, aliam omnem monetam, atque nummos proſcribimus, ſevereque ſub paenis de adulterina, & non probata moneta ſancitis praecipimus, ne quiſquam ea utatur. Aureorum & argenteorum nummum non maior ſit exiſtimatio, ac pretium, quam in Polonia, & Litvania, hoc eſt, ut minutiori moneta auri Hungarici, & his ſimiles quinquaginta ſex Polonicos, Taleri triginta quinque valeant, & hac ratione & redimantur, & uſurpentur, Qui ſecus fecerint, amiſſione pecuniae, & caeteris pœnis a Magiſtratibus puniantur. Quod quidem Edictum, ac Mandatum noſtrum in omnibus Civitatibus, Oppidis, ac locis celebrioribus proponi, & publicari, ac ab omnibus obſervari, & in executionem deduci volumus. In cuius rei fidem haſce manu Noſtra ſubſcriptas Sigillo Regni muniri mandavimus. Datum Grodnae prima Januarii Anno Domini milleſimo quingenteſimo octuageſimo nono, Regni noſtri ſecundo.

SIGISMUNDUS
Rex.

Petrus Trzebicki.

CXCVII.

Edictum Eiusdem, ne Mercatores externi alibi, quam in Civitate Derpatenſi merces ſuas deponant, indeque exportent. Dat. Grodnæ d. 1. Januarii Anno 1589. *Indidem* fol. 47. Anno 1589.

SIGISMUNDUS III. Dei Gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Litvaniae, Ruſſiae, Pruſſiae, Maſoviae, Samogitiae, Livoniae &c. Univerſis, & ſingulis, ad quos praeſentes Literae noſtrae pervenerint, maxime vero Domino Epiſcopo, Praeſidibus, Capitaneis, Vice-Capitaneis, Oeconomis, Burgrabiis, Proconſulibus, caeterisque quibuscunque Magiſtratibus, & eorum Locatenentibus Provinciae, & Civitatum noſtrarum Livoniae, ſincere, & fideliter Nobis dilectis Gratiam noſtram Regiam. Magnifici, Generoſi, Nobiles, Spectabiles, & Famati, ſincere, & fideliter Nobis dilecti. Significatum Nobis eſt, cum antehac Mercatores externi, qui per Provinciam Livoniae negotia ſua habere ſolent, Derpato & merces plerasq; quas exportant, petere, & ſuas etiam deponere fere ſoleant, nunc alio fere commercia omnia transferunt, magna non modo cum vectigalium noſtrorum interverſione, verum Civitatis etiam noſtrae Derpatenſis detrimento; id igitur, ne poſthac committatur, quo Sinceritas, ac Fidelitates Veſtrae omni ſtudio, ac cura prohibeant, iis mandamus inprimis, ut Literas haſce Edicti publici noſtri celebrioribus in locis proponant, tum vero Mercatoribus etiam Literas commeatus, ſeu Fidei publicae petentibus nullas alias, quam Derpatum verſus dent, qui autem contra hoc Edictum noſtrum alio, quam Derpatum, cum mercibus ſuis convertiſſe ſe deprehenſi fuerint, eorum merces uſque ad ulteriorem informationem noſtram, dum quid de iis ſtatuendum ſit, Sententiam noſtram declaremus, detineant. Secus pro gratia noſtra non facturae. Datum Grodnae die prima Menſis Januarii, Anno Domini milleſimo quingenteſimo octuageſimo nono, Regni vero noſtri Anno ſecundo.

SIGISMUNDUS *Rex.*

Petrus Trzebicki.

CXCVIII.

Confirmatio Jurium, & Privilegiorum Civitatis Rigenſis. Dat. Varſaviæ d. 17. Apr. Anno 1589. 1589.

ANNO 1589. *Ex Arch. Magni Ducatus Litvaniæ*, Lib. 161. fol. 86.

SIGISMUNDUS III. Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæ &c. Significamus præſentibus Literis noſtris, quorum intereſt, univerſis, præſentibus, & futuris, harum notitiam habituris. Etſi in publico Coronationis noſtræ Conventu omnia Jura, Libertates Immunitates, Prærogativas, & Privilegia per Dominos olim Anteceſſores noſtros, Principes, & Reges Poloniæ univerſis Regni, & Dominiorum noſtrorum Ordinibus, ſubditisque noſtris cuiuscunque ſtatus, & conditionis exiſtentibus generaliter, & in univerſum, ſemel iam ſolenniter confirmaverimus, easque Nos inviolabiliter obſervaturos vigore præſtiti a Nobis Juramenti obligaverimus, tamen cum Nuntii Civitatis noſtræ Rigenſis ſupplicaſſent Nobis, ut eorum quoque Libertates, & Jura omnia, quorum in continuo uſu fuerunt, & adhuc ſunt tam in rebus Eccleſiaſticis, quam Civilibus quibuscunque, Privilegia, Indulta, Beneficia, Prærogativas, Immunitates publicas, & privatas, generales, & ſpeciales, a Sereniſſimis Anteceſſoribus noſtris Regibus Poloniæ, & aliis ſpiritualibus, vel ſæcularibus Dominis acceptas, & uſu longi temporis obſervatas, & receptas conſvetudines, patrios mores, & Pacta, ſpecialibus Literis noſtris approbare, innovare, confirmare, & ratificare eis dignaremur, Nos quo hac quoque in parte, ut aliis, ita Civitati etiam ei noſtræ Clementiam noſtram eo magis declararemus, ſupplicationi huic eorum benigne aſſenſi ſumus, pro eoque authoritate, conſilio, & aſſenſu Senatorum noſtrorum tam Regni, quam Magni Ducatus Litvaniæ accedente in præſentibus hiſce Comitiis, eorundem Comitiorum authoritate commemoratas Civitatis noſtræ Rigenſis veteres omnes Libertates, & Jura, quorum in continuo uſu fuerunt, & adhuc ſunt tam in rebus Eccleſiaſticis, quam Civilibus quibuscunq;, Privilegia, Indulta, Beneficia, Prærogativas, Immunitates publicas, & privatas, generales, & ſpeciales a Sereniſſimis Anteceſſoribus noſtris Regibus Poloniæ, & aliis Spiritualibus, vel Sæcularibus Dominis acceptas, & uſu longi temporis obſervatas, & receptas conſvetudines, patrios mores, iuraque in univerſum omnia, poſtremæ Domini STEPHANI Regis Deceſſoris noſtri incorporationi, Privilegiisque ab eodem Civitati tributis non contraria, aut pugnantia, non ſecus, acſi hic omnia, & ſingula in genere, & in ſpecie de verbo ad verbum in ſuo tenore deſcripta eſſent in omnibus, & ſingulis eorum punctis, capitibus, & clauſulis benigne approbanda, confirmandaque exiſtimavimus, quemadmodum quidem Noſtro, Succeſſorumque noſtrorum Nomine approbamus, confirmamus, & perpetuo rata habebimus, & Succeſſores Noſtri habebunt. In quorum omnium fidem præſentes manu noſtra ſubſcripſimus, Sigillisque Regni noſtri, & Magni Ducatus Litvaniæ obſignari mandavimus. Datum Varſaviæ in Conventione Regni noſtri Generali die decima ſeptima Aprilis Anno milleſimo quingenteſimo octuageſimo nono, Regni vero noſtri Anno ſecundo. ANNO 1589.

SIGISMUNDUS *Rex.*

R. Heydenſtein.

CXCIX,

Inveſtitura Friderici, & Guilhelmi Fratrum, Curlandiæ, & Semigalliæ Ducum. Dat. Varſaviæ d. 18. Aprilis, Anno 1589. *Ex Archivo Regni.* Lib. 105. Lit. W M. num. 106. fol. 123. Item Lib. 182. num. 183. fol. 13. 1589.

In Nomine Domini Amen.

Ad perpetuam rei memoriam.

NOS SIGISMUNDUS III. Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Kijoviæ, Volhyniæ, Podlachiæ, Livoniæ, nec non Regni Sveciæ proximus Hæres, & futurus Rex, Significamus præſentibus Literis noſtris, quorum intereſt, huius, & futuri temporis univerſis, & ſingulis. Cum iam antea Illuſtris olim Princeps, Dominus Gothardus Curlandiæ, & Semigalliæ Dux, tum temporis Equeſtris Ordinis Theutonici Magiſter univerſa cum Livonia, Nobilitate, Civitatibus, Statibus, atque Ordinibus omnibus, ſe ad Sereniſſimi Avunculi, & Prædeceſſoris noſtri D. SIGISMUNDI AUGUSTI, & Succeſſorum, Regnique Poloniæ, & Magni Ducatus Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, cæterarumq; Ditionum noſtrarum fidem, ac poteſtatem contuliſſet, & in omne tempus ſubieciſſet, idque ut faceret, iuſtiſſimis, graviſſimisque cauſis, & perneceſſariis Livoniæ rebus adductus eſſet. Magno nempe Moſchorum Duce, longo, ac crudeliſſimo bello in eam Provinciam graviſſime incumbente, ac longe, late-

que

ANNO 1589. que omni iniuriarum, direptionumque genere, ac flammæ, ferrique sævitia grassante, iamque eousque armis progresso, ut nil non in eius potestatem venturum, cunctaque vi illa hostili superatum, atque exciſum iri viderentur, iam eius Illustritati, cunctisque Livoniæ Ordinibus, magnitudine belli admodum fractis, & ne quicquam Sereniſſimorum Imperatorum Romanorum, Sacrique Romani Imperii fidem, auxilium, & opem diu implorantibus ſpem iam nullam non modo priſtini ſtatus Provinciæ, ſed ne quidem ſalutis, libertatis, vitæque ſingulorum amplius retinendæ habentibus, aliam, quam quæ in Sereniſſimorum Poloniæ Regum, & Regni, Magnique Ducatus Litvaniæ defenſione, atque imperio ſita eſſet, quod tum eius Illuſtritas cum Livonia univerſa a Sereniſſimo Prædeceſſore, & Avunculo noſtro Divo SIGISMUNDO AUGUSTO, in fidem, poteſtatem, ac ditionem ſuam, & Succeſſorum ſuorum, Regnique, Magnique Ducatus Litvaniæ certis conditionibus iuſte, legitimeque recepta ſit. Et quia eius Illuſtritatis ſtudium in adducenda ea Provincia ad ſubiectionem, ditionemque Poloniæ Regum ſingulare extitiſſet, & ita mereri eius dgnitas, virtus, fides cenſeretur, illi, mutato ex conſilio Ordinis Equeſtris ſtatu priore, approbante eam rem Sereniſſimo Rege Divo SIGISMUNDO AUGUSTO ab eodem, tanquam ſupremo, directo, naturali, & perpetuo Feudi illius Domino Ducalis titulus cum omni dignitate, inſignibus, Privilegiis Ducalibus, ac ditionibus certis tributus, & eius Illuſtritas Vaſallus Poloniæ Regum, Feudatariusque Princeps, & Regni, Magnique Ducatus Litvaniæ Membrum factus fuerit pro eo, ut Diplomate iam ante D. Deceſſori noſtro Divo STEPHANO Regi exhibito, ac Vilnæ decima octava die Novembris Anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo primo præſcripto, & *Divi* SIGISMUNDI AUGUSTI Praedeceſſoris, & Avunculi noſtri manu ſubſcripto, Sigillo autem eius annulari ſignato, certius, fuſiusque continetur. Quod praeterea, cum Illuſtritas eius, de ſolenni ſua Inveſtitura Feudali, Sereniſſimum Praedeceſſorem, & Avunculum noſtrum Divum SIGISMUNDUM AUGUSTUM aliquoties appellaſſet, & per temporum rationem, magnitudinemque Regni negotiorum, voti ſui compos, regnante, viventeque praedicto *Divo* Avunculo, & Deceſſore noſtro, effici non potuiſſet, poſtea vero a Sereniſſimo STEPHANO Rege, & Praedeceſſore noſtro, ad Regni noſtri Poloniae, Magnique Ducatus Litvaniae faſtigium Dei benignitate evecto, ANNO 1589. diligentiſſimis precibus confirmationem ſuorum iurium a Divo SIGISMUNDO AUGUSTO conceſſorum, & Ducalem Feudi Inveſtituram prius in Comitiis ab eodem Divo STEPHANO Rege habitis, flagitaſſet, ſed cum magnitudo, varietasque occupationum Serenitatis eius, tum locorum quoque intervalla id a Serenitate eius praeſtari non paterentur, eique rei peragendae ex conſilio Regni noſtri Conſiliariorum, qui partim coram Serenitati eius affuerunt, partim per Literas de eo appellati fuerant, pariterque eorum, qui ex Magno Litvaniae Ducatu frequentes Serenitati eius in Senatu aſſederunt, in alium locum, tempusque opportunitate eius rei conſtituta, cum Illuſtritas eius ad diem quartam Menſis Auguſti, Anno Domini milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo nono, ſub generalem Exercituum delectum, & recenſitionem ad flumen Dunam prope Diſnam, quo in loco tum idem Sereniſſimus Prædeceſſor noſter caſtra habebat, acceſſiſſet, inque caſtris, & tentorio Serenitatis eius, Inveſtituram ab eodem Sereniſſimo Deceſſore noſtro petiiſſet, & fidelitatis, ſubiectionisque iusiurandum eidem Sereniſſimo Prædeceſſori noſtro, Succeſſoribusq; eius, ſupremis, directis, naturalibus, & perpetuis Dominis, Regnoque, Magnoque Ducatui noſtro Litvaniae praeſtitiſſet, quod tum idem Sereniſſimus Prædeceſſor noſter STEPHANUS Rex ex Conſilio Senatorum tam lateri eius aſſidentium, quam per Literas de eo requiſitorum, prænominatum Illuſtrem Principem Dominum Gothardum Curlandiae & Semigalliae Ducem, ad Terras, Civitates, Oppida, Arees, Poſſeſſionesque, quas a commemorato Sereniſſimo Avunculo, & Prædeceſſore noſtro conceſſas habebat, ac praeeminentias, iuraque omnia & ſingula, tradito ab eodem Sereniſſimo Deceſſore noſtro STEPHANO Rege ſolenni ritu Feudali Vexillo, Serenitas Sua inveſtiverit, pro quo cum eodem Illuſtri Principe Gothardo, paulo ante Regni noſtri initia, mortuo, filii Illuſtritatis eius Illuſtres Principes Domini Fridericus, & Gvilhelmus, primum ſub initium mox felicis inaugurationis noſtrae per Literas, deinde vero in praeſentibus hiſce Generalibus Regni noſtri Comitiis Illuſtris Princeps Fridericus utriusque nomine coram, tanquam commemorati Illuſtris Principis Gothardi Poſteri Maſculi, legitimi ex lumbis eius linea recta deſcendentes, eorundem iurium confirmationem, & Ducalis Feudi Inveſtituram diligentiſſimis itidem precibus a Nobis fla-

Anno 1589. gitassent. Nos die decima sexta Mensis Aprilis, in iisdem Generalibus Regni nostri Comitiis Varsoviam huc a Nobis indictis, postquam Illustritates eorum a Nobis Investituram petiissent, & fidelitatis, subiectionisque iusiurandum Nobis & Successoribus nostris, supremis, directis, naturalibus & perpetuis Dominis, Regnoque, Magnoque Litvaniae Ducatui praestitissent, ex consilio Senatorum nostrorum lateri nostro assidentium, eosdem Illustres Principes Fridericum, & Gvilelmum Curlandiæ et Semigalliæ Duces, Illustrem quidem Principem Fridericum præsentem, alterum vero Illustrem Gvilelmum per unum ex Consiliariis Fratris sui Vexillum porrectum apprehendentem, ad Terras, Civitates, Oppida, Arces, Possessiones, quas primum a Divo Sigismundo Augusto Decessore, et Avunculo nostro, maxime vero Serenissimo itidem Decessore nostro Divo Stephano Rege Illustris olim Dux Gothardus Pater Illustritatum eorum concessas habuit, ac præeminentias, iuraque omnia et singula, tradito a Nobis solenni ritu feudali vexillo, utrumque in solidum, sine tamen Ducatus eius dismembratione investivimus, et præsentium Literarum nostrarum authoritate, et tenore investimus, ea omnia rata, grata habentes, confirmantesque, et de integro solenni Investitura conferentes, quae a prædicto Serenissimo nostro Prædecessore Divo Stephano Rege Diplomate die quarta Mensis Augusti, Anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo nono, sub Suæ Serenitatis manu, Sigillis autem Regni, et Magni Ducatus nostri Litvaniæ dato, eorundem Illustrium Ducum Parenti iam ante data, concessa, collata sunt, atq; ea quidem, quæ in illo commemorato Diplomate ad eius Illustritates spectarent, quæq; a Nobis confirmantur & de novo conferuntur, hæc sunt: primum videlicet Illustritatibus eorum, atque posteris eorundem Masculis legitime ex eorum lumbis linea recta descendentibus, Ducalem titulum, ad instar Illustris Ducis in Prussia, cum omni dignitate, Insignibus, Privilegiis Ducalibus confirmamus, & de integro hac Investitura conferimus, ita ut Vasalli & Feudatarii Principes nostri, & Successorum nostrorum, Regnique & Magni Ducatus Litvaniæ Membrum sint, itidemque prædicti eorum Posteri sint. Præterea ut a Divo Sigismundo Augusto Serenissimo Prædecessore, & Avunculo nostro iam ante Illustri Parenti eorum Gothardo quondam Duci, Posterisque eius legitimis Masculis, ex eius lumbis linea recta descendentibus, nominatim ditiones, Possessiones, Civitates, Oppida, Arces certæ assignatæ, sine Infeudationis solennitate fuerant, postea vero vigore legitimæ Investituræ, a Serenissimo itidem Prædecessore nostro, Divo Stephano Rege, eidem attributæ; Ita nunc Nos quoque commemoratis Illustribus Principibus Friderico, et Gvilelmo attribuimus, damus, et conferimus. Primo totum illum tractum Curlandiae, et Semigalliae, incipiendo a salso mari, sursum sequendo fluvium Hilga, ascendendo ad antiquos limites, olim per Radzivilium inceptos, & dispositos, inter Samogitiam, Litvaniam, & Russiam ab una, & Livoniam ab altera partibus versus Districtum Polocensem ad Dunam fluvium, descendendo vero Duna usq; in mare salsum, adeo ut quidquid in istis terminis cis Dunam versus Litvaniam continetur, & ad Ordinem Livoniæ spectabat, nunc & in perpetuum apud Illustritates eorum, & eorum prædictos Hæredes Masculos permaneat, Curias videlicet, Bona & Nobilitatem, quæ ad Arcem Duneburgensem ex hac parte fluvii versus Litvaniam spectarunt: Arcem *Selburgam* cum toto districtu, Curias itidem & Nobilitatem, & omne id, quod videlicet ex hac parte ad Arcem *Ascherad* spectavit, Arcem *Bausko*, *Neugutt*, cum iis, quæ ad Arcem *Kircholm* pertinebant, Arces *Mitau*, *Tulkum*, *Neuburgk*, *Doblin*, *Candau*, *Alsvangen*, *Schrunden*, *Frauenbrugk*, *Zabel*, tum & illas Arces, quæ Serenissimo Antecessori & Avunculo nostro Divo Sigismundo Augusto oppignoratae fuerunt, *Goldingen*, *Hasenpoth*, *Durben*, *Windau*, in summa octuaginta millium, Arcem vero *Grobin* in quinquaginta millibus, Illustri quondam Principi Alberto Marchioni Brandeburgensi, in Prussia Duci, itidem oppignoratam, & illas quidem summas, quemadmodum prædictus Prædecessor noster in Diplomate suo remisit Illustritatibus eorum, & Nos remittimus. Pro Nobis vero & Serenissimis Successoribus nostris, & Regno, Magnoque Ducatu Litvaniae, reliquam Livoniam omnem cum omni proprietate, directo & utili Dominio, omnique mero, & mixto imperio, quemadmodum iam ante Divi Prædecessores nostri Sigismundus Augustus Avunculus noster, & Stephanus Reges reservarunt, ita etiam & Nos reservamus, retinemusque. Cumque inter cætera & hoc inter Serenissimum Prædecessorem & Avunculum nostrum, Divum Sigismundum Augustum & Illustrem eorum Parentem convenerit, ut permutatio-

Anno 1589.

Anno 1589. tatione Episcopatus Curonienſis pro Soneburga Arce, Curiis Leal, & Madzel, Illuſtris Dux Magnus contentetur, & eam ob rem prædictus Sereniſſimus Avunculus quemadmodum & Sereniſſimus Rex Stephanus Prædeceſſor noſter operam receperint, ut cum reliqua Curonia, Epiſcopatu quoque Curonienſi Illuſtritas eius potiatur. Poſtea autem cum vivente Duce Magno permutatio ea perfecta non fuiſſet, graviſſima autem de Epiſcopatu eo controverſia inter Divæ memoriæ Deceſſorem noſtrum Stephanum, & Sereniſſimum Daniae Regem exorta, tandem Sereniſſimus quondam Daniae Rex, per transactionem, & certis conditionibus Sereniſſimo Deceſſori noſtro, Regnoque ius ſuum, quod habere ſe in eo Epiſcopatu exiſtimabat, ceſſiſſet, nil hoc tempore ſine omnium Ordinum conſenſu ſtatuere ea de re Nos poſſe intelligebamus, ad quos cum propter aliarum maximarum occupationum noſtrarum in Comitiis hiſce praeſentibus multitudinem, referre ea de re non potuerimus, rem omnem in eo ſtatu, in quo ante fuit, relinquimus, neque quin poſthac ea de re cum Ordinibus agant, viam Illuſtritatibus eorum præcludimus, neve etiam limitum indiſcuſſorum cum vicinis Illuſtritates eorum controverſiam, aut difficultatem habeant, pro Regia noſtra Authoritate curabimus, ut primo quoque tempore, ad præſcriptum Pactorum Paſvolienſium, & poſteriorum Vilnenſium regantur, & certi conſtituantur in tota illa vicinia limites. Interea vero neutra pars alteri damnum inferat, aut litem, & difficultatem moveat, pro eo, ut hoc Privilegio prædictorum Divorum Anteceſſorum noſtrorum continetur. Cumque tractus Dunæ ſurſum, & deorſum limites inter Nos, & eorum Illuſtritates conſtituant, ius, & æquitatis ratio poſtulat, ut medietate fluvii in piſcando, & aliis commoditatibus, eorum Illuſtritates perpetuo gaudeant, quæque inſulae, ſive mediamnes alteri parti viciniores ſunt, apud eandem partem iuxta Privilegium eorundem Divorum Deceſſorum noſtrorum maneant. Monetae etiam cudendae facultatem, ut a prædictis Divis Anteceſſoribus noſtris iam ante Illuſtri olim Parenti Illuſtritatum eorum data eſt, eorundum Illuſtritatibus confirmamus, & de integro conferimus, ad pondus & valorem communis Reipublicae, & ut eius promiſcuus, & indifferens uſus ſit, tam in Litvania, quam in Livonia, volumus. Attamen ut ex una parte effigies noſtra, vel Inſignia Regni, & Magni Ducatus Litvaniae, ex altera Illuſtritatum eorum exprimantur. Si quid porro Illuſtritatibus eorum vendendum, impignorandum, permutandumque fuerit, ſuper hoc Illuſtritatibus eorum libertatem, facultatemque concedimus, ut ante a Divis Prædeceſſoribus noſtris conceſſum eſt, ita ſcilicet, ut ad Nos, & Sereniſſimos Succeſſores noſtros de eo primo loco referatur, Nobisque optio detur, ſi talem oppignorationem ipſi acceptare voluerimus, ſin minus, tum id Illuſtritatibus eorum liceat, cui volent; ita tamen, ut tali oppignoratione nulla occaſio diſmembrationis a Republica eorum bonorum detur. Dabimus etiam operam ſecundum Privilegium prædicti Divi Anteceſſoris noſtri, ut ſi quando Ducatus Eſtoniae cum Civitate Revalienſi aliqua ratione ad Regnum noſtrum Poloniae adiungatur, ut Illuſtritatibus ſuis æqua portio, vel in bonis vel pecunia concedatur, ſumptibus in ea recuperatione factis, ante omnia Nobis refuſis. Denique eorum Illuſtritatibus Jurisdictionem totalem, pro eo, ut in Privilegio commemoratorum Divorum Prædeceſſorum noſtrorum continetur, iuxta leges, & conſvetudines, moresque antiquos confirmamus, & de novo concedimus, & illi, qui eorundem Illuſtritatum Jurisdictioni ſubiecti, & ratione domiciliorum ſubditi eorundem erunt, & manebunt, ad ſuum tantum Principem provocabunt. In cauſis tamen gravioribus, & maximi momenti licebit Nobilitati a Principe ſuo ad Conventum Provincialem terrarum Livoniæ provocare. Caverat etiam Divus Sigismundus Augustus Anteceſſor, & Avunculus noſter Illuſtritatum eorum piæ memoriæ Parenti, cum ante ſexennali bello, tam Suæ Illuſtritatis, quam etiam Nobilitatis Curonienſis vires exhauſtae eſſent, relaxata ut eſſet eius Illuſtritas & Nobilitas ab onere belli, & ut hoc ſaltem præſtarent, & mitterent, quod commode pro modulo ſuo poſſint, alio autem tempore eandem habendam rationem, quam Illuſtris Domini Ducis in Pruſſia; Divus Stephanus vero Rex Deceſſor noſter, ſe quoque pro eo bello, quod tum gerebat, iis copiis, de quibus cum Illuſtritate eius ſibi conveniret, contentum fore promiſerat. Itaque ut Nobis de ipſorum Illuſtritatibus perſvademus, quæ cum ſua Nobilitate poſſint, Nobis non gravatim præſtituros, ita & ipſi ab illis non plus, quam illorum vires ferant, exigemus. Poſtremo cum iam ante Illuſtris olim Parens Illuſtritatum eorum perneceſſariis & iuſtiſſimis de cauſis ſe ditioni atq; Imperio Sereniſſimorum Prædeceſſorum noſtrorum, Anno 1589.

ANNO 1589. & Succeſſorum, Regniq; et M. Ducat. ſubiecerit, extrema Magni Moſchorum Ducis iniuria, vi, atq; oppreſſione hoſtili impulſus, fruſtra per annos complures implorata Imperii Romani, atque Imperatorum ope, atque ſubſidio, iamque per longiſſimum temporis ſpatium, veluti pro derelicto habiti, ſub ditione Poloniae Regum Anteceſſorum noſtrorum, et Noſtra, nulla cum controverſia permanſerint; Nos quidem futurum non iudicamus, ut eorum Illuſtritatibus eo nomine controverſia, aut moleſtia ulla afferatur, verumtamen ſi quæ allata fuerit, quæ cum labe aliqua nominis, aut aliquo detrimento coniuncta ſit, Nos in eo Regio noſtro officio, quod in defendendis ſubditis noſtris verſari non ignoramus, minime defuturi ſumus: quodque Sereniſſimos Prædeceſſores noſtros, in cauſa Illuſtris quondam in Pruſſia Ducis Alberti egiſſe intelligimus, agere minime prætermittemus, defenſionemque contra hoſtem omnem, qualiscunque ille tandem fuerit, præſtabimus, & Succeſſores noſtri præſtabunt, ipſi vero Illuſtres Duces, pro hac Sereniſſimorum Prædeceſſorum noſtrorum, & Noſtra in ſe beneficentia, quæcunque Vaſalli, & Feudales Principes erga ſuum naturalem, ſuperiorem & directum Dominum fidelitatis, & obſervantiae, ſervitiorumque officia, & ſtudia præſtare tenentur, Illuſtritates eorum erga Nos, Regnumque, ac Magnum Ducatum Litvaniae præſtabunt, itidemque Hæredes, Poſteriq; legitimi in hoc Feudo Succeſſores præſtabunt, Nosque viciſſim eorum Illuſtritates, & prædictos Hæredes omni patrocinio, amore, & benevolentia boni Regis, & ſupremi, directique Domini complecti, & in iuribus & Privilegiis eorum conſervare tenebimur, & Succeſſores noſtri tenebuntur. In quorum omnium & ſingulorum fidem præſentes manu noſtra ſubſcripſimus, Sigillisque Regni noſtri, & magni Ducatus Litvaniae muniri mandavimus. Datum Varſoviæ in Comitiis Regni noſtri Generalibus die Decima Octava Menſis Aprilis, Anno Domini milleſimo quingenteſimo octuageſimo nono, Regni vero noſtri anno ſecundo. Præſentibus Reverendiſſimis, Reverendis, Illuſtribus, Magnificis, Venerabilibus ac Generoſis Stanislao Karnkowſki Gneſnensi, Legato nato, ac Regni noſtri Primate, Joanne Demetrio Solikowſki Leopoliensi Archiepiſcopis, Hieronymo a Rozdrazow Vladiſlaviensi, & Pomeraniæ, Luca a Koſcielec Poſnanienſi, Petro Dunin Wolſki Plocensi, Bernardo Macieiowſki Luceoriensi, Alberto Baranowſki Premiſliensi, & Regni noſtri Vice-Cancellario, Joanne Koſtka de Stangenburgk Culmenſi, Laurentio Goſlicki Chelmenſi Epiſcopis, Chriſtophoro Radziwiłł Duce in Bierze, & Dubinki Palatino Vilnenſi, Magni Ducatus Litvaniæ Exercituum Campiductore, Solicensi, Boriſſoviensi, Kokenhauſenſique, Joanne Kiſzka Caſtellano Vilnensi, Samogitiae, Breſtenſique, Petro de Potulicze Caliſſiensi, Viſſogrodensi, Joanne Hlebowicz Trocensi, Radoſchovienſi, Upitenſique, Alberto a Łaſko Siradiensi, Marienburgensi, in Livonia, Nicolao Chriſtophoro Radziwiłł Duce in Ołyka, & Nieśwież Caſtellano Trocenſi, Saulenſique, Nicolao Herborth Ruſſiæ, Joanne a Sienno Podoliae, Hrodlenſi, Corſunenſique, Gregorio Zielinſki Plocensi, Mławenſique, Staniſlao Kryſki a Drobnin Maſoviae, Plocensi, Dobrzynensi, Staniſlao Radziminſki Podlachiæ, Livenſi, Camenecenſique, Staniſlao Goſtomſki de Lezenicze Ravensi, Radomienſique, Nicolao Działynſki Culmensi, Bratinenſique Palatinis, & Capitaneis, Staniſlao Comite a Tarnow Sendomiriensi, Breſtensi, Stobnicenſique, Joanne Comite a Thenczyn Voynicensi, Lublinensi, Parczovienſique, Joanne *D*ulſki Culmensi, Theſaurario Regni, Branſcensi, Svevensi, Suraſensi, Rogoſnensi, *D*erſavienſique, Joanne Leſniowolſki de Obory Czernensi, Pernavienſique, in Livonia, Martino Leſniowolſki de Obory Podlachiae, Zagoviensi, Loſzicenſique, Nicolao Firley de *D*ambrowicza Biecensi, Referendario Curiae Regni, Corczynensi, Caſimirienſique, Georgio Mniſzech de magna Kanczyce Radomiensi, Sanocensi, Samborienſique, Joanne Myſkowſki de Mirow Zarnoviensi, Joanne Oſſowſki Polanecensi, Hieronymo Goſtomſki Naklensi, Valtenſique, Staniſlao Minſki Zakroczymensi, Joanne Tylkowſki Conariensi, Lanciciensi, Siradienſique, Caſtellanis, & Capitaneis, Andrea Opalinſki de Bnin Marſchalco Regni, Maioris Poloniæ Generali, Sremensi, Lezaiſtensi, Alberto Radziwiłł *D*uce in Ołyka, & Nieśwież Magni *D*ucatus Litvaniae Marſchalco, Coronenſique, Joanne de Zamośćie Cancellario, & Exercituum Regni Generali, Bełſensi, Marienburgensi, *D*erpatensi, Kruſzynensi, Miedzyrzecenſique, Leone Sapieha Magni *D*ucatus Litvaniae Vice-Cancellario, Słonimensi, Markovienſique, Theodoro Skuminensi, Magni *D*ucatus Litvaniae Theſaurario, Olitenſique, Staniſlao Przyemſki Mareſchalco Curiæ Regni, Coninensi, Officialibus, & Capitaneis, Petro Tylicki Præpoſito Gneſnensi, Canonico Cracoviensi, Varmien-

ANNO 1589.

ANNO 1589. mienſique, Secretario Regni maiore, Joanne Tarnowſki Referendario Curiæ Regni, Cracoviensi, Vladiſlaviensi, Lanciciensi, Kruſvicenſique Præpoſito, Joanne Piotrowſki *D*ecano Poſnaniensi, Canonico Cracoviensi, Joanne Kraſinſki Cantore Cracoviensi, Simone Rudnicki Cuſtode Gneſnenſi, Hiacyntho Młodzieiowſki Theſaurario Curiae, Krzeczoviensi, Piaſecenſique, Gaſparo Maciejowſki Stabuli noſtri Præfecto, Scepuſiensi, Petro Opalinſki de Bnin Inciſore Menſæ noſtræ, & Rohatinenſi, Staniſlao Kraſinſki Curruum noſtrorum Præfecto, Lubomliensi, Bolemovienſique Capitaneis, Procopio Sieniawſki Pocillatore Curiae, Petro Srzeniawa Subdapifero noſtro, Balthaſaro Staniſławſki Culinae noſtrae Magiſtro, & aliis quam plurimis *D*ignitariis, Officialibus, et Aulicis noſtris.

SIGISMUNDUS *Rex.*

CC.

1589. *Confirmatio Oppignorationum, Venditionum, & Permutationum, a Gothardo Duce, eiusque Filiis Friderico, & Gvilhelmo, Curlandiæ, & Semigalliæ Ducibus factarum.* Dat. Varſaviæ, die 18. Aprilis Anno 1589. *Ex Archivo Regni.* Lib. 105. Lit. W. M. num. 106. fol. 530.

SIGISMUNDUS III. DEI Gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Litvaniae, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Volhyniæ, Podlachiæ, Livoniæ, nec non proximus Hæres Regni Sveciae, et futurus Rex. Significamus præſentibus hiſce, quorum intereſt, huius et futuri temporis univerſis, et ſingulis. *D*emonſtratum eſſe Nobis nomine Illuſtrium Principum *D*ominorum Friderici, et Gvilelmi Curlandiae, et Semigalliae *D*ucum ſincere Nobis dilectorum. Cum ſi quando Curlandiae *D*ucibus vendendum, impignorandum, permutandumve quid ſit, ſuper hoc quidem Illuſtritates eorum facultatem habeant, ita tamen, ut ex eiusdem Inveſtiturae Formula ad Nos, Sereniſſimosque Succeſſores noſtros de eo primo loco referatur, optioque Nobis detur, ſi talem oppignorationem ipſi acceptare voluerimus, ſin minus, ut tum id Illuſtritatibus eorum liceat, cui velint, hac etiam conditione adiecta, ut tali oppignoratione nulla occaſio diſmembrationis a Republica eorum bonorum detur. Accidiſſe ſuperioribus temporibus, ut cum Illuſtris olim Parens eorum Gothardus *D*ux, tum poſt eius mortem ipſi partim neceſſitati ſuæ, partim utilitati et commodi cauſa, aliqua bona oppignoraverint, non nulla etiam vendiderint. Cum propter temporis autem brevitatem, tum alias difficultates ſuas, ex commemoratae Inveſtiturae formula, neque ad Sereniſſimum *D*eceſſorem noſtrum, neque Nos ipſos referre adhuc de iis potuerint, quæ res, ne vel ipſis, vel iis, qui cum Illuſtri olim Parente ipſorum aut Illuſtritatibus eorum ipſis contraxiſſent, fraudi & incommodo alicui eſſet, cum diligenter eorundem nomine petitum a Nobis fuiſſet, ut ſuperiores huiusmodi oppignorationes, Venditiones, unis Literis noſtris benigne confirmare, et ratas habere vellemus, Nos clementer petitioni huiusmodi Illuſtritatum eorum annuentes, commemoratas oppignorationes & venditiones, quæcunque in hunc usque diem vel ab Illuſtri olim Parente Illuſtritatum eorum Gothardo *D*uce, vel Illuſtritatibus eorum ipſis cum quibuscunque hominibus initae, & contractae ſunt, omnes, et quascunque, acſi ſpeciatim hic inſertæ eſſent, quemadmodum et pro inſertis haberi volumus, noſtra quoque authoritate, non ſecus, quam ſi ſecundum Literas Inveſtiturae ab initio ad Sereniſſimum *D*eceſſorem noſtrum, vel Nos ipſos, de iis relatum, optioque data Nobis fuiſſet, omni meliori modo confirmamus, ratas, ac gratas habemus. Regalibus tamen noſtris, & ſuperioritatis Juribus, quibus, quemadmodum & ipſi Formulae, ac conditionibus Inveſtiturae nil in poſterum hac confirmatione noſtra derogatum volumus, ſalvis in iisdem oppignoratis, et venditis bonis manentibus. In quorum fidem haſce manu noſtra ſubſcripſimus, Sigillisque Regni et Magni *D*ucatus Litvaniae muniri mandavimus. *D*at. Varſoviae in Conventione Regni noſtri Generali, die decima octava Menſis Aprilis, Anno *D*omini milleſimo quingenteſimo octuageſimo nono, Regni vero noſtri anno ſecundo. ANNO 1589.

SIGISMUNDUS *Rex.*

CCI.

Confirmatio Articuli de libero uſu Confeſſionis Auguſtanæ. Dat. Varſaviæ d. 18. Aprilis An. 1589. *Ex Archivo Regni.* Lib. 182. Lit. R. C. num. 183. fol. 38. 1589.

SIGISMUNDUS III. Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Somogitiæ, Volhyniæ, Podlachiæ, Livoniæ, nec non proximus Hæres Regni Sveciæ, & futurus

ANNO 1589. Rex. Significamus his Literis noſtris, quorum intereſt, univerſis, & ſingulis, earum notitiam habituris. Quod cum Illuſtris Princeps, Dominus Fridericus Curlandiæ, & Semigalliæ Dux, ad Nos tempore, locoque datarum a Nobis harum Literarum veniſſet, & Inveſtituræ Feudi ſui Ducalis collationem, tum Jurium, & Privilegiorum, Conceſſionumque omnium, quæ a Sereniſſimis olim D. SIGISMUNDO AUGUSTO, Avunculo, & Divo STEPHANO Regibus, Deceſſoribus noſtris Illuſtris olim Parens eius conſecutus fuiſſet, confirmationem, & renovationem, ſuo, Fratrisque ſui Illuſtris item Principis Guilhelmi nomine petiiſſet a Nobis, & cætera quidem, quæ de novo conferenda, & confirmanda exiſtimaſſemus, ipſo Inveſtituræ Diplomate confirmare Nobis viſum eſſet, Articulum de Religione Confeſſionis Auguſtanæ e Privilegio eiusdem Divi Deceſſoris, & Avunculi noſtri, quemadmodum & Divæ memoriæ Sereniſſimus STEPHANUS Rex Deceſſor noſter feciſſet, hoc peculiari noſtro *D*iplomate eius Illuſtritati Regia noſtra poteſtate, atque authoritate confirmare voluiſſe. Cuius quidem Articuli in commemorato Privilegio Divi SIGISMUNDI AUGUSTI tenor de verbo ad verbum eſt talis: *Dedimus præterea fidem, ſicut & præſentibus Literis ſancte damus, recipimus, & promittimus, Nos tam Principi ipſi, quam Civitatibus, aliisve ſubditis ſuis, cuiuscunque Ordinis, & Status fuerint, liberum uſum Religionis, Cultusque Divini, & receptorum rituum ſecundum Auguſtanam Confeſſionem in ſuis Eccleſiis, totiusque rei Eccleſiaſticæ integram adminiſtrationem, ſicut eam hactenus habuerunt, libere permiſſuros.* Hunc igitur Articulum ex omni ſua parte Nos gratum, ratumque habere, atque eius Illuſtritati confirmare, & ſalvum, ſartumque perpetuis temporibus conſervaturos eſſe, Verbo noſtro Regio, pro Nobis, & Succeſſoribus noſtris promittimus, quemadmodum eum vigore harum Literarum noſtrarum confirmamus. In cuius rei fidem præſentes Literas manu noſtra ſubſcripſimus, & Sigillo Regni noſtri, Magnique Ducatus Litvaniæ muniri mandavimus. *D*atum Varſaviæ in Conventione Generali die 18. Menſis Aprilis, Anno *D*omini MDLXXXIX. Regni vero noſtri Anno ſecundo.

SIGISMUNDUS *Rex.*

Concordat cum vero ſuo Originali

Locus Sigilli Notarii Publici Regii.

Godefredus Fabricius, Notarius Publicus Regius.

CCII.

ANNO 1590.

Confirmatio Juris hæreditarii Civitatis Rigenſis ſuper Inſulam Steinholm. Datum Varſaviæ in Conventu Regni Generali d. 2. Jun. Anno 1590. *Ex Archivo Regni.* Lib. 108. Lit. W. P. num. 109. fol. 142.

SIGISMUNDUS III. Dei Gratia Rex Poloniae, Magnus *D*ux Litvaniae, Ruſſiae, Pruſſiae, Maſoviae, Samogitiae, Livoniaeque &c. &c. Significamus praeſentibus Literis noſtris huius, & futuri temporis, quorum intereſt, univerſis, & ſigulis. Quod etſi cum illo ipſo tempore, quo poſt vindicatam e Moſchi dominatu Livoniam, ſolemnem ſubiectionem D. STEPHANO Poloniae Regi, Deceſſori noſtro laudatiſſimo, Reique publicæ huic Rigenſis Civitas præſtitit, ipſa Formula Subiectionis, ac datis in eam rem Privilegiis, tum vero noſtra etiam deinceps authoritate, atque Privilegiis, omnes tam Terreſtres, quam Civiles poſſeſſiones illius Civitatis, quaecunque tum ab ea tenebantur, confirmatae ſunt, ita, ut de illis dubium amplius nullum ſit, quia tamen Nobis ſupplicatum eſt in his Generalibus Regni Comitiis ipſius Civitatis nomine, ut peculiari etiam Diplomate poſſeſſionem Inſulae Steinholm, & Domus cuiusdam in Civitate Rigenſi, quam una cum Inſula praefata a Generoſo olim Joanne Buringio Civitatis Rigenſis, ante praeſtitam Divo STEPHANO Regi ſubiectionem, emptionis titulo acquiſitam habuit, & nunc etiam eandem quietam, & pacificam obtinet, confirmaremus, & comprobaremus. Nos inſiſtentes prioribus generalibus Privilegiis, & Confirmationibus tum Divi Deceſſoris noſtri STEPHANI Regis, tum noſtris, huic ſupplicationi annuimus, atque praedictorum bonorum Inſulae Steinholm, & Domus in Civitate ſitae poſſeſſionem, & Jus Civitati ipſi integrum, perpetuum per omnia, & illibatum eſſe volumus, eademque omni pleniori modo, & forma irrevocabili corroboramus, ita ut commemoratam Inſulam Steinholm, & domum, cum omnibus colonis, & ſubditis, tabernis, molendinis, fluminibus, rivulis, piſcaturis, aucupiis, cenſibus, reditibus, penſionibusque quibusvis, cunctisque in univerſum utilitatibus, & obventionibus praeſentibus, & futuris eadem libertate, & proprietate, qua reliqua bona ſua Civitas poſſidet, perpetuis temporibus poſſidere, tenere, habere, de eisque tanquam ſuis propriis cum integra,

Anno 1590. gra, & plena vendendi, donandi, commutandi, aut quocunque alio modo alienandi potestate disponere possit, nullis Statutis, vel praesentibus, vel futuris obstantibus. Promittentes Verbo Nostro Regio pro Nobis, & Successoribus nostris, non passuros Nos, ut ullis unquam temporibus Civitas in istis, & reliquorum bonorum terrestrium possessione vel a Nobis, vel a quoquam alio turbetur, sed perpetuo eam in iis, quae Civitas possidet, conservaturos. In cuius rei fidem praesentes manu nostra subscripsimus, et Sigillis Regni, Magnique Ducatus Litvaniae consignari mandavimus. Dat. Varsaviae in Conventu Generali Regni, die secunda Mensis Junii Anno MDXC.

SIGISMUNDUS *Rex*.

CCIII.

1590. *Protestatio Senatus Rigensis contra Illustrem Ducem Curlandiae*. Dat. Varsaviae d. 31. Jul. Anno 1590. *Indidem*. fol. 297.

SIGISMUNDUS III. Dei Gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Litvaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiae, Livoniaeque &c. &c. Significamus praesentibus Literis nostris huius, vel futuri temporis, quorum interest, universis, et singulis. Quod constitutus personaliter coram Nobis, et Actis Cancellariae nostrae Honoratus Joannes Oberhoff Secretarius Civitatis Rigensis, sanus mente, et corpore existens, inhaerendo prioribus protestationibus coram Illustrissimo, et Reverendissimo *D*omino Cardinale, nec non coram Magnifico Praeside Vendensi, et aliis, tam contra defunctum, quam modernum Illustrem Curlandiae, et Semigalliae *D*ucem interpositis, et nunc in optima iuris forma, Spectabilis Senatus Civitatis Rigensis nomine, solemniter protestatus est, primum, et constanter affirmans. Illustri Curlandiae *D*uci nullum plane dominium sive directum, sive utile in *D*unae Flumine competere, verum quod dominium directum ad Nos, et Serenissimos Reges Poloniae, uti Magistratum Supremum, utile vero ad Civitatem Rigensem vigore tam antiquorum, quam recentium Privilegiorum, et diuturnae Possessionis pertineat, et spectet. In contrarium vero siquid ab Illustri Duce vel per Privilegium, vel per Mandata forte obtentum esset, aut inposterum tale quippiam obtineretur, cuius praetextu, et specie fluminis praedicti dominium sibi Illustris *D*ux vendicare attentaret, Senatus de nullitate obtentorum omni tempore per eundem recognoscentem protestatur. Protestatus est quoque de eo, si Illustris *D*ux in rippa Fluminis *D*unae in praeiudicatum, et impedimentum liberae navigationis aedificium aliquod exstructurus esset, Civitatem, cuius potissimum interest, ut Privilegia sua sarta tecta serventur, istud minime admissuram, sed ultimis remediis huic rei mature obviam ituram. Si praeterea naviculae a Civitate ad custodiam Portus Rigensis ex Serenissimi Regis STEPHANI fundatione positae, eiusque praesidiariis violentia, aut iniuria aliqua ab Illustri *D*uce inferatur, eo quoque nomine solemni nomine protestaturus est, Civitatem videlicet pro Privilegiorum suorum defensione de aliquo illatae vis, et iniuriae remedio cogitaturam, et si ita necessitatis ratio postulaverit, vim vi, quod Juris est naturalis, repulsuram. Porro si in praeiudicium portorii nostri Rigensis, naves quaedam portus novos praeter Rigensem portum quaesiverint, et in Curlandiae littore deprehensae fuerint, contra eas salvam sibi Civitas vigore intimationis et Ordinationis Regiae poenam protestando reservat. Quandoquidem Civitati primo subiectionis tempore, privilegio peculiari cautum, provisumque est, ne in fraudem et praeiudicium portorii nostri Rigensis aliorum portuum, praeter Rigensis portus, usus sit, contra portum Windaviensem, Lubovienſem, alioſque Curlandiae portus illicitos solemniter protestatus est. Simili modo cum Civitati cautum sit, ne ad decimum lapidem circum Civitatem telonea ulla instituantur, ea Civitati affertur necessitas, ut tam de novalibus teloneis, praesertim de eo, quod in Flumine Aha ab Illustritate sua institutum est, quam de terrestribus protestari cogatur, uti quidem de iis omnibus solenniter protestatus est. Anno 1590.

Quando Civitas intelligit Illustrem Ducem, et Illustrem Ducissam Viduam Matrem, contractu quodam minime perfecto, praetendentes suo arbitratu limites constituere: itaq; Civitatis nomine protestatus est, videlicet non velle Civitatem ne latum quidem ungvem a limitibus antiquis, praesertim vero a Reverendisimo Cardinali Mutinensi constitutis discedere, sed iis inhaerendo, in praeiudicium Civitatis ne tantillum quidem posse, aut velle permittere. Quod Illustris *D*ux contra expresisisima Privilegiorum Civitatis verba braxaturam, et propinationem cerevisiae intra duo milliaria circa Civitatem exercet, eo quoque nomine solenniter protestatus est. Protestatus quoque est de eo, quod Illustris *D*ux omnis generis frumenta in maximum portorii nostri Ri-

ANNO 1590. genſis praeiudicium Mitavia Rigam, ſive Acciſæ, ut vocant, penſione, navigio tranſportari, eaque libere diſtrahi iubet.

De Mercatura, quam et ipſe *Dux*, et ſubditi Illuſtritatis ſuae in ſummum Civitatis praeiudicium exercet, quam fieri poteſt, debetque, ſolenniter proteſtatus eſt. Neq; minori diligentia proteſtatur de gravisſimis iniuriis tam ab Illuſtri defuncto Curlandiae *Duce*, quam a moderno *Duce* Civitati illatis, quod videlicet uterque in Jurisdictione Civitatis ſubditos Civitatis propria authoritate deprehenderit, deprehenſosq; capitis ſupplicio affici mandaverit. Proteſtatus quoque eſt de omnibus, et ſingulis in tergum Partium contra Civitatem, eiusque Incolas extra forum, & terminum obtentis citationibus, mandatis, & decretis.

De receptu proſcriptorum, qui Bonſcii, & Mitaviae tam ab Illuſtri Duce, quam ab Illuſtre eius Matre nulla habita Decretorum contra proſcriptos latorum ratione, libere patiuntur, & quod Illuſtritates ſuae vicibus aliquot a Senatu pro executione Decretorum ſupplices rogatæ, executionem præſtare denegarint, proteſtatus eſt.

Quod inſuper Civitatis Rigenſis Incolæ ex Actoratu in Foro Ducali appellationem ad Nos devolvere volentes carceris interminatione prohibentur, iis appellatio non deferatur, de eo non minus Senatus, quam Nobilitas Transdunenſis, qui ſe gravatos vehementer ſentiunt, proteſtantur ſolemni modo.

Proteſtatus qúoque eſt de iis omnibus, & ſingulis, quae in tergum contra Civitatem ab Illuſtri Duce obtenta ſunt, & in ſua Civitate obtineri poſſent. Tandem de certa illa pecuniæ quantitate, et uſuris, quae ex Inſcriptione Illuſtris olim Ducis Curlandiæ Civitati a multis annis debetur, quamque non ſine maximo ſuo incommodo hactenus fruſtra repetiit, et aegerrime tam diu caruit, proteſtatus eſt. Quam Proteſtationem Nos ſuſcepimus, et ratam habentes illam in Acta Cancellariae noſtræ inſcribi, et ex eisdem authentice extradi mandavimus, volentes, ut robur debitum obtineat. In cuius rei fidem praeſentes manu noſtra ſubſcripſimus, et Sigillis Regni, Magnique Ducatus Litvaniae conſignari mandavimus. Datum Varſaviae die ultima Menſis Julii Anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo.

Relatio Reverendi JOANNIS TARNOWSKI *Kruſvicenſis, Vladiſlavienſis, Lancicienſ. Præpoſiti, & Regni Polon. Vice-Cancellarii.*

CCIV.

ANNO 1592.

Privilegium, quo conceditur Nobilitati Livoniæ, & Civitati Rigenſi erectio aggeris in commodum, & emolumentum ſuum. Dat. Varſaviæ in Comitiis Regni Generalibus d. 11. Oct. 1592. *Ex Archivo Magni Ducatus Litvaniæ.*

SIGISMUNDUS Tertius DEI Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiae, Pruſſiae, Maſoviae, Samogitiae, Livoniae, &c. Significamus præſentibus Literis noſtris, quorum intereſt, univerſis, & ſingulis. Quod cum iam ante non modo Rigenſium, verum etiam Equeſtris Ordinis in Livonia, ſubditorum noſtrorum permoti precibus, revidendi aggeris ad Novam Molam, certis Reviſoribus noſtris negotium dediſſemus, eo nempe propoſito, ut iſthic publice mercatio ſit, atq; ſine impenſa tranſitus illic hominibus, & iumentis expeditus effici poſſit, intellexiſſemus autem aggerem cum ob limoſum ſolum ſuapte natura, tum ob reſtagnantes aquas ex lacubus vicinis, ipſoque mari propinquo, magno, perpetuoque ſumptu refici oportere, id vero perneceſſarium eſſe, quod iumenta hominum Rigam venientium iſthic miſere affligantur, ac merces etiam ſæpenumero plauſtris in luculenta via haerentibus, grave detrimentum accipiant. Quapropter cum iam ante Rigenſem Civitatem, ac Nobilitatem ipſam Livonicam hortati eſſemus ad ſuſcipiendum aggeris iſtius firmo aliquo, & ſolido opere reparandi negotium, idque vel maxime ea ratione dicta feciſſemus, quod a noſtro Tenutario Novomolenſi ſumptus ii, qui aggeri parandoque, ſuſtinendoque ſufficiant, niſi teloneo in eos inſtituto praeſtari non poſſint, vectigalia autem, & telonea quaevis tam vetuſtis, quam a Sereniſſimo STEPHANO Rege conceſſis, a Nobiſque ipſis comprobatis Privilegiis ad decimum ab Urbe Rigenſi milliare excluſa ſint, & idcirco illo loco ab Urbe Rigenſi ad duo tantum milliaria diſſito conſtitui non poſint. Ita porro noſtro hortatu Nobilitas Livonica cum Rigenſi Civitate de ea re conveniſſet, ut ipſa dimidiam partem iniquae illius viae dimidiam autem alteram Civitatis ſumptibus, impenſisque propriis aequaret, ac muniret, nullum autem eo nomine vectigal unquam iſthic a quoquam exigeret. Nos communibns ſubditorum noſtrorum commodis conſulere, ac Privilegia, & Immunitates, uti debemus

ANNO 1592. bemus, integras conſervare volentes faciendum putavimus, ut hoc etiam peculiari Privilegio aggeris illo loco ad Novam Molam, quo maxime difficilis tranſitus eſt, ad eam normam, quae maxime commoda, firmaque peritis, & induſtriis videbitur, extruendi palis, trabibus, lignis, vepribus, vel vineis, lapidibuſque, ac caeteris munimentis firmandi, conſtruendique toties, quoties opus fuerit, reficiendi & reparandi Nobilitati Livonicæ, Civitatique Rigenſi facultatem daremus, & concederemus, quemadmodum quidem damus, & concedimus praeſentibus, ita, ut Jus illis ſit totum illum aggerem eo modo, quo inter ſe convenerunt, extruere, ac ſartum, integrumque impenſa Sua conſervare. Ea tamen Lege, & conditione, ut in fundum ipſum in quo is agger eſt, nihil ipſis Juris eſſe velimus, neque uſucapione ullis temporibus unquam fundum illum uſurpari, ſed tantum operis iſtius pro publico commodo extruendi poteſtatem facimus, proprietatem fundi Novomolenſis integrum, & perpetuum Nobis, ac iis, qui illa noſtra bona aliquando collato a Nobis iure poſſidebunt, reſervantes. Eius autem ſtructurae, impendiorumque ſuorum nomine nullum plane teloneum a quopiam quicunque is, ſive peregrinus, ſive Incola illius Provinciae fuerit, aut vectigal exigere debebunt, neque quisquam in illo loco temporibus perpetuis quocunque nomine, aut prætextu exigere debet, ſalvo per omnia Civitatis Rigenſis de terminis exigendi telonei in perpetuum iure. Vt autem noſtrum etiam in eam rem rite peragendam habeant adiumentum aliquod, damus, & concedimus eisdem Civibus Rigenſibus, & Nobilitati Livonicæ, ut illis integrum ſit ligna, trabes, arbores maiores, & minores ad uſum aggeris neceſſarias ex ſylva noſtra in bonis Redonpois cum aſſenſu, & permiſſu eius, qui illa bona noſtra poſſidet, loco illi propinquo cædere. Quod ad univerſorum, & ſingulorum, quorum intereſt, nominatim autem Generoſi Joannis Oſtrowſki Tenutarii Novomolensis moderni, & aliorum quorumvis pro tempore exiſtentium notitiam deducentes mandamus, ut nullo modo in eo ædificando, reparandoque aggere Civitatem, Nobilitatemq; impediant, ne fabros, & operas eius rei cauſa in fundo noſtro conſtituendos turbent, nulla deinceps a tranſeuntibus telonea exigere audeant, ſed plenam, & illibatam hanc facultatem a Nobis conceſſam eſſe patiantur, neque ſecus faciant pro gratia noſtra, niſi pœnas eo nomine iudicii ſubire velint. In cuius rei fidem præſentes manu noſtra ſubſcripſimus, Sigillisque noſtris Regni, & Magni *D*ucatus Litvaniæ conſignari mandavimus. *D*at. in Comitiis Regni Generalibus die 11. Menſis Octobris, Anno *D*omini 1592. Regni vero noſtri anno quinto. ANNO 1592.

SIGISMUNDUS *Rex.*

Laurentius Gembicki. mpp.

CCV.

Conceditur facultas Civibus Rigenſibus conſtruendi Speculam, ſeu Laternam in oſtio maris. Dat. Varſaviæ in Comitiis Regni Generalibus die 12. Octobr. Anno 1592. *Ex Archivo Regni.* Lib. 107. num. 108. fol. 378. 1592.

SIGISMUNDUS III. DEI Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiae, Livoniæque, &c. ac Magnus Dux Finlandiæ. Significamus præſentibus Literis noſtris, quorum intereſt univerſis, & ſingulis. Quod cum ex Privilegio a Divo Deceſſore noſtro laudatiſſimæ memoriæ STEPHANO Rege datam facultatem Civitati Rigenſi fuiſſe perſpexiſſemus, loco aliquo opportuno, qua nimirum in altum longinquus proſpectus eſſe poſſit, ad lumen navigantibus præbendum ædificandæ Turris octo cubitos latæ, altæ autem totidem, ita quidem, ut inter trabes ſinguli tantum lateres interiecti opus hoc efficerent, neque ulla munitio adiungeretur. Nunc autem ex reviſione, quam in eam rem inſtitueramus, comperiſſemus, in præſentia quidem aliam rationem novo artificii genere neque exiguo ſumptu iſthic eſſe repertam, ut nempe nulla in littore Turris, ſpeculave collocetur, ſed in ipſo maris alveo ſupernatantia quædam dolia in ipſo fundo religata ponerentur, ad quæ Nautæ ex alto in Portum venientes curſum dirigerent. Cum autem in ea re Civitatem minus etiam, quam illi ex Privilegio a Divo *D*eceſſore noſtro collato liceret, feciſſe animadvertamus, faciendum Nobis putavimus, ut id, quod jam ab ea inſtitutum eſt, quodque Nobis etiam probari ipſa Civitas cupit, peculiari Privilegio noſtro comprobaremus, & confirmaremus, quemadmodum comprobamus, & confirmamus præſentibus, ita quidem, ut plenam poteſtatem Civitati ipſi eſſe velimus, ea ratione, quæ iam inventa eſt, nempe tonnis quibusdam certis in locis in Portus faucibus revinctis, qua cæca vada ſunt, tu-

ANNO 1592. tam navigationem monſtrare. Ita tamen, ut ſi id ex uſu Civitas fore intellexerit, vel aliquando neceſſarium fuerit, integrum Civitati prædictae ſit vigore illius Privilegii, quod a Sereniſſimo STEPHANO Rege ad exſtruendum ad eam normam, quæ in illo Privilegio deſcripta eſt, aliquid quod pro Laterna, lumini præſertim nocturno præbendo, tonnis aptiore eſſe poſſit, dummodo id, ut illo Privilegio cautum eſt, nullam munitionis ſpeciem habeat. Mandamus itaque omnibus in univerſum, nominatim autem Capitaneo noſtro *D*unemundenſi moderno, & pro tempore exiſtenti, ut ne in eiusmodi opere, dummodo tale ſit, quale eſſe per Reviſionem Nobis comprobatum eſt, ad hærendum videlicet fluctibus dolia, neque Laternam, ſi eam Civitas aliquando adhibere vellet, impediant, ſed eam conceſſam Civitati Rigenſi, illiusque Senatui a Nobis facultatem, & Privilegium illud *D*ivi STEPHANI *D*eceſſoris noſtri integrum eſſe temporibus perpetuis patiantur, neque ſecus faciant pro gratia noſtra. In cuius rei fidem præſentes manu noſtra ſubſcripſimus, ſigillisque Regni, & Magni *D*ucatus Litvaniæ noſtris conſignari mandavimus. *D*atum Varſoviæ in Comitiis Regni Generalibus die duodecima Menſis Octobris. Anno *D*omini MDXCII. Regni noſtri anno quinto.

SIGISMUNDUS *Rex*.

CCVI.

1592. *Reſtauratio Emporii in Civitate Derpatenſi pro Mercatoribus, cum Moſcovia negotiationes exercentibus.* Dat. Varſaviæ in Conventu Regni Generali d. 16. Octobr. An. 1592. *Ex Archivo Magni Ducatus Litvaniæ.* Lib. num. 170. fol. 71. *Extat in Archivo Cancel. Regni.* Lib. 107. Lit. W. O. num. 108. fol. 419.

SIGISMUNDUS III. DEI Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, &c. Significamus præſentibus Literis noſtris, quorum intereſt univerſis, & ſingulis. Si quicquam eſt, quod Regnorum, ac Imperiorum, & Reipublicae Statum florentem, ſtabilemque, ac firmum efficiat, urbes ſane, & oppida eſſe, quæ hoc vel maxime præſtent. Non modo enim ſplendorem omnem, opes, & copiam, a recte conſtitutis urbium, & oppidorum rationibus in populos omnes proficiſci, & redundare ſolere, verum illa etiam, urbes nimirum, & oppida, quaſi munimenta, & quaſi murum quendam optimum ad arcendam & ſuſtinendam vim, & impetum hoſtium eſſe. Non immerito igitur danda Nobis eſt opera, ut quoad poſſimus, incrementa, & ſtatum urbium, ac oppidorum Regni, & Provinciarum noſtrarum, maxime eorum, quæ in finibus ſita ſunt, promoveamus, & augeamus. Quod quidem *D*erpatenſi quoque in Livonia oppido ſeu Civitati tribuendum exiſtimamus. Cum enim illa Civitas de manibus, ac poteſtate Magni Moſchorum *D*ucis per Anteceſſorem noſtrum Sereniſſimum olim Regem STEPHANUM recuperata, in ipſisque Moſcoviæ finibus ſita, totius Livoniae velut propugnaculum quoddam habeatur, diligenter illa & tuenda, & rebus omnibus augenda, ac ornanda Nobis eſt. Quo fit, ut cum a Nuntiis illius Civitatis Famatis Elia Mengershuſen Proconſule, et Salomone Combereit Secretario poſtulata quædam ad ſtatum Civitatis illius pertinentia apud Nos propoſita fuiſſent, non gravatim illis aſſentimur, maxime quod ad Civium preces, Illuſtris quoque et Magnifici Joannis de Zamoście Supremi Regni noſtri Cancellarii, et Generalis Exercituum, nec non loci illius, *D*erpatenſis nimirum, Belzenſisque, Mariemburgenſis, Knyſzynenſis, Międzyrzecenſis, Grodecenſis, ac Javorovienſis Capitanei interceſſio acceſſit. Inter poſtulata autem primum ea Nobis propoſita ſunt, de reſtaurando in illa Civitate Emporio, quod antea quoque in ea habitum, et obſervatum fuiſſe dicitur, eius autem Emporii ratio, atque modus ex veteribus Legatorum, trium Livoniæ maiorum Civitatum Rigenſis, Revalienſis, ac *D*erpatenſis *D*ecretis, ſeu, ut tum appellabantur, Receſſibus demonſtratus Nobis fuit. Eiusmodi nimirum, quod nemini Mercatorum licuerit ultra *D*erpatum Pleſcoviam vel in alias Moſcoviæ partes commercibus progredi, verum negociatio omnis cum Moſchis *D*erpati exercebatur, et peragebatur. Moſchis autem etſi licuit cum mercibus ſuis Rigam, et in reliquam Livoniam ultra *D*erpatum proficiſci, tamen nonniſi per ipſam *D*erpatenſem Civitatem iter inſtituere, in eaque aliquantum commorari illis oportebat. Quæ ratio cum ab Emporiis in Regno noſtro non ſit diverſa, imo cum Legibus, ac Conſtitutionibus Regni de hac re, ſancitis conſentiat, eam ita authoritate, et *D*iplomate hoc noſtro renovamus, reſtauramus, et conſtituimus, ut nulli unquam mer-

Anno 1592. mercatorum temporibus perpetuis licitum, & permiſſum eſſe velimus, negotiationis & mercaturae cauſa cum mercibus cuiuscunque generis ex Livonia in Moſcoviam, præterita Derpatenſi Civitate, aut ultra eam ire, ſive proficiſci. Verum in ea omnes ſuas merces deponere, easque ſive Civibus ipſis, ſive externis Moſchis, ac alterius cuiuscunque Nationis hominibus vendere, commutare, & quosvis de iis contractus facere, adeo, ut omnibus tam noſtris, quam externis Mercatoribus in Livonia degentibus, vel ad eam venientibus & cum Moſchis negociationes exercere volentibus, illam Civitatem quaſi terminum, quem præterire non liceat, conſtituamus, ſolenneque, & perpetuum mercium, quae in Moſcoviam ducuntur, in Livonia Emporium Civitatem illam eſſe velimus. Prohibentes, & interdicentes omnibus in genere Mercatoribus, qui per Livoniam merces in Moſcoviam ducere velint, ne ultra eam Civitatem cum mercibus iisdem progrediantur, eamve tranſeant, neve officiales ulli noſtri illis hoc permittant. Verum in ea Civitate mercium Moſcis ſubpeditari ſolitarum mercatum, & negotiationem tractent, & exerceant, qui ſecus fecerint, eos omnium mercium amiſſionem, & confiſcationem incurſuros decernimus, quarum mercium pars dimidia Nobis, Succeſſoribusque noſtris, ac Fiſco Regni, & Magni Ducatus Litvaniae, reliquum Capitaneo, ac Civitati Derpatenſi ex æquo cedet. Excipimus tamen a Lege hac Mercatores, qui cum Oratoribus & Legatis noſtris profectionem in Moſcoviam ſuſcipere ſolent, tum etiam Civitatibus, & Oppidis Magni Ducatus Litvaniae, & cæteris quoque in Livonia Civitatibus, nihil hac Emporii Conſtitutione derogatum, aut præiudicatum eſſe volumus. Quod vero attinet Moſchos in Livoniam cum mercibus venientes, illis quidem ultra Derpatum Rigam etiam, & in penitiora Livoniae iter, & acceſſum patere volumus, ita tamen, ut non niſi per Derpatenſem Civitatem iter ſuſcipiant, in eaque Civitate quadriduum pro more veteri commorari, & Civibus, ac externis illic exiſtentibus copiam emendarum a ſe mercium facere teneantur. Quadriduo expleto licebit illis ulterius etiam ſe conferre vectigalibus, aut teloneis perſolutis. Cum autem poſt recuperatam eam Civitatem hactenus usque obſervatum ſit, ut Moſchis negotiandi cauſa venientibus non permitterentur in Civitate diverſoria, verum extra urbem diverſorium eſſet, quo reciperentur, Civibus obnixe petentibus, permittimus quidem, ut in ipſa etiam Civitate Moſchis apud Cives more antiquo divertere, mercesque deponere liceat, ita tamen, ut proventum, qui Arci, ſive Oeconomiae Derpatenſi ex Diverſorio illo Moſcovitico anteurbano proveniebat, Cives integre præſtent, & exactiones a Moſchis Mercatoribus ibidem provenientes œconomicæ ſolvantur. Alterum eſt, quoniam Civitas illa valde exiguos reditus publicos habere dicitur, multi autem ſumptus in vicinitate illa hoſtium faciendi illi ſint, aliqua etiam in venientes eo excellentiores hoſpites impendenda permiſimus, permittimusque præſentibus hiſce, Magiſtratus cum plebis Communitate, ut de penſione unius groſſi polonici a ſingulis cereviſiae tonnis ad publicum Civitatis ærarium conferenda, uti inter eos convenerit, conſtituere inter ſe poſſint, quod Nos ratum perpetuo habituri ſumus. Maioris fidei & evidentioris teſtimonii cauſa haſce manu noſtra ſubſcripſimus, Sigillisque Regni noſtri, & Magni Ducatus Litvaniae obſignari mandavimus. Datum Varſoviae in Conventu Regni Generali die XVI. Menſis Octobris Anno Domini MDXCII. Regni noſtri quinto. Anno 1592.

SIGISMUNDUS *Rex.*

Petrus Tylicki Secretarius & Referendarius mpp.

CCVII.

Libertatum quarumdam Civitati Derpatenſi Conceſſio. Dat. Varſaviæ in Conventu Regni Generali d. 16. Octobr. Anno 1592. *Ex Archivo Magni Ducatus Litvaniæ.* 1592.

SIGISMUNDUS III. Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæ &c. Illuſtri, & Magnifico Joanni de Zamośćie Supremo Regni noſtri Cancellario, & Generali Exercituum, Belzenſi, Mariemburgunſi, Derpatenſi, Knyſinenſi, ac Medzyrzecenſi Capitaneo, ſincere Nobis dilecto, in abſentia ipſius, Vice-Capitaneo, ac Oeconomo Derpatenſibus, gratiam noſtram Regiam. Illuſtris, & Magnifice ſincere Nobis dilecte. Propoſita apud Nos fuerunt nomine Civitatis Derpatenſis ab ipſius Internuntiis poſtulata quædam, ad Civitatis illius ſtatum pertinentia. Ex his, quæ ſtatim a Nobis concedi potuerunt, conceſſa illis ſunt, reliqua ad Sinceritatem Veſtram, eiusque Officiales Derpatenſes, reiecimus, ut quæ

Anno 1592. absque incommodo œconomiae praestare possint, ab iis praestentur. Ac inprimis supplicatum ab iis Nobis fuit de fundo *Terfer*, in quo fornax calcaria existit, ut eum fundum libere possidere illis liceat Quod quemadmodum concessum iam ante illis fuit, ita in concessione ista iuxta Privilegium ipsorum conservari eos volumus. Pascua, quae nunc a Civibus possidentur, & quibus utuntur, deinceps etiam in perpetuum possideri ab iis volumus, & quidem intra fines illos, intra quos ab initio assignata illis fuerant, & limites adhuc designant, ac ne ullum ea in re impedimentum illis exhibeatur, vel obiiciatur, Sinceritas Vestra providebit. Quodsi forte nomine eorum pascuorum pensitatum aliquid ab iis fuit, deinceps quoque pensitetur, sin minus, nullum onus, aut pensio nova iis eam ob rem imponatur. Cum autem de lignatione quoque in sylvis Oeconomiae illius nostrae libera, ac ut rusticis arbores, et ligna ex iisdem sylvis in Civitatem devehere liceat, Nobis supplicavissent, Civitatem autem absque lignorum, & arborum usu non facile rationes suas tueri posse animadverteremus, permisimus illis, quod petebant, ita tamen, ut moderate & absq, insigni sylvarum detrimento ea facultate utantur. Quare non prohibebit illis Sinceritas Vestra, nec prohiberi iubebit, quominus facultate sibi permissa, hac, uti dictum est ratione, ne nimis sylvae devastentur, libere utantur. De mille quoque trabibus ad pontem in flumine Einbek de novo aedificandum ex sylvis Oeconomiae concedendis ita supplicationi eorum sumus assensi, ut ipsi sumptibus suis has trabes & excidant, & adducant; excisio autem earum commodo illis loco, ne prohibeatur, Sinceritas Vestra mandabit. Molendino in fluvio Einbek aedificato navibus trabibusque, ac piscibus cursum impediri plurimumque obesse conqueruntur, petuntque amoveri illud, quod quidem, si absque incommodo, & praeiudicio proventuum Oeconomiae fieri potest, Sinceritas Vestra rationem in ea re navigationis, ut sit libera per fluvium, commodorumque Civitatis habebit, ac vel amovere, vel in alium locum transferri molendinum illud iubebit, parvum etiam molendinum quoddam, in quo cuprum aliquando excudebatur, ad ipsa Civitatis mœnia situm, Civitati secundum usum antiquum restitui petunt. Videat Sinceritas Vestra, quid ea in re absque incommoditate Oeconomiae fieri possit, ac vel de proventu aliquo nomine eius molendini pendendo cum Civitate constituat, molendinum autem illi permittat, vel alia idonea aliqua ratione cum Civitate ea de re transigat, quod Nos ratum habituri sumus. Dat. Varsaviae in Conventu Regni Generali die 16. Mensis Octobris Anno *D*omini millesimo quingentesimo nonagesimo secundo, Regni nostri quinto. Anno 1592.

SIGISMUNDUS *Rex.*

Petrus Tylicki Secretarius, & Referendarius. mpp.

CCVIII.

Privilegiorum Civitatis Rigensis Declaratio. Dat. Varsaviæ in Comitiis Regni Generalibus d. 31. Maii Anno 1593. *Ex Arch. Regni* Lib. 108. Lit. W. P. num. 109. fol. 127. *Extat in Archivo M. D. L.* Lib. n. 178. fol. 224. 1593.

SIGISMUNDUS III. Dei Gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Litvaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiae, Livoniæque &c. &c. nec non Svecorum, Gottorum, Vandalorumque Hæreditarius Rex, ac Magnus Dux Finlandiæ. Significamus præsentibus Literis nostris huius, & futuri temporis, quorum interest, universis, & singulis. Quod cum Civitas nostra Rigensis, Livoniæ Metropolis, in fidem, & ditionem Decessoris nostri Divæ memoriæ STEPHANI Regis primum, & inde in nostram venisset potestatem, etsi quibus iuribus, quibusque conditionibus in fidem nostram, Successorumque nostrorum ea recepta sit, ea omnia certis Privilegiis a Decessore nostro Civitati Rigensi in Comitiis Generalibus Regni Anni millesimi quingentesimi octuagesimi secundi, iisque a Nobis in Comitiis Anni millesimi quingentesimi octuagesimi noni confirmatis, concluſa, definitaque sint, tamen cum certa quædam capita partim uberius, planiusque explicanda, partim ea, quæ peculiaribus Literis, & *D*ecretis *D*ecessoris nostri olim concessa illi essent, in præsentes hasce Literas referenda Nobis per Internuntium suum Nobilem Davidem Hilesen, Syndicum Civitatis obtulisset, benigne annuendum duximus, & primum quidem: Cum Divæ memoriæ Decessor noster STEPHANUS Rex ad Jurisdictionem in causis ad solos Nobiles, qui vel in Civitate Rigensi contraherent, vel delinquerent, pertinentibus more Maiorum Civitatum Prussiæ, Officium Burgrabiatus in Civitate Rigensi instituisset, Burgrabiumque, qui Capitanei munere, ac potestate in causis tantum Nobilium fungeretur, in Civitate ea ante incognitum, Jurisdictionis huius causa ibidem introduxis-

ANNO 1593. duxiſſet, eumque ſemper ex numero quatuor Proconſulum fundaſſet, nominatim Statutum etiam Thorunenſe ad Civitatem eandem Rigenſem extendi voluiſſet, eaque de re peculiari Privilegio generaliter ſaltim ei caviſſet, ac vero hanc ob cauſam commemorata Civitas noſtra Rigenſis ulteriorem a Nobis declarationem petat. Ideo Divæ memoriæ Deceſſoris noſtri STEPHANI Privilegium commemoratæ Civitati noſtræ tributum ſecuti, præſentibus declaramus, ordinamus, & ſtatuimus, quod, quæ in Statuto Thorunenſi Anno milleſimo quingenteſimo vigeſimo Thoruniæ a Divæ memoriae Avo, & Deceſſore noſtro SIGISMUNDO Primo edito, de Capitaneo ſcripta ſunt, ea de ſolo Burgrabio Civitatis intelligi debeant. Is igitur Burgrabius in Civitate ea ad ſupra commemoratum Statutum Thorunenſe, Jurisdictionem ſuam Capitanealem noſtro loco referet, exercebitque, Senatus quoque Rigenſis eum Burgrabium pro Capitaneo noſtro ad exercendam Jurisdictionem noſtro loco, non autem Praefecturam Arcis agnoſcet, & per omnia ſecundum Statutum Thorunenſe ſe geret, ita, ſi cum Burgrabio in ſententia criminali lata conveniat, eam iuxta illius Statuti praeſcriptum exequatur, ſi vero inter ſe Burgrabius, & Senatus diſſentiant, tantiſper ab executione uterque ceſſet, donec res tota ad Nos relata definiatur. In caeteris vero levioribus Nobilium criminibus promiſcue commiſſis, ex contractibus ſolum Burgrabium pro more Civitatum Maiorum Pruſſiae, quibus hac in re Civitas Rigenſis exequata eſt, Jus dicere volumus. Inveteratos Nobilium caſus quod attinet, tum demum Burgrabius ſive Capitaneus noſter Jus dicere poterit, ſi vel vagabundus ſit, neque certum domicilium, aut poſſeſſionem in Provincia Livonia habeat, & cautionem idoneam praeſtare nolit, vel ſi reus Conventus contrahendi & a Foro competenti recedendi ſponte, & expreſſe Jurisdictioni Burgrabiali ſe ſubmiſiſſet. Si etiam eveniat, ut Burgrabii Officium vel mortis, vel abſentiæ, alteriusve cauſae interventu vacet, proxime antecedentis Anni Burgrabius interea temporis, dum vel prior redeat, vel eo defuncto alius, quem ex praeſentatis quatuor Proconſulibus, ordine ſucceſſorio obſervato, elegerimus, more Maiorum Pruſſiae Civitatum ſuccedat. Quicunq; etiam a Burgrabio, ſive Capitaneo noſtro Rigenſi vocatus, aut arreſtatus fuerit, etiamſi alieno Judicio ſubiectus, inibi reſpondere non teneatur, comparere tamen vel per ſe, vel per idoneum Plenipotentem, iusque ſuum allegare ſecundum Jus commune tenebitur, legitima autem ipſius exceptio locum habere debebit. Eorum etiam cauſas, qui vel Judicii Burgrabialis, aut Civilis contemnendi, mutandive cauſa arreſtati fugiunt, cauſam non ad Nos advocabimus, ſed eam cum toto effectu ad Judicium Rigenſe, pro Jure, quod Civitas iam ante ſibi conceſſum habet, remittemus, ſive ea criminaliter, ſive civiliter ad Burgrabium, ſive Magiſtratum Civilem pertineat. Hoc etiam pro Jure Civitatis diligenter obſervandum ſtatuimus, quod peculiari quodam Divæ memoriæ STEPHANI Regis Decreto olim Civitati tributum, & adiudicatum eſt, videlicet ne ultra præſcriptum, & ab antiquis Livoniæ Magiſtris receptum numerum, plures artifices in Suburbio Caſtri Rigenſis ſint, ita tamen, ne quid ex ſolido muro conſtruatur aut ſubterraneæ teſtudines fiant. Non minori etiam ſeveritate prohibemus, quam olim mediante Decreto Divi STEPHANI Regis prohibitum eſt, ne ſuburbanis iſtis locis a quibuscunque tandem perſonis, incolis, aut peregrinis negotiationes ullæ exerceantur, aut etiam cereviſia coquatur, & panis præter domeſticum cuiusque uſum non pinſetur, neque boves mactentur, ut venum exponantur, vel in naves importentur, idque ſub amiſſione earum mercium, cuius executionem Præfecto Arcis noſtræ pro tempore exiſtenti, & Burgrabio, Conſulatuique Civitatis coniunctim iam ante commiſſam, & Nos committimus, ita ut media pars rerum confiſcatarum Arci noſtræ, altera medietas Conſulatui cedat. Quandocunque vero Præfectus Arcis ea de re admonitus id facere recuſaverit, tum ipſe Burgrabius cum Conſulatu adverſus tales transgreſſores, portoriique noſtri Rigenſis defraudatores executionem realiter facere debebit. Eam Nos, & quamcunque aliam ordinariam Civitatis Jurisdictionem, eiusque executionem uſitatam minime impediemus, neque ab aliis impediri patiemur. Mandata e Cancellariis noſtris poſthac nulla, ſive ſint pœnalia, ſive talia, quibus receptus Civitatis illius proceſſus iudiciarius, rationesque uſitatæ, & Inſtantiarum ordo in quibuscunque actionibus, & cauſis, ad Civitatis Iurisdictionem pertinentibus turbentur, ſuſpendantur, vel Impediantur, edi mandabimus, quemadmodum & præſentibus mandamus, ordinamusque. Quodſi tamen pro Cauſæ, & Actionis qualitate Magiſtratus, vel Partium informationem res deſiderare videbitur, tota cauſa quemadmodum ab eo, qui mandatum edi petierit, narrata fuerit, ſcri-

ANNO 1593.

ANNO 1593. scripto comprehensa ad Magistratum Civitatis mitti debet, ad quam narrationem, si quid respondendum, vel aliter informandos Nos, Successoresque nostros Magistratus Civilis censuerit, per eum, qui cum Mandato eo venerit, clausis Literis intra bimestre tempus a die insinuationis Mandati id faciat. Quodsi id a Magistratu prætermissum, & ab eo, qui Mandatum attulerat, protestationem eo nomine factam esse idoneis testibus probatum, eiusque rei Instrumentum indubitatum productum fuerit, aut vero fecerit quidem Magistratus, sed tamen non satis causæ, quo minus prius Mandatum executum fuit, Nos, Successoresve nostri censuerint, tum demum ad pœnalia Mandata procedetur. In causis vero criminalibus Civitati usitatum Iuris sui cursum relinquimus, eumque impedire nolumus. Commissiones, ut hactenus, ita deinceps nullæ in Civitatem Rigensem edantur. Si de Magistratuum, ut & Privatorum negligentia, vel iniuria, culpave quærendum quis existimaverit, & porro in ulteriori processu temere illis negotium feciisse iudicatus fuerit, volumus, ut is in eodem termino in expensas, aliasque pœnas, quæ vel in temere litigantes, vel in calumniatores statui solent, condemnetur, & pro causæ conditione severe puniatur. Si qui etiam contumeliosis citationibus existimationem Magistratus, vel privatorum læserit, contra eos certe agetur, & pro iniuriæ atrocitate animadvertetur, Civitas Rigensis criminaliter citata non nisi in Comitiis exemplo Nobilium respondere tenebitur. Hoc etiam statuimus, ne Collegiis, cæterisque contuberniis Opificum Privilegia, vel etiam Confirmationes, aut Ordinationes ullae, quæ cum legitima Magistratus Civitatis authoritate, & iurisdictione pugnent, extradantur, sed eidem Magistratui pro veteri consvetudine de Collegiorum, Contuberniorumve statutis ex Civitatis rationibus statuendis ius, potestatemque integram relinquimus. Quod vero Possessiones Civitatis Rigensis terrestres attinet, quas admodum esse exiguas constat, eas omnes, & singulas, in quarum assidua possessione conservata hactenus Civitas fuit, Civitati, eiusque Civibus integre relinquimus, ita, ut libere quemadmodum hactenus, sic deinceps eas possideant, & nec a Nobis, Successoribusq; nostris, nec a quoquam alio unquam sub publico Juris, vel quocunque alio prætextu turbari debeant. Etsi iam ante ius cudendae monetae iure nullo Nobis, thesauroque nostro reservato, cum omni eius emolumento Civitati Rigensi, a Divis Decessoribus nostris concessum sit, quod & a Nobis confirmatum est, tamen amplius commodis Civitatis prospicere cupientes, Nos simile ius cudendi monetam, exceptis iis, quibus iam ante a Nobis id, Decessoribusq; nostris concessum est, nullis aliis vel Civitatibus, vel personis in Livonia concessuros, pro Nobis, nostrisque Successoribus spondemus, & pollicemur. Quia etiam ex Formula Subiectionis, qua Civitas Rigensis in fidem, & Ditionem Divi Decessoris nostri STEPHANI Regis recepta fuit, apparet, Civitatem sponte sua, ad certam quandam onerum ferendorum normam se propterea adstrinxisse, ut a quibuscunque aliis oneribus soluta, liberaque esset, ideo pro Nobis, & Successoribus nostris cavemus, quod Civitas nostra Rigensis, præter ea, quibus ad normam Privilegiorum suorum se adstrinxit, nullis aliis oneribus obnoxia esse debeat. Ex speciali quoque Gratia Nostra Civitati nostrae Rigensi permittimus, ut aquæ ductum per canales subterraneos ex rivulis quibuscunque vicinioribus, sine onere in Civitate Rigensi, quomodocunque velit, instituere possit. Volumus etiam, ut quemadmodum hactenus, ita deinceps quoque perpetuis temporibus a Judæorum mansionibus, & domiciliis Civitas nostra Rigensis libera sit, & in statu suo, quo hactenus fuit, semper permaneat nec quidquam de eo immutetur. Et quoniam publicae utilitatis causa, quam ex Portorio nostro Rigensi quotannis percipimus, Privilegio Civitatis Rigensis expresse cautum esse perspeximus, ne Portus, & nova Emporia alibi quam Rigæ aperiantur, in posterum diligenter ea in re Civitati, Portorioque illi nostro cavebimus, permittentes, ut æque Mercatores, atque Nautæ, qui posthac contra Civitatis iura, in Portu alio, quam Rigensi versari, negotiarique audebunt, pœna pecuniaria ex Senatus arbitrio, Præfectorumque Portorii nostri Rigensis mulctentur. Quilibet etiam Nauta ita, ut a Divæ memoriae STEPHANO Rege constitutum est, merces allatas non prius exponet, quam in loco Portorii earum omnium, & singularum Cathalogum, quem *Rolle* vocant, exhibuerit, neque merces navi imponet, priusquam plene Portorio nostro satisfecerit, secus facientes pœnis in fraudatores ærarii publici sancitis, ut puniantur, Senatui Rigensi, & Præfectis Portorii nostri coniunctim permittimus. Quoniam etiam proximi Antecessoris nostri authoritate a Civitate nostra Rigensi Navis ad ostium maris propterea constituta est, ne quis sine licentia a Portorii Rigensis Præfectis accepta, ANNO 1593.

ANNO 1593. pta, enaviget; ideo eandem eodem in loco, & ſtatu, in quo nunc eſt, conſervaturos Nos pollicemur. Et quod iam ante Civitati cautum eſt, nihil in præiudicium liberæ navigationis in littore, rippave ædificari debere, idem & Nos pro Nobis, & Succeſſoribus noſtris benigne cavemus. Si etiam contingat, ut vel ſpeculator, vel alius quispiam mare, Portumque Rigenſem infeſtare, repreſſaliisque Civitati vim facere intendat, munere noſtro Regio, quod in defendendis ſubditis noſtris verſari intelligimus, minime Nos, Succeſſoresque noſtros defuturos promittimus. Immunitates etiam, quibus Portorii proventus diminuantur, Nos & Succeſſores noſtri nemini dabimus, neque mercium noſtrarum nomine, & colore quemq; Portorium noſtrum Rigenſe illudere, vel defraudare permittemus, ſed in univerſum omnes, & ſinguli normam, & inſtructionem, quæ a Divæ memoriæ STEPHANO Rege Portorii Præfectis præſcripta, & hactenus obſervata eſt, ſequi tenebuntur. In cuius rei fidem Præſentes manu noſtra ſubſcripſimus, & Sigillis Regni, Magnique Ducatus Litvaniæ conſignari mandavimus. Dat. Varſaviæ in Comitiis Regni noſtri Generalibus. Die ultima Menſis Maii, Anno Domini milleſimo quingenteſimo nonageſimo tertio, Regni vero anno ſexto.

SIGISMUNDUS *Rex.*

Laurentius Gembicki. mpp.

CCIX.

1596. *Reſtitutio Bonorum ad Eccleſiam Ubnorienſem pertinentium.* Dat. Varſaviæ in Comitiis Regni Generalibus d. 10. April. An. 1596. *Ex Archivo Magni Ducatus Litvaniæ.* Lib. ſub Lit. G. fol. 455.

SIGISMUNDUS III. Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæque, &c. nec non Svecorum, Gottorum, Vandalorumque hæreditarius Rex, ac Magnus Dux Finlandiae. Significamus præſentibus Literis noſtris, quorum intereſt univerſis, & ſingulis. Quod cum expoſitum Nobis eſſet nomine Eccleſiae Parochialis Ubnorienſis in Diſtrictu Livoniae Vandalienſi conſiſtentis, eam retroactis turbulentis illis temporibus Moſcovitico bello flagrante, cum per frequentes hoſtium in Livoniam excurſiones, tum per Hæreticos ita devaſtatam, ac deſolatam eſſe, ut Divino cultu & ſacrorum Adminiſtratione, magno Chriſti Fidelium incommodo penitus orbata ſit, atque cum Generoſus Staniſlaus Koſs Tenutarius arcis Vandalienſis, Dapifer, & Aulicus noſter pio inductus excitandae, & reſtaurandae in ea Catholicae Religionis zelo, ſumptu ſuo magna in parte eam in rem collato, eandem Eccleſiam a ruina, & deſolatione ad cultum Religionis Catholicae revocaſſet, ſed tamen ob proventuum pene omnium ab ea Eccleſia diſtractionem, & alienationem neceſſarium omnino videatur, ut ad ſublevandas eius Eccleſiæ res, & Divinum cultum propagandum, bona & poſſeſſiones pro eadem Eccleſia antiquitus fundatæ, & attributæ, dictæ Eccleſiæ reſtituantur; eoque nomine Nobis ſupplicaretur, ut authoritate noſtra Regia eam bonorum reſtitutionem facere dignaremur. Nos, qui pro noſtro promovendæ Divinæ gloriæ ſtudio libenter in eam curam incumbimus, ut Eccleſiarum iura inviolata maneant, & quæ ab eis avulſa, & diſtracta ſunt, reſtituantur, faciendum Nobis merito putavimus, ut eandem Eccleſiam Parochialem Ubnorienſem, ſic a dicto Generoſo Staniſlao Koſs reſtauratam, de novo dotaremus, uti quidem iam præſentibus Literis noſtris dotamus, atque bona omnia, & ſingula antiquitus pro eadem Eccleſia fundata, tam quæ ab ea quocunque modo alienata, & avulſa, quam quæ nunc ſunt, eidem denuo de facto reſtituimus. Quoniam vero nonnullorum Nobilium a Fide & Religione Catholica defectione proventus dictæ Eccleſiæ, qui a ſubditis eorum more decimæ Porocho pendebantur, & extradebantur, diminuti, & abſtracti ſunt, ideo cupientes rationibus, & commodis eiusdem Eccleſiæ melius proſpicere, & ut iuſta eorundem proventuum recompenſatio ob ſupra recenſitas cauſas ab eadem avulſorum fiat, colonos fundo eiusdem Eccleſiae contiguos tres, nimirum *Snierpos* duos, & tertium *Princ*, nuncupatos, in duobus & medio uncis agri inſidentes, cum lacu parvo fundis dictorum ſubditorum adiacenti, nec non bona *Hiderland*, *Moyſa* dicta in Diſtrictu Lemſelienſi ſita, ad Nos, & diſpoſitionem noſtram certo cum caduco devoluta, cum omnibus attinentiis, obventionibus, & reditibus univerſis, ad ea antiquitus ſpectantibus, ita, quemadmodum in ſuis metis, & limitibus antiquitus exiſtunt, eidem Eccleſiae Parochiali Ubnorienſi aſſignamus, damus, donamus, & conferimus perpetuis temporibus. Quæ quidem ſupra nominata bona ſic a Nobis dotata, Juribus, Libertatibus, Immunitatibus, Jurisdictionibus,

Anno 1596. Sacræ Romanæ Eccleſiæ ſubiicimus, adſcribimus, & incorporamus, ac aliarum Eccleſiarum Catholicarum more, uti, & gaudere volumus. Ad quam quidem Parochialem Eccleſiam Ubnorienſem ex ſpeciali gratia noſtra Regia, eidem Generoſo Staniſlao Koſs Tenutario Arcis noſtræ Vandalienſis Parochum exnunc, atque quoties eandem Eccleſiam Parocho, poſt deceſſum, vel liberam reſignationem vacare contigerit, præſentandi facultatem damus, & concedimus ad extrema vitæ ipſius tempora. Eo vero vita defuncto, omne Jus Patronatus, collationis, & præſentationis ſuper eandem Parochiam ad Nos, & Sereniſſimos Succeſſores noſtros redibit, ac devolvetur. Quoniam vero eandem Eccleſiam Beatiſſimae Virgini Mariae Deiparae dicatam, indulgentiis, & humano generi ſalutiferis miraculis clarere accepimus: ideo Ordinationis de Vicario, Presbytero, Cantore, Rectore Scholae, Organario, ac aliis Eccleſiae Miniſtris Epiſcopo Vendenſi, tanquam Loci Ordinario cum eodem Generoſo Staniſlao Koſs Tenutario noſtro Vandalienſi faciendi poteſtatem & omnimodam facultatem damus, & concedimus, eamque ratam & gratam habentes, valituram ſemper volumus. Maioris autem fidei cauſa, & propter evidentius teſtimonium præſentes manu noſtra ſubſcripſimus, & Sigillo Regni, & Magni Ducatus Litvaniæ communiri mandavimus. Datum Varſaviæ in Comitiis Regni Generalibus die decima Menſis Aprilis, Anno Domini MDXCVI.

SIGISMUNDUS *Rex.*

Hieronymus Wołłowicz.

CCX.

1596. *Literæ ad Status Livonienſes, quibus eis indicitur Conventus Generalis Vendæ celebrandus.* Dat. Varſaviæ die 5. Decembr. Anno 1596. *Ex Archivo Magni Ducatus Litvaniæ.*

Sigismundus III. DEI Gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Litvaniae, &c. Vniverſis, & ſingulis, tam Equeſtris Ordinis, quam etiam Civitatum Maiorum in Livonia ſubditis noſtris, ſincere, & fidelibus Nobis dilectis gratiam noſtram Regiam. Sincere, & fideliter Nobis dilecti. Cum præſentem rerum vicinarum Statum, ac inde pericula Regno noſtro graviſſima imminentia id a Nobis flagitare intelligeremus, Comitia Regni Generalia Varſaviae ad diem decimam Menſis Februarii proximi indiximus, ut autem in Livonia Sinceritates, & Fidelitates Veſtræ conſilia inter ſe de rebus ad univerſam Rempublicam pertinentibus conferant, ipſis etiam Conventum Generalem Livoniæ Vendæ ad diem ſecundam Menſis Jannuarii proximi edicendum putavimus, cui noſtro loco, & nomine Reverendum in Chriſto Patrem Dominum Schenkin Epiſcopum Vendenſem præeſſe voluimus. Hortamur itaque Sinceritates, & Fidelitates Veſtras, ut & frequentes ad præſtitum diem conveniant, & eorum, qui noſtro loco præſidebunt, authoritati, & conſiliis, atque perſvaſionibus convenientem locum dent, Nuntiosque ad Comitia Regni mittendos tales potiſſimum plena cum facultate inter ſe deligant, qui ante omnia Reipublicæ ſalutem, cui multa intenduntur pericula, curæ habeant, & ſi quid a cæteris Ordinibus pro communi Republica boni ſtatutum fuerit, ad id ſtudiis, & ſententiis ſuis ſeſe accommodent. Facturae id ipſum Sinceritates, & Fidelitates Veſtræ pro officiis ſuis, gratiaque noſtra. Dat. Varſaviæ die quinta Menſis Decembris, Anno Domini milleſimo quingenteſimo nonageſimo ſexto. Regnorum noſtrorum Poloniæ nono, Sveciae tertio. Anno 1596.

SIGISMUNDUS *Rex.*

Mathias Woyna Notarius.

CCXI.

Decretum Commiſſoriale inter Illuſtriſſimos Principes Fridericum *Curlandiæ, & Semigalliæ, &* Georgium Fridericum *Marchionem Brandeburgenſem Ducem Pruſſiæ, de exemptione Epiſcopatus Curoniæ.* Datum in Suburbio Arcis Piltenſis die 31. Januar. Anno 1597. *Ex Archivo Regni.* Lib. 182. Lit. R.C. num. 183. fol. 39. 1597.

In cauſa & actione inter Illuſtres Principes, & Dominos, Dominum Fridericum in Livonia Curlandiæ, & Semigalliae Ducem ab una, & Illuſtrem Principem, & Dominum, Dominum Georgium Fridericum Marchionem Brandeburgenſem in Pruſſia, Stetini, Pomeraniae, Caſſubiorum, Vandalorum, nec non in Sileſia Carnoviæ Ducem, Burgrabium Norinbergenſem, et Principem Rugiae citatum, altera partibus: auditis utriusque Partis allegationibus per Mandatarios expoſitis, exceptionibus, re-

Anno 1597. replicationibus, aliisque fundamentis. Cum in termino hodierno hucusque continuato, actorea Pars nomine Illustrissimi Principis, & Domini, Domini Friderici in Livonia Curlandiæ, & Semigalliæ Ducis, iuxta interlocutorium in causa principali processisset, pecuniamque in Arce Piltensi, & bonis ad ea pertinentibus iuste, & legitime inscriptam, triginta nimirum millia talerorum in præsenti numerare parata esset, eamq; in facie eorum, qui a Mandatariis Illustriss. Principis Prussiæ ad Judicium nostrum missi sunt, Nobilium nimirum, & clarissimorum, Henrici a Weinbeer, & Joannis Mirandri Legum *D*octorum, & Georgii Fincken Secretarii, coram Judicio nostro deposuisset, ii vero non recedentes a protestationibus suis, & appellatione interposita, sed a Nobis non admissa, allegassent se non habere in Mandatis, ut pecuniam recipiant, Pars vero actorea sub hæc verba intulisset, petivissetque: quandoquidem citati confiterentur, quod non habeant in Mandatis recipiendi pecuniam, ut Nos per Decretum nostrum ad eandem pecuniam recipiendam, & cedendum Arce, bonisque omnibus ad eam pertinentibus adigeremus. Nos itaque in veritatis, & Commissionis obsequium, iustitiam præ oculis habentes, causam hanc ex commissa Nobis potestate Regia ita definivimus, & per Decretum nostrum pronuntiavimus, Illustrissimum Dominum Georgium Fridericum Marchionem Brandeburgensem, Ducem Prussiæ inprimis teneri, ut oblata, & numerata sibi pecuniæ summa, iuste, & legitime, prout verba Commissionis Regiæ Maiestatis sonant, in bonis illis inscripta nimirum triginta millia talerorum, iisque receptis ab eo, vel Mandatariis eius his præsentibus, Arcem ipsam Piltensem, & universa bona Episcopatus olim Curoniæ, nunc vero Territorii eius, Vasallosque, & subditos eius, quemadmodum hactenus in hypothecaria possessione habuit, cum Literis Obligationis Illustr. Principi, ac Dom. Domino Friderico Curlandiae *D*uci, sine ullis impedimentis, & tergiversatione tradat, realemque, & actualem Possessionem in Arce, bonis, & iuribus istis assignet, & concedat, prout Nos Authoritate Regia vigore praesentium pronuntiamus, tradimus, assignamus, & concedimus hoc nostro Decreto mediante. Ab hoc Decreto Illustrissimi Principis, ac *D*omini, Domini Georgii Friderici Marchionis Brandeburgensis Ducis Prusiae Mandatarii praefati, & Plenipotentes ad S. R. Maiestatem appellarunt, quam appellationem Nos ipsis, vigore Commissionis nostræ concessi. Anno 1597. mus, & terminum prosequendae coram R. Maiestate appellationis peremptorium a data praesentis *D*ecreti nostri intra quindecem septimanas, hoc est: ad diem decimam sextam Maii Stylo novo, ex consensu Partium praefiximus, ita scilicet, ut utraque Pars circa hunc terminum peremptorium quindecem septimanarum, a data praesentis Decreti coram Regia Maiestate, ubicunque tunc cum Aula sua fuerit constituta, compareat, & finalem huius causae decisionem attentet. Pars actorea nomine Illustrisimi Principis Domini, Domini Friderici in Livonia Curlandiae, & Semigalliae Ducis de omnibus damnis, & expensis ex eo emersis, & emergentibus, quod & ante aliquot annos, & nunc praefatam pecuniae summam in Arce Piltensi iuste, & legitime inscriptam persolvere parata fuerit, ea autem recepta non sit, & tot annos magno cum damno Illustrisimi Principis Ducis Curlandiae sterilis maneat, solenniter protestata est; quam Protestationem illi salvam relinquimus. In quorum omnium fidem hunc Actum nostrum Commissorialem, & Decretum manuum nostrarum subscriptione, & Sigillorum appressione roboravimus. Datum in Suburbio Arcis Piltensis die ultima Ianuarii stylo novo, Anno *D*omini 1597.

(L. S.) *Georgius Farensbach.*
(L. S) *Gasparus Moldawski.*
(L. S.) *Thomas ab Emblem.*
(L. S.) *Johann a Tisenhausen a Kalkenow.*

Concordat cum vero suo Originali

Locus Sigilli Notarii Publici Regii.

Godefredus Fabricius, Notarius Publicus Regius.

CCXII.

Datur potestas Friderico Curlandiæ, & Semigalliæ Duci redimendi Episcopatum Curoniæ de manibus Georgii Friderici Marchionis Brandeburgensis, ac in Prussia Ducis &c. Dat. Varsaviæ d. 4. Apr. An. 1598. *Ex Archivo Regni.* 1598.

Sigismundus III. Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Livoniæque &c. nec non Svecorum, Gottorum, Vandalorumque hæreditarius Rex, ac Magnus Dux Finlandiæ. Significamus præsentibus Literis nostris, quorum

ANNO 1598. intereſt', univerſis, & ſingulis. Quod etſi antea Illuſtriſſimo Principi *D*omino Friderico Curlandiæ, & Semigalliæ Duci poteſtatem redimendi Territorium, quondam Epiſcopatum Curoniæ, de manibus Illuſtris Principis, Domini Georgii Friderici Marchionis Brandeburgenſis, ac in Pruſſia &c. Ducis, ſumma triginta millia talerorum, dederimus, & conſenſerimus, tamen cum ea redemptio hactenus certas ob cauſas noſtras ſuum effectum non ſit ſortita, pro noſtra in ſuam Illuſtritatem benevolentia de novo ſuper eandem redemptionem conſentiendum, permittendumque eſſe duximus, prout quidem conſentimus, & permittimus præſentibus Literis noſtris, facimusque ſuæ Illuſtritati plenam, & integram poteſtatem, ut poſſit, & valeat prædictum Territorium Curoniæ, & omnes Arces, Oppida, Vaſallos, Prædia, Villas, & Poſſeſſiones, quæcunque vigore hypothecæ ab Illuſtri Duce in Pruſſia hactenus poſſidentur, ab eodem eximere, & eliberare. Quod quidem Territorium Curoniæ, poſteaquam ſua Illuſtritas redemerit, integrum cum omnibus ſibi annexis habebit, tenebit, & poſſidebit, eoque cum omnibus, ſubditis Nobilibus, Vaſallis, Oppidis, Juribus Patronatus, attinentibus, commodis, fructibus, proventibus, emolumentis, reditibus, utilitatibusque, & prærogativis generaliter univerſis, & ſingulis, nullisque penitus exceptis, aut inpoſterum excipiendis, tam iis, quae iam ſunt, quam quæ ulla induſtria excogitari poſſunt, ad integram uſque ſummæ perſolutionem, utetur, fruetur & potietur, promittimus pro Nobis & Sereniſſimis Succeſſoribus noſtris, non eſſe Nos prædictum Territorium, vel quicquam ex bonis, iuribus & ſubditis quibusvis ad hocidem Territorrum modo quovis pertinentibus ab Illuſtritate ſua amoturos, aut alienaturos, amovendique, aut quovis modo alienandi poteſtatem cuiquam daturos, & conceſſuros, quin Suam Illuſtritatem integre in poſſeſſione huius Territorii ad prædictam ſolutionem conſervabimus, Sereniſſimique Succeſſores noſtri conſervabunt, neq; prius eius Territorii poſſeſſio ad Nos, Succeſſoresq; Noſtros redibit, quam ſumma prædicta triginta millium Talerorum, per Illuſtritatem ſuam in redemptionem eius Territorii expoſita, & ſiquid ex Decreto Ordinum Regni ſupererogandum fuerit, ſuæ Illuſtritati, vel Succeſſoribus ſuæ Illuſtritatis, pari iure integre perſoluta, numerataque fuerit, Juribus directi *D*ominii noſtri, & reliquis Regalibus noſtris per omnia ſalvis ibidem manentibus. In cuius rei fidem præſentes manu noſtra ſubſcripſimus, & Sigillis utriusque conſignari iuſſimus. Datum Varſaviæ die 4. Menſis Aprilis Anno Domini 1598. Regnorum Poloniæ undecimo, Sveciæ vero quinto. ANNO 1598.

SIGISMUNDUS *Rex.*

(L.S.)

CCXIII.

Confirmatio Decreti Ducis Curlandiæ. Dat. Varſaviæ in Conventu Regni Generali d. 4. Aprilis Anno 1598. *Ex Archivo Magni Ducatus Litvaniæ.* 1598.

SIGISMUNDUS III. DEI Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiae, Livoniæ &c. nec non Svecorum, Gottorum, Vandalorumque hæreditarius Rex, ac Magnus Dux Finlandiæ. Significamus præſentibus Literis noſtris, quorum intereſt, univerſis, & ſingulis. Expoſitum Nobis eſſe nomine Nobilis Andreæ Nitſoff, Illuſtris Principis Curlandiæ, Semigalliæque Ducis ſubditi, interceſſiſſe ſuperioribus annis inter illum, & Nobilem itidem Siberhardum Friſen Actorem, ſubditum noſtrum, in puncto evictionis, ratione quorundam bonorum in Ultradunenſi Livonia ab uxoris illius Prædeceſſore marito ipſi Siberhardo venditorum, litem quandam, eaque per ſuam definitivam ab Illuſtri Principe Domino Friderico in Livonia Curlandiæ, Semigalliæque Duce pro reo deciſa, Actorem quidem a Sententia illa primum ad Nos appellaſſe, appellatumque ad iudicium noſtrum pro cauſæ iuſtificatione ſemel adciaſſe, poſtea tamen tot iam annis exactis proſecutionem illius neglexiſſe. Etſi igitur lapſis fatalibus, totque annis appellatione iam deſerta, antedicta Illuſtris Principis Curlandiæ, Semigalliæque Ducis lata Sententia, iam pridem in iudicatum abiit, atque litem eam reſuſcitari nullæ iuris rationes permittunt; tamen ut ſecuritati ſuæ appellatus magis conſuleret, de defenſione appellationis proteſtaturus, confirmationem dictæ ſententiae humillime a Nobis petiit. Nos iuſtis illius precibus clementer locum dantes eam in omnibus punctis illius, & Articulis, ſi, & in quantum in praemiſſis res ita ſe habeat, approbamus, ratificamus, & confirmamus, roburque perpetuae firmitatis non ſecus, ac ſi de verbo ad verbum hic inſerta eſſet, obtinere debere decernimus, praeſentibus Literis noſtris. In cuius rei fidem præ-

ANNO 1598. praesentes manu nostra subscripsimus, Sigillisque Regni, ac Magni Ducatus Litvaniae consignari mandavimus. Datum Varsaviae in Conventu Regni Generali, die quarta Mensis Aprilis, Anno millesimo quingentesimo nonagesimo octavo, Regni nostri Poloniae undecimo, Sveciae vero quinto.

SIGISMUNDUS *Rex.*

CCXIV.

1598. *Instructio Commissariis ad ordinandam Livoniam designatis data.* Varsaviæ d. 20. Aprilis Anno 1598. *Ex Archivo Magni Ducatus Litvaniæ* lib. n. 178. fol. 46.

Præscriptum Commissariis Sacræ Regiæ Maiestatis ex Authoritate Comitiorum præsentium ad ordinandam Livoniam designatis, Reverendissimoque Joanni Demetrio Solikowski Archiepiscopo Leopoliensi, Magnificis, ac Generosis Joanni a Zborow Castellano Gnesnensi, Graudentinensi, Odalanoviensique Capitaneo, Leoni Sapieha Magni Ducatus Litvaniæ Cancellario, Capitaneo Slonimensi, Sbigneo Ossolinski Succamerario Sandomiriensi, Mathiæ Leniek Capitaneo Novogrodensi, Petro Ostrowski de Ostrowa, Georgio Schenkingling Oeconomo Derpatensi, Bertramo Holschur Succamerario Derpatensi, Nicolao Niemieszczynski Secretario nostro, Joanni Wilczek Secretario nostro, Davidi Hilchen Secretario, & Nuntio Terrestri Vendensi, unius, duorum, triumve absentia non obstante. Datum Varsaviæ in Comitiis Regni Generalibus die vigesima Mensis Aprilis Anno Domini millesimo quingentesimo nonagesimo octavo.

Commissarii nostri Vendam, quum de communi consilio statuerint, convenient, Literas vero ad Reverendissimum Episcopum Vendensem, & Livoniae Praesides, tum universam Nobilitatem, & Ordines praemittent mature, quibus eosdem de adventu suo certiores facient, atque Conventum ad certam diem indicent, ad quam ad audienda Mandata nostra, exequendaque ea, quae Constitutionis proximorum Comitiorum, & Commissionis huius authoritate illis incumbunt, praesto omnes adsint. In Conventu Instrumento Commissionis publice lecto, quo fidem Legationis nostrae, Commissionisque huius faciant, ad ea deinde mox accedent, quae commemoratae Comitiorum horum Constitutionis authoritate mandata illis sunt, eiusque praescriptum in omnibus sequentur.

Ea autem, quae Constitutione commemorata illis iniunguntur, ad quatuor fere Capita revocari videntur, ut in Ordinem certum Provinciam redigant, maxime vero Magistratus, Officiaque, quae adhuc vacant, conferant. ANNO 1598.

Judicia secundum Constitutiones Divæ memoriæ STEPHANI Regis executioni præsenti mandari curent, quo etiam pertinet, ut authoritate illorum accedente omnium trium Nationum Provinciales Jus certum quoddam, quo causæ omnes illorum iudicentur, deligant. Alterum ut rationes, proventusque Bono-Nostrorum Regiorum perlustrent, revideantque, ut cum de aliis omnibus ad Nos, Ordinesque referent, tum non minus etiam de iis minutioribus, quae Jure hæreditario conferri possint. Tertio loco inquirendum illis erit in eos, qui perfidiae alicuius suspecti, aut rei habitæ fuerint. Quarto & ultimo, Judicia, quae illis Constitutione committuntur, exercebunt, administrabuntque.

In Formula certa Provinciae constituenda ante omnia operam dabunt, ut Judicatus, Magistratus, Officiaque, quæ secundum Constitutiones latine, Anno octuagsimo tertio editas, *Divæ memoriæ Decessoris Nostri* STEPHANI Regis in Provincia ea esse debent, sine mora constituantur ab iisque, quibus commissa fuerint, mox administrentur; qua quidem in re, ut maxime idoneos homines eligant, videbunt, quorum nimirum & merita in Nos, & Rempublicam nota sint, & qui eo rerum usu ac prudentia sunt, ut iure administrari ab illis munera ea possint. Et quae quidem merae nostrae Collationis sunt, ea illis, quos idoneos iudicaverint, authoritate nostra mox conferent. Ad quae autem secundum supramemoratas Constitutiones, ab ipsis Provincialibus aliqui eligi, Nobisque proponi debebunt, ex iis, si Provinciales elegerint, qui illis videbuntur, authoritate nostra confirmabunt. Si ipsi Provinciales in electione cessarint, aut convenire non poterint, ipsi pro una vice sola aliquos nominabunt, confirmabuntque. Quas quidem singulas nominationes, collationes, confirmationesque illorum, Nos etiam peculiaribus Literis, iis, quibus aliquod Officium contulerint, datis, ratas, gratasque habebimus. Exceptis tamen, & nostrae potestati, seu dispositioni reservatis dignitatibus seu locis Senatoriis, ac Succamerariorum Officiis, & Capitaneatibus, Praefecturis, bonisque quibusvis Regalibus vacantibus. Quibus etiam iam ante dignitates, officiaque aliqua a Nobis ipsis collata sunt, eas ne Commissarii quidem

ANNO 1598. movebunt, quemadmodum inter alios Nobilem David Hilhen, qui Notariatum Terreſtrem Vendenſem a Nobis habet. Ad ius Terreſtre conſcribendum operam dabunt, ut ex omnibus tribus Palatinatibus, quantum fieri eius poſſit, omnium trium Nationum, hominesque maxime idoneos deputent, idque ab initio mox Commiſſionis, quo citius adhuc illis præſentibus negotium firmetur, confirmationem tamen eius integram ad Nos, ordinesque referent.

In Arcibus, proventibusque bonorum noſtrorum Regiorum perluſtrandis, connotandisque, id ſequentur, ut & quam diligentiſſime omnia inveſtigent, & utilitatis noſtræ, proventuumque Reipublicæ rationem habeant, tum vero ſecuritatis Provinciae eius, ut & præſidia non nimis denudentur, & contra repentinam vim, quantum fieri eius poſſit, parata, inſtructaque ſint, neque vero præiudicium aliquod iuribus Capitaneorum, vel Tenutariorum facient, aut eorum poſſeſſionem turbabunt, ad quam quidem rem maxime etiam pertinebit, ut de certo aliquo modo, ac ratione contributionum in Provincia ea conſtituatur, & cum hæc commiſſio proprie ad Provinciales deſtinata ſit, non autem ad Civitates, præſertim maiores Livoniæ pertineat, utpote quæ peculiares ſubiectionum ſuarum Formulas a STEPHANO Rege conceſſas, & a Nobis confirmatas habent, ideo nolumus etiam, ut Commiſſarii noſtri moleſtiae aliquid eis afferant, vel re ulla Civitates turbent, aut iurisdictionem earum moveant. Cum autem minores Civitates ad executionem Jurium, Privilegiorumque ſuorum nondum perveniſſe dicantur, non parum autem Reipublicæ in iis poſitum ſit, non minimam illarum quoque rationem habebunt. Omnia autem diligenter cognita, conſcriptaque in proximis Comitiis ad Nos, Ordinesque referent, nec tamen iniuriae aut moleſtiae aliquid privatis etiam afferatur, ita in tota hac re verſabuntur, ut ea ſola, quæ iuris noſtri Regii eſſe conſtiterit, revideant, quæ vero indubitato iure a privatis tenentur, in iis turbari eos non ſinant. Idem porro Commiſſarii noſtri de tribus Arcibus *Soncel*, *Erle*, & *Seſvegio* cognitionem faciant, an hæreditariæ ſint. Quæ vero Privilegia illis exhibebuntur, non ſolum a quibus ſint edita, notent, ſed etiam utrum ad eos, qui illa exhibebunt, pertineant, & qualia eorum merita ſint, conſiderent. Itaque oſtendi ſibi, vel Succeſſionem naturalem, vel ius legitime quæſitum iubebunt, ad ſtatum vero illius Provinciae conſtituendum hoc etiam ſpectare videtur, ut de familiis Livoniæ, hominibusque genuinis, & bene meritis cognoſcant, iuxta Divi STEPHANI Provinciæ eius ordinationem, ut Conventus ab omnibus in ea deſcriptis celebrentur, & de Reipublicae neceſſitatibus, & ſubſidiis agatur. Curlandorum etiam hominum appellationes ad Equeſtris Ordinis Conventum Vendenſem pertinere meminerint, ſicque in Privilegio Inveſtituræ eius Ducatus a STEPHANO Rege caveri. ANNO 1598.

Inquiſitionem perfidiae, ſi cuiusque Nationis obiecta alicui ea fuerit, ita inſtituent, ut neque impuniti ſint, ſiqui manifeſtae perfidiae, aut perduellionis rei fuerint, neque etiam temere negotium aliquibus fiat, aut ſine cauſa homines vexentur. Itaque Judicio Terreſtri, ac probatiſſimo quoque adhibito inquirent, & quam certa ea ſint, quae deferuntur, videbunt. Et quæ erunt probabilia cum teſtimoniis ac probationibus in libellis, quos ſigillo Terreſtri obſignabunt, redacta ad Comitia Regni deferent. Judicia ea excercebunt, adminiſtrabuntque, quæ illis Conſtitutione mandantur, privatorum vel de quibus ipſæ partes ultro ſe ſubmiſerint, inque iurisdictionem eorum conſenſerint, vel poſſeſſionum, ſi qui eas non pacate adierint, ſed alios vi deiecerint, ante omnia tamen rerum iudicatarum authoritas maneat. Itaque nullas res, maxime a Nobis iam iudicatas movebunt, aut ſententias illas retractabunt. Omnibus autem iſtis in rebus conſcientiam eorum oneramus, ſecundum quam ita in omnibus hiſce negotiis progreſſuros non dubitamus, ut fidem, induſtriamque eorum abunde Nos, atque Ordines perſpecturos ſtatuamus. Quibus Nos noſtra etiam clementia, quam benigne illis deferimus, reſpondere non dubitabimus.

SIGISMUNDUS *Rex.*

Sigillum utrumque, minus Regni, maius Litvaniæ.

CCXV.

Diploma SIGISMUNDI III. *Regis, quo Eſtoniam Provinciam Regno Poloniæ unit, & incorporat.* Dat. Varſaviæ in Comitiis Generalibus die 12. Mart. An. 1600. *Ex Originali.* Sub tribus Sigillis. 1600.

In Nomine Domini Amen.

Ad perpetuam rei memoriam.

SIGISMUNDUS III. Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ,

ANNO 1600. siæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Livoniæque, &c. nec non Svecorum, Gottorum, Vandalorumq; Hæreditarius Rex, ac Magnus Dux Finlandiae. Significamus præsentibus Literis nostris quorum interest, universis, et singulis. Quia cum identidem ab Ordinibus Regni, & Magni Ducatus Litvaniae de Livoniae parte, quæ Estonia dicitur, Regno Poloniae, Magnoque Ducatui Litvaniae reinvisceranda, & reincorporanda appellati fuissemus, Nos huic postulationi tanquam iustæ, & Pactis (*a*) Conventis consentaneæ annuentes. *In Nomine Omnipotentis Dei, Sanctæ Individuæ Trinitatis*, supra nominatam Livoniæ partem Estoniam vulgo dictam, nominatim vero Castrum, & Vrbem *Revaliam*, Castrum, & Oppidum *Narvam*, Castrum *Vaistein*, Castrum *Vesemberg* cum deserto *Tholsberg*, Castrum *Hapsel* cum Oppido, & similiter cum deserto *Leal*, atque Castro *Lod*, Monasterium quoque *Padis*, cæterisque universis, quibuscunque nominibus nuncupatis Castris, & Oppidis, Insulis, Portubus, cum omnibus eorundem Baronibus, Nobilibus, Vasallis, aliisque cuiuscunqne generis subditis, Districtibus, Episcopatibus, Monasteriis, Pagis, Iuribus quibuscunque tam Ecclesiasticis, quam Sæcularibus, omnique Dominio, & Imperio, omnibusque in universum ad praenominatas Arces, Vrbes, Pagos, Districtus, Episcopatus, Monasteria, quocunque modo pertinentibus, nullis penitus exceptis, ita ne specialitas generalitati, vel e contra generalitas specialitati deroget, ad reliquum corpus Livoniæ tanquam membrum sui pristini, & proprii Corporis reinvisceramus, ac incorporamus, dominioque, proprietati, & imperio nostro, & Successorum nostrorum Regum Poloniae, ac Regni nostri Poloniae, & Magni Ducatus Litvaniae, authoritate præsentium Literarum nostrarum, omni meliore forma, via, ac modo, quo id de iure fieri debet, aut potest, subiicimus, unimus, perpetuisque temporibus, & in ævum deducimus, associamus, appropriamus, reinvisceramus, reincorporamusque. Promittentes nostro, Successorumque nostrorum nomine, verbo nostro Regio, nunquam Nos, vel Successores nostros supranominatam Estoniam, vel partem aliquam eius, a commemorato Regno Poloniae, ac Magno Ducatu Litvaniae nostro quacunque etiam causa, arte, colore, ingenio, necessitate, aut opportunitate repetituros, abstracturos, separaturos, aut alienaturos, a quoquam abstrahi, separari, aut alienari rursum passuros. Juribus tamen & Consvetudinibus supranominatorum subditorum incolarum Estoniae, salvis per omnia manentibus. Quemadmodum quidem omnium commemoratae Estoniae Incolarum, Baronum, Nobilium, Civium, & cuiuscunque Status, ac Conditionis subditorum, omnia, singulaque Jura, Literas, ac Privilegia tam publica, quam privata, a quibuscunque Principibus Ecclesiasticis, vel Sæcularibus, Regibus, Ducibus, Ordinis Theutonici Magistris, aliisque terrarum earum Dominis, nominatim etiam a Regibus Sveciæ Antecessoribus nostris, & Nobis ipsis in universum quibuscunque alicui concessa, in quorum pacifica possessione hactenus fuerint, præsentibus Literis confirmamus, roboramus, perpetuoque, & inviolabiliter servari debere volumus, decernimusque. Cum etiam præterea tormenta, diversique generis instrumenta bellica, quae una cum ipsis Arcibus, atque Oppidis deditione in potestatem Serenissimi primum ERICI Patrui, tum inclytae memoriae JOANNIS Parentis nostri Regum Sveciae venerunt, non pauca posterius eius generis ex ipsa Svecia importata in partem eam Livoniæ sint, ita de hisce cum Ordinibus Regni nostri, Magnique Ducatus Litvaniæ Nobis convenit, ut ea omnia, quæ ex Svecia postea importata fuerint, pro nostro arbitrio, quo, & quando Nobis videbitur, rursum transferre, & in quoscunque usus pro libitu nostro convertere, integrum, liberumque Nobis sit, quemadmodum quidem præsentibus hisce Nobis id cavemus, excipimus, reservamus. Quæ omnia suprascripta, quo maius perpetuae, atque inviolabilis firmitudinis robur habeant, præsentes manu nostra subscripsimus, Sigillisque Regni Poloniæ & Magni Ducatus Litvaniae, ac Regni nostri Hæreditarii Sveciæ obsignari mandavimus. Datum Varsaviæ in Comitiis Generalibus Regni die duodecima Mensis Martii, Anno Domini millesimo sexcentesimo, Regnorum nostrorum Poloniæ decimo tertio, Sveciæ anno septimo. Præsentibus Reverendissimis, & Reverendis in Christo Patribus, Dominis, Joanne *D*emetrio Solikowski Archiepiscopo Leopolienſi, Joanne Tarnowski Posnanienſi, Alberto Baranowski Plocenſi, Bernardo Macieiowski Luceorienſi, Laurentio Goslicki Premislienſi, Petro Tylicki Culmenſi, Regni Poloniæ Vicecancellario, Staniſlao Gomolinski Chełmenſi, Paulo Wolucki Camenecenſi Episcopis, nec non Magnificis, Venerabilibus, ac Generosis, Nicolao Firley de *D*abrowiea Cracovienſi, Novæ Civitatis Korczyn,

ANNO 1600. Pilznenſique, Hieronymo Goſtomſki de Liezenice Poſnanienſi, & Sendomirienſi, Chriſtophoro Radźiwiłł *D*uce in *D*ubinki & Birże Vilnenſi, Magni *D*ucatus Litvaniae Generali Exercituum, Solecenſi, Urzedovienſi, Boriſtovienſique, Georgio Mniſzech de Magna Konczyce Sendomirienſi, Leopolienſi, Samborienſique, Hieronymo Chodkiewicz Caſtellano Vilnenſi, Andrea Leſzczyński de Leſzno Brzeſtensi, Cuiaviensi, Stanislao Gulski, Podoliae, Barenſique, Marco Sobieſki Lublinenſi, Stanislao Kraſiński Plocenſi, Hieronymo Paris Maſoviae, Georgio Farensbekio Vendenſi, & Nobilitatis Livonicæ Militiae Praefecto, Taurinenſique Palatinis, & Capitaneis, Sigismundo Marchione a Mirchow Voinicenſi, & Petrikovienſi Capitaneo, Petro Myſzka Volhiniæ, Joanne Radźimińſki, Czernenſi, Januſſio Zaſławſki Podlachiae, Staniſlao Dźialińſki, Elbingenſi, Gregorio Sanguſzko Kiżewſki Bracławienſi, Andrea Firlei de Dąbrowica Radomienſi, & Kowalienſi, Joanne Oſſowſki Zavichoſtenſi, Ropczycenſi, Gorenſique, Nicolao Oleśnicki Małogoſtenſi, Franciſco Kraśinſki Ciechanovienſi Caſtellanis, & Capitaneis, Chriſtophoro Monwid *D*orohoſtayſki M. D. Litvaniæ Mareſchalco, Joanne de Zamośćie Supremo Cancellario, & Exercituum Regni Generali, nec non Belzenſi, Knyſzynenſi, Derpatenſi, Mariebùrgenſi Capitaneo, Leone Sapieha Cancellario, Slonimenſi, Marcovienſique Capitaneo, Gabriele Woyna, Vice-Cancellario Magni *D*ucatus Litvaniæ, Ioanne Firley de *D*ąbrowica Regni Theſaurario, Lublinenſi Capitaneo, Laurentio Gębicki Præpoſito Cracovienſi, Maiore Regni Secretario, Mathia Pſtrokońſki Præpoſito Lancicienſi, Canonico Cracovienſi, Curiæ Regni, Euſtachio Wołłowicz Canonico Vilnenſi, & Magni Ducatus Litvaniæ Referendariis, Andrea Opalinſki Præpoſito Plocenſi, Henrico Firley de Dąbrowica Scholaſtico Cracovienſi, Simone Rudnicki Scholaſtico Lancicienſi, Cuſtode Gneſnenſi, Secretariis noſtris, & aliis quam plurimis *D*ignitariis, Officialibus, & Aulicis noſtris, atque omnium Terrarum Regni Nuntiis ad præſentem Varſavienſem Generalem Regni Conventum congregatis-

SIGISMUNDUS *Rex.*

Sub tribus Sigillis.

(a) *Punctum Pactorum Conventorum* SIGISMUNDI III. *Regis ratione Livoniæ.*

Item, Livoniæ partem, quam Sereniſſimus Sveciæ Rex nunc poſſidet, ad reliquum Corpus Livoniæ, Regnum Poloniæ, & Magnum Ducatum Litvaniæ adiungere, & incorporare tenebitur, pro quo, ut Sereniſſimi Regis Legati ſpoponderunt, ita Sereniſſima etiam ANNA *Regina Poloniæ cavit, cavetque omnibus bonis ſuis; tam in Regno Neapolitano, ac Ducatu Barenſi, & Roſanenſi, Duoanaque Foggia conſtitutis, tum in Dote, ac Contradote, ſummisque, atque in univerſum bonis omnibus tam mobilibus, quam immobilibus intra, & extra Regnum conſtitutis.* ANNO 1600.

CCXVI.

Bonorum Moira, Tepel, & Sak ſub Curia Tricalenſi conſiſtentium, Capitulo Vendenſi Adiectio, & Condonatio. Dat. Vilnæ d. 13. Martii Anno 1600. *Ex Archivo Regni* 1600.

SIGISMUNDUS III. Dei Gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Litvaniae, Ruſſiae, Pruſſiae, Maſoviae, Samogitiae, Livoniæque &c. &c. nec non Svecorum, Gottorum, Vandalorumque Hæreditarius Rex, ac Magnus Dux Finlandiæ. Significamus univerſis, & ſingulis, quorum intereſt. Quod poſtquam Biſtramum, & Voterſak ſubditos noſtros iurisiurandi immemores Caroli Sudermanniæ Ducis, hoſtis noſtri, Livoniam contra fas, & æquum invadentis, & occupantis, non ſolum partes ultro, & nulla gravi cogente neceſſitate ſecutos eſſe, ſed etiam, quod magis reprehendendum eſt, non ſine inſigni temeritatis nota in tam enormi facinore perſeverare accepiſſemus, faciendum omnino putavimus, ut eorum tanquam perduellium bona omnia mobilia, & immobilia Fiſco noſtro applicanda eſſe decerneremus. Cum autem Nobis relatum eſſet, bona certa, videlicet *Moira*, *Tepel*, & *Sak* dicta ſub Curia Tricalenſi conſiſtentia, antiquitus ad Curiam Tricalenſem Capituli Vendenſis pertinuiſſe, & ab ea avulſa fuiſſe, ſimulque Nobis ſupplicatum eſſet, ut ea bona, ad Nos iure caduco devoluta dictæ Curiæ reſtituere dignaremur. Nos itaque pro eo, quem in Divino cultu augendo, & propagando gerimus, zelo, bona præfata, *Moira*, *Tepel*, *Sak* dicta, eidem Capitulo Vendenſi reſtituenda, & applicanda eſſe duximus, uti quidem applicamus, & reſtituimus, praeſentibus Literis noſtris perpetuo, & in aevum ita, quod ea bona Capitulum Vendenſe, nunc, & pro tempore exiſtens, cum omnibus, & ſingulis eorum pertinentiis, agris, tam cultis, quam incultis, colonis, & familiis ruſticis, omnibus-

Anno 1600. nibusque attinentiis, fructibus, reditibus, proventibus, usibus, obventionibus, commodisque singulis, & universis, nullis penitus exceptis, aut cuipiam reservatis, tam late, longeq;, ut limitibus suis circumscripta a prioribus Possessoribus tenebantur, habeat, possideat, & utifruatur temporibus perpetuis: ea quoque ordinatione nostra adiecta, ut si etiam bona suprascripta per dictos perduelles nomine hypothecae alicui inscripta esse constiterit, nihilominus tamen pro Iure nostro, quod Nobis in bona mobilia perduellium competit, easdem summas abrogamus, Capituloque praefato condonamus, bonaque praefata, tanquam nullis summis onerata, dictae Curiae Tricalensi, & Capitulo Vendensi perpetuo incorporamus. Iuribus tamen nostris Regalibus, & Reipublicae ibidem salvis. In cuius rei fidem praesentes manu nostra subscriptas, Sigillis Regni, & Magni Ducatus Litvaniae communiri mandavimus. Datum Vilnae decima tertia Martii Anno millesimo sexcentesimo.

SIGISMUNDUS *Rex.*

Hieronymus Wołłowicz Thesaurarius Curiæ, & Notarius per M. D. Litvaniæ.

CCXVII.

1600. *Literæ ad Nobilitatem Tractus Piltensis, quibus ei expeditio indicitur.* Datum Varsaviæ d. 8. Apr. Anno 1600. *Ex Archivo Magni Ducatus Litvaniæ.*

Sigismundus III. Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Livoniæque &c. nec non Svecorum, Gottorum, Vandalorumque hæreditarius Rex, ac Magnus Dux Finlandiæ. Universis, & singulis Episcopatus Piltensis in Curonia Nobilibus, & Incolis, quocunque titulo bona terrestria possidentibus gratiam nostram Regiam. Generosi, Nobiles, Fideles Nobis dilecti. Quia in Conventu Generali proxime praeterito, inter alia Ordinibus Regni visum est, ut his dubiis, & periculosis temporibus per omnes Regni Provincias publica motio universæ Nobilitatis tam ad defensionem Provinciarum, quam ad propulsanda pericula fiat, Fidelitates Vestras ea de re certiores faciendas esse benigne duximus, quibus serio mandamus, ut cum Provinciæ quoque Livoniæ pericula quædam immineant, omnes in isto tractu Piltensi quocunque titulo bona habentes, equis, & armis bene instructi ad quodlibet temporis momentum parati sitis, scilicet, ut quamprimum Magnificus Georgius Farensbach Palatinus Vendensis, & Noster, Nobilitatisq; Livoniæ Militiæ Præfectus bellicus Generalis, Nomine nostro literis suis Fidelitatem Vestram evocaverit, omnes in Livoniam nostram armati sese conferant, eoque loco sese sistant, qui ipsis per dictum Nobilitatis Livonicæ Militiae Praefectum bellicum designabitur. Cuius Ducem una cum aliis Provincialibus Fidelitates Vestrae sequentur, & ea, quae Nostro Nomine imperabit, quaeque ad Reipublicae salutem, & defensionem Provinciae eius pertinere videbuntur, summa fide, & animorum promptitudine praestabunt. Pro gratia nostra, & sub pœnis in Legibus sancitis, Fidelitates Vestrae secus non facturae. *D*atum Varsaviae die 8. Mensis Aprilis Anno Domini millesimo sexcentesimo, Regnorum nostrorum Poloniae decimo tertio, Sveciae vero Anno septimo. 1600.

SIGISMUNDUS *Rex.*

Mathias Woyna Notarius.

CCXVIII.

1601. *Diploma datum Civitati Rigensi in Confirmationem omnium eius Privilegiorum.* Datum Varsaviæ in Conventu Regni Generali d. 12. Mart. An. 1601. *Ex Archivo Magni Ducatus Litvaniæ.* Lib. sub Lit. S. fol. 663.

Sigismundus III. DEI Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, &c. &c. nec non Svecorum, Gottorum, Vandalorumque haereditarius Rex, ac Magnus *D*ux Finlandiae. Significamus præsentibus Literis nostris, quorum interest, universis, & singulis. Cum in praesentibus Regni Comitiis Generalibus Internuntii Civitatis nostrae Rigensis Nobis exposuissent, a quibusdam Privilegia Civitatis illius, diversis modis in dubium vocari, atque tollendæ suspicionis causa, ex superabundanti assecuratione Privilegiorum suorum, ea Constitutionibus Regni in hisce Comitiis latis inseri petiissent. Nos cum Ordinibus & Statibus Regni ad ea Comitia congregatis hanc ipsorum postulationem æquam omnino, minus tamen necessariam esse iudicantes, utpote quod rem tam claram, & manifestam nullis dubitationum ambiguitatibus involvi debere censeamus: idcirco Diplomate potius nostro, ex superabun-

ANNO 1601. abundanti cavendum illi esse putavimus, prout cavemus præsentibus Literis nostris, decernentes, quod Jura, & Privilegia illius Civitatis omnia, quæcunque per Sereniſſimos Prædeceſſores noſtros Reges Poloniae, & Nos ipſos conceſſa ſunt, ea Nos ne minima ex parte a quopiam in dubium vocari, quinimo inviolabiliter ſervari volumus. Idque Nos, & Sereniſſimos Succeſſores noſtros Reges Poloniæ facturos promittimus, & vigore præſentium cavemus, & pollicemur. In cuius rei evidentius Teſtimonium præſentes manu noſtra ſubſcriptas Sigillis Regni, & Magni Ducatus Litvaniae communiri mandavimus. Datum Varſaviæ in Conventu Regni Generali die duodecimo Menſis Martii Anno Domini 1601. Regnorum noſtrorum Poloniae decimo quarto, Sveciae vero octavo. Præſentibus Reverendiſſimis, & Reverendis, Illuſtribus, Magnificis, Generoſis & Nobilibus Staniſlao Karnkowſki Gneſnenſi, Legato Nato, Regni Noſtri Primate, Joanne Demetrio Solikowſki Leopolienſi Archiepiſcopis, Bernardo Macieiowſki Cracovienſi, Joanne Tarnowſki Vladiſlavienſi, & Pomeraniæ, Benedicto Woyna Vilnenſi, Alberto Baranowſki Plocenſi, Petro Tylicki Varmienſi, Regni noſtri Vicecancellario, Staniſlao Gomolinſki Luceorienſi, Chriſtophoro Kaſimirſki Kiiovienſi, Paulo Wolucki Camenecenſi Epiſcopis, Januſſio in Oſtrog Duce, Cracoviensi Caſtellano, Cerkaſſensi, Bialocerkiioviensi, Camenecenſi, Hieronymo Goſtomſki de Liezenice Poſnaniensi, Sendomiriensi, Sredensique, Nicolao Chriſtophoro Radziwiłł in Dubinki, & Birze Duce, Palatino Vilnensi, Exercituum Magni Ducatus Litvaniae Generali, Solecensi, Urzędoviensi, Gregorio Mniſzech de Magna Konczyce Sendomiriensi, Leopoliensi, Samboriensi, Hieronymo Chodkiewicz Caſtellano Vilnensi, Breſtensi, Chriſtophoro Radziwiłł Duce in Ołyka & Nieśwież Trocensi, Szawlensique, Alberto Laſki Siradiensi, Marieburgensi in Livonia, Kliezepecensi, Staniſlao Kraſinſki Plocensi, Hieronymo Parys Maſoviae, Fabiano Czema Marieburgensi, Stumensique, Ludovico a Mortag Pomeraniae, Kaſſubiensi, Pokrzywnicensi Palatinis & Capitaneis, Joanne Oſtrorog Poſnaniensi, Andrea Czarnkowſki Kaliſſiensi, Sigismundo Marchione in Mirow, Woynicensi, & novæ Civitatis Korczyn, Staniſlao Bykowſki Lancicensi, Siradiensi, Alberto Radziminſki Cirnesi, Livensique, Staniſlao Działinſki Elbingenſi, Joanne Orzelſki Rogoſenſi, Comſenſi, Andrea Firley de Dąbrowica Radomiensi, Coveliensique Caſtellanis, & Capitaneis noſtris, Chriſtophoro Monwid Dorohoſtayſki Magni Ducatus Litvaniæ Mareſchalco, Wołkoviensi, Mſciboviensi, Jałominensique, Joanne Zamoyſki Cancellario, & Exercituum Regni Generali, Bełzensi, Kniſzynensi, Międzyrzecensi Capitaneo, Gabriele Woyna Magni Ducatus Litvaniae Vicecancellario, Joanne Firley de Dąbrowica Theſaurario Regni, Petro Weſołowſki Curiae Magni Ducatus Litvaniae Mareſchalco, Andrea Opalinſki de Bnin Præpoſito Plocensi, Decano Poſnaniensi, Henrico Firley Scholaſtico Poſnaniensi, Simone Rudnicki Præpoſito Poſnaniensi, Cuſtode Gneſnensi Secretariis noſtris, Zbigneo Oſſolinſki Succamerario Sendomiriensi, Nuntiorum Terreſtrium in Comitiis præſentibus Mareſchalco. Cæterisque quam plurimis Officialibus atque Aulicis noſtris, Nuntiisq; omnium Terrarum ad præſentia Comitia Regni Generalia congregatis. ANNO 1601.

CCXIX.

Mandatum Sacræ Regiæ Maieſtatis datum Commiſſariis in Curlandiam pro continuatione limitum deſignatis, ut in controverſia de Curia, & Bonis Aknitzin Sententiam ferant. Dat. Varſaviæ in Comitiis Generalibus, die 7. April. Anno 1601. *Ex Archivo Magni Ducatus Litvaniæ.* 1601.

SIGISMUNDUS III. Dei Gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Litvaniae, Ruſſiae, Pruſſiae, Maſoviae, Samogitiae, Livoniaeque &c. Reverendo in Chriſto Patri, Magnificis, & Generoſis, Melchiori Duci Giedroyc Epiſcopo Samogitiae, & Mednicenſi, Joanni Abramowicz in Verniany Palatino Smoleſcenſi, Præſidi Derpatenſi, Vendenſi, Lidenſique noſtro Capitaneo, Eliæ Pielgrzymoſki Notario Magni Ducatus Litvaniæ, Sylvarumque noſtrarum Gieburgenſium Præfecto, nec non Illuſtriſſimis Ducibus Curlandiæ & ſingulis Conſiliariis. Georgio a Tiſenhauſen Cancellario, Michaeli Mantesfeld, & Jacobo a Scherin, ſincere, & Fidelibus Nobis dilectis gratiam noſtram Regiam. Reverendi in Chriſto Patres, Magnifici, ac Generoſi, ſincere, & Fideles Nobis dilecti. Intelleximus Curiam, & Bona Aknitzin in Semigalliæ Diſtrictu Selburgenſi ſita, non tantum antiquis temporibus ad Livoniam ſemper pertinuiſſe,

Anno 1601. nuisse, sed et in generali finium istius loci directione, regnante Sereniſſimo Prædeceſſore noſtro Domino olim Stephano Rege, facta, extra Litvaniam terminis Semigalliæ Ducatus incluſa manſiſſe: cumque ratione eorundem bonorum lis, & controverſia inter Illuſtriſſimos Principes Curlandiæ, Semigalliæque Duces, dominium, & proprietatem illorum per interpoſitam proteſtationem, dislimitationis tempore ipſis reſervatam, vindicantes, & Generoſum Petrum Kroſzynſki Tenutarium noſtrum Poniveſenſem indigenam M. D. Litvaniae, incertum quo prætextu declinantem, vertatur, edidimus iam ante ad Sinceritates, & Fidelitates Veſtras peculiares Commiſſionis noſtras Literas, ut ſub reditum ſuum ad continuationem terminorum ſuorum a loco Kurtumb, ad Dunam usque fluvium adhuc indiſcuſſorum, huius quoque actionis, natura ſua ad delegatam ipſarum Jurisdictionem pertinentis, & hactenus tantum interpoſita proteſtatione ſuſpenſae legitimam cognitionem, & deciſionem in ſe ſuſciperent. Verum quod per varia impedimenta executio Commiſſionis illius, una cum adventu ad loca prius nominata per Sinceritatem & Fidelitatem Veſtram hactenus dilata, & ne ulterius differatur metus ſit, petierunt a Nobis prædicti Illuſtriſſimi Duces, ne longiori morae, quæ damno ſibi ſit, & gravamini, cauſam eam involvi, & diutius extrahi pateremur. Quibus eorum iuſtis precibus benigne annuentes, peculialiter eandem cauſam Judicio & Diſcretioni Sinceritatum & Fidelitatum Veſtrarum committendam eſſe duximus, prout præſentibus noviter committimus, easdem hortantes, & ſic habere volentes, ut captato quam primum inter ſe commodo tempore, Conventum ad certum diem in ipſa Curia Aknitz indicant, utramque partem, & Mandatarios Illuſtrium Ducum Curlandiae, & ipſum Petrum Kroſzynſki cum Juribus & Privilegiis earum ad ſui præſentiam vocent, rationes allegationum earum audiant, diſcutiant, & ſecundum normam præſcripti, quod vocant Radivilonis, & Poſvolianae Transactionis, quibus totius generalis finium Commiſſionis, cui hæc cohæret, expeditio, tanquam baſi mediante Juramento maiori Veſtrum parte, innititur, neutri partium favendo, ſed ſolum Deum, & Sanctam Juſtitiam præ oculis habendo in ea ſtatuant, ac ſtatim cum effectu realiter exequantur, & in poſſeſſionem tradant quod iuſtum & æquum eſſe videbitur, ne in poſterum ulla conquerendi cauſa Illuſtriſſimis Curlandiae, Semigalliæque Ducibus relinquatur. Appellationem petentibus ad Nos, Judiciumque noſtrum, non niſi a ſententia definitiva, idque ſolum ubi poteſtas & fides veſtra inter ſe non concordaverint, admittendo, abſentia unius ex una, & alterius ex altera partibus non obſtante, ſecus Paternitas Veſtra, & Fidelitas Veſtra pro officio & gratia noſtra non facturæ. Datum Varſaviae in Comitiis Generalibus. Die ſeptima Menſis Aprilis, Anno Domini milleſimo ſexcenteſimo primo. Anno 1601.

SIGISMUNDUS *Rex.*

Hieronymus Wołłowicz Notarius.

CCXX.

Reſtitutio in integrum, & Confirmatio Privilegiorum Civitatis Parnavienſis. Dat. Vilnæ die 6. Auguſti. An. 1609. *Ex Archivo Magni Ducatus Litvaniæ.* 1609.

Sigismundus III. Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæque, &c. nec non Svecorum, Gottorum, Vandalorumque hæreditarius Rex, ac Magnus Dux Finlandiae. Significamus præſentibus Literis noſtris, quorum intereſt univerſis, & ſingulis. Quod cum poſt recuperationem a Nobis, ſeu Exercitu noſtro ex Caroli Ducis Sudermaniæ hoſtis noſtri poteſtate Civitatis noſtræ Parnaviae, Cives eiusdem Civitatis ad Nos veniſſent, innocentiamque ſuam occupatæ ante Civitatis noſtrae Parnaviae ab hoſte, oſtendiſſent, multisque rationibus deduxiſſent, ſe nullius penitus culpae conſcios eſſe in eo, quod ea Civitas in poteſtatem hoſtis devenerit, ſed præſidiariis defenſionem reluctantibus vi obſidionis, impetuoſaque ab hoſte oppreſſione facta, ipſos cum Civitate in deditionem hoſtis captivos veniſſe, ideoque provoluti ad pedes noſtros ſuppliciter petiiſſent, ne violatae fidei, aut perduellionis crimen ſibi a Nobis imputaretur, ab omnique proditionis, aut defectionis non ſolum culpa, ſed etiam ſuſpicione vacuos, immunes, & liberos redderemus, eosque circa Jura, Privilegia, Libertates ex antiquo huic Civitati Parnaviae ſervientes conſervaremus. Quorum Nos rationibus perpenſis, diligenterq; conſideratis, tum & teſtimoniis innocentiam illorum a Magnifico Joanne Carolo Chodkiewicz Capitaneo Samogitiae, & Exercitus Magni Ducatus Litvaniae Duce Generali acceptis, tum accedente pro illis Senatorum

Anno 1609. & Consiliariorum nostrorum diligenti intercessione, facile hanc illorum innocentiam cum humillima demissione animi ad Nos delatam, gratia, & clementia nostra complexi sumus, eosque ab omni proditione Civitatis, aut defectionis a Nobis tam ipsa culpa, cuius penitus conscii non sunt, quam suspicione eiusmodi criminis liberos, & immunes pronuntiandos esse duximus, iamque ex nunc Cives nostros Parnaviæ, eosdem innocuos, ac omni violatæ fidei suspicione vacuos esse volumus, nihil omnino contra illos eo nomine offensionis, aut pœnæ exigentes, reservamus, illisque in numerum fidelium subditorum nostrorum a Nobis acceptis, omnia illorum Jura, & Privilegia, Immunitates, ac Libertates ex antiquo Civitati Parnaviæ servientes, a quibusvis Antecessoribus nostris, tam Magistris Livoniæ, quam Sereniſſimis olim Regibus Poloniæ, & Nobismet ipsis sub hoc felici regiminis nostri tempore datas, concessas, & peculiaribus Literis nostris confirmatas, quæ iure belli Nobis, tanquam Victori cedere debebant, iisdem Civibus, illorumque Civitati ex gratia, ac clementia nostra tradimus, ac in integrum restituimus. Quod omnibus, & singulis subditis Regni, M. D. Litvaniæ, & Livoniæ, aliisque omnibus cuiuscunque status, dignitatis, & præeminentiæ hominibus denuntiantes, mandamus, ut præfatos Cives pro fidelibus subditis nostris habeant, agnoscant, & reputent, eosque ab omni violatæ fidei, & perduellionis crimine penitus vacuos, immunes, ac liberos esse sciant, neque illorum bonæ famae, aut existimationi eo nomine aliquam suspicionis labem inurant. Pro gratia nostra. In cuius rei fidem praesentes manu nostra subscripsimus, & Sigillis Regni, & Magni *D*ucatus Litvaniae communiri mandavimus. Datum Vilnae die sexta Mensis Augusti Anno Domini millesimo sexcentesimo nono, Regnorum nostrorum Poloniae vigesimo secundo, Sveciae vero decimo sexto.

SIGISMUNDUS *Rex.*

Eustachius Wołłowicz Præpositus Trocensis, Notarius, & Referendarius M. D. Litvaniæ.

CCXXI.

1611. *Concessio Liberi usus Religionis Augustanæ Civibus Parnaviensibus, & exemptio eorundem a podvodis, seu onere præbendorum iumentorum.* Dat. Varsaviæ in Conventione Regni Generali d. 11. Octob. Anno 1611. *Ex Archivo Magni Ducatus Litvaniæ.* Lib. num. 185. fol. 48. Anno 1611.

Sigismundus III. Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Livoniae &c. Significamus praesentibus Literis nostris, quorum interest universis, & singulis. Exhibitam esse coram Nobis Civium nostrorum Parnavienſium nomine chartam pargameneam, ex Privilegio quodam lacerato, in quo Revisorum nostrorum in Livonia manus apparebant. Oblatam Nobis quoque esse chartam papyream, qua continebatur Confirmatio nostra Privilegii Divi olim Stephani Regis, Antecessoris nostri desideratissimi, qua libertatem Religionis Augustanae iisdem Civibus Parnavienſibus concesserat. Affirmabant autem iidem Cives, eas ipsas Literas Confirmationis ex Protocollo Civitatis fideliter descriptas esse, supplicatumque Nobis est, ut easdem, quandoquidem uti alia, ita etiam hæc impetu militum lacerata, & in nihilum conversa sunt, Authoritate nostra Regia renovare, comprobare, atque confirmare dignaremur. Quarum Literarum tenor de verbo ad verbum sequitur talis. Sigismundus III. *D*ei Gratia Rex Poloniae, M. *D*ux Litvaniae Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiae, Livoniae &c. nec non proximus Haeres Regni Sveciae, & futurus Rex &c. Significamus praesentibus hisce, quorum interest universis, & singulis. Cum iam ante *D*ivae memoriae Decessor noster Stephanus Rex liberum usum, & exercitium Religionis Augustanae Civitati etiam nostrae in Livonia Parnavienſi concessisset, ad eiusque exercitium, Templis pro Religione Catholica Romana exceptis, certam Domum per Revisores tradendam illis assignasset, & ex Authoritate Regia Generosum Joannem Lesniowolski Castellanum Cernenſem, Parnavienſem Capitaneum in eum usum domum quandam collapsam, ad ipsos Oppidi muros sitam, a quodam Generoso Kettlero, qui sine haerede legitimo decessisset, olim possessam, commemoratae Civitati Parnavienſi novae concessisse, assignasse, possessionemque eius tradidisse. Cum vero, ut tam eiusdem Religionis Augustanae liberum exercitium, quam domus illis concessae usum, Nos quoque benigne illis confirmaremus, diligenter eorum nomine supplicatum Nobis fuisset, supplicationi huic benigne assen-

Anno 1611. assensum nostrum praebendum existimavimus. Cumque iam ante etiam in Conventu felicis Coronationis nostrae, ut alia Jura, ac Libertates omnes, ita & libertatem Religionis omnibus subditis nostris solenniter confirmaverimus, ut eadem libertate Cives nostri Parnavienses, qui Religionis Augustanae sunt, in exercenda Religione sua libere, ac sine cuiusquam impedimento utantur, ad eiusque exercitium commemoratam domum intra eos fines, ac terminos, cum iisque reditibus, ac fundis, cum quibus a super demonstrato Capitaneo nostro Parnavienſi tradita illis est, ipsique a traditionis eius tempore eam possederant, ita inposterum, & perpetuis temporibus possideant, ac in templum ritus sui pro suo arbitrio commutare possint, neve tam in exercitio Religionis Augustanæ, quam possessione domus eius a quopiam turbentur, praesentibus hisce statuimus, sancimus, tribuimus, confirmamus, perpetuisq; temporibus ratum, ac firmum illis esse iubemus. Ad hæc cum superiorum bellorum, quae in Livonia versata fuerunt, incommodis ad summam egestatem, & inopiam Civitatem eam redactam intelligamus, quo in iis difficultatibus eius aliquem nostrae etiam Clementiae fructum sentiat, ab onere etiam iumentorum praebendorum, seu Podvodarum in perpetuum eam exemptam, et liberatam volumus, quemadmodum quidem praesentibus eam liberantes, et eximentes ad omnium, et quorumcunque, maxime autem Capitaneorum, et Vice-Capitaneorum, tam praesentium, quam pro tempore futurorum notitiam id deducemus, mandantes, ut non modo ipsi commemoratam Civitatem nostram ad eiusmodi onera perpetuis temporibus non adigant, sed ne ab aliis quidem adigi unquam patiantur In quorum fidem & evidentius testimonium hasce manu nostra subscripsimus, Sigillisque Regni nostri, & Magni Ducatus Litvaniæ muniri mandavimus- Datum Varsaviæ in Conventu Regni nostri Generali die decima septima Mensis Aprilis Anno Domini millesimo quingentesimo nonagesimo, Regni nostri Anno tertio. Sigismundus Rex. Nos igitur Sigismundus Tertius &c. prænominatus supplicationi prædictæ benigne annuentes, Literas superius insertas in omnibus earum punctis, clausulis, & articulis innovandas, confirmandas, & comprobandas esse duximus, uti quidem innovamus, confirmamus, & comprobamus præsentibus Literis nostris, decernentes, præsens earum Rescriptum non aliam vim, & robur obtinere debere, ac ipsae Originales Literæ obtinere debeant. In cuius rei fidem praesentes manu nostra subscriptas, Sigillis tam Regni, quam Magni Ducatus Litvaniæ communiri iussimus. Datum Varsaviæ in Conventione Regni Generali die undecima Mensis Octobris, Anno Domini millesimo sexcentesimo undecimo, Regnorum nostrorum Poloniæ vigesimo quarto, Sveciæ vero decimo octavo Anno. Anno 1611.

SIGISMUNDUS *Rex.*

Florianus Groth.

CCXXII.

Prohibitio, ne vetus Civitas Parnavienſis ab hoste diruta restauretur. Dat. Varsaviæ in Comitiis Regni Generalibus d. 21. Octobris Anno 1611. *Ex Archivo Magni Ducatus Litvaniæ.* 1611.

Sigismundus III. DEI Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiae, Livoniæ &c. Significamus præsentibus Literis nostris, quorum interest, universis, & singulis. Quod cum Provincia nostra Livonia a compluribus iam annis continuis fere bellis vexata, atque agitata fuisset, quibus Civitas quoque nostra Parnavienſis ibidem sita, adeo convulsa, vastata, penitusque prostrata est, ut nihil in ea integrum, nihil, quod in suo pristino statu permaneret, supereſt. Tantæ eiusdem Civitatis afflictionis miserti, supplicationibus etiam pro Civibus, & Incolis eiusdem Civitatis nostræ Novæ Parnavienſis coram Nobis factis adducti, faciendum Nobis esse putavimus, ut, quo eos Cives in tanta calamitate recrearemus, ipsisque gratiam, & munificentiam nostram tanto uberiorem declararemus, quandoquidem antiqua Civitas nostra Parnavienſis iisdem bellorum tumultibus diruta, atque disiecta est, quæ eadem iniquitate temporum non satis fidelem se erga Nos, atque Rempublicam gessit, locus autem, in quo constiterat, Arci adiacet, in quo si fundaretur, periculum certum tam Arci, quam Civitati nostræ immineret, ut ne quidquam denuo eo in loco, ubi eadem Civitas antiqua Parnavienſis consistebat, fundetur, aut ædificetur, volumus, atque prohibemus. Tabernam tantummodo unam, seu diversorium pro excipiendis hospitibus, & advenis in fundo quem antiqua Parnavia occupabat, loco apto, & commodo ex lignis, ita, ut, cum necessitas postulaverit, facile disiici possit, a prædicto Magistratu No-

Anno 1611. Novæ Parnaviæ ſine præiudicio Arcis noſtræ ibidem exiſtentis extruendam concedimus, atque permittimus: quod ad notitiam omnium, quorum intereſt, nominatim autem Capitanei noſtri Parnavienſis, nunc, & pro tempore exiſtentis deducentes, eidem mandamus, ut prædictum Magiſtratum Novæ Civitatis Parnavienſis in uſu præſentis Privilegii, & Conceſſionis noſtræ conſervet, conſervarique ab aliis, nec ulla ratione impediri faciat, pro gratia noſtra. In cuius rei fidem præſentes manu noſtra ſubſcriptas, Sigillis Regni, & Magni *D*ucatus Litvaniæ communiri mandavimus. Datum Varſaviæ in Comitiis Regni Generalibus die vigeſima prima Menſis Octobris, Anno *D*omini milleſimo ſexcenteſimo undecimo, Regnorum noſtrorum Poloniæ vigeſimo quarto, Sveciæ vero decimo octavo Anno.

SIGISMUNDUS *Rex.*

Staniſlaus Ryſzkowſki.

CCXXIII.

1611. *Dotatio Xenodochii Derpatenſis.* Datum Varſaviæ in Comitiis Regni Generalibus d. 4. Nov. An. 1611. *Ex Archivo M. D. Litvaniæ.* Lib. num. 185. fol. 85.

Sigismundus III. DEI Gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Litvaniae, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæ &c. Significamus præſentibus Literis noſtris, quorum intereſt, univerſis, & ſingulis. Quod cum ex relatione Generoſi Bartholomæi Ważynſki Nuntii Terreſtris, & Præfecti Præſidii Arcis noſtræ Derpatenſis in Livonia intellexiſſemus, Xenodochium, ſeu Hoſpitale pauperum Sanctæ Romanæ, & Orthodoxæ Religionis in Civitate noſtra Derpatenſi ſitum, nullum certum pro eorundem pauperum ſuſtentatione proventum habere, & ipſis eleemoſynis, ob iniquitatem temporum, & paucitatem Catholicorum, deſtitutum eſſe, pro innata Nobis pietate, rebus illius Xenodochii conſulere cupientes, quo commodius milites, & noſtri in ſervitiis Reipublicæ ibidem in Livonia debilitati, & mutilati ad illud recipi, & curari poſſint, ipſi Xenodochio, ſeu Hoſpitali Derpatenſi Bona Nobilitaria, Curiam videlicet, ſeu *Moyſam Dunker* dictam, cum unco agri in Diſtrictu Derpatenſi ſitam, ad Nos iure caduco certis ex cauſis iam pridem devolutam, nec non bona noſtra Regalia, videlicet duos uncos agri deſertos, Curiæ prædictæ adiacentes, in loco *Rehal* nuncupato conſiſtentes, danda, conferenda, & incorporanda eſſe duximus, uti quidem damus, conferimus, & incorporamus, ita, ut ea bona cum omnibus, & ſingulis attinentiis, & pertinentiis antiquitus ad ea ſpectantibus, utilitatibusque, & proventibus univerſis, ex iisdem bonis quomodolibet provenientibus, nullis penitus exceptis, Proviſores dicti Hoſpitalis, ſeu Xenodochii a Reverendo in Chriſto Patre Domino Epiſcopo Vendenſi deſtinandi teneant, habeant, poſſideant, fructusque, & proventus omnes inde provenientes in victum, & alia neceſſaria pauperum convertant, perpetuo, & in ævum. Præterea eadem bona ſuperius nominata ab omnibus, & ſingulis oneribus, & iurisdictione ſæculari eximimus, & liberamus, iurisdictioni vero, & Libertatibus Eccleſiaſticis adſcribimus, & incorporamus. Volumus autem, ut ad Hoſpitale, ſeu Xenodochium præfatum non niſi pauperes, & milites noſtri præmiſſo modo debilitati, & mutilati, Catholicae, & Orthodoxae Religionis ſuſcipiantur, & recipiantur. Quod Reverendus Epiſcopus Vendenſis nunc, & pro tempore exiſtens animadvertet, atque a Proviſoribus dicti Hoſpitalis de proventibus bonorum illorum rationem exiget, idque diligenter curabit, ne in alios, quam pauperum, & militum praedictorum uſus proventus bonorum ſupramemoratorum convertantur. Quae quidem praemiſſa ad univerſorum, quorum intereſt, notitiam deducentes, iisdem mandamus, ut ea omnia firmiter, & inviolabiliter obſervent, & ab aliis obſervari curent. In cuius rei fidem praeſentes manu noſtra ſubſcriptas Sigillis tam Regni, quam Magni Ducatus Litvaniae communiri iuſſimus. Dat. Varſaviae in Comitiis Regni Generalibus die quarta Menſis Novembris Anno milleſimo ſexcenteſimo undecimo, Regnorum noſtrorum Poloniae vigeſimo quarto, Sveciae vero Anno decimo octavo.

Anno 1611.

SIGISMUNDUS *Rex.*

Joannes Kuczborſki Præpoſitus Cracovienſis.

CCXXIV.

Decretum Sacræ Regiæ Maieſtatis in cauſa Magni Noldii habita cum Guilhelmo Curlandiæ, & Semigalliæ Duce, quo ille a Sententia Parium Curiæ abſolvitur, in bona ſibi adempta reſtituitur, atque ex Jurisdictione Ducis Curlandiæ eximitur, &c. Datum Varſaviæ Sabbatho 1611.

ANNO 1611. tho post Festum S. Catharinæ, Anno 1611. *Ex Archivo Regni* Lib. 126. sub Lit. U. N. n. 127. fol. 199.

SIGISMUNDUS III. *DEI Gratia Rex Poloniæ &c. Significamus &c. Oblatas esse ad inserendum in Acta Cancellariæ nostræ maioris, literas infrascriptas, manibus Reverendissimi in Christo Patris, Domini Laurentii Gembicki Episcopi Vladislavienſis, & Regni Poloniæ Supremi Cancellarii, tum & Clarissimi Viri Octaviani Wactawowicz Decretorum nostrorum Notarii, subscriptas, Sigillisque Regni, & Magni Ducatus Litvaniæ obsignatas, Decretum inter Illustrem Principem Gvilhelmum, Curlandiæ, & Semigalliæ Ducem, & Generosum Magnum Noldium latum in se continentes, sanas, salvas, & integras, atque ex omni parte vitio carentes, quas, ut in Acta Cancellariæ nostræ inscribi mandare dignaremur, supplicatum Nobis est. Earum vero Literarum tenor de verbo ad verbum est talis.*

SIGISMUNDUS III. Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Livoniæque, &c. nec non Svecorum, Gottorum, Vandalorumque Hæreditarius Rex, ac Magnus Dux Finlandiæ. Significamus præsentibus Literis nostris quorum interest, universis, et singulis. Quod cum sæpissime graviter apud Nos conquereretur Generosus Magnus Noldius Aulicus noster de Illustri Gvilhelmo Principe Curlandiae, & Semigalliae Duce, quod idem Dux Curlandiae præfato Magno Noldio, tum, dum negotia certa nostra perageret, in iudicium modo, & ratione insolita vocato, processuque quodam super eo, posthabitis literis nostris eo nomine datis coram Judicibus, a præfato Duce Curlandiæ deputatis, (a quibus legitimæ & iuridicæ rationes pro parte præfati Noldii per Nuntium eius allegatæ, reiectæ, & appellationes ad Nos, uti directum Dominum interpositae eidem denegatae erant) iniuridico obtento, prætextu eiusdem processus, prædium ipsius proprium *Kalethen* dictum occupasset, arendatorem eiusdem Generosum Henricum Denhoff, una cum uxore, & liberis inde vi eiecisset, bonaque dicti prædii devastasset, & præterea per citationem quandam criminalem, ad valvas templi contra eum affixam, caput, existimationemque illius, absque legitima ulla causa petiisset. Nos animadvertentes id cum summo præiudicio, iniuriaque prædicti Aulici nostri fieri, atque cum iuribus Feudi super Ducatum Curlandiæ a Nobis concessi, & directi nostri Dominii pugnare, datis prius ad eundem Ducem Curlandiae Literis nostris, ab eo postulavimus, ut prædicto Noldio gravis esse desineret, bonaque adempta ipsi restitueret. Cumque Præfatus Dux Gvilhelmus coram Nobis & Ordinibus Regni in Conventu Regni Generali compariturum se, & Noldio iustificaturum per literas ad Nos datas obtulisset, & citatio nomine præfatarum iniuriarum, iuxta iuris ordinem contra eundem Ducem Gvilhelmum ad instantiam Magni Noldii edita, & terminus in proximis Regni Comitiis assignatus, & præfixus fuisset, in prædicto autem termino, posteaquam præfatæ partes, Actor quidem Magnus Noldius personaliter, citatus vero Dux Gvilhelmus per Internuntios, ac Mandatarios suos, Generosum Christophorum Firxium, & Famatum Laurentium Ech coram Nobis comparerent: et Actor quidem querelam suam de gravaminibus ab eodem Duce sibi illatis repeteret, Mandatarii vero citati nomine allegarent, Principem suum ita esse privilegiatum, ut in controversiis cum Nobili, vel subdito suo coram Nobis respondere non teneatur, citationem quoque uti primam, & non peremptoriam impugnarent, peterentque causam eandem vel in Curlandia ad forum competens remitti, vel dilationem ad iustum tempus sibi concedi. Actor vero in contrarium replicaret, & ostenderet, causam præsentem non ex citatione duntaxat ad Comitia Regni devolutam esse, sed præterea ex applicatione a Decreto Parium Curiae interposita, tum & remissione per Decretum certorum Commissariorum nostrorum facta, denique ex consensu, & voluntate ipsius Ducis, qui ultro a Nobis postulavit, ut præsens causa in Comitiis Generalibus cognosceretur. Nos cum Consiliariis, & Senatoribus Regni nostri, qui protunc ad Comitia Generalia propter negotia Reipublicae expedienda congregati fuerunt, lateri nostro assidentibus, allegationibus partium præfatarum de termini excitatione provenientis, vel appellationis validitate examinatis, eoque considerato, quod præfatus Dux Curlandiae ultro sese coram Nobis in Conventu Regni compariturum, & responsurum obtulit, ideo volentes auctoritati, & dignitati Ducis hac in parte consulere, decernimus, ut summarie coram Nobis in hac causa, & sine diffugiis procederetur. ANNO 1611.

Cum itaque causa eadem ob contumaciam Illustris Ducis, nec per se, nec per Plenipotentes, aut Mandatarios suos comparentis in sequentem sessionem coram

ANNO 1611. Nobis ex impoſitione per Internuntios ipſius ſuper præfatam condemnationem areſti incideret, Actorque ulteriorem ab eodem Duce proceſſum affectaret, nomine vero Ducis Internuntii ipſius, ſuis prioribus exceptionibus inhærentes, acta ad cauſam præſentem neceſſaria ſe non habere cauſarentur, dilationemque ſibi ad futura Comitia concedi poſtularent, Actor autem, quamvis non dubitaret Mandatarios Acta ad manum habere, ut tamen eo citius finem ſuæ actionis ſortiri poſſet, iisdem Mandatariis acta ſeſe communicaturum offerret, indeque dilationem affectatam minus iam eſſe neceſſariam, & minus conceſſibilem deduceret. Nos cum iisdem Conſiliariis, & Senatoribus Regni noſtri eo animadverſo, quod iam antea per Nos deciſum fuit, in cauſa præfata ſummarie procedendum eſſe, dilationi petitae locum non eſſe cenſuimus, & ut Decretis iisdem ſatisfacerent, atque coram Nobis reſponderent, decrevimus. Cum vero Mandatarii Ducis præfati ne ſic quidem reſpondere vellent, Actor iterum contumaciam Illuſtris Ducis Curlandiae accuſabat, & ex areſto iam eundem condemnaverat, ſed cum incontinenti præfati Mandatarii id magnopere a Nobis expeterent, ut tantum diſſolutionis terminum ipſis concederemus, quo rem ad Dominum ſuum (quem in propinquo agere, & propediem affuturum affirmabant) perſcribere, atque Acta ad cauſam ſpectantia inde nanciſci poſſent; Nos cum iisdem Senatoribus Regni in Comitiis præfatis exiſtentibus quamvis poſt ſuperiora Decreta noſtra dilationem per Internuntios Ducis affectatam non eſſe conceſſibilem iudicaremus, ex benignitate tamen noſtra Duci præfato dilationem ad reſpondendum ad octiduum conceſſimus, ea lege, ut etiam extra Comitia pro tempore eidem Actori ſeſe iuſtificare, & coram Nobis reſpondere teneatur. Advenieñte itaque ex eadem conceſſa dilatione coram Nobis, iudicioque Relationum noſtrarum propriarum termino, poſteaquam Actor prædictus affectaret, ut pro parte Illuſtris Ducis Curlandiae dilationi obtentae ſatisfieret, Mandatarii præfati ex literis ad ſe ab Illuſtri Duce datis, non in vim litis conteſtationis, ſed cauſam informationis deducebant. Actorem Noldium, quod homagium præſtare ex inſtituto Provinciae, & more aliorum Nobilium detrectaſſet, quodque Judicium Parium Curiæ repudiaſſet, uti contumacem, iuris via, & ordine, bonis privatum fuiſſe. Cæterum in commiſſis ſe non habere, ut cum eodem Magno Noldio extra Comitia in litem deſcendant, itaque petere ſe, ANNO 1611. ut cauſa præſens ad proxime futura Comitia reiiciatur, ac comperendinetur. Replicabat ex adverſo Noldius iuramentum fidelitatis ſe Friderico Duci, ut Seniori, præſtare non recuſaſſe, cum autem a Paribus Curiae in ius vocaretur, munere Commiſſoriali ad ſedandos motus Piltenſes a Nobis ſibi impoſito, tunc functum fuiſſe, ac propterea perſonaliter comparere non potuiſſe, miſiſſe tamen Internuntios, qui cauſam abſentiæ ſuæ exponerent, exceptiones inferrent, & imprimis iudicium Parium Curiae, uti incompetens, & privatis Pactis, & Receſſibus contra publica Pacta introductum declinarent Judices, plerosque externos, & ignobiles, impoſſeſſionatos, & multis nominibus uti ſuſpectos recuſarent. His tamen omnibus non attentis aſſertos Pares Curiæ ulterius in cauſa proceſſiſſe, citationes, & Decreta ignominioſa contra ſe tuliſſe, & edidiſſe, bonis propriis privaſſe, appellationes ad Nos uti directum Dominum interpoſitas non admiſiſſe, & aliis variis iniuriis affeciſſe. Itaque petebat ſe innocentem & variis iniuriis læſum, ab omnibus criminationibus, accuſationibus, & inſimulationibus liberum pronuntiari, ſcripta omnia per præfatum Ducem Curlandiae, eiusque Miniſtros edita bonam famam, & exiſtimationem ſuam lædentia, nec non totum proceſſum contra ſe, tam coram Judicio Parium Curiæ, quam poſtea coram iudicio ipſius Ducis criminali obtentum, & promulgatum, tolli, aboleri, caſſari, & ex omnibus protocollis expungi. Hoc amplius, bona *Kalethen* dicta cum omnibus pertinentiis pendente appellatione adempta, ſibi reſtitui, ad ſumptuum, damnorum, & fructuum perceptionem, tum expenſarum refuſionem compelli. Ad extremum, quod Illuſtris Dux apertas inimicitias ſibi denuntiaſſet, poſtulabat, ut auctoritate noſtra Regia ſecuritati, vitæ, & fortunarum ipſius conſuleremus, eumque ex iurisdictione Principis eximeremus, noſtrae vero iurisdictioni, & protectioni ſubiiceremus, & adſcriberemus. Ad hæc cum Mandatarii præfati Illuſtris Ducis Curlandiae reſpondere, & in litem ſeſe ingerere nullo modo vellent, ſed cauſam, ut ſupra, ad proxima Comitia reiici, & Illuſtrem Ducem circa Receſſus, & Pacta cum Sereniſſimis Anteceſſoribus noſtris inita conſervari poſtularent; Nos cum iisdem Conſiliariis noſtris lateri noſtro aſſidentibus eo conſiderato, quod in proximo præterito Conventu Generali Regni pronuntiatum a Nobis fuit, ut de cauſa præſenti poſt Curiam noſtram partes

ANNO 1611. tes diſceptarent, eidemque Duci dilationem ad reſpondendum, ex ſubmiſſione Internuntiorum ipſius conceſſerimus, decernendum Nobis eſſe duximus, uti quidem decernimus, quatenus idem Dux Gvilhelmus coram Nobis reſpondeat, dilationique ſibi ex benignitate noſtra conceſſæ ſatisfaciat. Poſteaquam autem Mandatarii Ducis dilationi conceſſae ſatisfacere recuſarent, & Actor contumaciam eorum ex areſto ſuperiori Comitiali, & conſervatione termini, ipſis præſentibus accuſaſſet, & ſervatis omnibus iuris ſolennitatibus, ac proceſſibus in talibus fieri ſolitis, idem Dux ad inſtantiam, & ad ulteriorem proceſſum, ſatisfactionemque Decreto noſtro, ac dilationi ſibi ex benignitate noſtra conceſſae, voce ſonoroſa Miniſterialis Generalis Regni noſtri Nobilis Chriſtophori Czyżowſki ter, & ultra formam iuris, quater ad Nos accitus, & acclamatus, nec per ſe, nec per eosdem Internuntios aut alios ſuorum legitimos Plenipotentes compareret, Actor vero, ut ſupra, propoſitionibus, allegationibus, defenſis ſuis, ac poſtulationibus inhæreret, præfatum Ducem uti manifeſte contumacem, & dilationi conceſſae ſatisfacere nolentem, in ſuccubitione præmiſſorum omnium condemnari poſtularet. Nos cum iisdem Conſiliariis noſtris lateri noſtro aſſidentibus, ad affectationem iuridicam, & legitimam Actoris, in contumaciam eiusdem Ducis, conſiderato eo, quod Actor tum temporis, cum iudicium Parium Curiæ perageretur, negotia noſtra geſſit, Dux vero, & Judices non habita ratione inhibitionum noſtrarum, aut exceptionum, Actoris proceſſum continuarunt, tum quod Receſſus illi, quorum vigore iudicium Parium Curiae inſtitutum eſt, & appellationes ad Nos denegantur, Regalibus noſtris, & Pactis cum Republica præiudicarent, tum quia dum Actor in Ducatu indiviſo iuramentum Illuſtri Duci Friderico obtulit, is vero non ſibi, ſed Fratri præſtari illud voluit, Ducatus Curlandiae non ſolum quoad Feudum, hoc eſt utile Dominium, & Arces, ſed etiam quoad Feudo cohaerentem iurisdictionem in Nobiles Reipublicae, diviſus videatur, tum denique quod Actor ad libellos, & citationem templis affixam factorum ſuorum Nobis rationem reddidit, & innocentiam ſuam ſufficientem probavit. Ideo Decretum Parium Curiæ contra eundem Actorem latum tollimus, Actoremque a quibusvis actionibus, criminationibus, inſimulationibus, in ſupradictis actis, & citatione contentis abſolvimus, liberum pronuntiamus, eorumque nomine ſilentium imponimus, libellos denique, citationes, & quævis alia acta in ignominiam Actoris ſcripta, bonæ famæ, & exiſtimationi ipſius minime obeſſe, ſed ex omnibus Protocollis expungi, ac deleri debere decernimus, eademque tollimus, caſſamus, & annihilamus. Bona porro Actori adempta quod attinet, decernimus, ut Illuſtris Dux Gvilhelmus prædium *Kalethen* dictum cum omnibus attinentiis, proventibus, fructibus quibusvis, emolumentis, damnis, & ſumptibus eidem Actori integre reſtituat, & in realem, & actualem poſſeſſionem Actoris dimittat. Quam in rem iam exnunc deputamus, & deſignamus Generoſos Conſiliarios Diſtrictus Piltenſis, quibus poteſtatem intromittendi & introducendi Actorem in bona omnia præfata damus, & concedimus. Quam intromiſſionem Illuſtris Dux Gvilhelmus præpedire, tam per ſe, quam per ſubmiſſas perſonas non debet, ſub pœna triginta millium aureorum hungaricalium, quam præſenti Decreto noſtro interponimus. Ad extremum proſpicientes ſecuritati vitae, honoris, & fortunarum eiusdem Actoris, eundem Actorem, perſonam, bonaque ipſius omnia in patrocinium, & protectionem noſtram Regiam recipimus, ac ex iurisdictone præfati Ducis Gvilhelmi eximimus, & liberamus, noſtræ vero iurisdictioni, authoritati, & poteſtati adiungimus, & adſcribimus, nec quidquam iuris eidem Duci, eiusque Officialibus & Judicibus ſuper Actorem, eiusque quævis bona, relinquimus, & concedimus, eumque non alibi, niſi coram Nobis, ac iudicio noſtro conveniri debere ſtatuimus, idque ſub pœna, quae in violatores eorum, qui in protectionem noſtram ſuſcipiuntur, ex præſcripto iurium Regni ſtatuta eſt, irremiſſibiliter ſuccumbenda, & extendenda, præſentis Decreti noſtri vigore. In cuius rei fidem Sigilla tam Regni noſtri, quam Magni Ducatus Litvaniæ præſentibus ſunt appreſſa. Datum Varſaviae Sabbatho poſt Feſtum S. Catharinæ Virginis, & Martyris proximo, Anno Domini milleſimo ſexcenteſimo undecimo, Regnorum noſtrorum Poloniæ vigeſimo quarto, Sveciæ vero anno decimo octavo. ANNO 1611.

Relatio Reverendiſſimi in Chriſto Patris Domini Laurentii Gembicki Epiſcopi Vladiſlavienſis, & Pomeraniæ, Regni Poloniæ ſupremi Cancellarii. Laurentius Epiſcopus Vladiſlavienſis, Regni Poloniæ Cancellarius mpp. Octavianus Wactawowicz mpp. Cui ſupplicationi benigne annuentes Literas præinſertas actis Cancellariæ noſtræ inſcribi mandavimus, volentes, ut ro-

ANNO 1611. *bur ſuum debitum ſemper, & ubique obtineant. Actum Varſaviæ die 18. Menſis Januarii, Anno Domini milleſimo ſexcenteſimo decimo quarto, Regnorum noſtrorum Poloniæ vigeſimo tertio, Sveciæ vero decimo ſeptimo.*

Relatio Illuſtris, & Magnifici Felicis Kriſki in Drobnin, Regni Poloniæ Supremi Cancellarii, Kovalensis, Przedetenensis Capitanei.

CCXXV.

1615. *Pactorum Subiectionis Livoniæ Anno 1561. Vilnæ initorum Confirmatio, & Approbatio.* Datum Varſaviæ d. 12. Apr. Anno 1615. *Ex Archivo Regni.*

SIGISMUNDUS III. DEI Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniae &c. nec non Svecorum, Gottorum, Vandalorumque haereditarius Rex, ac Magnus Dux Finlandiae. Significamus praeſentibus Literis noſtris, quorum intereſt univerſis, & ſingulis. Cum Sereniſſimus Rex SIGISMUNDUS AUGUSTUS Prædeceſſor, & Avunculus noſter Chariſſimus Anno Salutis noſtræ milleſimo quingenteſimo quinquageſimo nono, graviſſimis de cauſis Ordines Livoniæ univerſos nimia tyrannide Joannis Baſilidis Moſchorum Ducis, longe, lateque in Livonia crudelem in modum tunc graſſantis, primum in Clientelam ſuam, deinde Anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo primo in ſubiectionem certis intercedentibus Pactis utrinque iurisiurandi ratione ſancitis benigne recepiſſet, eorumq; Pactorum, ac Privilegiorum Diploma præfatis Ordinibus communicaſſet, totum negotium ſubiectionis inter commemoratum Dom. SIGISMUNDUM AUGUSTUM Regem, Livoniæq; Status perfectum, & abſolutum eſt. Quorum Pactorum, Privilegiorumq; confirmationem cum Nobilitas Curlandica a Nobis ſubmiſſe peteret, tribuendum hoc, & petitionibus eiusdem, & meritis Nobis, & Reipublicæ, Livonico bello, temere a Carolo Sudermaniæ Duce Nobis illato, conteſtatis, duximus, ut, etſi iam antea per Nos gubernacula huius Regni ſuſcipientes, id ſit ſingulari pollicitatione noſtra præſtitum, iuramentoque noſtro omnia cuivis iura ſtabilita, Nos tamen eadem Pacta, Vilnæ feria ſexta poſt Sanctæ Catharinæ, Anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo primo data, & confecta, quæ totius Livoniæ cum Regno noſtro, Magnoque Ducatu Litvaniæ vinculum, ac fundamentum ſunt, confirmanda eſſe ducere- ANNO 1615.
mus, uti quidem, quo alacriorem eandem Nobilitatem ad præſtanda Nobis, & Reipublicæ inpoſterum quavis occaſione obſequia reddamus, in omnibus articulis, punctis, & clauſulis, ac ſi hiſce Literis inſerta eſſent, confirmamus, approbamus, rataque, & grata habemus, præſentibus Literis noſtris volentes, ac decernentes, ut ab omnibus, & ſingulis Ordinibus Regni noſtri, cuiuscunque ſint ſtatus, & conditionis, pro ratis, & firmis, minimeque dubiis agnoſcantur, & integra, illibataque perpetuis temporibus obſerventur, & cuſtodiantur, nihilque adverſus ea, tanquam fundamentales totius Livoniæ ſubiectionis leges, a quoquam præſumatur, aut in derogationem talium Jurium, aut Pactorum publicorum ſtatuatur, aut quovis modo iisdem Pactis publicis, Legibusq; fundamentalibus contraveniatur. Hæc igitur omnia harum Literarum noſtrarum teſtimonio firmiter corroboramus, ac ſtabilimus, quibus manu noſtra ſubſcripſimus, & Sigillo Regni communiri mandavimus. Datum Varſaviæ die duodecima Menſis Aprilis An. Domini 1615. Regnorum noſtrorum Poloniæ 28. Sveciæ vero 22. Anno,

SIGISMUNDUS *Rex.*

CCXXVI.

Decretum Privationis Feudi Ducatuum Curlandiæ, & Semigalliæ latum contra Vilhelmum Curlandiæ Ducem. Datum Varſaviæ in Conventu Regni Generali feria quarta poſt Feſtum Inventionis S. Crucis. Anno 1616. *Ex Archivo Regni.* 1616.

SIGISMUNDUS III. Dei Gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Litvaniae, Ruſſiae, Pruſſiae, Maſoviae, Samogitiae, Livoniæque &c. &c. nec non Svecorum, Gottorum, Vandalorumque Hæreditarius Rex, ac Magnus Dux Finlandiæ. Significamus præſentibus Literis noſtris, quorum intereſt univerſis, & ſingulis. Vocatum eſſe ad Nos, & Conventum Regni noſtri Generalem ab Inſtigatore noſtro, & Reipublicæ Illuſtrem Vilhelmum Curlandiæ, & Semigalliæ in Livonia Ducem, Vaſallum, & Feudatarium noſtrum, ad decernendum ſuper Illuſtritate ſua privationem Feudi Curlandiæ, & Semigalliæ eidem per Nos in ſolidum una cum Illuſtri Friderico Duce Fratre indiviſim conceſſi: id autem propterea, quod prædictus Illuſtris Guilhelmus

Anno 1616. mus. Dux contra Pacta cum Sereniſſimis Anteceſſoribus, & Nobiſcum inita, tum & contra Juramentum Fidelitatis Nobis uti Supremo, & directo Feudi Domino præſtitum, nec non contra diſpoſitionem & præſcriptum Juris Feudalis, Feudum præfatum cum Illuſtri Friderico Duce Fratre germano diviſiſſet, velandæque eiusmodi diviſionis cauſa, geminum quoddam una cum eodem Fratre in univerſos Curlandiæ, & Semigalliæ Incolas, contra naturam Feudi, imperium uſurpaſſet, & inſtituiſſet: deinde, quod Arces, aliaque bona Feudo ſupraſcripto ſubiecta, ſine conſenſu noſtro hypothecæ nomine obligaſſet, & oppignoraſſet: praeterea quod appellationes in controverſiis inter ſubditos, & Nobiles intercedentibus in prima ſubiectione Nobis reſervatas ad Nos denegaſſet: ad haec quod Vaſallagium, Nobis, & Reipublicae debitum, requiſita Illuſtritas ſua contra Reipublicae hoſtes praeſtare recuſaſſet, contra autem militem noſtrum per Curlandiam euntem, nullo praevio Conventu etiam tripla ſervitia equeſtria imperaſſet, ſuum quoque Vaſallagium ex Nobilium ſervitiis contra Pacta cum Republ. celebrata conſtituiſſet, & confeciſſet: inſuper quod noviſſime Geroſum Magnum Noldium, Aulicum noſtrum a iurisdictione Illuſtritatis ſuae Decreto noſtro exemptum, ac Literis Salvi Conductus noſtri munitum, dum per Mitaviam tanquam Commiſſarius noſter Rigam tenderet, in vilipendium Maieſtatis noſtræ Regiæ interemiſſet, & occidiſſet, atque Literas immunitatis, ac protectionis noſtrae violaſſet. Deinceps quod eadem Illuſtritas ſua per Internuntios ſuos ſibi de nomine melius notos, tum & per Literas cum Guſtavo Sudermanniae Duce, hoſte noſtro, & Reipublicae certam quandam &c. alias prout citatio praemiſſa omnia luculentius in ſe complectitur. Adveniente itaque termino in citatione eo nomine ab Inſtigatore noſtro edita praefixo, & quoad cauſam praeſentem peremptorio, cum praefatus Illuſtris Vilhelmus Curlandiae, & Semigalliae Dux ter, & ultra ſolitum quater, voce Miniſterialis Terreſtris Generalis, Nobilis Alberti Jaroſzewſki vocatus, & acclamatus coram Nobis, & Senatoribus Regni noſtri in praeſenti Conventu Regni Generali congregatis, & lateri noſtro aſſidentibus nec per ſe, nec per Plenipotentem ſuum comparuiſſet, & Inſtigator noſter contumaciam ſuae Illuſtritatis accuſaſſet. Nos cum iisdem Senatoribus noſtris, in Conventu Regni Generali lateri noſtro aſſidentibus, attenta contumacia rei conventi, in termino peremptorio non comparentis, ad legitimam vero partis actoreae affectationem, eundem reum conventum in cauſa ſuccubuiſſe adinvenimus, atque Illuſtritatem ſuam titulo Ducatus Curlandiae, & Semigalliae, contra Pacta Conventa diviſi, & alienati, Arcibusque, Civitatibus, Oppidis, Pagis, ac omnibus, & ſingulis attinentiis, ad praedictos Ducatus ex antiquo pertinentibus, praetextu diviſionis, & diſmembrationis cum Fratre initae, hactenus poſſeſſis, tum & iurisdictione in Nobiles, & Incolas Curlandiae, & Semigalliae nullo iure uſurpata, nec non utili quovis dominio, & omni Jure Feudi, quodcunque illi vigore Inveſtiturae competebat, abiudicamus, & privamus. Nobiles, & Incolas omnes Curlandiae, & Semigalliae ab obedientia, & ſubiectione eidem praeſtanda abſolvimus, & liberos pronuntiamus praeſentis *D*ecreti noſtri vigore. In cuius rei fidem Sigilla Regni noſtri, & Magni Ducatus Litvaniae praeſentibus ſunt appenſa. Datum Varſaviae in Conventu Generali feria quarta poſt Feſtum Inventionis S. Crucis proxima, Anno Domini milleſimo ſexcenteſimo decimo ſexto, Regnorum noſtrorum Poloniae vigeſimo nono Sveciae vigeſimo tertio. Anno 1616.

Relatio Reverendiſſimi Henrici Firley de Dąbrowica Epiſcopi nominati Luceorienſis, Plocenſis, Miechovienſis, ac S. Michaelis in Arce Cracovienſi Præpoſiti, Regni Poloniæ Vice-Cancellarii.

CCXXVII.

Decretum de felonia, adverſus Regem, & Regnum Poloniæ Friderico Curlandiæ, & Semigalliæ Duci ab Inſtigatore Regni obiecta, & a Sacra Regia Maieſtate remiſſa. Dat. Varſaviæ in Conventu Regni Generali, feria tertia intra Octavas Sacratiſſimi Corporis Chriſti An. 1616. *Ex Archivo Regni.* Lib. ſub Lit. Q. Z. fol. 245. 1616.

Sigismundus III. DEI Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæque, &c. nec non Svecorum, Gottorum, Vandalorumque haereditarius Rex, ac Magnus *D*ux Finlandiae. Significamus praeſentibus Literis noſtris, quorum intereſt, univerſis, & ſingulis. Inſtitutam fuiſſe coram Nobis in praeſenti Generali Conventu Regni, Illuſtri Friderico Cur-

ANNO 1616. landiæ, & Semigalliae in Livonia Duci, Vaſallo, et Feudatario noſtro, ab Inſtigatore noſtro, et Reipublicae cauſam, et actionem, ratione caducitatis, & commiſſionis Feudi Curlandiae, & Semigalliae, Arciumque, oppidorum, pagorum, omniumque & ſingulorum bonorum ad Ducatum prædictum ſpectantium, amiſſionis, & privationis, propterea, quod Illuſtritas ſua contra Pacta publica cum Anteceſſoribus noſtris, & Nobiscum, ac Republica inita, & contra iuramentum fidelitatis, Nobis, uti ſupremo, & directo Feudi *D*omino præſtitum, nec non contra diſpoſitionem iuris communis feudalis, cum Illuſtri Gvilhelmo Curlandiæ, & Semigalliae *D*uce, fratre Germano, Feudum prædictum, & Arces, Feudoque adhærentem Iurisdictionem diviſiſſet, & velandae eius diviſionis gratia geminum quoddam in univerſos Curlandiae, & Semigalliae Incolas Imperium introduxiſſet, atque uſurpaſſet. *D*einde quod Arces, & nonnulla bona Feudo prædicto ſubiecta, ſine conſenſu noſtro hypothecae nomine obligaſſet, ac oppignoraſſet. Præterea, quod appellationes in controverſiis inter Nobiles, & ſubditos Curlandiae intercedentibus in prima ſubiectione Nobis reſervatas, ad Nos denegaſſet. Inſuper quod Vaſallagium debitum contra hoſtes Reipublicæ Nobis non præſtitiſſet, contra vero militem noſtrum, per Curlandiam euntem Nobilitati nullo prævio Conventu triplicata etiam ſervitia indixiſſet, et imperaſſet, ac ſi aliquando ſuum Vaſallagium præſtitiſſet, illud ex ſervitiis Nobilitatis confeciſſet. *D*eniq; quod Generoſum Magnum Noldium Aulicum noſtrum una cum Fratre per Mitaviam Rigam tendentem, Commiſſariiq; noſtri munus gerentem, & Literis Salvi Conductus noſtri munitum, ac in protectionem noſtram Regiam receptum, & a iurisdictione Illuſtritatis ſuæ Decreto noſtro exemptum interemiſſet, easdemque Literas Salvi Conductus, & exemptionis noſtræ violaſſet, prout citatio eo nomine edita latius præmiſſa in ſe complectitur. Cum itaque in termino ex prædicta citatione incidente, coram Nobis, & Senatoribus noſtris in Generali Conventu Regni lateri noſtro aſſidentibus partes præfatæ, Inſtigator quidem noſter perſonaliter, Illuſtris vero Dux Fridericus per Generoſos, & Nobiles Michaelem Manteffel Cancellarium, & Caſparum Dreling Juris utriusque Doctorem, Conſiliarios ſuos comparuiſſent. Inſtigator noſter ſigillatim Articulos actionis, & citationis ſuae, contra Illuſtrem Fridericum proponebat. Et inprimis, jacto hoc veluti fundamento, quod de iure feudali per Conſtitutionem FRIDERICI I. Imperatoris diviſio Feudorum maiorum, qualis eſt Ducatus Curlandiæ, prohibita, & vetita ſit, Illuſtritatem ſuam Ducatus prædicti Curlandiae titulari, & natura ſua individui a Divis SIGISMUNDO AUGUSTO, & STEPHANO, Regibus Poloniæ, Gothardo Principi eiusque Succeſſoribus, ſive Hæredibus maſculis, quoad ſucceſſorium nimirum ordinem (prout & in feudo Ducatus Pruſſiae fit) conceſſis, poſtea vero a Nobis Illuſtritatibus ſuis, Friderico, & Gvilhelmo Ducibus ſolenni ritu renovati, dismembrationem feciſſe ex eo demonſtrabat, quod Illuſtritas ſua ultra permiſſam a Nobis fructuum, & emolumentorum, ex fundis, & bonis feudalibus provenientium, ſeparatam perceptionem, ipſam quoque iurisdictionem, atque adeo totum Feudum cum Fratre Gvilhelmo diviſiſſet; Curlandiaque Illuſtri Gvilhelmo Duci, contra expreſſam Inveſtituram, & prohibitionem noſtram, conceſſa, Semigalliam ipſe retineat, ac poſſideat, atque in diſtinctis Ducatibus Illuſtritates ſuæ, veluti duo ſuprema, & minime ſubordinata Capita, ſeparata Dicaſteria, tam Civilia, quam Criminalia, & Feudalia, Archiva, item Vicarios, & Vices gerentes, Conſiliarios, aliosque Officiales omnes diſtinctos, Cancellarias ſeparatas habeant, diſtinctim Conventus publicos indicant, & celebrent: diviſim homagia a Nobilitate recipiant, ſeparatim ſervitia militaria Equeſtria exigant, aliaque onera inuſitata ſeorſim, contra Pacta prima ſubiectionis Nobilitati imponant, iudicia ſeiunctim publicent, et exerceant, Appellationes recipiant, Executiones faciant, Eccleſiarum viſitationes ſigillatim inſtituant, & præter nomen Feudi indiviſum, cætera omnia, quae ad Conſtitutionem Feudi, pertinent in effectu re ipſa diviſa, et plane ſeparata habeant, ac poſſideant. Arcium vero, et aliorum bonorum feudalium oppignorationes notorias eſſe allegabat. Ad hæc appellationum ad Nos denegatarum, vel hoc ipſum eſſe indicium, et argumentum conſtituebat, quod nullae hactenus ex illo *D*ucatu cauſae Nobilium, ad iudicium noſtrum fuiſſent per Appellationem devolutae: provocaſſe ad Tribunal Maieſtatis noſtrae plerosque illius Provinciae incolas, Proteſtationibus eo nomine a vidua Sveriniana, et Rigenſibus, nec non a præfato Magno Noldio factis, id ipſum confirmabat, ac inſuper, ex Receſſibus contra Pacta publica fabricatis, Articulum de provocatione ad Nos ſub pœna mille talerorum Nobilitati prohibita exhibebat, ex ANNO 1616.

ANNO 1616. ex eoque inferebat, quod licet iudicium noſtrum Regium, quod vigore proviſionis *D*ucalis, et Pactorum publicorum ſubiectionis, appellationum devolvendarum gratia, in Livonia inſtituendum erat, ob varias bellorum Livonicorum calamitates, hactenus in effectum deductum non ſit, non tamen propterea Regia noſtra iura ad Illuſtritates ſuas pertrahi, et Provocationes ad Nos pœnalibus interdictis, et Conſtitutionibus prohiberi, et impediri oportebat. Vaſallagium præterea debitum tempore belli Livonici Illuſtritatem ſuam Nobis non præſtitiſſe, gravaminibus Nobilitatis Bauſchenburgenſis, et Reſponſo, Illuſtritatibus ſuis a Nobis dato deducebat, ac præterea Receſſu Mitavienſi, anno milleſimo ſexcenteſimo ſexto, hoc idem Vaſallagium penitus obliteratum, et ſervitia Nobilitati contra tranſitum noſtrarum Copiarum imperata fuiſſe, peculiaribus Mandatis Illuſtritatis ſuæ comprobabat. Quod vero Illuſtritas ſua una cum Nobilitate in aliquot conflictibus depugnaſſet, inde evinci non poſſe, quod ſuum proprium Vaſallagium centum equorum ſuis, non Nobilitatis ſumptibus expeditum ſtitiſſet, cum et copias ſuas non prius copiis noſtris Regiis coniunxiſſet, quam cum poſt pugnam Kokenhauſenſem fortunam ad partes Exercitus noſtri ſe transtuliſſe ſenſiſſet, et ante præfatam pugnam, non tam cum hoſte, quam cum milite noſtro, qui Illuſtritatis ſuae *D*itionis fines tranſibat, decertaſſet, eiusque rei cauſa Nobilitatem reluctantem Bauſkenbergum convocaſſet. Ad extremum cædis Noldianae Illuſtritatem ſuam, et auctorem, et conſcium fuiſſe, exemptionemque noſtram Regiam, nec non et Salvum Conductum, praeſertim in Commiſſario noſtro violaſſe, inde apparere dicebat, quod Conventum publicum una cum Fratre Gvilhelmo, Noldiorum acerrimo hoſte, ſecus, quam Literis noſtris Illuſtritas ſua monita fuerat, indixiſſet, eundemque Conventum, contra receptam conſvetudinem, armatum eſſe voluiſſet, fratrem, qui ſe eius facti dominum appellaret, non modo ſecum in Arce retinuiſſet, ſed Linſtovium, & Loquinum ſicarios ſecum in Arce commorari permiſiſſet, menſaeque ſuae adhibuiſſet, corpora trucidatorum mirum in modum deformata, & denudata, Nobilitati, & cognatis petentibus recuſaſſet, & poſtea vili carro iniecta, ad ædes, unde viventes protracti fuerant, primum reduci, poſtea iterum abripi, & ignominioſe in obſcura ſpecu ſepeliri demandaſſet, eademque die compotationes, tripudia, & ſaltationes inſtituiſſet, variaque, & non obſcura lætitiae ſigna dediſſet. Quæ omnia ex ſcrutinio, & inquiſitione per Commiſſarios noſtros peracta, liquide patere poſſe exiſtimabat, & ad eandem Inquiſitionem provocabat. Atque ita deductis, & probatis luculenter propoſitionis ſuae Articulis, petebat Inſtigator noſter ſuper præfato Illuſtri Friderico Duce, ob cauſas iam enumeratas privationem Feudi Ducatus Curlandiae, & Semigalliae decerni. Ex adverſo Internuntii & Mandatarii Principis Friderici, primum ab Inſtigatore noſtro, de diviſione Feudi propoſitum articulum ita diluebant: Feudum Curlandiæ, & Semigalliae Illuſtritatibus ſuis Friderico, & Gvilhelmo Ducibus in ſolidum a Nobis ſolenni ritu inveſtitis conceſſum, & Feudo adhærentem iurisdictionem pro indiviſo Illuſtritates ſuae, a tempore Inveſtiturarum ſuarum in hunc uſque diem poſſediſſe, & poſſidere, integrumque ius Feudi, ac plenam in ſua proprietate, & ſubſtantia iurisdictionem retinere. Quod vero rerum œconomicarum, ac utilis Dominii adminiſtrationem, iurisdictionisque exercitium diviſiſſent, in ea re Illuſtritates ſuas Illuſtris Gothardi Ducis Parentis ſui voluntatem ultimam ſecutas, ac, ut publicis, & privatis rationibus Ducatus melius conſultum, ac proviſum eſſet, de percipiendis diviſim proventibus, & fructibus, ac iurisdictione ſeparatim exercenda certis legibus pactas eſſe, ſuper eademque Conventione approbationem & confirmationem noſtram impetraſſe. Itaque habuiſſe, & habere Illuſtritates ſuas, ſeorſivas Cancellarias, & Dicaſteria, per communes tamen, atque ex utraque Reſidentia adhibitos Conſiliarios, iudicia tam civilia, quam criminalia celebrare, in iudicio vero appellationum, ut & in Ducatus Conventibus non tantum ſimul utramque Illuſtritatem ſuam præſentem eſſe, quod & in poſtremo Conventu factum eſt, verum etiam per vices Præſidis officium ſuſtinere, Arcium præterea Capitaneos utrique Illuſtritatum ſuarum iuramento obſtrictos eſſe, Nobilitatem quoque, in utriusque Principis nomen, homagium præſtare, atque adeo fruſtra Illuſtritatem ſuam dismembrationis Feudi, & iurisdictionis ei adhærentis poſtulari, & accuſari. Oppignorationes rurſus Arcium, & Bonorum Ducatus Curlandiae, & Semigalliae quod attinet, diſſolvendi quidem æris alieni, per Illuſtrem Gotthardum Ducem, Illuſtritatum ſuarum Parentem, tempore belli Moſchovitici, & Svetici, conflati gratia, Illuſtritates ſuas, ſummas aliquot mutuo accepiſſe, verum & id quoque autho-

ANNO 1616. auctoritate noſtra approbatum, & ratum a Nobis habitum fuiſſe.

Quod ſi poſt hanc noſtram Ratihabitionem Illuſtris Fridericus *D*ux aliquam forte minutiorem curiam alicui inſcripſit, id nullo cum detrimento Reipublicæ factum eſſe, & quovis tempore ab eodem onere liberari poſſe reſpondebant. Porro Articulum denegatarum ad Nos Appellationum, quod ſpectat, iidem Internuntii ſic Illuſtritatem ſuam defendebant, de Appellationibus Nobilitatis ad Nos provocantis, admittendis nihil in Literis Inveſtiturae Illuſtritatis ſuae contineri, illud ſolummodo cautum eſſe, ut Illuſtritatum ſuarum ſubiecti, & ratione domiciliorum ſubditi ad ſuum tantum Principem provocarent, in gravibus vero, & magni momenti cauſis Nobilitas ad Conventum Provincialem Terrarum Livoniae appellaret. Cum itaque hic Conventus Livonicus hactenus celebratus non eſſet, nec celebrari potuiſſet, Illuſtritatem ſuam in re dubia Appellationibus Nobilium deferre non potuiſſe; verum cum Nobilitate ſua in Conventu publico conveniſſe, ut Appellationes loco Conventus Generalis Livonici, ad Conventum Provincialem Curlandiae devolverentur. Quodſi haec pactio Illuſtritatis ſuae Nobis diſpliceret, expectare Illuſtritatem ſuam, declarationem, & informationem noſtram, quonam, & in quibus cauſis Appellationes Nobilitati Curlandicae, & Semigallicae admitti debeant. Quod quamprimum factum fuerit, haud gravatim Illuſtritatem ſuam Appellationibus ad Nos interponendis, prout etiam hactenus in nonnullis cauſis feciſſet, delaturam. Sverinianis vero, & Rigenſibus merito Appellationes denegatas fuiſſe, eo quod temere, praeteritis Illuſtritatibus ſuis, ad Nos appellaſſent. Vaſallagii inſuper non praeſtiti accuſationem quod concernit, eam contra Illuſtrem Fridericum ſine cauſa inſtitui contendebant, cum Illuſtritas ſua in omnibus fere Livonicis expeditionibus ad Roneburgam, Wolmariam, ad Kircholmum cum Vaſallagio ſuo praeſto adfuerit, ad Dunemundam militem ſuum habuerit, neque unquam tripla ſervitia contra militem noſtrum coegerit, quinimo non mediocrem Ducatus partem in eundem aliquando impenderit. Quod ſi forte Nobilitas, quae principaliter contra hoſtem Svecum convocata aderat, contra quosdam noſtros milites per Curlandiam transeuntes, defenſionem paravit, inde tamen nullam Nobis, & Reipubl. iniuriam factam, ſed defenſionem eiusmodi omni iure licitam fuiſſe. Ad extremum caedis Noldianae Illuſtritatem ſuam neque auctorem, neque conſcium fuiſſe, & ſufficientem eo nomine declarationem coram Commiſſariis noſtris per Mandatarios ſuos feciſſe, ſe quoque exiſtimare, nullum teſtem in inquiſitione contra Illuſtritatem ſuam quidquam depoſuiſſe: cadavera vero occiſorum, ad ſummum diei in loco interneciones iacentia, Illuſtritatem ſuam per homines ſuos nec removeri, nec attrectari, ne particeps, & complex facti haberetur, voluiſſe: ſicarios vero, quod non perſecutus eſſet, praeſentiam Fratris *D*ucis Guilhelmi, qui in eadem Jurisdictione *D*ucali inveſtitus fuiſſet obſtitiſſe, licet enim exercitium iurisdictionis cuiq; ſuum commiſſum fuerit, hunc tamen verum ſubſtantiæ iurisdictionis ſolidæ, atque in proprietate ſua indiviſæ effectum cenſeri, quod ſervitores unius in alterius iurisdictionis adminiſtratione delinquentes, puniri per alterum, non accedente ipſorum *D*ominorum conſenſu, non potuerint, cum par in parem imperium de iure non obtineat, atque ideo Illuſtritatem ſuam neque Literas Salvi Conductus, & exemptionis noſtræ violaſſe, neque ex alieno delicto teneri, contendebant. Cum itaque Illuſtritas ſua nullam privationi, & amiſſioni Feudi cauſam præbuiſſet, poſtulabant, eandem Illuſtritatem ſuam ab Inſtigatoris noſtri actione liberam pronuntiari. Nos cum Senatoribus, & Conſiliariis noſtris, in præſenti Generali Conventu Regni lateri noſtro aſſidentibus, partis utriuſque tam actoreæ, quam citatæ allegationibus, probationibus, & exceptionibus accurate perpenſis, & examinatis, inprimis diviſionem, & partitionem Feudi quod attinet, eo conſiderato, quod Illuſtres Principes Fridericus, & Guilhelmus, Curlandiæ, & Semigalliæ in Livonia *D*uces, Vaſalli, & Feudatarii noſtri, non ſolum proventuum, & emolumentorum prædicti Feudi Curlandiæ, & Semigalliæ diſmembrationem, quae a Nobis duntaxat propter appanagium, ſeu ſuſtentationem ſuarum Illuſtritatum, Anno milleſimo quingenteſimo octuageſimo nono, die ſexta Menſis Aprilis approbata, & confirmata fuit, fecerunt, verum etiam Feudo adhærentem Jurisdictionem ſine conſenſu, & authoritate noſtra Regia, uti Supremi, & directi Feudi Domini, contra Jura Feudalia diviſerunt; *D*icaſteria diſtincta, Illuſtris quidem Fridericus Dux Mithaviæ in Semigallia, Illuſtris vero Guilhelmus Dux Goldingæ in Curlandia conſtituerunt, in illisq; per diſtinctos Conſiliarios, eos autem extraneos, peregrinos, & iudicia, nullis certis legibus conſtitutis, ſecus, quam Pactis publicis cautum eſt, exercuerunt. *D*iſtinctim ANNO 1616.

ANNO 1616. ctim Citationes, Decreta, Edicta, Mandata ediderunt, & promulgaverunt, rerum iudicatarum executiones ſeparatim fecerunt, Conventus publicos diſtinctim indixerunt, & celebrarunt, ac ſeparatim homagia, ſolis Regibus, & ſummis Principibus debita, a Nobilitate exegerunt, Judicia Parium Curiae ſeparata contra Pacta publica (quibus definitio, & deciſio cauſarum inter Illuſtritates ſuas, & Nobiles etiam ſingulos intercedentium, Nobis, & Judicio noſtro reſervata eſt) introduxerunt, allodialibus bonis Nobilium Illuſtritates ſuae quaelibet ex indiviſo ſuo Territorio Feudi naturam adaptarunt, & nihil plane in Feudo Curlandiae, & Semigalliae tam quoad utile Dominium, quam quoad ipſam Jurisdictionem Feudo adhaerentem indiviſum reliquerunt, ideo Feudi praedicti, Curlandiae, & Semigalliae naturam, & ſubſtantiam totalem, quae indiviſa, & integra permanere debebat, per Illuſtrem Fridericum Ducem (contra quem Inſtigator noſter actionem praeſentem dirigit, & ſingula praedicta diviſionis argumenta dilucide, & ſufficienter coram Nobis probavit) laeſam eſſe iudicamus. Ex mera tamen benignitate, & pro innata clementia noſtra, praedictum Illuſtrem Fridericum Ducem circa Feudum conſervamus. Daturi vero, et aſſignaturi ſumus Auctoritate noſtra Regia Commiſſarios certos ſpecialibus Literis noſtris nominandos, qui de omnibus illius Ducatus rationibus, et negotiis Jura noſtra Regalia, et Reipublicae, nec non Jura Nobilitatis concernentibus, cognoſcent, Receſſus examinabunt, et quos cum Pactis publicis Subiectionis pugnare animadverterint, caſſabunt, et annihilabunt, de iurisdictione, eiusque exercitio, id quod ad integritatem, et conſervationem Jurisdictionis pertinebit, ſtatuent, et decernent, certamq: Judiciorum formam praeſcribent, et conſtituent. Arcium, et aliorum bonorum praedicti Feudi oppignorationem quod attinet, eam quidem per Illuſtrem Fridericum Ducem factam eſſe liquido ex probationibus Inſtigatoris noſtri cognoſcere non potuimus: Commiſſarii tamen noſtri, per Nos, uti praemiſſum eſt, in Curlandiam deputandi, de oppignoratione Arcium, et bonorum, ſine conſenſu, et approbatione noſtra facta, diligenter inquirent, et ſi quae bona feudalia pignoris nexu obligata, aut aliquo modo alienata animadverterint, ea, ut ab aere alieno libera ſint, procurabunt, et ne in poſterum eiusmodi oppignorationes fiant, prohibebunt. Jam vero de appellationibus ad Nos denegatis ſic ſtatuimus, eas Pactis publicis Subiectionis in recognitionem ſupremi et directi Dominii, Maieſt. noſtrae Reg. fuiſſe reſervatas, quæ, quia per Conſtitutiones quasdam (quas Receſſus vocant) ſub pœna mille talerorum ſunt prohibitæ Nobilitati, ideo eiusmodi Receſſus omnes, uti cum Pactis publicis Subiectionis pugnantes, revocamus, et tollimus: ac Appellationes ad Nos Nobilitati liberas eſſe debere decernimus, Commiſſariis vero a Nobis, uti praemiſſum eſt, in Curlandiam ablegandis, daturi ſumus facultatem, de modo, et ratione earundem Appellationum ſtatuendi, diſponendi, et ordinationes certas faciendi. Vaſallagium quod ſpectat, illud Illuſtritatem ſuam tempore belli Livonici Nobis, et Reipublicae praeſtitiſſe, ex relatione Generalis Praefecti Exercitus noſtri intelleximus. Quia tamen Inſtigator noſter hoc idem Vaſallagium non propriis ſumptibus Illuſtritatis ſuae expeditum, ſed ex ſervitiis Nobilitatis confectum fuiſſe ex gravaminibus, et querelis ipſiusmet Nobilitatis deducit, Ideo decernimus: ut praedictus Illuſtris Dux Fridericus, uti Vaſallus, et Feudatarius noſter, Vaſallagium Nobis, et Reipublicae debitum impoſterum propriis ſumptibus, et impenſis praeſtet, neque illud deinceps cum ſervitiis Nobilitatis Curlandicae miſceat, Commiſſariis porro noſtris praedictis id negotii dabimus, ut de ratione, et quantitate eiusdem Vaſallagii, Maieſtati noſtrae impoſterum ſumptibus propriis Illuſtritatis ſuae praeſtandi, nec non et de ſervitiorum per Nobilitatem illius Ducatus exhibendorum numero id, quod ex utilitate Reipublicae eſſe animadverterint, conſtituant, et modum certum tam Illuſtritati ſuae, quam Nobilitati praeſcribant. Porro violatas Salvi Conductus, et exemptionis noſtrae Literas quod concernit, equidem Juri publico conſentaneum, et beneficiariis Principibus dignum erat providere, ac ſummo ſtudio procurare, ne Noldiis fratribus, Pace publica fretis, et auctoritate, ac protectione noſtra Regia munitis, ulla vis fieret: iam vero ex inquiſitione, et ſcrutinio per Commiſſarios noſtros, ad indagandum facinus a Nobis in Curlandiam non ita pridem miſſos, expedito, et in Senatu coram Nobis lecto aliter eveniſſe, praedictosque fratres (quorum alter Magnus Noldius Commiſſarii noſtri munere tum fungebatur, & Rigam proficiſcebatur) inermes, nocte media per ſicarios, ex propriis ædibus abductos, crudeliter necatos, & interemptos fuiſſe, eoque facto authoritatem, & dignitatem noſtram Regiam, totiusque Reipublicæ læſam, pa-

ANNO 1616.

Anno 1616. cemque publicam violatam esse cognovimus. Quod sane facinus tam atrox, & detestandum, omni animadversione dignum esse censemus. Et quamvis non desint coniecturæ, Illustrem Fridericum Ducem, patratae cædis consortem, & conscium fuisse: quia tamen Illustritas sua id minime agnoscit, & Illustris Gvilhelmus Dux se Dominum facti profitetur. Ideo decernimus, & non aliter prædictum Illustrem Fridericum Ducem ad conservationem Feudi ex benignitate nostra Regia factam admittimus, quam ut sua Illustritas coram Commissariis nostris eo mittendis, sub fide, quæ virum Principem decet, nec non verbo, & iuramento Ducali, quo Nobis, & Reipublicae obstrictus est, oretenus contestetur, quod cædis Noldianae neque auctor, neque conscius fuerit, neque eam approbauerit. Quam contestationem posteaquam coram Commissariis nostris Illustritas sua fecerit, & ab actione violatarum Salvi Conductus, & exemptionis Literarum nostrarum se liberaverit; porro ut Commissio prædicta authoritate Conventus moderni expedienda, eo tutius, & securius peragatur, volumus, ut Illustris Dux Fridericus omnem securitatem, & honorem debitum Commissariis nostris toto illo tempore, quo ibi morabuntur, in adventu, & reditu eorum præstet, nullamque eis vim, iniuriam, aut ignominiam, tam per se, quam per quasvis alias subordinatas personas inferre audeat, & patiatur. Similiter, & Nobilitas Curlandica, & Semigallica, ac universi quicunque ad Commissarios nostros in rebus, negotiis, & gravaminibus confugerint, opemque, & consilium, atque auxilium eorum imploraverint, ut nullam ob id molestiam sive in personis, sive in bonis suis sustineant, quinimo secure ad Commissarios accedant, et recedant, ac Decreta sancitaque Commissariorum nostrorum effectum suum in omnibus sortiantur, sub amissione, & privatione Feudi, præsentis Decreti nostri vigore. In cuius rei fidem Sigilla nostra, tam Regni, quam Magni Ducatus Litvaniae præsentibus sunt appressa. Datum Varsaviæ in Conventu Regni Generali, Feria tertia intra octavas Sacratissimi Corporis Christi, Anno Domini millesimo sexcentesimo decimo sexto. Regnorum nostrorum Poloniæ XXIX. Sveciae XXIII. Anno.

Relatio Illustris, & Magnifici Domini Felicis Kriski in Drobnin, Regni Poloniæ Supremi Cancellarii, Kovalen. Przedeten. Capitanei.

CCXXVIII. Anno 1617.

Formula Regiminis, & Judiciorum in Ducatu Curlandiæ, & Semigalliæ per Commissarios a Sacra Regia Maiestate, & ab Ordinibus Regni, ac Magni Ducatus Litvaniæ designatos, Mitaviæ, die 18. Martii, Anno 1617. *constituta, & promulgata. Ex Archivo Regni.* Lib. 169. sub Lit. S. P. n. 170. fol. 140.

Joannes Casimirus *DEI Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, Smolenscіæ, Czernichoviæque, nec non Svecorum, Gothorum, Vandalorumque Hæreditarius Rex. Significamus præsentibus Literis nostris quorum interest, universis & singulis. Oblatas esse ad Acta Metrices Regni Cancellariæ Maioris Literas papyraceas infrascriptas Originales, & Authenticas multa Folia in se habentes, manibus Illustrissimi, & Reverendissimi Joannis Kucborski Episcopi Culmensis, & Pomesaniæ, ac Magnificorum, & Generosorum Adami Talwois, Samogitiæ, Maximiliani Przerębski Zawichosten. Castellanorum, Andreæ Mleczko Judicis Terrestris Upitensis, Guilhelmi Kochański Secretarii Regii uti, & tanquam Commissariorum Regiorum Decreto Comitiali ad Ducatum Curlandiæ, & Semigalliæ Ordinandum, iuraque conscribenda designatorum subscriptas, & Sigillis eorundem propriis obsignatas, continentes in se Ordinationem, seu Formulam Regiminis, & Judiciorum in eodem Ducatu Curlandiæ, Semigalliæque concluſam, & constitutam, vetustas, quidem, evidentes tamen, & reales, nulli suspicioni obnoxias, ob periculum deperditionis seu amissionis, propter maiorem securitatem ad Acta hæc porrectas, quarum series sequitur talis.*

Nos Joannes Kucborski, Dei & Apostolicae Sedis Gratia Episcopus Culmensis, & Pomesaniae, Adamus Talwois, Samogitiæ, Maximilianus Przerębski Zawichosten. Castellani, Capitaneus Petricovienſis, Andreas Mleczko Judex Terrestris Upitensis, Gvilhelmus Kochański Sacrae Regiae Maiestatis Secretarius, Sereniſſimi & Potentiſſimi Principis ac Domini Domini Sigismundi III. Dei Gratia Regis Poloniæ, Magni Ducis Litvaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Livoniæque, &c. nec non Svecorum, Gottorum, Vandalorumque hæreditarii Regis Domini noſtri Clementiſſimi, Ordinumque Regni Poloniae ac Magni Ducatus

ANNO 1617. tus Litvaniae, in Ducatum Curlandiae, & Semigalliae, Diſtrictumque Piltenſem plena cum poteſtate ablegati Commiſſarii.

Significamus præſentibus Literis noſtris quorum intereſt, univerſis, & ſingulis. Cum a Sacra Regia Maieſtate Domino noſtro Clementiſſimo, Decretoque Comitiali, id muneris impoſitum, iniunctumque Nobis eſſet, ut in Ducatum Curlandiæ, & Semigalliae, Diſtrictumque Piltenſem, graviſſimorum negotiorum obeundorum cauſa Nos conferremus, pro noſtra erga Sacram Regiam Maieſtatem, Dominum noſtrum Clementiſſimum, & Rempublicam fide, & officio, prompte muneris illius exequendi curam Nos ſuſcepiſſe. Cum itaque Mitaviam locum Commiſſioni peragendae a Sacra Regia Maieſtate conſtitutum perveniſſemus, die VI. Menſis Februar certiore prius reddito Illuſtri Principe Friderico, univerſaque Nobilitate Curlandica, & Semigallica, quae eodem Mandato Sacræ Regiæ Maieſtatis præmonita iam convenerat, de initio Commiſſionis tum a Nobis faciendo, matutino tempore in Curia Civitatis convenimus, conſeſſumque fecimus. Quo cum & miſſi ab Illuſtri Principe Friderico, cum ipſa Illuſtritas ſua incommodiore tum valetudine eſſet, Conſiliarii, Perſonam Illuſtritatis ſuae ad eum actum referentes, & Nobilitas frequentiſſima, Marſchalcum agente Generoſo Otthone Grotthauſen, conveniſſent, recitatis prius, lectisque publice Sacrae Regiae Maieſtatis fidei Literis hoc exemplo.

SIGISMUNDUS III. Dei Gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Litvaniae, &c. Illuſtri Principi Friderico Curlandiae, & Semigalliae Duci ſincere Nobis dilecto, totique Nobilitati eiusdem Ducatus, tum etiam Diſtrictus Piltenſis Gratiam noſtram Regiam. Illuſtris Princeps, ſincere Nobis Dilecte. Mittimus in Curlandiae, & Semigalliae Ducatum, Diſtrictumque Piltenſem, Reverendum in Chriſto Patrem Dominum Joannem Kucborſki Epiſcopum Culmenſem, Magnificos, & Generoſos Adamum Talwois Samogitiae, Maximilianum Przerębſki Zawichoſtenſem, Caſtellanos, Petricovienſem, Matthiam Smogolecki Bidgoſtienſem Capitaneos, Generoſos Andream Mleczko Judicem Diſtrictus Upitenſis, Gvilhelmum Kochańſki Secretarium noſtrum, Commiſsarios noſtros, authoritate Comitiali a Nobis deſtinatos, qui ſive omnes, ſive ad minimum tres eorum, pro die ſexta Menſis Februarii Mitaviam locum obeundae Commiſſioni præfixum convenient, Decretaque noſtra, & alia ex præſcripto Commiſſionis noſtræ, plena cum poteſtate exequentur, iis Sinceritas Veſtra hæc noſtro nomine exponentibus, integram fidem adhibebit, atque in omnibus authoritati, atque ordinationi eorum morem geret, pro Gratia noſtra, debitoque officii ſui. Nobilitati vero, ne ſecus fecerit, ſerio præcipimus. Datum Varſaviæ die XVIII. Menſis Januarii, anno Domini MDCXVII. Regnorum noſtrorum Poloniae XXX. Sveciae vero, XXIV. ANNO 1617.

SIGISMUNDUS *Rex.*

Jacobus Ladzik.

Tum & alteris univerſalibus, hoc exemplo. SIGISMUNDUS III. Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, &c. Vniverſis, & ſingulis cuiuscunque Status, & Conditionis Ducatus Curlandiae, & Semigalliae, Generoſis, Nobilibus, Spectabilibus, Famatis, Fidelibus Nobis dilectis Gratiam noſtram Regiam. Generoſi, Nobiles, Spectabiles, ac Famati Fideles Nobis dilecti. Quod Nos in proxime præteritis Regni noſtri Comitiis Reſponſis noſtris Fidelitatum Veſtrarum Nuntiis eo nomine datis, facturos recepimus, id nunc præſtamus, mittimusque in Curlandiae, & Semigalliae Ducatum Commiſsarios noſtros, Reverendum in Chriſto Patrem Dominum Joannem Kucborſki Epiſcopum Culmenſem, Magnificos, & Generoſos Adamum Talwois Samogitiae, Maximilianum Przerębſki Zawichoſtenſem Caſtellanos, Matthiam Smogolecki Capitaneum Bidgoſtienſem, Andream Mleczko Judicem Diſtrictus Upitenſis, Gvilhelmum Kochańſki Secretarium noſtrum, qui Decreta noſtra, inter Illuſtres Fridericum quidem Curlandiae, et Semigalliæ Ducem, Partibus invicem diſceptantibus, Ducem vero Vilhelmum, attenta illius contumacia, ex una, et Jnſtigatorem Regni noſtri ex altera Partibus lata, debite exequantur, gravamina Fidelitatum Veſtrarum cognoſcant, controverſias ſopiant, rationesque memorati Ducatus ad veterem normam, et primævae ſubiectionis Pacta, a quibus præteritis temporibus receſſum eſt, conſtituant. Quare ut Fidelitates Veſtræ pro die ſexta Menſis Februarii huius inſtantis anni Mitaviæ loco obeundæ Commiſſionis a Nobis præfixo conveniant, modeſteq; & pacate ea, quæ a Commiſſariis noſtris Nomine noſtro Fidelitatibus Veſtris proponentur, excipiant, atque debitum honorem, & obedientiam in rebus Commiſſionem hanc concernentibus iis præſtent; præſentium vi-

ANNO 1617. gore hortamur, mandamusque. Quibus de cætero Gratiam, & Clementiam noſtram Regiam benigne deferimus. Datum ut ſupra.

SIGISMUNDUS. *Rex*
Staniſlaus Lubienſki &c.

Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus Dominus Epiſcopus Culmenſis de tota Commiſſionis inſtituendæ ratione in hanc ſententiam ſermonem habuit: Re ipſa animadvertimus, innotuiſſe Generalem Conventum hic Mittaviæ, per Sacram Regiam Maieſtatem, Dominum noſtrum Clementiſſimum pro iure ſupremi, & directi Dominii Curlandiæ, & Semigalliæ Incolis rite pro die hodierna indictum, innotuiſſe noſtram quoque Commiſſionem Authoritate eiusdem Sacræ Regiæ Maieſtatis, & Comitiali, per Nos eodem loco obeundam. Adeſſe enim hic videmus Delegatos Illuſtris Ducis Friderici, ipſo incommoda valetudine, uti aſſeritur, affecto, adeſſe & frequentem Nobilitatem, eo procul dubio fine, ut cuncti pro debito Officii ſui Nobis, tanquam Regiæ Maieſtatis, atque adeo Comitialibus Commiſſariis pareant, eaque omnia, quæ per Nos pro bono communi huius Ducatus agenda ſunt, amplectantur. Aggredimur Nos quoque alacri animo munus Nobis iniunctum, eo vel maxime voto, ut totum id, quod gerendum eſt, cedat in Maiorem Dei Gloriam, pacis, & tranquillitatis, atque adeo Supremæ Sacræ Regiæ Maieſtatis, ac Reipublicæ poteſtatis in hoc Ducatu ſtabilimentum. Quibus igitur ex cauſis, & rationibus Sacra Regia Maieſtas, Dominus noſter Clementiſſimus ex Ampliſſimi Senatus ſui ſententia, atque adeo præteritorum Comitiorum Decreto, Nos plena cum poteſtate hic ablegaverit, etſi cuivis abunde liquere putamus, Nobis tamen ea omnia paucis ad præſens perſtringere non abs re videbitur. Animadvertebat Sacra Regia Maieſtas Dominus noſter Clementiſſimus, non ſine gravi ſuo dolore, pro eo, quo erga ſuos ſubditos plane paterno fertur affectu, Ducatum hunc non tantum civilibus concuti diſſenſionibus, abire in partes eius Cives, Principum eius a ſubditis, ſubditorum a Principibus animos alienari, verum etiam Jura ſui ſupremi, directique Dominii ab illis, a quibus ſumma fides ſibi merito debebatur, minus obſervari, & coli, indeque manifeſtam huic Provinciæ pullulare ad ruinam, & interitum eius occaſionem. Concordia enim parvas res creſcere, diſcordia vero vel maximas dilabi, in comperto eſt; cui malo, ut pro ſua paterna ſollicitudine occurreret, illud ſibi omnino agendum, ſummoque conatu providendum exiſtimavit, ut ſua cuique pax, & tranquillitas, illibatus ſtatus, & dignitas conſtaret, unicuique ſuæ libertates, & iura ſarta tecta eſſent, & Privilegia ab iis, quorum id officio incumbebat, ſervarentur, & manutenerentur. Atque hæc omnia Sacram Regiam Maieſtatem ſollicite, vigilanterque præſtitiſſe, teſtantur tot eius in Ducatum hunc ad Principes Mandata, tot inhibitiones, exemptiones, Salvi Conductus, Commiſſiones, atque adeo Conventus eo nomine indicti, ut lenta hac, tempeſtivaq; mali publici curatione, tanquam mitiori remedio eidem provideret Ducatui. Verum cum in eo votis, conatibusq; ſuis eventum rei minime reſpondere animadverteret, quinimo mala Nobilitatis augeri, Magiſtratusque ſui exacerbationem contra eam invaleſcere audiret, afflictorum tandem precibus fortunam ſuam adverſam deplorantium, gravatorumque, & oppreſſorum querelis cedere, auresque ſuas benigniſſimas arrigendas eſſe iudicavit, omniaque hæc ſub cenſuram Senatus ſui Ampliſſimi, in binis proxime præteritis, ac immediate ſeſe ſequentibus Comitiis proponenda duxit, ubi claris, & apertis documentis per Inſtigatorem Regni deductum, Parte altera fruſtra replicante, fuit, multa a Curlandiæ, & Semigalliæ Principibus contra legitimam, Pactisque Conventis circumſcriptam, & determinatam Jurisdictionem in hunc Ducatum invecta eſſe, Regimen videlicet *D*ucale ſine certis legibus, & iudiciis exercitum, diviſionem Jurisdictionis in eo factam, Appellationem ad Sacram Regiam Maieſtatem Incolis eius ſub pœnis prohibitam, variis Receſſibus pacta, conventaque publica retractata, verum Dominia in novas formas transmutata, homagia ſolis Regibus, ſummisque Principibus debita, a Nobilibus exacta, poteſtas in vitam, & fortunas eorundem abſolute uſurpata, ſublato Regio Judicio Parium Curiæ inſtitutum, Decreta, Mandata, Salvi Conductus, Exemptiones Regiæ violatæ, Inhibitiones vilipenſæ, Regiæ Maieſtatis *C*ommiſſarii, & Miniſtri contumeliis affecti, ac per ſummam atrocitatem trucidati, & quod cardo, & caput horum omnium eſt, publicum Religionis *C*atholicæ, iuxta præſcriptum Romanæ, eiusdemq; Univerſalis Eccleſiæ exercitium penitus excluſum, & temere prohibitum; cum tamen nemo avitæ, priſcæq; Religionis nomine turbari, premive, nemo ullam vim, iniuriam, contumeliam, moleſtiamve perferre, perpetique debuit; quod enim ſuis antiquiſſimis Fundatio-

ANNO 1617.

ANNO 1617. dationibus, & Privilegiis, in hac Provincia, atque adeo Ducatu hoc Curlandiæ, & Semigalliæ constabat, violari nequaquam potuit, prout nec unquam violatum fuit. Hæc igitur, & alia, cum a primævæ huius Ducatus subiectionis Divo SIGISMUNDO AUGUSTO delatæ forma, Pactisque Conventis, atque adeo eius Principum Investituris deflexisse, ac exorbitare visa sunt, in causas, & rationes illarum omnium Sacra Regia Maiestas cum suo Amplissimo Senatu sub Regni Generalibus proxime præteritis, ut dictum est, Comitiis, sibi inspiciendum existimavit, eaque omnia ex gravissimi Senatus sui consilio instauranda, & determinanda, Decretis suis Comitialibus rite, legitimeque censuit. Ad quae iuxta præscriptum instructionis suae exequenda, cum Nos in *D*ucatum hunc ampla, & plena cum potestate ablegaverit, Nos pro debito nostro in Sacram Regiam Maiestatem cultu, & observantia, proque singulari in publicam tranquillitatem Patriae studio, eximioque salutis Ducatus huius desiderio, munus Nobis iniunctum sedulo adimplere prompti, paratique adsumus; quod fundata iam iurisdictione nostra Commissoriali a primo Decreti contra Illustrem Principem Fridericum lati puncto, videlicet examine Recessuum ordiri, in Dei Nomine constitutum iter habemus. *C*aetera deinceps iuxta modum praefatis Comitialibus Decretis, atque adeo instructionis Sacrae Regiae Maiestatis Nobis praescriptum, ordine pro rei, ac temporis exigentia prosecuturi, debitaeque executioni mandaturi.

Iurisdictione itaq; nostra Commissoriali fundata, atque ad notitiam omnium deducta, & commemorati Consiliarii Illustris Principis sui nomine, & Nobilitas universa, per Mareschalcum suum, gratiis prius utrinque Sacrae Regiae Maiestati pro paterna erga se, rationesque suas sollicitudine, & clementia humillime actis, *C*ommissioni se submiserunt.

Postero die venit in consessum nostrum Illustris Princeps Fridericus, contestatusque fidem, & officium suum erga Sacram Regiam Maiestatem, & Rempublicam, Iurisdictionem nostram Commissorialem prompte amplexus est.

His itaque Commissionis fundamentis iactis, secundum Instructionis Sacrae Regiae Maiestatis Nobis datae praescriptum, primum omnium ad Decreti Comitialis contra Illustrem Principem Fridericum lati executionem, atq; adeo ad primum illius punctum, examen nimirum Recessuum, qui cum primae subiectionis Provinciae huius Pactis pugnarent, accepto prius a Consiliariis Illustris Principis Friderici Mandato procuratorio, hoc exemplo: Nos Fridericus Dei Gratia in Livonia Curlandiae, & Semigalliae Dux. Significamus tenore praesentium, quorum interest universis, & singulis. Quod cum Sacra, & Sereniſſima Regia Maiestas, *D*ominus noster Clementissimus, certos suos Commissarios, nempe Reverendissimum, Illustrissimos, & Magnificos *D*ominos, Ioannem Kuchorski Episcopum Culmensem, Adamum Talwois Samogitiae, Maximilianum Przerębzki Zawichostensem Castellanos, Andream Mleczko Iudicem Districtus Upitensis, & Guilhelmum Kochanski Suae Maiestatis Secretarium huc Mittaviam ablegarit, qui Decretum inter Nos, & Regni Instigatorem in nuperrimis *C*omitiis latum, & alia ex praescripto eiusdem Sacrae Regiae Maiestatis Commissionis exequerentur. Nos Generosos, et Nobiles *C*onsiliarios nostros, Mathiam de Reck in Newenburg Militiae Supremum, Michaelem Manteuffel Cancellarium, Henricum Berg, Ottonem a Menden in Karenberg Capitaneum Dalensem, et Gasparum Dreling I. U. D. in plenissima, et optima iuris forma, qua id rectissime, et efficacissime fieri potest, ac debet, legitime constituerimus, et ordinaverimus, prout praesentibus constituimus, et ordinamus veros, et indubitatos Mandatarios suos, dando iisdem Plenipotentiam coram Dominis Regiis Commissariis, in causis Decreto isto Comitiali comprehensis, omnia, et singula secundum tenorem Investiturae nostrae, a quibus minime recedent, agendi, constituendi, faciendi, et expediendi. Et si quid ulterioris facultatis, quam in hoc Instrumento continetur, necessarium videbitur, id ad Relationem illorum ipsis dabimus. In quorum omnium fidem Plenipotentiam hanc manu nostra subscripsimus, Sigilloque nostro communiri fecimus Datae Mittaviae 28. Ianuarii Anno Domini 1617. ANNO 1617.

FRIDERICUS. *mppr.*

Quorum Recessuum nomine cum Nobilitatem cum Consiliariis Illustris Principis Friderici, ipsa Illustritate sua tum praesente, coram Nobis disceptantem audivissemus, re postmodum inter Nos deliberata, sententiisque nostris explicatis, earundem tamen promulgationem certas ob causas, non nihil suspendendam, putavimus. Hic reliquis Instructionis nostrae Punctis peragendis intenti, cum prospiceremus animo, negotium recipiendarum Arcium, a Praefectis Ducis Vilhelmi, Ducatusque Curlandiae non adeo

ANNO 1617. brevi temporis ſpatio tranſigi poſſe, adiectis eam ad rem animis, & ſtudiis noſtris, habitaque deliberatione diligenti, Generoſum Andream Mleczko Judicem Terreſtrem Upitenſem, Collegam noſtrum, Literis noſtris univerſalibus, iuſtoque comitatu inſtructum, expediendum eo nomine Nobis quam primum putavimus. Cum vero eum in caſum, ſi Præfecti Ducis Vilhelmi, repetentibus Nobis in fidem, & nomen Sacræ Regiæ Maieſtatis, & Reipublicæ Arces, non obtemperarent, ex præſcripto Mandatorum noſtrorum, requirendum Nobis ad coërcendos eosdem rebelles Illuſtrem Principem Fridericum videremus, miſſi e medio noſtri, Magnifici Samogitiæ, & Zawichoſtenſis Caſtellani, ad Illuſtrem Principem; qui ſignificarent Illuſtritati ipſius, expediri a Nobis Collegam noſtrum, Mandato Sacræ Regiæ Maieſtatis, repetitum a Præfectis Vilhelmi Arces, Curlandiæque Ducatum, poſtularentque, ut ſi forte, quod abſit, non parerent Mandatis Sacrae Regiae Maieſtatis in tradendis Arcibus Præfecti Ducis Vilhelmi, ad executionem eo nomine faciendam quamprimum ſe pararet: Tum Illuſtris Princeps ſumpto in diem craſtinum ea de re deliberandi ſpatio, in ſequenti die per Conſiliarios ſuos a Nobis maiorem in modum petiit, daremus Illuſtritati ſuae ſex dierum dilationem, velle ſe Conſiliarios ſuos ad Fratrem mittere, ſperareque ſe, fraterna, & amica perſvaſione ad Officium, parendumque Sacræ Regiæ Maieſtati adducturum Fratrem. Fecit ſimul & Nobis per eosdem Conſiliarios ſuos ſpem, ſi renueret Frater, non defuturum ſe mandatis Sacræ Regiæ Maieſtatis. Datum a Nobis Illuſtritati ipſius ad negotium illud obeundum, quod petierat, ſex dierum ſpatium, quo elapſo reverſi Conſiliarii Illuſtris Principis Friderici nomine, porrigunt Nobis, ad requiſitionem Illuſtris Principis ſui, a Duce Vilhelmo datum Reſponſum ſcripto comprehenſum.

Quo Reſponſo cum minime ſatisfaceret Nobis, in poſterum diem collocuturi ea de re uberius cum Illuſtritate ſua, Illuſtrem Principem Fridericum in conſeſſum noſtrum evocavimus.

Quo cum veniſſet cum Conſiliariis ſuis, expoſuimus, deſiderare Nos non pauca in eo Illuſtritatis ſuæ Fratris Vilhelmi Reſponſo, apparere enim ex eo, in manus duntaxat Illuſtris Principis Friderici, non in manus, & fidem Sacræ Regiæ Maieſtatis, & Reipublicæ tradere Ducem Vilhelmum Nobilitatem, & Territorium Curlandicum velle, atque ipſum Territorii vocabulum, dubium Nobis & perplexum, atque ita ſtudio forte ad excludendas arces poſitum videri. Poſtulatum itaque a Nobis, apertius mentem, & voluntatem ſuam explicaret Illuſtritas ſua, num requiſitioni noſtræ, Mandatisque Sacræ Regiæ Maieſtatis parere vellet. Quod ut prompte, ſerioque facere in animum ſuum induceret, diligenter hortabamur, propoſito illi etiam exemplo Auguſti Electoris, & Joannis Vilhelmi Ducis Saxoniæ, quorum alter contra Patruelem, alter contra Germanum Fratrem Joannem Fridericum Saxoniæ Ducem proſcriptum, eodem, Gotha expugnata, capto, perpetuisque carceribus tradito, Mandato Maximiliani Imperatoris, executionem fecerunt. Sumpto tum quoque ad conferendum eo nomine cum Conſiliariis ſuis ſpatio, redeunt die poſtero ad Nos Conſiliarii eiusdem Illuſtris Principis Friderici, traduntque Nobis Illuſtritatis ſuæ nomine ſcriptum, ex quo fluctuans magis Principis, quam certus executionis contra Fratrem Vilhelmum, Præfectosque ipſius faciendæ apparebat animus. Eo quoque Reſponſo minime a Nobis admiſſo, cum ſerius denuo Officii erga Sacram Regiam Maieſtatem, Regnumque Poloniæ, & Magnum Ducatum Litvaniae Illuſtrem Principem Fridericum admoneremus, ſimulque gravia incommoda, ſi deeſſet hac in parte officio ſuo, ob oculos proponeremus, deventum eo per multas controverſias, ut declararent ſe Nobis Illuſtris Principis ſui nomine Conſiliarii, recepturam Illuſtritatem ſuam, præſente Nuntio noſtro, in fidem Sacræ Regiæ Maieſtatis, & Reipublicæ, & ſuam a Fratre Vilhelmo, Præfectisque ipſius, Arces, Ducatumq; univerſum Curlandiae, modo ſibi obtinendi illius ad proxime futura Regni Comitia facultas a Nobis præſtetur, ubi, ſi Comitiali Decreto Ducatu illo Curlandiae abiudicaretur, Cautionem Illuſtritatis ſuæ offerebant, ipſam illius poſſeſſione prompte ceſſuram. ANNO 1617.

Qua in re cum nihil a Nobis præter praeſcriptum Mandatorum noſtrorum tribui Illuſtritati ipſius poſſe affirmaremus, datum id petitioni Illuſtris Principis, ut eam rem ad Sacram Regiam Maieſtatem referremus, a Maieſtateque ſua eo nomine reſolutionem expectaremus.

Acceptam itaque ſuper ea re cautionem Illuſtris Principis Friderici, manu Illuſtritatis ipſius ſubſcriptam, & Sigillo conſignatam, una cum Literis noſtris, ad Sacram Regiam Maieſtatem transmiſimus hoc exemplo.

Re-

ANNO 1617. *Reverendiſſime, Illuſtriſſimi, ac Magnifici Domini, Amici obſervandiſſimi*

Quod Reverendiſſima, Illuſtriſſimae, ac Magnificæ Dominationes Veſtræ a me poſtularunt, ut partem Ducatus Curlandiae, quam Frater meus Dux Vilhelmus hactenus pro diviſo mecum poſſedit, iuxta aſſertam Inſtructionem Reverendiſſimæ, Illuſtriſſimarum & Magnificarum Dominationum Veſtrarum, ad manus ipſarum tradam, ſatis mecum perpendi. Ac principio cogitare poſſunt, quam gravis mihi ſit illa calamitas Fratris mei. Frater enim eſt, Sanguis eſt, pars Viſcerum meorum, quam ipſe amputare mihi debeo. Quis tam crudelis unquam fuit, ut in viſcera ſua graſſatus ſit, cœlum, & terra humeris meis impoſita videntur. Tamen quidquid ſit horum omnium, non minus mihi grave eſt, imo graviſſimum offendere Regem, & Dominum meum, quem non modo, ut ſummum Magiſtratum, & unctum Divinæ Maieſtatis agnoſco, ſed velut alterum meum Parentem ſubmiſſe, & reverenter veneror. Ab hac parte Frater eſt, qui me excruciat, ab illa Rex meus, & Pater meus. Quid agam? vitam, & ſanguinem meum fundere pro Maieſtate ſua me debere ſcio, verum etiam hoc facere ſum paratus. Nec me verba dare ſciunt, facta mea pro me teſtificantur. Itaque ad poſtulatum, ut accedam, vitio haud mihi dabunt, ſi pro me in his meis ærumnis, quod res eſt, loquar. Decretum Sacræ Regiæ Maieſtatis apud me ſacroſanctum eſt, illud attenta Fratris Vilhelmi contumacia, me totaliter circa feudum vigore Inveſtituræ in ſolidum a me cum Fratre, ſineque diſmembratione poſſeſſum benigne conſervat. Oraculum hoc eſt Maieſtatis ſuae, & Senatorum omnium. Secuta eſt alia mens & requiſitio Reverendiſſimae, Illuſtriſſimarum, & Magnificarum Dominationum Veſtrarum, quam præſcripto Inſtructionis inniti aſſerunt, & quæ partem per Decretum non ademptam, ob factam eius cum Fratre communicationem adimere mihi vult. Abſit, ut Maieſtatis ſuæ Decreta violem, abſit ut Maieſtatem eius, quovis, vel minimo modo offendam, Sacroſancta eſt eius Maieſtas in oculis meis, imo in corde meo. Fieri autem non poteſt, ut hoc ægre ferat Sacra Regia Maieſtas Dominus meus Clementiſſimus, tam manſvetus, & mitiſſimus Rex, & Princeps, ſi ego obſequentiſſimus Vaſallus Princeps, pro iure meo, quod mihi neceſſarium eſt, in medium proferam. Hoc igitur pro me affero, iniquo animo non ſuſcipiant, ſed pro me potius Maieſtatem eius benigniſſime flectant. Si a Fratre meo peccatum eſt, nunquid hoc meum eſt? video eſſe facta, quae fieri minime debebant. Ego vero nec partem habeo ullam eius peccati, imo nec unciam quidem: cuius rei teſtis eſt, omnium mentium, atque cordium ſcrutator, id quod hiſce teſtificor, ut facere ſum viſus. Ne Frater pro Fratre, ne Filius pro Patre, divini, humanique iuris regula eſt. Ego noxæ neſcius, Fratris noxam portabo? nunquid id faciet Sanctiſſimus Rex meus, & Pater meus, & Dominus meus, ut me in his ærumnis meis, quas Fratris mei nomine excepi, in hac afflicta valetudine mea, me magis affligi velit? Auguſtus Cæſar, Maximus Princeps, Cecinnæ hoſti ſuo pepercit, nunquid Rex meus Chriſtianus, longe beatior Auguſto, mihi fideliſſimo, & obſequentiſſimo Principi, Vaſalloque ſuo, in innocentia mea non parceret, atque conſervaret. Si Sacra Regia Maieſtas partem illam vel potius particulam Tractus Curlandici requirat, minor ſum, quam ut illi reſiſtam, qui Rex meus, qui Dominus meus eſt, cui quoque, ſi maiora a me poſtularet, non repugnarem. Deum autem oro, Maieſtatis ipſius mentem benigniſſime flectat, Veſtras quoque Reverendiſſimam, Illuſtriſſimas, & Magnificas Dominationes ita regat, ut ea, quæ iuſta ſunt, faciant, & in ærumnis meis humaniter mecum compatiantur. Ego interim Decreti ſenſu humillime innitens, paratus ſum Ditiones a Fratre Vilhelmo hactenus Feudi iure retentas, omnes, atque ſingulas, in meam poteſtatem, atque poſſeſſionem recipere, & absque ſimulatione ulla repetere, receptis Arcibus indigenas benemeritos præficere, atque non capaces, ſi qui tales fuerint, removere. Inſuper ut in data mihi ſub ſuperioritate Sacræ Regiæ Maieſtatis fide maneant, ſtrenue curare, peregrinorum vero loco, alii Præfecturarum capaces ſubſtituti, ut eadem iurisiurandi fide mihi ſub directa Sacrae Regiae Maieſtatis poteſtate obligentur, meliori modo providere. Denique de humillima ſubmiſſione mea Sacra Regia Maieſtas nihil dubitet, hoc etiam ſpondeo, fideliſque Vaſalli Principis verbo promitto, quod de hac occupanda Curlandici Tractus poſſeſſione, mihi pro iure meo benigniſſime per Decretum Sacræ Regiæ Maieſtatis Comitiale, conſervata, futuram, atque Generalem Comitiorum Sacrae Regiae Maieſtatis declarationem lubentiſſime expectabo, quæ etſi voto & deſiderio meo non reſponderit, de quo ego tamen ſpem firmam in providentia Divina, & clementia, iuſtitiaque S. R. Maieſtatis toto orbe

ANNO 1617.

ANNO 1617. celebratiſſima ponens, conſcius quoque integerrimæ meæ erga Sacram Regiam Maieſtatem, ac univerſam Rempublicam fidei, non dubito, nihilominus in omnibus Voluntati, & Decreto Sacræ Regiæ Maieſtatis Comitiali ſine quavis tergiverſatione parere debebo. Quam ſubmiſſam voluntatem, & obſequia mea Sacræ Regiæ Maieſtati, Domino meo Clementiſſimo, Reverendiſſimam, & Illuſtriſſimas, Magnificas Dominationes Veſtras, pro ſua in me propenſione diligentiſſime commendaturas firmiter confido. Datum Mittaviæ 13. Februarii An. 1617.

FRIDERICUS. *mppr.*

Interim quantum Nobis vel ab his, vel a gravioribus adminiſtrationis huius Provinciæ conſtituendæ curis, & negotiis vacui temporis dabatur; id ad congnoſcendas, ſecundum præſcriptum Inſtructionis noſtræ, & definiendas ſententiis noſtris Nobilium cauſas, ſive eorundem inter ſe, ſive cum Illuſtri Principe Friderico contulimus. Editæ tum quoque in nonnullos, qui rei, & conſcii cædis Noldiorum arguebantur, partim abſentes privatæ, partim profugos publicæ, locisque publicis affixæ Citationes, illisque contumaciter Judicio noſtro ſe non ſiſtentibus, proſcriptionis, & infamiæ pœnæ irrogatæ. In conſeſſu quoque noſtro commiſſoriali, frequentiaque magna Nobilitatis proclamatum, ut ſi quis reum, aut conſcium cædis Noldiorum ſciret, eum ederet, aut citaret, iuſtitiam eo nomine a Nobis adminiſtratum iri. Cæterum cum in omni cauſa, & negotio, quod coram Nobis ageretur, acerbius diſceptaret Nobilitas cum Illuſtri Principe Friderico, Conſiliariisque ipſius, conſilio, & interventu nonnullorum e medio noſtri, aliorumque tentata, adeoque pluribus vicibus repetita eſt reconciliatio, & compoſitio Nobilitatis cum Illuſtri Principe Friderico, quæ tandem convenit inter illos his conditionibus, ut Illuſtris Princeps Fridericus Decretis Sacræ Regiæ Maieſtatis per omnia ſatisfaciat: a Fratre Guilhelmo deſiſtat: Receſſus abroget, cum Creditoribus Fratris Guilhelmi bonis modis componat, gravamina omnia, & ſingula tollat, Formulam Regiminis cum Sacræ Regiæ Maieſtatis Commiſſariis conſtituat, Amniſtiam ſanciat.

Porro cum inter alia Commiſſionis noſtræ negotia illud quoque Nobis iniunctum eſſet, ut Jura, & Leges, certamque rationem, & formam, qua & Ducatus hic recte, & ordine regi, & gubernari, & iuſtitia eis, quorum intereſt, adminiſtrari poſſit, authoritate noſtra Commiſſoriali præſcriberemus, conſtitueremusque. Nos id ipſum æqua, ac diligenti tum primorum Pactorum, quibus hæc Provincia Regno, Magnoque Ducatui Litvaniæ adiuncta eſt, tum Decretorum Comitialium, Inſtructionisque noſtræ ratione habita, re cum Illuſtri Principe Friderico, in Livonia Curlandiæ, & Semigalliæ Duce, atque cum Nobilitate univerſa communicata, in hunc, qui ſequitur, modum explicavimus, ſancivimusque, ac uſu inpoſterum frequentandum promulgavimus. ANNO 1617.

I, Inprimis ſub Regimine Illuſtris Curlandiæ, & Semigalliæ Ducis, ſupremi Conſiliarii, & Aſſeſſores ſint hi: Landt-Hoffmeiſter, Cancellarius, Burgrabius, & Landt-Mareſchalcus, omnes quatuor Nobiles, Indigenæ, beneque poſſeſſionati, cum duobus Doctoribus Juriſconſultis, Nobilibus itidem, ſi haberi poſſint, vel iis deficientibus, ex Civico Statu.

II. Cancellarius ſit Vir doctus, atque ad obeundum, ſuſtinendumque illud munus idoneus, cui defuncto ex Maioribus, Minoribusque Capitaneis, vel reliqua etiam Nobilitate, ubi nimirum Vir gerendo muneri par inveniri poſſit, ſubſtitui a Principe debet.

III. Nomine autem Indigenarum etiam Poloni, & Litvani Nobiles in Curlandiæ, & Semigalliæ Ducatu bene poſſeſſionati comprehendantur.

IV. Principem ſi abeſſe a Ducatu, vel minorennem, aut infirmum eſſe, vel etiam mori contigerit, præfati Conſiliarii Juriſdictionem, & Iudicia exercebunt, Mandata, & Sententias, aliaque omnia adminiſtrationis munia Principis nomine, quamdiu in vivis erit, expedient, ac promulgabunt, atque hæc Jurisdictio eorum etiam mortuo Principe indiviſa, atque in ſolidum cenſeri debebit, ut uno, pluribusve eorum defunctis, reliqui munere ſuo plene fungantur. Jure tamen Sacræ Regiæ Maieſtatis, ac Reipublicæ per omnia, & in omnibus ſalvo.

V. Secundum hos Conſiliarios, Aſſeſſores proximo loco in Ducatu ſint Capitanei maiores quatuor, duo in Semigallia, Selburgenſis, & Mittavienſis, etſi Regia Maieſtas, ac Reſpublica, Ducatus quoque Curlandici partem ſub unius, eiusdemq; Principis regimine eſſe voluerint; in Curlandia totidem: Goldingenſis, & Tukumenſis, qui & ipſi ex Indigenis, beneque poſſeſſionatis a Principe eligantur, ex quorum quatuor Capitaneorum numero, ſi quis ex Conſiliariis præfatis ſupremis deceſſerit, alius in locum defuncti a Principe ſurrogetur.

VI.

ANNO 1617.

VI. Hi autem Capitanei Maiores quatuor ſingulis Nobilibus, & ignobilibus in Diſtrictibus, quorum iurisdictio illis attribuetur, in cauſis primæ Inſtantiæ, adhibitis Aſſeſſoribus, quos habere poterint, ius dicent, Selburgenſis nempe Selburgenſibus, Duneburgenſibus, & Aſcheratenſibus, Mittavienſis Mittavienſibus, Bauſchenburgenſibus, Nechogutenſibus, Ekavienſibus, Baldonenſibus, Seſſavienſibus, Grentſchomenſibus, Doblenenſibus: Goldingenſis Goldingenſibus, Windavienſibus, Alſwangenſibus, Haſenpotenſibus, Durbenſibus: Tukumenſis autem Tukumenſibus, Candovienſibus, Sabelenſibus, Talſenſibus, & Aucenſibus.

VII. Quibus quidem Capitaneis maioribus quatuor, ſive ii defuncti, ſive in locum Conſiliariorum Principis defunctorum ſuffecti fuerint, ex Capitaneis Minoribus (quos Princeps voluerit) ſuccedant, neque vero quiſquam ſive Conſiliariorum, ſive Capitaneorum commemoratorum omnium, abſque gravi, & iuſta, legitimaque cauſa (de qua Princeps cum Conſiliariis, & quatuor Capitaneis Maioribus cognoſcet) loco movebitur, iſta autem cognitione facta removeri poterit.

VIII. Iudicia Capitaneorum Maiorum, quovis Anni tempore (ſolis diebus feſtivis exceptis) exercebuntur, ſalva iurisdictione Nobilium ſingulorum in territoriis, & fundis eorum, ſecundum Pacta illis competente.

IX. Ab hoc autem Iudicio Capitaneorum Appellationes ad Iudicium Principis Aulicum ſupra nominatorum Conſiliariorum interponantur.

X. Iudicia Aulica quotannis bis celebrentur, ſingula ſpatio ſeptimanarum quatuor, aut minori, ſi nimirum tanta frequentia cauſarum futura non ſit, circa Feſta trium Regum, & Trinitatis, a quibus Appellationes omnes indiſtincte in cauſis excedentibus ſummam ſexcentorum florenorum, & honorem concernentibus ad Regiam Maieſtatem deferantur, Partesque terminum ad proſequendam Appellationem ex lege hac habebunt Iudicii tempus, quod Pruthenicarum cauſarum cognitioni in Aula Regiæ Maieſtatis datum eſt, Menſium ſcilicet Martii, & Octobris, eædemque Appellationes ad Sacram Regiam Maieſtatem interpoſitæ, ad Iudicium Relationum Sacræ Regiæ Maieſtatis proprium praeterito Iudicio Aſſeſſoriali devolventur, atque ibidem iuxta leges, & conſvetudines Curlandicas determinabuntur.

XI. Literæ inhibitoriæ Proceſſus in Iudicio Principis pendentes, retardantes, vel cohibentes, ante interpoſitam Appellationem ex Cancellaria Sacræ Regiæ Maieſtatis non extradentur, impetratæ autem nec iuſtitiam remorari, nec Iudiciorum authoritatem ſiſtere, nec iudicata reſcindere poterunt, & impetrator earum amiſſione cauſae mulctari debebit. ANNO 1617.

XII. Nemo omnium ſive Nobilium, ſive Incolarum bonis ſuis ſine legitima cognitione, & iudicio privetur.

XIII. Magiſtratus omnes, & ſinguli Civitatum, & Oppidorum Decuriones, omnibus requirentibus iuſtitiam indilatam adminiſtrabunt, depactationesque ultra ſalaria aſſignata, aut ſportulas uſitatas a quopiam non exigent, ſub pœna reſtitutionis, & damni emergentis refuſione.

XIV. Proceſſus in omnibus Iudiciis ſive criminalibus, ſive civilibus inferioribus, ſive ſupremis ſummarius ſit, & oretenus omnia proponantur, non in ſcriptis, ſententiis vero Iudicum merita cauſarum, ut in Regno Poloniae moris eſt, inſerantur.

XV. Partibus tamen ſtatum cauſae ſuae pro informatione Iudicis breviſſime conſcriptum exhibere liberum erit.

XVI. Nobilium cauſae criminales a Iudicio Aulico Principis Conſiliariorum, adiunctis quatuor Capitaneis Maioribus determinentur, Appellatione ad Sacram Regiam Maieſtatem ſalva.

XVII. Exceptis tamen cauſis publicorum criminum, invaſionum, ſpolii, incendiorum, violentiae, defloration is, faeminarum raptus, depraedationum, homicidiorum ex dolo, atque inſidiis factorum, in quibus Appellationes non admittentur.

XVIII. Poſt Sententiam definitivam, ſive Iudicii Aulici Principis, ſive quatuor Capitaneorum, praeter Appellationem, nullum aliud beneficium parti gravatae contra ſententiam latam tribuetur, ſive ſit reſtitutionis, nullitatis, reviſionis, vel quodcunque, quo lites protrahantur, ſola declaratione ſententiae obſcure pronuntiatae excepta.

XIX. Si lis inter Principem, & Nobilem, ſive unum, ſive plures, de poſſeſſionibus, aliisque rebus orta fuerit, cauſa ea immediate coram Sacra Regia Maieſtate intentabitur.

XX. Quodſi etiam Sacra Regia Maieſtas, Succeſſoresque ipſius, quibusdam ex Ducatu Curlandiae, aut Semigalliae, ex cauſa iuſta ac legitima, fide publica cavendum, Salvumque Conductum tribuendum exiſtimaverint, illi pro iure Regiæ Maieſtatis in hunc Ducatum ſupremo,

ANNO 1617. premo, directoque Dominio, apud Illustrem Curlandiæ, & Semigalliæ Principem, Successoresque eius, sacrosancti semper erunt, ac esse debebunt.

XXI. Non dabuntur autem Salvi Conductus hominibus ullis facinorosis, sed tantum si quis ex siniſtra aliqua delatione offensionem Principis, Successorumque eius incurrerit, vel adversarii alicuius potentia prematur, aut aliqua alia iusta de causa, dignus præsidio, ac patrocinio Regiæ Maiestatis videatur, dabunturque tales conductus, non a iure, sed a vi tantum, & potentia, eatenus, ut qui eos impetraverit, iuri nihilominus se sistere, reique iudicatae parere teneatur, durante que Salvo Conductu, impetrator modeste se gerat, nullum iniuria afficiat, & publicum Salvum Conductum illum, ad notitiam omnium, maxime autem Magistratus, a quo vim veretur, adducat, iique ad sex tantum Mensium spatium dabuntur, intra quos Menses, & iure experiri, & alia sua negotia honesta gerere, administrareque, qui Salvum Conductum habuerit, possit, spatio autem, eo exacto, alium præter hunc impetrare ei liberum sit.

XXII. Frivole Principem aut Consiliarios ad Tribunal Regium citantes, aut pertrahentes, & a quibusvis aliis sententiis, sive ipsius Principis, sive Consiliariorum, sive aliorum inferiorum Judicum, temere appellantes, aut Principem suum, vel quoscunque alios sine causa apud Regiam Maiestatem traducentes, damna omnia, omnesque sumptus refundant, ac præterea iudicio Regiæ Maiestatis pro rei qualitate, arbitraria pœna puniantur.

XXIII. Executio rerum iudicatarum, ab Officialibus, & Magistratibus, in præiudicium eorum, quorum interest, non solum retardari non debet, verum unicuique vincenti, sive indigenae, sive extraneo, æquali modo administrabitur, idque sine omni protellatione, & mora, sub pœna refusionis damnorum omnium, totiusque eius, quod interierit, parti læsae restitutione.

XXIV. Executores negligentes pœna quinquaginta Hungaricalium, toties, quoties id commiserint puniantur, & partes executioni resistentes, pœna violatæ Pacis publicæ, irremisibiliter puniantur, a quibus pœnis nulla provocatio dabitur.

XXV. Mandata adversus Executionem obtenta, nullius valoris erunt, & qui ea impetraverint, mulcta viginti Hungaricalium, Magistratus autem, sive Executores talibus obtemperantes, quinquaginta Hungaricalium mulctentur.

XXVI. Conventus publici singulis bienniis Mitaviae celebrentur, ad quos singuli Districtus, postquam Articulos deliberatorios nacti fuerint, Nuntios suos cum sufficienti potestate ablegabunt. ANNO 1617.

XXVII. In quibus Conventibus nihil decernetur, quod Pactis subiectionis fundamentalibus, & Ducalibus Investituris, & huic Regiminis Formæ, aut Ordinationi sit contrarium, horum enim omnium æterna authoritas esse, & conservari debebit, salvis conventibus extraordinariis, in casu necessitatis ex legitima causa per Principem, communicato prius cum Consiliariis consilio celebrandis, si tamen Princeps eiusmodi Conventum indicere recusaverit, authoritate Regiae Maiestatis indicetur. Gravamina enim, iura huius Provinciae concernentia, re cum Consiliariis primum communicata, si Conventus haberi, vel impetrari a Principe non possit, vel extra Conventum ad Regiam Maiestatem deferre unicuique liberum erit. Quorum gravaminum (si causa, & ratio iusta, & necessaria postea deprehensa, iudicataque fuerit) deducendorum sumptus ex ærario Provinciali publico refundantur.

XXVIII. Liberum vero sit, esseque perpetuo debebit Dominis Consiliariis, cum ad hoc a Nobilitate requisiti fuerint, de iis, quæ leges, & privilegia Ducatus afficiunt, si forte aliqua in parte (quod absit) læsae fuerint, præmonere Principem, ut salvas habere velit, habeatque libertates, Privilegia & Jura omnium, & singulorum Incolarum huius Ducatus, qua ex admonitione nullam, qui eam interposuerint, indignationem, vel pœnam, vel contemptum, aut odium incurrant.

XXIX. In Conventibus illi tantum ad Consilia accedant, qui per leges, & consvetudines admittuntur, omnibus aliis, qui ius suffragiorum non habent, penitus exclusis.

XXX. Quibus autem hoc munus competit, ut de rebus communibus deliberent, mature, debitoque tempore adsint, modestissimeque se gerant, procul omni tumultu, armis item insolitis omnibus remotis.

XXXI. Ordine in dicendis sententiis observato, qui a Marescchalco, quem in singulis Conventibus eligent, constituetur, sententiae sint liberae, sed nonnisi Directoris iussu proferendae, vota non anticipanda, nec cuiquam præcidenda, is vero, qui ad prius dicta nihil habet, quod addat, aliorum sententiae non invitus subscribat.

XXXII. Vasallagium Principis quod attinet, cum eius quantitas, & qualitas

Lite-

ANNO 1617. Literis Inveſtiturae ſuæ Illuſtritatis, ad normam Ducum Pruſſiæ determinata ſit, huic Ordinationi Inveſtiturae Illuſtritatis ſuae Illuſtrem Principem Curlandiae, & Semigalliae, præſentem, & futuros Succeſſores ſtare debere omnino cenſemus.

XXXIII. Vaſallagium autem hoc, & ſervitia Equeſtria Nobilitatis, nonniſi commotione Regni, & Reipublicae præcedente, præſtabuntur, ſub pœna legibus Regni, de expeditione bellica ſancita, exceptis periculis repentine a quocunque finitimo huius Provinciae hoſte ingruentibus, quo caſu luſtrationes, & expeditiones bellicae, collato tamen cum Conſiliariis hac de re conſilio, a Principe decerni poterunt.

XXXIV. Servitia Nobilitatis a Principis Vaſallagio ſeiuncta, ſignis ſeparatis, ſub uno tamen Regimine, ductuque Principis expedientur, ad eamque æqualitatem deducantur, ut ex viginti unus, ſingulis ſinguli Equites boni, & idonei, quorum in prælio uſus eſſe poſſit, armis, aliisque omnibus rebus bene inſtructi ſiſtantur.

XXXV. Ad quorum uncorum reviſionem, ab ipſa Nobilitate quatuor Nobiles, & a Principe duo, ex Conſiliariis omnes ad hunc actum iurati deputentur

XXXVI. Præfecti militum ſervitii Nobilitatis ab ipſa Nobilitate nominentur, bini, ad ſingulas Præfecturas, ex quibus Princeps unum, quem probaverit, confirmabit, atque conſtituet.

XXXVII. Ærarium Provinciale Publicum inſtituatur, & certus contributionis modus, in quolibet Conventu publico ſtatuatur. In quo ſanciendo, pluralitas votorum concludet, cui ærario unus ex quatuor Capitaneis, duo ex Nobilitate præficientur.

XXXVIII. Titulum Nobilitatis convenientem *den Edlen* Illuſtris Princeps in Literis, aliisque Diplomatibus ſuis in poſterum tribuere ſeſe velle, ſponte ſua obtulit.

XXXIX. Modo inter eos, qui re vera Nobiles ſunt, & qui plebei, conſtituto iudicio Equeſtri, quod *Ritterbank* appellatur, diſcrimen fiat, quam in rem Nobilitas cum Principe conſenſit.

XL. Receſſus omnes (nullis exceptis) cum penitus ſublati, & ab Illuſtri Principe Friderico Nobilitati ſponte condonati, caſſatique ſint, Nos quoque ab examine illorum ſuperſedendum Nobis eſſe putavimus, ideoque omnes eos Receſſus tollimus, & abrogamus authoritate noſtra Commiſſoriali.

XLI. Ad oppignorationes in Semigallia a præfato Illuſtri Principe Friderico in Curiis, *Bershoff*, *Barbelen*, & *Ellern* factas, ſiquidem Domini Conſiliarii Illuſtris Principis, eas oppignorationes ex gravibus cauſis, partim perſolvendi æris alieni, temporibus belli pro defenſione Reipublicae, ab Illuſtri olim Parente Illuſtritatis ſuae contracti, cuius ſumma ſexaginta millia Florenorum excedit, partim propriorum debitorum nomine, in uſus publicos contractorum, profectas, atque Curias præfatas non magni momenti fundos eſſe, eliberationesque non difficulter fieri poſſe aſſererent. Ideo Nos huic declarationi illorum inhærentes, redemtiones Curiarum præfatarum (niſi forte moderni Poſſeſſores deſuper Sacræ Regiæ Maieſtatis approbationem impetrarint) faciendas eſſe ſtatuimus. ANNO 1617.

XLII. Gravamina omnia privata, tam in Semigallia, quam Curlandia, Deputatis ad hanc rem certis Conſiliariis Principis, atque e Nobilitate perſonis abolebantur.

XLIII. Cum Creditoribus quoque Fratris Illuſtris Princeps Fridericus iuxta pollicitationem, quam in Compoſitione cum Nobilitate fecit, ſi illam partem Ducatus a Sacra Regia Maieſtate conſecutus fuerit, bonis modis componet.

XLIV. Ante cætera vero omnia, hoc ſancimus, ut Catholicæ Religionis, æque ac Auguſtanæ ſolius Confeſſionis Pactis, primævae ſubiectionis permiſſæ, exercitium in hoc Ducatu Curlandiae, & Semigalliae liberum ſit, ſecundum præſcriptum Romanæ, eiusdemque Vniverſalis Eccleſiæ, Illuſtri Principe Friderico, univerſaque totius Ducatus Nobilitate ad ſeriam poſtulationem Sacrae Regiae Maieſtatis, eam in rem conſentiente, ut nimirum quilibet Nobilium in ſuis bonis Hæreditariis, Sacella, Oratoria pro cultu Divino privata, templaque ædificare, vel collapſa reſtaurare, Sacerdotesque Catholicos ad ſe accerſere, eorum miniſterio pro ſe, & familia, ſubditisque ſuis citra cuiusvis impedimentum, citraque coactionem utriusque Religionis, uti poſſit, absque tamen diminutione iuris, quo ad reditus, ſive ad Patronos, ſive alios quoscunque pertinentes, ita, ut ſi unus tantum ſit Patronus Eccleſiæ, & iſte Catholicus fiat, templum ſibi cum omnibus reditibus retineat, ſin autem plures Compatroni, quorum unus Catholicam Religionem ſuſcipiat, & peculiare in bonis ſuis templum conſtruat, nihilominus onera quoad conſvetas Auguſtanæ Confeſſionis penſiones ferat.

XLV. Tenebitur porro Magiſtratus Politicus ex Officio, nomine liberi exercitii Religionis ſecuritatem, ab omni vi,

ANNO 1617. iniuria, contumeliisque cuilibet præstare, ad munia quoque publica in Ducatu hoc Catholicis, qui idonei fuerint, aditus pateat, salvis per omnia Juribus, Privilegiis, Cautionibus, Confirmationibus, Ducibus, & Nobilitati Curlandicæ, quo ad exercitium Confessionis Augustanæ, usumque suarum Ecclesiarum omnium ab eis ædificatarum, vel ædificandarum quocunque Magistratu succedente, nec non Administrationis rei Ecclesiasticæ per Sereniſſimos Poloniae Reges benigne concessis.

XLVI. Calendarium novum in omnibus Imperio Regiae Maiestatis subiectis Provinciis receptum, ad postulationem nostram, nomine eiusdem Sacrae Regiae Maiestatis factam, Illustris quoque Curlandiae, & Semigalliae Dux Fridericus, consentiente omni eiusdem Nobilitate recepit, quod ut ad primam Januarii anni futuri milleſimi sexcenteſimi decimi octavi diem introducatur, promulgetur, constanterque in posterum ab Illustri Principe, eiusque in Ducatu Curlandiae, & Semigalliae Successoribus legitimis servetur, Authoritate nostra Commissoriali constituimus.

XLVII. Apostatae, aliique transfugæ utrinque tam ab Illustri Principe moderno, quam eius Successoribus, sine omni mora, & contradictione, repetentibus extradantur, & restituantur.

XLVIII. Novus Princeps Curlandiae, & Semigalliae iureiurando, quod Sacrae Regiae Maiestati, atque Reipublicae præstabit, se quoque Nobilitatis universae, omnium præterea, & singulorum privatorum Libertates, Privilegia, Jura, Immunitates, sartas atque tectas servaturum conteſtabitur.

XLIX. Formula Juramenti novo Principi a Nobilitate præstandi, sit talis:

Ego N.N. iuro Curlandiae, & Semigalliae Duci, eiusque Successoribus legitime investitis, et si horum nullus superfuerit, Sereniſſimo, ac Potentiſſimo Principi, ac Domino, Domino SIGISMUNDO Tertio Poloniae Regi, illiusque Successoribus Regibus, & inclyto Regno Poloniae, Magnoque Ducatui Litvaniae, tanquam non solum supremis, ac directis, quales nunc sunt, sed etiam utilibus, & immediatis tunc futuris Dominis meis, tam uti cæteri Regni indigenae subditus fidelis, & subiectus esse, eius Illustritatis commoda, & emolumenta quærere, & promovere, omniaque Terrarum, & Incolarum Illustritatis eius, quantum per me fieri potest, damna, & incommoda præcavere, amovere, prævenire, uti fidelem, & probum subditum decet, semper velim, qua in re nihil quidquam, quod humano ingenio excogitari poterit, me impediet, sic me Deus adiuvet, & Sancta Christi Passio. ANNO 1617.

L. His ita constitutis, illud postremo adjiciendum esse duximus, ut cum omnia, quæ hac Formula Regiminis continentur, Pactis primævae subiectionis huius Provinciae, iuribusque aliorum Principum Vasallorum Feudali Titulo Provincias in Republica Polona possidentium, atque adeo ipsi æquitati, ac iustitiae sint conformia, ea deinceps sub pœna Decreti Comitialis anno superiore lati, tum & aliis Sacrae Regiae Maiestatis arbitrariis observentur, debitæque executioni a suis Magistratibus demandentur. Quia vero Ordo Equestris Ducatus pro gravaminibus his abolendis per Nos ad præsens, ob maiorem animorum coalescentiam non ad pœnas ullius, sed ad solam in futurum reformationem sublatis ad Sacram Regiam Maiestatem Dominum nostrum Clementiſſimum confugerit, suæque Maiestatis, & Ordinum Regni opem imploraverit, ne quid sibi inde in posterum metus damni, aut alienationis animi Illustris moderni Principis, eiusque Successorum contingat, cum id Nobis Sacra Regia Maiestas publica fide, & authoritate Commissoriali præcavendum demandare dignata sit.

LI. Proinde speciali Mandato ac Rescripto Sacrae Regiae Maiestatis, una & Decretis præteritorum Comitiorum in causis Curlandicis latorum, insistendo, eiusdem Sacrae Regiae Maiestatis authoritate, & voluntate declaramus, ut nullus horum omnium, quicunque sive in Conventibus particularibus, vel etiam Provincialibus, hic in Ducatu, sive in Comitiis Generalibus gravamina præfata dicto, scriptoque tanquam Assertores libertatum suarum proponerent, urgerent, atque tolli conati essent, operamque suam navarent, ut munus Nuntiorum Provincialium obirent, ullius indignationi, odioque & damno subsit, neque id illi a quopiam, potiſſimum vero supremo huius Ducatus Magistratu vitio verti debere, aut posse: verum liberos & immunes ac omni ex parte tutos permanere, iisque aditum ad quævis Officia, & dignitates gratia, & benevolentia Principis, eiusque legitimorum posterorum, si idonei fuerint, patere, ac denique ea omnia amnistia obliterari debere, ut illis nulla in perpetuum eo nomine quæstio moveri, ac molestia a quoquam, cuiuscunque ille Status, & Præeminentiae fuerit, inferri debeat.

LII. Insuper omnes ex æquo in eam cu-

ANNO 1617. curam incumbant, quo pacatus, tranquillusque huius Ducatus ſtatus permaneat, qui cum inſtar propugnaculi contra finitimos Reipublicæ univerſæ hoſtes ex hac parte eſſe debeat, omnes concordibus animis ſtudia ſua ad ſalutem eius certatim, & alacriter conferant. Illuſtri Principi ſuo, ac illius legitimis in Feudo Succeſſoribus obedientiam, honoremque exhibeant, fidei Regiæ Maieſtati, & Reipublicæ Polonæ datæ memores ſint, ſi omni felicitate Patriam ſuam florere, ita, ac debent, peroptant.

In conſcribenda ea regiminis formula, & ſi multæ curæ, & labores, contentionesque ſuſceptæ a Nobis, exantlatæque ſunt, nihil magis tamen Nos exercuit, quam Conſtitutio Articuli de Religionis Catholicæ libero in hoc Ducatu exercitio, Calendarioque novo introducendo, convenit tamen per multas, & graviſſimas contentiones, ut bini illi Articuli, ita, ut in Formula Regiminis deſcripti ſunt, ſancirentur. Qui quidem Articuli ſeparati prius deſcripti, Illuſtris Principis Friderici, & Mareſchalci, Primorumque Nobilitatis manibus ſubſcripti ſunt.

Cæterum Illuſtris, & Reverendiſſimus *D*ominus Epiſcopus Culmenſis in Articulo eo Religionis, qua parte Auguſtanæ Confeſſionis uſus, & exercitium permittitur, Ordinis ſui, & Canonum Sacrorum obligatione prohiberi ſe aſſenſu aſſereret, Proteſtationem eo nomine ſcripto comprehenſam, Actis Commiſſorialibus inſerendam obtulit, tali exemplo:

Joannes Kucborſki *D*ei, & Apoſtolicæ Sedis Gratia Epiſcopus Culmenſis, & Pomeſaniæ, & ad Commiſſionem Mittaviæ in Ducatu Curlandiæ, & Semigalliæ, ex Decreto Comitiali obeundam, a Sacra Regia Maieſtate Domino ſuo Clementiſſimo, videlicet SIGISMUNDO III. Poloniæ Rege, inter alios Deputatus Commiſſarius, omnibus, quorum intereſt, vel unquam intereſſe poterit, notum, teſtatumque eſſe quam evidentiſſime volo. Cum in id una cum aliis Commiſſariis meis ſedulo incubuerim, ut omnia iuxta præſcriptum Decreti Comitialis, atque Inſtructionis Sacræ Regiæ Maieſtatis tranſigi, ac perfici poſſent, quæ nimirum ad bonum, & tranquillitatem Ducatus Curlandiae, & Semigalliae, præcipue vero ad Religionis Romanae Catholicae liberum exercitium, temporum, hominumque iniuria, contra omne ius, & fas hactenus ſummatim ſpectarent, etſi illud tamen per Nos Commiſſarios inductum, ſtabilitum, firmatumque inpoſterum lege perpetua, aſſentiente Illuſtri Principe Friderico, totaque Nobilitate Curlandica, & Semigallica eſſet, quia tamen eadem lege praetextu quorundam Privilegiorum, & Cautionum minus legitime, vel potius obreptitie obtentarum, ius Catholicis ad ſuas antiquiſſimas Eccleſias, earum dotes, fundationes, proviſiones, plenasque libertates tollitur, Immunitas debita, Eccleſiarum Ritus vetuſtiſſimi Catholici, Jura Patronorum eiusdem Ritus ad ſuas Eccleſias labefactentur, aeq; ſalvum jus Confeſſioni Auguſtanae Conciliorum omnium, ac Univerſalis Sacroſanctae Romanae Eccleſiae Decretis reiectae, damnatae, & anathemate, legibusque Regni publicis diſerte, una cum aliis ſectis ex omnibus Provinciis eius dudum exploſae, ac veræ Romanae Catholicae Religioni adſtruitur, cum tamen Confeſſio Auguſtana permiſſa tantum in hoc *D*ucatu, & non approbata ob temporum iniquitatem poſtea fuerit, ideo huic legi quoad ſuperius expreſſa puncta ſolenniter contradico, prout hoc iam in publico conſeſſu Magnificorum, & Generoſorum Dominorum Commiſſariorum meorum, Illuſtriſſimique Principis, & univerſae Nobilitatis die 15. Martii feci, eamque in praefatis *C*lauſulis, tanquam humanis, *D*ivinisque Statutis inſigniter adverſantem, nullius roboris eſſe poſſe, aut debere conſtanter affirmo, irritamque, & inanem per S. Regiam Maieſtatem omnino decerni debere exiſtimo. Quo nomine omni meliori modo, & forma ad eandem Sacram Regiam Maieſtatem provoco, ſolenniterque contra jam ſupra enumerata eius puncta proteſtor, eam tantum quoad liberum exercitium Religionis Romanae Catholicae ratam, & gratam habiturus, ad quam ſolam praeſcripto Regiae Maieſtatis Inſtructionis ſtabiliendam, non vero ad ullas ſectas firmandas hic in Curlandia ampla, & plena cum poteſtate, una cum aliis Commiſſariis a Sacra Regia Maieſtate *D*omino noſtro *C*lementiſſimo ablegatus ſum. Quae mea Proteſtatio tanquam iuri, aequitati conſentanea, veroque Cultui Divino cumprimis in hoc Ducatu proficua, ut ad Acta Commiſſorialia ad perpetuam rei memoriam inſcripta, ac inſerta ſit, prout id iuſtum, & aequum eſt, maiorem in modum a Magnificis & Generoſis Dominis Concommiſſariis peto, & pro iure meo efflagito.

ANNO 1617.

Jura, & Leges in uſum Nobilitatis Curlandicæ, & Semigallicæ a Nobis promulgatæ ſunt hæ: 1617. 18. Mart.

De Poteſtate publica, deque Judiciorum Forma, & Proceſſu.

1. Judiciorum, & omnium Conventuum caeterorum, quae publice conſtituuntur,

ANNO 1617. tuuntur, ſumma ſit ſecuritas, tam in celebratione eorundem, quam in acceſſu, & receſſu.

2. Nemo cum bombardis, aut telis lethalibus ad Judicia accedat, excepto gladio, quo accinctus erit, nemo eas, eave arma publice portet, ſub pœna decem Hungaricalium, aut ſub pœna turris quatuordecim dierum,

3. Si quis alium in acceſſu, & receſſu, vel durantibus Judiciis occiderit, aut lethaliter vulneraverit, capite luat.

4. Delinquentes hoc pacto, ſine citatione in Conventu durante terminum habeant; aufugientes e facto recenti proſcribantur.

5. Judicia æſtivo tempore a ſexta matutina ad decimam, & pomeridianis a duodecima ad quintam durabunt.

6. Judices ad officium iudicandi electi principio officii ſui iurabunt, quod ſecundum jura, & conſcientiam ſuam, absque ullo perſonarum reſpectu, ius dicere velint.

7. A judicando ſe non ſubducant, niſi legitimis impedimentis affecti, juſtoque tempore adſint & perſiſtant, ſub pœna Hungarici, toties, quoties contravenerint.

8. Commiſſarii nunquam dabuntur a Principe, niſi id a partibus petatur, vel ex officio, ut in cauſa familiæ herciſcundæ communi dividundo, aut finium regundorum.

9. Forum competens, ſive ſit civis huius Provinciae, ſive non ſit, habeat in tribus cauſis: Domicilio, Contractu, & Delicto.

10. Quodſi non incola incolam huius Provinciae convenire, & conventus eundem reconvenire velit, is, qui Actoris partes ſuſcepit, de iudicio ſiſti, & iudicatum ſolvi, cavere tenebitur, ſi ſcilicet conventionis, & reconventionis cauſae connexae fuerint, aut una ex altera dependeat.

11. Si quis, ſive incola, ſive non incola, alterum ſuper debito aut crimine diffamaverit, aut traduxerit, ei, qui diffamatus fuit, liberum ſit, diffamatorem ad ſuum forum citare atque pertrahere, ſub pœna perpetui ſilentii, ſi citatus non ſteterit.

12. Procuratores quatuor erunt, non plures, qui, priusquam ad officium admittantur, a Conſiliariis Principis examinentur, utrum idonei ſint ad procurandum, vel non ſint.

13. Admiſſi iurabunt, quod citra prævaricationem, & calumniam, bona fide, Clientum ſuorum cauſas agere, & pertractare velint, iisque certum ſalarium publico placito conſtituatur, quamvis cuivis extraneo, vel ordinariis, vel ſecum adductis cauſidicis uti licebit. ANNO 1617.

14. Mulieres, pupilli, & minorennes, ſine Curatore a judiciis abſtineant, ſub pœna nullitatis, quin & non petentibus Curatores ad litem ex officio dabuntur.

15. In ſingulis Præfecturis, & iudiciis, tam univerſalibus, quam particularibus, Miniſterialis unus, vel plures, per Principem creentur, qui ſoli citationes partibus inſinuent, iisque in ſingula milliaria certum pretium tribuatur, hos ſi quis violaverit, tanquam læſae pacis publicae reus capite plectatur.

16. Citationes in curiis aut prædiis citatorum, ubi commode tradi poterint, ponantur, non receptae palis infigantur, & familiae, quod talis citatio poſita ſit, ſignificabitur.

17. Terminus quartus ſeptimanarum in citationibns ſufficiat.

18. Actionem intentans ſi in loco iudicii poſſeſſionatus ſit, promittere, ſi non poſſeſſionatus, de expenſis, damnis & intereſſe, item quod actionem ceptam perſequi, & ad finem deducere, & eius nomine reum ab omni alterius impetitione liberum præſtare velit, cavere tenebitur.

19, Si Actor contumax ſit, neque per ſe, aut per alium, comparuerit, reus ab inſtantia in primo termino abſolvatur, nec admittatur Actor, priusquam impenſas refuderit, niſi forſan ipſe, vel eius mandatarii, in itinere, inundationibus aquarum, aut morbo, aut captivitate, aut læſione, aut ſimilibus caſibus, præter ſuam culpam, affecti fuerint.

20. Reus autem conventus ad probandum legitimum impedimentum in primo termino, in ſecundo, tanquam convictus & contumax, in amiſſionem cauſae condemnabitur, neque audiendus erit, etiamſi in integrum ſe reſtitui, & Decretum reponi petiverit, niſi iureiurando ſe a contumaciae crimine intra ſex menſes liberaverit.

21. Exceptiones omnes, declinatoriae, dilatoriae, & peremptoriae, & primo termino proponi, & cauſa plene uſque ad probationem definiri debet, exceptis caſibus, ſi inſtrumenta aut documenta quædam deſiderentur.

22. Exceptio ſpolii omnem actionem adverſus ſpoliatum a ſpoliatore intentatam excludit, & intra ſpatium quindecim dierum probari debet, qua probata ſpoliator in principali, & acceſſorio damna, & intereſſe in ſolidum prius reſtituere debet, quam in iudicio audiatur.

23. Actor, ſi probationibus deſtituatur,

ANNO 1617. tur, poterit reo iuramentum ſuper actione intentata deferre, ſi ipſe prius juraverit, quod non calumniandi animo ad hanc actionem proceſſerit, quod litis deciſorium vocatur. Quodſi reus hoc iuramentum præſtare, vel Actori referre recuſaverit, pro convicto habendus eſt.

24. Si communitati hoc iuramentum delatum fuerit, non omnes, ſed ii tantum iurabunt, qui rei notitiam inprimis habuerint.

25. Si iuramentum Principali delatum ſit, & is poſt ſententiam moriatur, hæredes ipſius de credulitate tantum, non etiam de ſcientia iurabunt.

26. Poterunt præterea Procuratores, ad hoc peculiari mandato inſtructi, in animam ſui Principalis abſentis iurare.

27. Si inſtrumenta, vel teſtes in primo termino præſentes haberi non poſſint, probationibus quatuor ſeptimanarum terminus præfigetur, neque id ſpatium, ſine magna & gravi cauſa, duplicari debet.

28. Teſtes ſint honeſtæ perſonæ, non ſuſpectæ, qui a producente nominentur, ut reus adverſus eos modeſte excipere, & eos refutare poſſit, qui ad teſtimonium dicendum, ſi nolint, pignoribus captis cogi debent.

29. Hi, præſentibus partibus, tam producente, quam reo, iurabunt, ac deinde remotis arbitris examinentur, & eorum depoſitiones non ad diſputandum partibus, ſed iudici ad ſententiam ex eis ferendam, edantur.

30. Nulli teſtes in poſterum ante iudicium cœptum, parte altera abſente, & ignorante, quid agatur, examinabuntur, aut eorum atteſtationes publicentur, niſi qui ad perpetuam rei memoriam, ætatis aut valetudinis cauſa, ad dicendum teſtimonium requiſiti fuerint, quo facto eorum dicta obſignari, & non niſi ubi opus fuerit, in judicio proferri, & a ſolo judice recludi, cognoſcique debent.

31. Si quis durante lite, aut ea iam definita, ad inſtrumenta noviter reperta provocaverit, iureiurando conteſtabitur, quod eorum inſtrumentorum notitiam ante hoc tempus nunquam habuerit, neque ſua culpa potuerit habere.

32. Sententiae declaratio ſi petatur, intra tres dies interponi, & ſtatim declaratio fieri, neque ad ſequens judicium differri debet, quodſi ultimo judiciorum die fiat, tantum temporis addendum erit, quo declaratio perficiatur.

33. Appellationem interponens, ſi in hoc Ducatu poſſeſſionatus non ſit, cautionem de expenſis ac damnis appellato in hoc Ducatu idoneam præſtet, aut appellatione interpoſita non fruetur.

34. Arreſta nonniſi in fugitivis, nec poſſeſſionatis, aut eis, qui cum mercatoribus ita contraxerunt, ut confeſtim ſolverent, & absque ſolutione diſcedere conentur, aut aliunde ſe huc recipientibus, ſi ex contractu aut delicto conveniantur, permitti debent, ſub pœna arbitraria, iuxta qualitatem rei, & perſonæ, quæ indebite eſt arreſtata. ANNO 1617.

35. Pignorationes propter damna in agris, & ſylvis facta, prævia æſtimatione, & refuſione damni, remittantur, & animalia capta ſine mora reſtituantur; quodſi quis rebus pignore captis abuſus fuerit, quæcunque damna intulerit pignorato, arbitrio iudicis, refundat.

36. Si quis arreſtum rebus aut perſonis impoſuerit, neque ſpatio quatuor ſeptimanarum ſua negligentia perſecutus fuerit, iure arreſti carebit, & arreſtato ad damna & intereſſe tenebitur.

37. Sequeſtrationes litigioſarum poſſeſſionum, rerum ac mercium admitti non debent, niſi is, qui petit, de iure ſuo ſummarie conteſtetur, & poſſeſſorem in re poſſeſſa male verſari doceat, quo caſu ſequeſtratio non longius, quam ad proximam iuridicam concedenda, & interim tam a poſſidente, quam a ſequeſtro, ab omni iniuria ac devaſtatione rei ſequeſtratae abſtinendum eſt.

38. Quodſi ſequeſtrum in re ſuae cuſtodiæ mandatum male verſatum eſſe, & ſylvas aut fundos devaſtaſſe, compertum fuerit, non modo damna, quæ dedit, refundat, ſed & præterea, cuſtodiae publicæ violatæ cauſa, pro modo vaſtationis, arbitraria ac gravi pœna mulctabitur.

39. Si contigerit, plures creditores concurrere unius debitoris, qui ſolvendo non ſit, hic ordo ſervari debet:

a) Primum omnibus aliis præferantur depoſitarii in rebus ſuis exſtantibus.

b) Deinde venditores rerum immobilium, in quibus expreſſam hypothecam, uſque ad ſolutionem plenariam, ſibi reſervarunt.

c) Poſtea mercedes famulorum.

d) Impenſae, in morbum debitoris, ex quo deceſſit, & funus ipſius factae, præſtentur.

e) Si quae cohæredibus ſuis, ante æs alienum contractum, ex familia herciſcunda eum debere conſtiterit.

f) Vxor dotem vel dotalitium, quod eo nomine ei conſtitutum eſt, repetens, modo non ſint creditores, anteriorem expreſſam hypothecam habentes.

g) Habens publicam hypothecam, & iudicialem, præferendus eſt habenti privatam antiquiorem: in reliquis vero priva-

ANNO 1617. tam habentibus, qui prior est tempore, potior in iure dicendus erit.

h) Si debitor solvendo non est, nec tantum reperiatur in bonis ipsius, ut omnibus creditoribus, sive hypothecariis, sive chirographariis satisfieri possit, usurarum ratio nulla habenda est, quod ubique potius sit Jus eorum, qui de damno vitando certant, quam horum, qui de lucro captando contendunt.

i) Denique chirographarii, quibus aequaliter pro rata satisfaciendum est, ut dimidia, aut tertia, aut quarta pars debiti unicuique tribuatur.

40. Si contigerit inter hos quenquam, antequam debitoris bona Judicis interdicto tenerentur, quod suum erat, consecutum esse, id reliquis non communicandum, neque etiam ab hypothecariis repetendum erit, nisi hypothecae rerum immobilium fuerint, quod jura omnia vigilantibus & non dormientibus, opitulentur.

Forma Executionis tam in Civilibus, quam Criminalibus sit talis.

41. In actionibus personalibus, si solutio, aut satisfactio alicui iniuncta sit, nisi spatio Mensis proxime sequentis satisfecerit debitor, in duplum, si nec intra alterum mensem paruerit, aut sententiae steterit, in triplum mulctabitur, si nec intra tertium, banno feriatur, triginta diebus in singulos Menses, a die sententiae latae computatis; qui dies ab hoc computato excludetur, & licitum erit parti vincenti, Iudicis officio implorato, eius possessiones ingredi, & sibi pro debitis, damnis, & impensis satisfacere ad extremum quadrantem.

42. In realibus, nisi intra Mensem is, qui succubuit, sententiae paruerit, Iudex vincentem in bona victi intromittat, damnaque, & impensas omnes ex bonis victi refundi faciat-

43. Electio erit victoris, quænam bona mobilia, aut, iis deficientibus, immobilia apprehendere velit, unde sibi satisfieri faciat.

44. Qui autem in aere non habet, & rem suam petulanter decoxit, in corpore luat, & sessione turris puniatur.

45. Instrumenta liquida, & guarentigiata, quae in Iudicio facta sunt, ut sunt oppignorationes rerum immobilium, aut debita coram Iudicio contracta, praevia una monitione debitoris, paratam executionem merebuntur.

46. In criminalibus, si reus post sententiam profugerit, tanquam convictus, & confessus, a tempore susceptae fugae pro bannito & proscripto aestimabitur, & tam ipse, quam bona ipsius ab omnibus promiscue, impune, & licite offendi poterunt. ANNO 1617.

47. Executioni violenter resistentes, sive sint Principales, sive socii, sive complices, sive ministri, sive alii quicunque, capite plectantur.

48. Nemo autem a proscriptione per Principem absolvatur, absque consensu partis iure vincentis, & laesae, eorumque omnium, quorum interest, proscriptum a proscriptione non liberari.

49. Nemo proscriptos, aut bannitos hospitio excipiat, nemo victum, vel amictum, vel res alias necessarias eis suppeditet, sub simili pœna, qua ipsi banniti afficiuntur.

De potestate privata, & Contractibus.

50. Prima potestas privata est *Dominorum* in homines proprios, sive rusticos.

51. Homines proprii sunt, qui in agris Nobilitatis ex hominibus propriis maribus concepti nascuntur, utcunque ex matre nascantur libera.

52. Si tales homines mares, sine voluntate Domini sui, ad alios transfugerint, cum omni re sua familiari, quam secum avexerunt, & cum liberis post fugam natis, & cum omni incremento rerum suarum reddi debebunt.

53. Adversus tales fugitivos, sive mares, sive fœminas, nullus sit praescriptioni locus; homo enim proprius, in pleno jure Domini sui constitutus, si fugitivus fiat, perinde ut liber homo, gentium iure, nullo tempore praescribi debet.

54. Quodsi homo, vel homines tales fugitivi invicem repetantur, nec confestim restituantur, Judex cuiusque loci competens, fugitivos, sub pœna quadringentorum florenorum, Dominis suis a detentoribus reddi praecipiet, & efficiet, sub pœna quinquaginta Hungaricalium adversus Judicem negligentem statuenda.

55. Sin autem post tempus repetitionis, & restitutionis non secutæ homo, vel homines fugitivi sese inde quoque, unde repetuntur, subduxerint, priusquam reversi, & restituti fuerint, Dominus, a quo repetiti fuerunt, vero Domino fugitivorum omnia damna, ac detrimenta arbitrio Judicis refundat.

56. Si e fœminis quædam, relicto territorio Dominorum suorum, nuptiarum causa alio se contulerint, repetitio cessabit.

57. Nullus horum propriorum hominum filios suos sive pro literis discendis, sive

ANNO 1617.

sive pro officio exercendo, sine licentia Domini sui peregre amandabit.

58. Si contigerit, hominem unius delinquere in hominem alterius Domini, atque is de suo homine conqueratur, mulcta non erit Domini, sed eius, qui ab altero homine fuerit læsus.

59. Si vidua unius *D*omini nupserit viro alterius, ipsa quidem novi mariti Forum, ac Dominium sequetur, sed liberos, omnemque rem familiarem vero Domino relinquat, dote tamen sua arbitrio *D*omini secum accepta.

60. Si res plures avexerit, quam quæ debentur, tam ipsa, quam vectores, & opitulatores, pœna furti puniantur.

61. Licitum unicuiq; erit, fugitivum suum in alterius territorio deprehensum prehendere, ibidemque Domini alterius territorii sistere ad repetendum. Invito autem eius territorii Domino eum abducere non debet, sub amissione juris sibi in fugitivum competentis, excepto casu, si quis fugitivum suum in continenti, hoc est, spatio viginti quatuor horarum insequatur, tunc enim fugitivum suum in fuga deprehensum etiam ex alterius territorio domum reducere impune poterit.

62. Nemo quemquam ex hominibus propriis pœna mortis afficiat, sive judicio hoc nomine constituto, sub pœna centum florenorum.

63. Potest quilibet Dominorum hominibus suis propriis sub se constitutis peculiares leges statuere, Jure tamen publico salvo.

Proxima est Patria Potestas in Liberos.

64. Liberi igitur ob patriam potestatem, in qua constituti sunt, sine consensu parentum matrimonia non inibunt, sub pœna exhæredationis, si nimirum parentes iustam contradicendi causam præ se tulerint.

65. Si quis vir cum duabus simul, aut quæ fœmina cum duobus, uno tempore sponsalia de praesenti contraxerit, & prioribus neglectis posterioris thorum, & concubitum secutus, secutave fuerit, infamis esto.

Sequitur Potestas tutelaris.

66. Pupilli usque ad annum vigesimum primum, furiosi autem in perpetua tutela, donec morbus perstiterit, esse debent.

67, Horum Tutores, si testamento parentum nulli dati sunt, agnati proximi erunt, una cum matre, quamdiu ad secunda vota non transierit, ac nisi vel isti, vel haec suspecta fuerit, quo casu Princeps pupillis Tutores constituet.

68. A Principe dati, rem pupillorum per omnia salvam fore, promittere tenentur. ANNO 1617.

69. Sine autoritate Tutorum pupilli nihil vel in Judicio, vel extra illud statuere debent, vel possunt, quod ad detrimentum ipsorum spectet, secus quod ad commodum & incrementum.

70. Tutor emere volens res immobiles pupilli, aut alio modo cum contutoribus contrahere, nonnisi re a Principe bene excussa, ac Decreto præcedente id facere poterit.

71. Qui in contrahendo minorem viginti uno anno circumvenerit, ex eo contractu non modo nihil utilitatis percipiet, sed etiam, pro ratione fraudis, arbitrariis pœnis affici debebit.

72. Tutores res pupillorum suorum, quae servando servari non possunt, distrahere, & quotannis rationes suas conferre tenebuntur.

73. Omnes tutores de rebus administratis in solidum tenentur, nisi male administrantem suspectum fecerint, & fidem suam liberaverint.

74. Suspecti, maleque versantes in rebus pupillorum, etsi ad satisdationem sese obtulerint, officio tamen privandi sunt.

75. Tutorum bona a tempore, quo administrationem acceperunt, ipso jure pignoris nexu administratae tutelae causa obligata sunt, ex quibus pupilli, in concursu creditorum, ante reliquos Creditores quod suum erit, consequi debent.

76. In potestate etiam sua, non in Dominio alicujus, sunt res, quae cuivis quocunque modo serviant, veluti ex quibus usus fructus debetur.

77. Usufructuarius igitur cavere debet, se boni viri arbitratu re usufructuaria usurum, sine detrimento Domini directi, ita prorsus, ut neque Domino, neque etiam rebus ipsis quidquam decedat, sub pœna damni, quodcunque inde emerserit, pensandi.

78. Si usufructuarius aedificium, quod in alieno fundo, ex quo usumfructum percepit, extruxit, finito usufructo tollere nec ipse, nec haeredes ejus debent, nisi talem protestationem a principio fecerit, ut tollere hoc ei liceret.

79. Cui usus certus alicujus rei, aut habitio relicta est, extra modum praescriptum re usuaria abutens, ad damni restitutionem tenebitur.

80. Cui iter, actus, aut via, per agrum alterius concessa est, ita iis omnibus utatur, ne segetibus, aut pratis damna inferat, sub pœna refusionis damnorum.

81. Via, quae publica semper fuit, arbitrio privatorum alio transferri, aut immutari, non debet, sub pœna centum tha-

ANNO lerorum, & mutationis, ſi quae facta fue- ANNO
1617. rit, in priſtinum ſtatum reducendæ. 1617.

82. Piſcari in mari, retiaque ſua exponere, & merces ſuas ad littus appellentibus nautis vendere, in quolibet littore unicuique liberum erit, cuius prædia ad littus maris pertingunt.

83. Cui piſcatio, aut lignatio, in alieno ſtagno, aut ſylvis debetur, ea non abuti debet, ſub pœnis Capitaneorum arbitrariis in abutentem ſtatuendis.

84. Quibus ius apiarii vel alvearii in alieno ſolo aut ſylvis competit, mella quidem capere, ſed arbores deſtruere non debent, ſub pœna decem thalerorum, & eius iuris, quod in cæteris arboribus eius, vel fundi, vel ſylvæ habuit, amiſſione: mella autem iuſto tempore, præſente Domino ſylvæ, eximere, eique vendere tenebitur, unumquodque pondo, quod *Liespfund* vocant, pro tribus Marcis Rigenſibus; in arbitrio quoque Dominorum erit, arbores melliferas redimere, ſi ei, cui ſervitus debetur, eam permittere nolit.

85. Stagna libera & communia ad piſcandum conſtringi non debent a quoquam, quominus eorum piſcationi incumbere unicuique liceat, qualia ſunt Durbenſe, Vilgalenſe, Angarenſe, Oſmaitenſe, Libavienſe, Degerhoffedenſe, quorum ſtagnorum effluxus neque molendinis, neque aliis obſtaculis, præpediri debent, quominus piſcibus acceſſus & receſſus liberrimus permittatur.

86. Donationes omnes, etſi licitae ſint, tamen cum quædam ſapiant prodigalitatem, & ſuſpicionem, quod fraudibus & blanditiis extortae magis, quam ex amore impetratae ſint, idcirco excedentes ſummam quingent. florenorum Poloniae nonniſi publica inſinuatione iudiciali præcedente permitti, aut a ſucceſſoribus donationis agnoſci, ſi nolint, debent, quin & ipſe donator, niſi præceſſerit inſinuatio, petendi & repetendi donationem, facultatem habebit.

87. Donationes, vel ab his factae, qui liberos non habebant, vel ſatis opulenti erant, cum donarent, liberorum partu, aut calamitate aliqua ſuperveniente, reſtitui debent.

88. Quin & ob ingratitudinem donatarii, donatorem contumelia afficientis, aut deſerentis in periculis conſtitutum, revocari debet donatio.

89. Servit præterea quibusdam pecunia, quæ ex mutuo ad eos pervenit, etiam dominio ipſius pecuniae ad eos translato, itaque bona fide mutuum reddatur, ut a tempore moræ, quo redditum non fuit, mutuum loco damni emergentis & lucri ceſſantis pœnarum in contractu appoſitarum actio creditori detur.

90. Si ſpecies certæ acceptæ & in ſtipulationem deductæ ſint, ut eædem reſtituantur, ſervanda erit lex contractus, etiamſi æſtimatio ſpecierum creverit; ſi autem hoc in ſtipulationem deductum non fuerit, creditor conventus eſſe debet, ſi æſtimationem ſpecierum eius temporis fuerit nactus, quo mutuum numeravit.

91. Non tamen cuprum, aut æs, vel aliam monetam, pro argento & auro creditor accipere tenebitur a debitore, ſed monetam probam in Regno probatam & receptam, & quæ mutuo commercio, ſine damno accipientis exponi poſſit, non vero vilem aut viliſſimam.

92. Rebus alienis quocunque modo ad ſerviendum commodatis, ſi quis aliter, quam bona fide, utatur, quod eas invito Domino ultra legem commodati graviter attrectet, veſtimenta nobiliora, ſuppellectilem, equos, & ſimiles res pretioſas diſtrahens vel dividens, furti crimen committit, itaque reſtituere non modo res commodatas integras, & pretium earum refundere, ſed & propter magnum abuſum, arbitrio iudicis, mulctari debet.

93. Res depoſitæ, ſi citra depoſitarii culpam, furto, incendio, ruina, aut ſimili fato interierint, extra noxam erit depoſitarius, ſi eam, quam ſuis rebus impendere ſolitus eſt, diligentiam adhibuerit, quodſi autem rem depoſitam apprehenderit, inque ſuos uſus converterit, furti tenebitur, actione civili, ad pœnam arbitrariam, & ad hoc, quod interfuiſſe conſtiterit deponenti, rem depoſitam relictam fuiſſe intactam.

94. Pignus ſive iudiciale, ſive conventionale fuerit, ſi citra culpam creditoris interierit, damnum debitor agnoſcere, & nihilominus debitum creditori refundere tenebitur, ſecus erit, ſi culpa creditoris pignus vel deterius redditum, vel deſtructum ſit, quo caſu pignoris & crediti compenſatio inſtituenda eſt.

95. Res aliena ſine conſenſu Domini pignori dari non poteſt, quod ſemper vero Domino repetitio concedatur.

96. Si debitor conſtituto tempore debitum non ſolvat, creditor pignus non privatim diſtrahere, ſed authoritate iudicis æſtimationem imponere, atque vel retinere in ſolutionem, vel vendere poterit.

97. Conventio talis, ut certo tempore pecunia non ſoluta pignus in commiſſum cadat creditori, admitti non debet, niſi pignus æſtimatum creditori datum fuerit.

98.

ANNO 1617.

98. Emere & vendere omnes promiſcue poſſunt, qui liberam, non definitam, adſtrictamque rerum ſuarum facultatem habent, venditio rerum immobilium earundemque oppignoratio nonniſi in iudicio fieri, & libris publicis inſcribi debet.

99. Si rem unam duobus vendi contigerit, is, cui traditio facta fuit, alteri erit præferendus, venditor tamen emptori, cui rem venditam tradere non poterit, ad intereſſe contractus non impleti tenebitur.

100. Venditor rei venditae defectus omnes bona fide patefacere, nihilque eorum omnium celare debet, quæ ſi emptor ab initio agnoviſſet, rem emere nunquam attentaſſet.

101. Quodſi venditor vitiorum quidquam celaverit emptorem, rem venditam recipiet, & pretium reſtituet.

102. Si quis fraude venditoris ad rem aliquam magnam, quingentorum florenorum pretium excedentem, emendam inductus, ultra dimidium iuſti pretii deceptus fuerit, propter ingentem deceptionem contractus ad æqualitatem, & pretium ad id, quod iuſtum & æquabile iudici videbitur, reducendus, aut ſi id facere venditor recuſaverit, emptio & venditio reſcindenda erit, eatenus tamen, ut hæc læſio intra annum & diem in iudicium deducatur.

103. Maritus bona immobilia uxoris, aut pater prædia, bonaque materna liberorum ſuorum vendere, alienareve non poteſt.

104. Res quoque furtivæ, aut vi raptæ, vendi non poſſunt, quominus a veris dominis quovis tempore repetantur.

105. Homines ignobiles & peregrini, pro indigenis non recepti, Nobilium bona emere, & poſſidere non debent, ſub amiſſione bonorum.

106. Res aliena pecunia emptae emptoris fiunt, non eius, cuius pecunia comparatæ ſunt, cui non pignori quidem ſunt obligatae, niſi ita inter creditorem & debitorem conventum fuerit.

107. Mercatores, extra forum publicum in familiis ruſticorum æs corradentes, mercibus & rebus omnique ſubſtantia, quam ſecum ferunt, priventur.

108. Eius, qui domum aut prædium conduxit, res univerſae, quas intulit in prædium, vel domum conductam, locatori tam penſionis, vel cenſus ceſſantis, quam damni emergentis, nomine ſunt obligatae.

109. Conductor autem, aut quivis alius, arans ac ſeminans fundum alienum non conductum, ſi iuraverit, ſe id ex ignorantia feciſſe, impune id feret, & fructus dimidios ſuos faciet; ſi ſciens, fructibus non modo carebit, ſed & arbitrarie, pro quantitate fundi, punietur. ANNO 1617.

110. Ruſtici agros ſuos, vel fundos ac prata, ſine ſcitu Dominorum ſuorum, ruſticis vicinis, vel aliis permittere vel elocare non debent, ſub pœna amiſſionis fructuum.

111. Emphiteuſis iure locari poſſunt Nobilitatis prædia, perpetuo fruenda, ut, quamdiu penſio praeſtetur, conductor, eiusve hæres, aut qui ab his cauſam habet, expelli nullo modo poſſit.

112. Qui locationi non ſtetit, damna omnia conductori refundat, &ſi nec pretium locatum, nec conventio ſervata fuerit, reditus unius anni conductori cedent.

113. Conductor legem contractui dictam non ſervans, & pretium annuum non præſtans, a contractu cadat.

114. Si domus incendio, citra culpam conductoris, combuſta fuerit, damnum ad dominum, non ad conductorem ſpectabit, ſecus, ſi eius, aut familiae ipſius, culpa ſit factum.

115. Sterilitas prædiorum unius anni cum fertilitate ſequentium annorum penſabitur; quodſi vero militum devaſtationibus, aut tempeſtatibus, res omnes ad eum plane modum deperditae aut conſumptae fuerint, ut nulla utilitas ad conductorem pervenerit, iudicis arbitrio pretium locationis moderandum erit.

116. Opifices, coriarii, fullones, aurifices, & cæteri omnes, res ad parandum aut conficiendum commiſſas integras reddere tenebuntur, exceptis caſibus fortuitis, qui humana induſtria præcaveri non poſſunt.

117. Certum quoque molitoribus pretium conſtitui debet, ultra quod ſi quocunque prætextu, ſive munerum, ſive largitionum, aliquid extortum aut receptum fuerit, molitores eius, quod acceperint, quadruplum reſtituere tenebuntur.

118. Societatem prædiorum, mercimoniorum, aut rerum aliarum, invicem colentes ad omnia tenebuntur, quæcunque miniſtri illorum communes in illa ſocietate ipſorum nomine contraxerunt, reſpectu ſocietatis eius, non autem extra eam. Itaque omnia lucra non minus, quam emolumenta, inter eos erunt communia, niſi aliud a principio fuerit conſtitutum. Coire ſocietatem poſſunt, ut unus lucri duas partes, damni tertiam ferat, alter duas damni, lucri vero tertiam, quod unius opera pretioſior eſſe poſſit alterius; Pactum de ſolo lucro

ANNO 1617. capiendo, nec damno portando reprobabitur.

119. Qui mandatum alicujus rei perficiendæ in ſe recepit, aut mature, cum ſcilicet res adhuc integra erit, renuntiare, vel mandatum implere, vel damna non obſervati contractus præſtare, tenebitur.

120. Qui abſentis negotia ſine mandato gerenda ſuſcepit, non modo eam diligentiam, quam in rebus ſuis præſtare conſuevit, ſed & quam diligentiſſimus quiſque uſurpare ſolitus fuit, præſtare debet, propterea, quod ea, quæ intermittere potuiſſet, abſque mandato ſua ſponte ſuſcepit, & ſe ad exactiſſimam diligentiam obſtrinxit.

121. In Contractibus quidem, quibus nomen certum datum non eſt, quales ſunt, do ut des, facio ut facias, facio ut des, do ut facias, & ſimiles, actio in factum iuxta præſcriptum verborum utrinque danda erit, a quibus Contractibus re integra reſilire utrique parti licebit

122. Pacta, ac Tranſactiones omnes, modo non ſint iurpes, & illicitæ, aut fraudulentæ, vel dolo, vi, metuve extortæ, per omnia ſerventur, ex quibus etiam nudis promiſſionibus, & pactis adverſus violatorem pactorum, & promiſſionum actio, & exceptio dari debet ad id, quod intereſt, pactis non ſatisfactum fuiſſe.

123. Pactum aut promiſſum, etiam juratum latronibus factum, cum juri divino, quo latrocinia vetantur, ſit contrarium, ipſo jure nullum eſt, ideoque ſervandum non erit.

124. Qui fidem in contractibus pro alio interpoſuit, tamdiu ipſe & haeredes ipſius obligati erunt, quoad contractibus per omnia ſit ſatisfactum, niſi forſan ad certum tempus fidejuſſerit, & creditor elapſo tempore debitori ſolutionem diſtulerit.

125. Excuti tamen creditores prius debent, quam ad fidejuſſores deveniatur, niſi huic beneficio renunciaverint, aut debitor adeo ſit potens, ut a creditore excuti non poſſit, quo caſu fidejuſſores non immerito confeſtim, ſine compellatione Principalis, conveniendi ſunt.

126. Habent diviſionis beneficium plures fidejuſſores, niſi ei ſit renuntiatum, quo caſu ſinguli, haeredesque eorum, in ſolidum tenebuntur.

127. Si creditor ab uno fidejuſſorum ratam ſuam acceperit, nec proteſtatus fuerit, quod hac particulari receptione obligationem diſſolvere nolit, ei ad eundem fidejuſſorem de reſiduo recurſus poſtea non dabitur.

128. Fidejuſſoribus actio adverſus principalem debitorem dari non debet, antequam ipſi vel ſolutionem fecerint, vel ad eam faciendam in judicio condemnati fuerint. ANNO 1617.

129. Nautis pro tranſportatione & transvectione hominum, equorum & mercium, certum pretium, autoritate Capitaneorum ſingulorum locorum, conſtitui debet, ne prætextu hujus pretii nautici, vectigalium onera obtrudantur.

130. Pontes & viæ publicæ ubique reficiantur a Dominis fundorum, ſub pœna quinquaginta florenorum, toties, quoties huic legi ſtatum non fuerit.

131. Vicini, quorum prædia ſunt contigua, ſingulis trienniis terminos agrorum ſuorum conjunctim inſpicere, & collapſos renovare tenebuntur, ſub pœna XX. Hungaricalium toties, quoties fuit contraventum.

Sequuntur Exceptiones, quibus Obligationes perimuntur.

132. Tolluntur actiones & obligationes ſolutionibus, ſi revera præſtentur, non ſi pecunia offeratur tantum, quare qui ſolvere paratus eſt, pecuniam obſignare & deponere in judicio, ac re ipsa conteſtari debet, quantopere cupidus ſit fidei ſuæ ſervandæ, quo pacto pecuniam deponens ab omni damno, & eo, quod intereſt creditoris, ſe immunem præſtabit.

133. Aliud pro alio, merces nempe aut frumentum pro pecunia creditori obtrudi non poteſt, niſi tanta ſit inopia debitoris, ut pecunia deſtituatur, id quod jureiurando comprobandum eſt.

134. Quodſi talis quoque novatio interceſſerit, qua vetus obligatio tollatur, actio prior extincta cenſetur, ſecus, ſi nuda quædam pacta inter creditorem & debitores facta ſint, prior autem obligatio per expreſſum ſublata non fuerit.

135. Acceptilatione ejus, quod debebatur, tanquam imaginaria ſolutione, obligationes perimuntur.

136. Debitum quoque liquidi compenſatione tollitur, ejus autem, de quo nondum liquet, quid quantumque debeatur, compenſatio admittenda non eſt.

137. Delegare quoque poſſumus, hoc eſt noſtro nomine alium reum dare creditori, ut obligatio tollatur.

138. Confuſio obligationum & jurium fit, quando eadem fit perſona creditoris & debitoris, cum nimirum creditor defuncto debitori hæres exiſtit.

139. Quodſi etiam dolo, aut metu, ad contrahendum inducti ſumus, quodcunque inde geſtum profectumque eſt, judex ratum non habebit, modo revera dolus, vis item & metus talis interceſſerit, qui in conſtantem quoque virum cadere poſſit, id-

ANNO 1617. idque partim arbitrio judicis, ex rerum circumſtantiis rem perpendentis, aut conſcientia metum, ac vim paſſi, comprobandum erit.

140. Si pecunia quoque promiſſa, nec numerata fuerit a creditore, omnis repetitio ceſſat, quæ exceptio intra annum eſt opponenda, ſi modo opponi poterit.

141. Similiter & pactum de non petendo ſimpliciter, aut de non petendo ad tempus, obligationem aut perimit, aut ſuſpendit.

142. Qui re, tempore, loco & cauſa, plus petierit, quam eum petere oportebat, ejus, quod petiit, dimidio privandus, & nihilominus tempus, locus & cauſa, uniuscujusque rei erunt ſervanda.

143. Scutum adverſus omnem actionem & obligationem longe firmiſſimum eſt res judicata, item tranſactio & jusjurandum, quibus omnis obligatio penitus tolli & extingvi cenſetur.

144. Nec maritus pro uxore, nec pater pro filio, nec frater pro fratre, & vice verſa nec uxor pro marito, nec filius pro patre tenebitur, niſi in communione bonorum verſentur, aut alter alterius hæreditatem adierit.

145. Sex menſium præſcriptione verbales iniuriæ, ſcriptæ vero annali ſpatio tolluntur, tempore a ſcientiæ initio computato,

146. Verbalis item fideiuſſio, quæ in ſcriptis redacta non eſt, anno expirat.

147. Res immobiles inter præſentes ſexennio, inter abſentes duodecim annis præſcribuntur.

148. Rem vitioſam emens intra ſex dies eam Judicis definitione redhibere vel retinere tenebitur.

149. Actiones omnes civiles quinquennio tolluntur, intra quod ſpatium, niſi quis inſtrumentis, & obligationibus, alioque iure ſuo uſus fuerit, ab omni actione cadet.

150. Criminales ſexennio tolluntur, excepto crimine læſæ Maieſtatis, & perduellionis.

151. Præſcriptio autem non currit contra pupillos, & furioſos, item contra agere non valentes, quin & beli quoque tempore ceſſat.

152. Neque bona dotalitia uxoris, neque pignori data, aut cum pacto reluendi vendita, neque fines certis limitibus, ac literis determinati, ac circumſcripti ab uſurpatore alienorum limitum, & litigioſarum poſſeſſionum præſcribuntur, quod malae fidei poſſeſſor, rem alienam ad ſe non pertinentem uſurpans, nullo tempore præſcribat, nec etiam fructus perceptos ſuos faciat.

153. Quæ autem tanto tempore, cuius memoria non extat, poſſeſſa ſunt, omni vitio prorſus carere, & poſſeſſoribus relinqui, aut ablata tanquam dominis reſtitui debebunt. ANNO 1617.

154. Præſcriptio interrumpitur, ſi poſſeſſio ſit litigioſa, ac ſi poſſeſſor de mala fide, & quod iniuſte poſſideat, compellatus fuerit.

155. Executio rei iudicatæ niſi intra annum petatur, non petens ius ſuum perdit.

156. Rationibus ſemel explicatis, ac receptis intra biennium calculi exceptio opponi debebit, niſi fraus aliqua emerſerit, de qua qui calculum fecerunt, eo tempore, neque in præfato biennio notitiam habuerint, idque iureiurando comprobandum eſt.

De Reſtitutione in integrum.

157. Adverſus omnes omnium Contractuum, & Conventionum læſiones ex iuſtis, gravibusque cauſis in integrum reſtitutio omnibus eam intra annum petentibus danda eſt, exceptis pupillis, & minoribus, quibus triennium dari debet, poſtquam ad ætatem iuvenilem, vigeſimum primum ætatis annum, pervenerint, & intra annum ætatis vigeſimum quartum reſtitutionem petere poſſunt.

158 Fideiuſſori minoris reſtitutio nihil prodeſt, niſi æque fideiuſſor, ac minor dolo circumventus, ac deceptus fuerit, quo caſu non modo minori, ſed & fideiuſſori ſubveniendum eſt, etiamſi Contractus iureiurando ſit comprobatus.

159. Jusiurandum enim ad ea tantum ſe extendit, de quibus tam minor, quam fideiuſſor tunc, cum contraherent, veriſimiliter cogitarunt, non ad dolum, quo ſunt circumventi, & ad contrahendum, & iurandum inducti.

160. Non ſuccurritur minori viginti annorum in delictis dolo commiſſis, modo ſit ſedecim annis maior.

De Succeſſionibus.

161. Defertur hæreditas vel ex Teſtamento, vel ab inteſtato.

162. Teſtamentum patris inter liberos conditum & manu patris integre ſcriptum ſervandum erit.

163. Si integre ſcriptum non ſit, ſed manu ſua ac duorum teſtium ſubſcriptum & ſubſignatum, æque ratum erit.

164. Teſtamenta omnia pro legitimis habenda ſunt, ſi a duobus teſtibus ſubſcripta fuerint, ſive nuncupativa ſint, & a teſtatore ſanæ mentis dictata, & prolata, ſive ſcripta fuerint.

165. Teſtamenta actis publicis caſtrenſibus inſinuata a teſtatore, etiam ſine teſtibus, pro firmis ſunt habenda.

166. Fœminæ honeſtæ in Teſtamentis

ANNO 1617. doneæ ſunt teſtes, ſi præter eas alii non adfuerint.

167. Si vitium obreptionis, aut perſvaſionis, aut ſimile quidquam, teſtamento objicietur, id teſtium jurejurando relevabitur.

168. Pater ſine gravi & juſta cauſa, quæ arbitrio iudicis definietur, filios & filias in ſuo teſtamento præterire, aut expreſſe exhæredare non poteſt, ſalva querela inofficioſi teſtamenti coram iudice competente inſtituenda.

169. Nec ius primogeniturae in bonis primogenito adimere, & in ſecundo aut tertio genitos transferre poterit, niſi ex gravi & iuſta cauſa infirmitatis, vel magni defectus primogeniti.

170. Nec ita quis teſtari poteſt, ut iuri publico in ſuo teſtamento præiudicet, quare & bona, filiis ex lege publica debita, ad filias transferri non debent.

171. Si pater teſtamento filiabus certam portionem aſſignaverit, ea contentæ eſſe debent, ac licebit patri filiis duplam, filiabus vero ſimplam aſſignare.

172. Liberi quoque, ſi ſine liberis deceſſerint, teſtamento ſuo parentes ſuos excludere non poſſunt, ſed dimidiam partem illis, fratribus vero, & ſororibus, vel nepotibus ex illis, alteram ſemiſſem relinquere tenebuntur.

173. Quodſi vero nec fratres, nec ſorores, aut horum, harumque liberos reliquerint, parentibus omnia permittere debent, ſolis legatis ad pias cauſas exceptis, quæ tamen legata ſemiſſem hæreditatis excedere non oportet.

174. Minores annis viginti, fatui, banniti, item & proſcripti, teſtamenta condere non poſſunt.

175. Si peregrinus non incola in hoc Ducatu teſtamentum condiderit, teſtamentum iuxta ritum huius Provinciae conditum ratum erit, ac ſi de ſucceſſione eius in hoc Ducatu lis mota fuerit, ea ſecundum morem & leges huius Provinciae determinetur, niſi bona immobilia, alibi extra hunc Ducatum ſita, aliis legibus & moribus ſubiecta fuerint.

176. Ab inteſtato primus locus in ſucceſſione eſt deſcendentium in infinitum, inter quos fratres & ſorores in capita, fratrum autem & ſororum liberi, cum patruis & materteris concurrentes, in ſtirpes ſuccedunt.

177. Lege publica filii filiabus, mares fœminis, ſunt præferendi in ſucceſſione, nimirum ut fratres, unus ſive plures, tres partes cupiant totius hæreditatis, ſorores quartam, ac tripla ſit portio fratrum ſingulorum, ſingularumve ſororum ſimpla.

178. Quae diviſio hæreditatis, ſi inter fratres & ſorores non convenerit, a proximis agnatis res definiri, eorumque iudicio ſtari debet. ANNO 1617.

179. Curiae autem in eam diviſionem non computabuntur, ſed primogenito cedent, qui & ipſe bona immobilia retinere & fratribus ac ſororibus de ſuis portionibus ſatisfacere debet.

180. Quamdiu autem ſatisfacere non poterit, tam fratribus, quam ſororibus, ius retentionis in bonis paternis, vel maternis, integrum erit, & alimenta in fratres & ſorores facta conferri non debent.

181. Liberi diverſi matrimonii bona ſua materna percipient, fratribus & ſororibus germanis tantum, non uterinis excluſis.

182. Pater ad ſecunda vota tranſiens, fortunas ſuas omnes cum liberis primi matrimonii ex æquo dividere, ac pro eius portione, quam vel retinere, vel in emolumenta liberorum exponere poteſt, fructibus eos alere ac elocare tenebitur.

183. Patre defuncto liberi primi matrimonii, quod in dotem atque mundum muliebrem a patre ipſis datum fuerit, conferre, & poſt hanc collationem factam in paterna hæreditate, ex æquo cum liberis ſecundi matrimonii ſuccedere debent.

184. Niſi pater mundum muliebrem eis condonaverit, tum nihil conferre teneantur.

185. Per adoptionem licet nobilibus familiis ius coniunctae manus facere, vel cum agnatis cognatisve, vel etiam cum aliis, quo iure, ſi in ſucceſſionibus fæmellæ excludantur, is qui eo iure ſuccedere vellet, tres totius hæreditatis partes fæmellis dabit, unam ipſe tantum ſibi retinebit, *e. g.* Si bona æſtimentur quatuor millibus, fæmellae tria millia capiant, ſucceſſor mille, nec prius cedere bonis, aut alimentorum ſumptus agnoſcere tenebuntur excluſae, quam ipſis per omnia ſatisfactum fuerit.

186. Habentes cum aliis ius coniunctæ manus, ſine voluntate eorum, quibus is nexus debetur, bona ære alieno onerare non debent; ſi enim ſine liberis deceſſerint, & bona ad coniunctae manus ſocios pervenerint, debita, quæ ſine ſcitu & ſine conſenſu eorum contracta fuerint, perſolvere non tenebuntur.

187. Jus quoque prothomiſeos debetur iis, quibus ius coniunctae manus competit, ſi ſcilicet intra annum a die ſcientiae retractum inſtituerint, & pretium, quod alius revera numeravit, refuderint.

188. Jus repræſentationis inter collaterales ultra fratrum filios, aut filias non ſerva-

ANNO 1617. vabitur, quin & nepotes ex fratre cum patruis ad ſucceſſionem defuncti in ſtirpes admittentur.

189. Defuncto marito pacta dotalitia ante omnia ſervanda erunt, modo iuri publico non ſint contraria, nec derogent his, quæ lege publica ſucceſſoribus debentur.

190. Quodſi talia pacta non exſtent, vidua exſtantibus liberis, ſi dotem intulerit, vel eam repetere, vel dotalitium, cuius fructus in duplum æquent, reditus dotis ſibi vendicare poterit.

191. Si dotem non intulerit, capere liberorum partem ex hæreditate mariti poterit, eam ſcilicet, quae filiabus debetur, non quæ filiis.

192. Si maritus uxori in teſtamento dotalitium, aut legatum fecerit, ſervandum erit.

193. Erit præterea in arbitrio uxoris, vel dotem illatam, vel dotalitium capere, vel portionem filiarum ſibi ſumere.

194. Ex pecunia parata, quæ poſt obitum defuncti in ædibus ipſius deprehenditur, vidua capiet partem decimam, pecora autem & utenſilia omnia ex æquo cum filiis, vel hæredibus aliis dividet.

195. Præterea eius anni, in quo maritus deceſſit, omnes fructus capiat uxor, ita tamen, ut unius anni tantum reditus ei cedant, non plures.

196. Si liberi non extent, & vir vel uxor alteri ſuperſtes fuerit, ſuperſtes concurrens cum agnatis defuncti, dimidiam partem ſibi retinebit, & alteram propinquis defunctae partis cedet, niſi de iure coniunctæ manus agatur, quo caſu quartam partem bonorum defuncti capient.

197. Reditus autem anni, in quo pars altera defuncta eſt, penes ſuperſtitem remanebunt, neque diviſio, niſi poſt annum luctus finitum, fiat.

198. Jure retentionis viduæ utentur, donec eis ab hæredibus ſit ſatisfactum.

199. Si alii, quam liberi, hæredes ſunt, prius bona occupare non debent, quam viduae per omnia ſatisfecerint.

200. Bona autem viduae detentrices deteriorare non debent, aut damna data omnia refundant, ſecus autem in bonis verſantibus iudicis officio curator bonorum dabitur, quin & viduae, durante retentionis tempore, ſive id dotis cauſa, ſive curatorio liberorum nomine factum fuerit, ſatisfactione præſtita, rationes edere, atque in iis non ultra, quam alimenta expoſcunt, defalcare tenebuntur.

201. Viduae item matres pupillorum ſuorum curam gerentes, etſi quamdiu in viduitate manſerint, rationes edere obſtrictae non ſint, tamen ſi ad ſecunda vota tranſierint, de præteritis annis rationes proximis agnatis pupillorum exhibebunt, ac niſi quod ipſis ratione dotis, aut dotalitii, aut pactorum aut alimentorum portione debitum fuerit, decurtabunt, cæteros vero reditus perceptos pupillis refundant. ANNO 1617.

202. Sive liberi, ſive uxor, ſive fratres, ſive quivis alius hæres, ſi defuncti necem, aut graves iniurias, non vindicaverit, eius ſucceſſione indignus cenſeri, & ſi quid ex hæreditate defuncti percepit, ab eo revocari debebit.

203. Arma expeditoria primogenito aut agnato proximo, iuxta morem cuiusque loci, ex defuncti hæreditate dabuntur.

204. Hæreditas nulla eſt, niſi ære alieno prius deducto.

205. Si qui creditores invaſerint hæreditatem, ſine authoritate iudicis, aut hæredes, intra triginta dies luctus, moleſtia affecerint, & in exigendo ſe minus modeſtos geſſerint, iure crediti ſui cadere debent.

De Delictis & Pœnis

206. Delictum eſt, quod ex dolo vel culpa profectum eſt.

207. Culpa vel magna, vel parva eſt, cuius noxa in facto, diſtinctio in arbitrio iudicis conſiſtit.

208. Blaſphemi in DEUM, rei item læſae Maieſtatis Divinae, & humanae, ſacrilegi, rebelles, profugi, deſertores, proditores, fama, vita & bonis priventur & gladio feriantur.

209. Venefici, parricidæ, inceſtuoſi, incendiarii, flammis abſumantur, latrones rota plectantur.

210. Homicidæ, doloſi, virginum aut fœminarum violenti expugnatores, vim in via publica, vel etiam in privatis ædibus, cum armis exercentes, etiamſi nemo occidatur, gladio feriantur, alieni thori violatores infames ſint.

211. Fures ſive nocturni, ſive diurni, peculatores, expilatores hæreditatum, res commodatas perfide ſubtrahentes, ſuſpendantur, hominum item Nobilitatis pecorumque ſubductores & abigei capite plectantur.

212. Prædones, vel raptores & invaſores, rerum ſuarum propriarum dominium perdant, alienarum autem jure, quod habuerunt, priventur, & præter rem invaſam, aut raptam, æſtimatione ejus rei invaſæ, vel raptæ, mulctentur, ſi rapinas iteraverint, ſint infames.

213. Falliti, conturbatores, ac decoctores, ſi ſolvendo non ſint, & ſumma, in qua cre-

ANNO 1617. creditores defraudarunt, octo millia florenorum Polon. exceſſerit, vel honore priventur, vel gladio feriantur, qua lege non comprehenduntur, qui infortunio facultatibus ſunt lapſi.

214. Rem unam, ſive in judicio, ſive privatim, duobus oppignorans, ſi ſolvendo non fuerit, infamis eſto.

215. Stupratores honeſtarum fœminarum, vel virginum, arbitrio judicis, aut dotent, aut ducant ſtupratas.

216. Si ignobilis nobilem ſtupraverit, gladio feriatur, niſi a cognatis ei ignoſcatur.

217. Contractus vel Inſtrumenta falſificantes, prævaricatores, falſumve partum ſupponentes, aut falſum teſtimonium dicentes, ex quo aliquis vel læſus eſt, vel lædi potuiſſet, niſi patefactum eſſet, gladio plectantur.

218. Injuriam ſemel verbis, vel ſcriptis facientes recunctent, ſi componere non poſſint, & æſtimationem ejus luant, ſi iteraverint, ſint infames.

219. Famoſorum libellorum, chartarumve ſcriptores, diſſeminatoreſque infames pronuntientur, & ſi crimen capitale alicui in ſcriptis ſuis famoſis objecerint, vel rebellionis cauſa ſcripta ſua compoſuerint, capite plectantur,

220. Famulos alios corrumpentes, vel ſine literis dimiſſoriis conducentes, viginti florenis puniantur.

221. Nemo famulo ſuo, quem a ſe dimittit, aliud teſtimonium det, quam ejus merita expoſcunt, ſi ſecus fecerit, ac teſtimonio ſuo alios ſeduxerit, viginti Hungaricos ſolvat.

222. Si quis in præſentia mulierum, aut fœminarum, rixas concitaverit, & plagas alteri intulerit, niſi id ſui defenſionis cauſa fiat, centum florenis puniatur, & tantiſper ab omni honeſta congregatione abſtineat, donec mulctam perſolverit.

223. Alienarum literarum interceptores, aut traductores, tanquam ſtellionatus rei, ignominia notentur, aut arbitrariis pœnis, pro qualitate rerum & circumſtantiarum puniantur.

224. Furto aliena ligna cædens, ſi in actu fuerit deprehenſus, pro quolibet equo quatuor marcas Rigenſes ſolvat, ſi equi pignorati, vel capti, ſolutionis tempore præſto non ſint, intra triduum reſtitui pignorato, aut ſi diutius detenti fuerint, ſine omni pretio, aut mulcta, reddi debent.

225. Quercum unam, aut plures cædens in alieno fundo, pro qualitate arboris, duos Hungaricos ſolvat.

226. Receptatores hominum Nobilitatis propriorum fugientium & opitulatores, aut fugæ exhortatores, ſi Nobiles ſint, ducentorum florenorum mulcta, ſi ignobiles, aut ruſtici, fuſtigationis pœna feriantur. ANNO 1617.

227. Fugitivorum hominum caſas relictas deſtruens & abducens furti pœnam luat.

228. Mulctæ Statutis præſentibus comprehenſæ, quae partibus laeſis non debentur, aerario Provinciali inferantur, exceptis iis, quae judicio debentur.

Atque hae ſunt Leges Judiciariae, authoritate S. R. Majeſtatis, conſenſuque Nobilitatis in Curlandia, & Semigallia a nobis propoſitae, ſalva tamen facultate augendi, & corrigendi, authoritate, & confirmatione Sacrae Regiae Majeſtatis accedente.

His omnibus conſtitutis cum nihil ad plenam Decreti Comitialis executionem amplius deeſſet, quam Juramenti ab Illuſtri Principe Friderico, ratione caedis Noldianae praeſtandi negotium, id evocata a nobis Illuſtritas ſua in conſeſſum noſtrum, in Curia Civitatis coram nobis, verbis in Decreto Comitiali deſcriptis, lingva Germanica, cum id ſibi permitti a nobis petijſſet, ſtans praeſtitit. Quo Juramento recepto ſecundum Inſtructionis noſtrae praeſcriptum conſignatio Semigalliae Ducatus, quem hucuſque diviſim poſſederat, & nomine S. R. Majeſtatis, a nobis, verba faciente Illuſtri, & Reverendiſſimo Domino Epiſcopo Culmenſi, in eam, quae ſequitur, ſententiam Illuſtritati ipſius facta eſt.

Illuſtriſſime Princeps. Poſteaquam ea omnia, quae Decreto S. R. Majeſtatis Comitiali Illuſtritati Veſtrae tanquam Vaſallo Principi injuncta erant, plene ſuum ſortita ſint effectum, eſt cur Omnipotenti Deo gratias agamus, is enim ſolus actiones humanas aſpirando praevenire, & adjuvando proſequi ex ſua infinita conſvevit bonitate, eſt quod & Illuſtritati Veſtrae, ejuſque Nobilitati gratulemur, eo enim modo quaſi poſtliminio reductum iri in hanc Provinciam, & Principis amorem erga ſubditos, & ſubditorum viciſſim obedientiam, ac obſervantiam erga eorum Principem, quæ duo omnium rerum publicarum firmamenta eſſe debent. Eſt praeterea cur & nos ipſi lætemur, nobisq; inde gratulemur, praeſtantem, & optatum operæ noſtræ fructum. Offerrimus itaq; Illuſtritati Veſtræ ejus Ducalis eminentiæ duo directoria, dicamus hos laboris noſtri duos manipulos formulæ Regiminis, & Legum hujus Provinciæ libros. Sint in Ducatu ij Illuſtratis Veſtræ veri, utinam quoque & uberrimi Divini cultus ſegetes, ſint ſemina pacis, & tranquillitatis perpetuæ, quæ ut in florem

ANNO 1617. rem pulcherrimum felicitatis hujus Ducatus excreſcant, optamus, & precamur id ex animo. Conſignamus inſuper ad præſens Illuſtritati Veſtræ S. R. Majeſtatis, ac Reipublicæ nomine Feudi Ducalis nobiliſſimam portionem, videlicet Semigalliam, quæ Illuſtritati Veſtræ per Diviſionem Curlandici Feudi obtigit, cum plena in illam juriſdictione Ducali, Illuſtritatemque Veſtram in plena, & pacifica ejus poſſeſſione relinquimus. Utetur Illuſtritas Veſtra hoc Regiæ Majeſtatis, ac Reipublicæ beneficio cum liberis ſexus virilis tantum, temporibus perpetuis, Jure feudi, ſi in fide Majeſtatis Regiæ, & Reipublicæ permanſerit, quam ut antea Regia Majeſtas, ac Reſpublica experta eſt præclaram, & ſingularem, ita & in poſterum eandem de Illuſtritate Veſtra ſibi pollicetur. Commendamus denique Illuſtritati Veſtræ moderatum, ac benignum in ſuos ſubditos, maxime vero in Nobilitatem imperium, quo & hactenus pro ſua prudentia, innataque comitate uſa eſt, nobilitatemque viciſſim ad promptum obtemperandi, obſequendique ſtudium Illuſtritati Veſtræ, tanquam ſuo legitimo Principi præſtandum, majorem in modum, & quam ſtudioſiſſime hortamur. Ut enim Illuſtritati Veſtræ benigni Imperii, ita ei quoque gloria obſequii præ oculis ſemper eſſe debet. Benedicat itaque Imperio Illuſtritatis Veſtræ Prænotens Deus, eamque & ſubditos ejus iis augeat cœleſtium bonorum muneribus, quibus ſe una cum ijs maxime beari cupit. Cæterum cum ad alia præſcripto Inſtructionis Regiæ Majeſtatis, atque adeo Decreti Comitialis contra Ducem Vilhelmum agenda, & urgenda, inde nos in arcem Haſenpot cum eadem plena poteſtate Commiſſoriali conferamus, indubitanter nobis in ijs omnibus rebus, & negotiis operam, & alacritatem Illuſtritatis Veſtræ tanquam fiduciarij, & Vaſalli Principis pollicemur, in quibus eam adhibere, præſcriptis Sacræ Regiæ Majeſtatis mandatis jubemur. Illuſtritate ipſius viciſſim de reſtituta quaſi poſtliminio cum nobilitate concordia, univerſaeque Ducalis Provinciæ tranquillitate gratulante, ſimulque gratias nobis agente, quod operam ſedulo impenderimus, quo & de Ordinatione quadam publica, & jure certo Provinciae Ducali conſtaret, querente inſuper, quod altera quoque Ducatus pars, qua Frater Vilhelmus excidit, quam ſenſu Decreti Comitialis deberi ſibi aſſerebat, conſignata illi a nobis non ſit. Ita diſceſſimus Mitovia, negotio receptionis arcium Curlandicarum, quod eo nomine reſponſum, & declarationem Sacrae Regiae Majeſtatis ad literas noſtras expectabamus, cauſiſque nonnullis Curlandicis per nos judicandis Haſenpotum dilatis, & rejectis. In itinere cum ad Vindavam fluvium, qui arcem Curlandiae *Schrunden* alluit, trajecturi illum veniſſemus, venit nobis obviam Dux Vilhelmus trajecto flumine, ſtipatus milite Praeſidiario ejuſdem loci, triſti, & marcido vultu, veſte pulla, ſalutatione humana nos excepit, atque in arcem *Schrunden* pernoctatum invitat. Nos cum diei unius iter via difficili jam confeciſſemus, neque aliud in vicinia diverſorium, ubi pernoctare cum Comitatu noſtro poſſemus, reperiri intellexiſſemus, ſecuti ſumus invitationem Ducis, neq; tamen eodem die, aut colloquii, aut cœnae commercium, licet invitati ab eo eſſemus, nobis cum illo fuit. In ſequenti die antequam iter ingrederemur datum petenti colloquium noſtrum, ubi cauſis primum nonnullis privatis iudicialibus, quæ cum Nobilibus illi intercedebant, Nobis propoſitis, & commendatis, ſermonem deinde longiorem de privatione Feudi habuit, iam gravitatem Decreti Comitialis, iam Mandatariorum ſuorum, qui Judicio Comitiali ſe non ſtiterunt, perfidiam accuſans, iam filii innocentiam allegans, iam aliud ex alio quærens, ac demum interceſſionem noſtram apud Sacram Regiam Maieſtatem expetens. Breviter illi tum a Nobis reſponſum, de cauſis iudiciariis non poſſe Nos hoc tempore quidquam illi polliceri. Cæterum ubi terminus cauſarum, & actionum illarum inciderit, Nos iis cognitis, quod iuris, & æquitatis ratio poſtulaverit, ſtatuturos. In negotio privationis Feudi oſtenſa illi Decreti Comitialis æquitas, eiusque ſacroſancta authoritas commendata, omnibusque modis inſtillatum, induceret omnino in animum illi parere, hanc unam ſolum rationem ſupereſſe demerendæ in poſterum clementiæ Regiæ, neque Nos, niſi ſatisfecerit prius omni ex parte Decreto Comitiali, quidquam interceſſionis impetrare illi poſſe. Ita ſolvimus tum colloquium, non ſatis explorato in futurum Ducis animo, quem omni ratione tegere videbatur. Haſenpotum ubi veniſſemus, cum ſignificaretur Nobis, Ducem Vilhelmum nonnullas Curlandiæ Arces alibi mutatis, alibi auctis præſidiis firmare, eaque præſidia nova iurisiurandi religione ſibi obſtringere, etſi iam pridem & univerſalibus Sacræ Regiæ Maieſtatis Literis in Conventu Nobilitatis Curlandiæ, & Semigalliæ Ruentalenſi, & Mitaviæ in conſeſſu noſtro Commiſſoriali, in magna Nobilitatis frequentia, omnes, & ſinguli

ANNO 1617. cuiuscunque ſtatus, ordinis, & conditionis Curlandici Tractus incolae, & Præfecti a fide, iurisdictione, & obedientia Ducis Vilhelmi Sacræ Regiæ Maieſtatis nomine, vigore Decreti Comitialis, quo idem Dux Feudo Curlandico abiudicatus eſt, per Nos liberi pronunciati ſunt, tamen ut ſiniſtris conſiliis, & conatibus ipſius occurratur, iterandam Nobis eandem promulgationem rati, expedivimus cum Literis eiusmodi noſtris univerſalibus ad Civitates, & Arcium Curlandicarum Præfectos, Generoſos Vernerum Belir Conſiliarium Terreſtrem, Georgium Treyden Vexilliferum Piltenſes, & Andream Załęſki, eos Magiſtratus Civilis Goldingenſis, & Vindavienſis, territi minis militum Præſidiariorum, acceptare primum publicandi cauſa, cum inſinuarentur illis a Nuntiis noſtris, recuſarunt, citati vero eo nomine ad iudicium noſtrum pœnitentia ducti acceptarunt, publicaruntque. Idem Lubaviae in oppido Curlandiae factum, Haſenpoti quoque eædem Literae univerſales mandato noſtro locis publicis affixae, & a Miniſtro Civitatis ex ambona recitatae, atque ad notitiam omnium deductae ſunt. Interea nunciatur Nobis, Illuſtrem Principem Fridericum iter Vilnam ad Convocationem Magni Ducatus Litvaniae Generalem moliri, paucisque diebus ingreſſum iter. Quod cum & inſciis Nobis fieret, & rationibus Commiſſionis noſtrae non parum incommodaturum videremus, alias ſuper alias noſtras Literas, atque tandem etiam Nobilem Jacobum Godemannum, Sacrae Regiae Maieſtatis Secretarium, ut Illuſtritatem ipſius ab huiusmodi conſilio, & itinere, noſtro nomine retraheret, expedivimus. Nobilis Godemannus Principem aliquot iam dierum itinere Mitaviae progreſſum aſſecutus non eſt, ad Literas tamen noſtras reſcripſit, miſitque duos Conſiliarios ſuos cum Mandatis, qui nomine Illuſtritatis ſuæ id, quod reliquum ſit ex Commiſſione Mitovienſi peragendum, Nobiscum obeant, & conſtituant. Venit deinde Cancellarius Illuſtris Principis cum iis, quos miſſurum ſe oſtenderat, Conſiliariis, qui fidei Literis, Mandatoque procuratorio Illuſtris Principis Friderici Nobis redditis hoc exemplo.

Reverendiſſime, Illuſtriſſimi ac Magnifici Domini Commiſſarii.

Quibus rationibus ingreſſum hoc iter meum Vilnenſe continuare adductus ſim, Reverendiſſima, Illuſtriſſimæ, & Magnificæ Dominationes Veſtæ ex heſternis Literis meis procul dubio perceperunt, ne tamen obſervantiae meæ erga Sacram Regiam Maieſtatem Dominum meum clementiſſimum ſvaſionibus, & monitis Reverendiſſimæ, & Illuſtriſſimarum, Magnificarum Dominationum Veſtrarum deeſſe videar, dum Sacrae Regiae Maieſtatis declarationem præſtolari adhuc easdem intellexi, daturum me certis Mandatariis meis plenam facultatem promiſi, cui ut ſatisfaciam, præſentes Generoſos Fideles mihi dilectos Michaelem Manteuffel Cancellarium, Ottonem a Mehden Capitaneum Dalenſem, & Philippum a Drahenfels pro Mandatariis meis indubitatis hiſce ſolenniter conſtituo, dans iisdem plenariam facultatem ea omnia, quæ in Inſtructione mea circa reſtantem traditionem Bonorum, atque Nobilitatis Tractus Curlandici præſcriptae ſunt, agendi, & faciendi. Quibus ut Reverendiſſima, Illuſtriſſimæ, ac Magnificæ Dominationes Veſtræ in omnibus illis indubiam adhibeant fidem, obnixe rogo. Spondeo, & promitto omnia ea, quae ſecundum prædicta acturi, & facturi ſunt, gratum, atque ratum habiturum eſſe. In cuius rei fidem haſce manu mea ſubſcripſi, & Sigillo meo muniri iuſſi. Dat. Paſwoldi vigeſima nona Martii Anno Domini milleſimo ſexcenteſimo decimo ſeptimo.

FRIDERICUS *mpp.*

ANNO 1617.

Proteſtatio Commiſſariorum contra Principem Fridericum.

Conſtituti perſonaliter coram Actis Commiſſorialibus Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus Dominus Joannes Kucborſki Epiſcopus Culmensis, & Pomeſaniæ, Magnifici, ac Generoſi Adamus Talwois Samogitiae, Maximilianus Przerębſki Zawichoſtenſis Caſtellani, & Petricovienſis Capitaneus, Gvilhelmus Kochanſki Sacræ Regiæ Maieſtatis Secretarius, Commiſſarii ablegati a Sacra Regia Maieſtate, & univerſa Republica in Curlandiae, & Semigalliae Ducatum, atque Diſtrictum Piltenſem, tam ad exequenda Decreta Sacræ Regiæ Maieſtatis in præteritis Comitiis contra Illuſtrem Fridericum in Livonia, Curlandiae, Semigalliaeque Ducem, ac Fratrem Illuſtritatis ipſius Ducem Vilhelmum lata, quam faciendas ibidem certas Ordinationes, & Leges ex præſcripto Decretorum, & Inſtructionis Sacræ Regiae Maieſtatis, ſolenniſſime meliori modo, & forma contra Illuſtrem Fridericum in Livonia, Curlandiae, & Semigalliae Ducem nomine Sacrae Regiae Maieſtatis Domini noſtri clementiſſimi, & univerſae Reipublicae proteſtantur, idque propterea,

ANNO 1617. pterea, quod Illuſtritas ipſius Decretorum Sacrae Regiae Maieſtatis in præteritis Regni Generalibus Comitiis contra Ducem Vilhelmum latorum, ex praeſcripto Inſtructionis Sacrae Regiae Maieſtatis, ad ſeriam vero poſtulationem, & Mandatum Illuſtriſſimorum Dominorum Commiſſariorum debitae executioni demandare recuſaverit, Arcesque illas, & partem totam Feudi Curlandici, qua Dux Vilhelmus in præteritis Regni Comitiis privatus fuerat, e manibus præfati Ducis Vilhelmi Fratris ſui, uti iure victi repetere, eamque in fidem Sacrae Regiae Maieſtatis, & Reipublicae reddere noluerit, imo partem illam Feudi ſibi iure deberi præſumpſerit, nec interpretationem Decreti Comitialis contra ſe lati, per Sacram Regiam Maieſtatem legitime factam admiſerit. Et licet Sacra Regia Maieſtas maioris conteſtandae gratiae ſuae cauſa Illuſtritati ſuae ad interceſſionem Dominorum Commiſſariorum, aliorumque Regni, & Magni Ducatus Litvaniae Senatorum integram adminiſtrationem huius abiudicati Feudi Curlandiae partis, usque ad futura Regni Comitia, exceptis duabus Arcibus Vindavienſi, & Tuckumenſi nuncupatis benigne contulerit, nihilominus Illuſtritas ſua nec eo quidem modo gratiam Sacrae Regiae Maieſtatis ſibi acceptandam, & executionem contra Fratrem ſuſcipiendam duxit. Adhortabantur ad id Illuſtritatem ſuam iura, quo in paſſu Vaſallus non ſolum contra Fratrem, ſed etiam contra Parentes Dominum ſuum adiuvare, illique obſequi tenetur, prout id ipſum Leges feudales, & exempla plurima abunde teſtantur, ipſum quoque recens beneficium Sereniſſimi Regis AUGUSTI Avunculi Sacræ Regiæ Maieſtatis, Domini noſtri Clementiſſimi, & Reipublicæ, Parente Illuſtritatis ſuae ad Ducalem dignitatem evecto, & tam ampli Ducatus proviſione condecorato, domui Illuſtritatis ſuae iure feudi collatum, calcaria Illuſtritati ſuae ad promptam, & alacrem parendi voluntatem addere debuit, quod certe beneficium Sacra Regia Maieſtas Dominus noſter Clementiſſimus benignitate ſua in Illuſtritatem ſuam ſi non ſuperavit, certe tamen adæquavit. Etenim cum Illuſtritas ſua ob diviſam iurisdictionem, & læſionem Feudi in publicis Regni Comitiis Anno 1616. conventus, parte ſua Feudi, hoc eſt Ducatu Semigalliæ, ex controverſia partium abiudicatus fuiſſet, nihilominus circa eandem ex ſola benignitate, & clementia Sacræ Regiæ Maieſtatis Illuſtritas ſua conſervata eſt. Quæ omnia ad nullum obſequendi ſtudium Illuſtritatem ſuam flecte-

re potuerant, quinimo contra dehortationem Dominorum Commiſſariorum, rebus cum iisdem non finitis, nec determinatis ſua Illuſtritas extra Provinciam proficiſcitur, parte hac nobiliſſima Feudi Curlandiae non ſolum a Fratre minime recepta, nec indigenis etiam Nobilibus bene proviſa, ſed quaſi in prædam quibusvis incurſoribus relicta, qui collectis undique externis, illisque ſuſpectis copiis, Arces, & bona Reipublicae, nullo iuris prætextu invitis Provincialibus intercipiunt, occupant, & undique palam per Provinciam non ſine periculo Reipublicæ graſſantur, quod malum nonniſi Illuſtritati ſuæ optimo iure imputari poteſt: idcirco contra Illuſtritatem ſuam uti S. R. Maieſtati, & Reipubl. minus obſequentem, & refractariam iterum, atq; iterum Domini Commiſſarii quam ſolenniſſime proteſtantur, conteſtantes, ut ſi quid in poſterum mali ex his omnibus erratis acciderit, id Illuſtritati, ſuae qui nullam rationem Maieſtatis Regiae, Dignitatis Reipublicae, & officii boni Vaſalli, & Fiduciarii Principis habuit, imputabitur. Contra Conſiliarios quoque Illuſtritatis ſuae, præcipue vero Gaſparum Drelingium J. U. D. uti omnium malorum conſiliorum authorem, atque fomitem, & alios ſuo tempore nominandos liberam actionem, ſalvo iure addendi, & proteſtationem hanc latius explicandi reſervantes. Quam quidem proteſtationem Actis Regni, & Magni Ducatus Litvaniæ authenticis inſeri, indeque authenticum ipſius teſtimonium extradi curabunt.

ANNO 1617.

Proteſtatio Commiſſariorum contra Ducem Vilhelmum.

Conſtituti perſonaliter, & ut ſupra Commiſſarii ablegati, ſolenniſſime meliori modo, & forma contra Vilhelmum quondam Curlandiae, & Semigalliae Ducem nomine Sacrae Regiae Maieſtatis, Domini noſtri Clementiſſimi, & univerſae Reipublicae proteſtantur, idque propterea, quod ipſe, cum in præteritis Regni Comitiis graviſſimorum criminum cauſa ab Inſtigatore Sacrae Regiae Maieſtatis, & Reipublicae conventus in cauſa ſuccubuiſſet, ac Feudo paterno excidiſſet, tituloque Ducali Curlandiae, & Semigalliae, Decreto Comitiali legitime privatus eſſet, auſus eſt, contra omne ius, & fas ſeſe Commiſſioni a S. R. Maieſtate, & univerſa Republica inſtitutæ, agnita prius, & acceptata in pluribus cauſis Jurisdictione Commiſſoriali, ad executionem eorundem Decretorum ordinatæ opponere, ac contra eandem calumnioſam quandam proteſtationem, in

Anno 1617. graviſſimum Sacræ Regiæ Majeſtatis, & Reipublicæ contemptum, & vilipendium interponere, ac authoritatem Generalium Regni Comitiorum temeris, & frivolis ſuis rationibus infringere, præterea Arces, & Bona Reipublicæ, quibus Decreto Comitiali privatus eſt, a Dominis Regiis Commiſſariis requiſitus, in fidem Sacræ Regiæ Majeſtatis, & Reipublicæ reſtituere recuſarit, imo eoſdem, milite externo, Scotis, Anglis, & in fide ſuſpectis præter omnem morem hoſtiliter potius, quam pacate munivit, Capitaneos indigenas, & bene poſſeſſionatos nobiles a muniis illorum amovit, alioſque externos, & non ita pridem hoſti Reipublicæ militantes præfecit, eorumque fidem non Sacræ Regiæ Majeſtati, & Reipublicæ, uti Legibus cautum eſt, ſed ſibi ſoli jurejurando obſtrinxit. Ad extremum omnibus in Provincia hoſtiliter relictis, & conſtitutis, ipſe extra Regnum, & Ditiones Reipublicæ in exteras nationes proficiſcitur, data gubernatione Ducatus ſibi jam authoritate Comitiali abjudicati, Generoſo Volmaro Farensbachio, idque eo modo, & ratione, ut ditionem hanc Sacræ Regiæ Majeſtatis, & Reipublicæ propriam violenter, ac hoſtiliter, in præjudicium Sacræ Regiæ Majeſtatis, & Reipublicæ invaderet, detineret, ejuſque poſſeſſionem vi, & armis tueretur, ac tandem Nobilitati, & ſubditis Reipublicæ hoc inuſitato gubernationis modo gravis exiſteret. Quæ omnia, cum apertam rebellionem, hoſtilitatem, ac renitentiam præſeferant, Illuſtriſſimi, ac Magnifici Domini Regij Commiſſarij iterum, atque iterum contra eundem Vilhelmum quondam Curlandiæ Ducem, quam ſolenniſſime proteſtantur conteſtantes, ut ſi ex hac aperta rebellione illius, aliquid mali, ſeu adverſi acciderit, id illi ipſi uti Decretis Comitialibus rebelli, & refractario, ipſiuſque enormibus factis imputabitur, contra Conſiliarios quoque ipſius, alioſque aſſeclas, præcipue vero Dettlovium, Kijsbroch, Stabuli Præfectum, Gothardum Frage Vicecapitaneum Goldingenſem, Antonium Waymer Quæſtorem, Chriſtophorum Viborich, & alios ſuo tempore, nominandos uti horum omnium malorum complices, & cooperatores eodem modo, & forma iidem Domini Regij Commiſſarij quam ſolenniſſime proteſtantur. Inſtigatori Sacræ Regiæ Majeſtatis, & Reipublicæ ratione horum omnium, nimirum contra præfatum Vilhelmum quondam Curlandiæ Ducem, ejuſque Conſiliarios, ſalvo jure addendi, & hanc proteſtationem latius explicandi, actionem reſervamus.

De Arcium Curlandicarum in nomen & fidem Sacræ Regiæ Majeſtatis, & Reipublicæ traditione miſſi a nobis Generoſi Nicolaus Talvois Capitaneus Zaclenſis, & Andreas Załęſki ad Wolmarum Farensbachium, quod ſe Gubernatorem Ducatus Curlandiæ, & literis Ducis Vilhelmi, & ſuis quoque propriis hinc inde dimiſſis, lociſque publicis affixis, venditaret. Cum vero is Arces, Ducatumque eum tradere recuſaſſet, facta eſt contra eundem quoque a nobis proteſtatio hoc exemplo. Anno 1617.

Conſtituti perſonaliter, ut ſupra, ablegati Commiſſarij &c. Solenniſſime meliori modo, & forma contra Volmarum Farensbach nomine Sacræ Regiæ Majeſtatis, Domini noſtri Clementiſſimi, & univerſæ Reipublicæ proteſtantur, idque propterea, quod poſtpoſito fidelis ſubditi officio, & fide, qua Sacræ Regiæ Majeſtati, & Reipublicæ obſtrictus erat, auſus ſit militem externum conſcribere, illoque conſcripto palam per Ditiones Regni graſſari, Arceſque Sacræ Regiæ Majeſtatis, & Reipublicæ proprias, quibus Dux Vilhelmus legitimo Juris proceſſu, Decreto Sacræ Regiæ Majeſtatis, & Comitiorum privatus eſt, invadere, eaſque hoſtiliter occupare, & hucuſque nullo Jure detinere, idque contra Jus, & Leges Regni, ac Conſtitutiones de gverris, & perduellionibus ſancitas, & licet a Dominis Regijs Commiſſarijs fidei, & officii ſui admoneretur, ut Arces, & Bona Sacræ Regiae Majeſtatis, & Reipublicae in fidem ejuſdem redderet, non ſolum ejusmodi Mandatis reſtitit, verum etiam ablegatis eorum, Generoſis, & Nobilibus Nicolao Talvois Capitaneo Zaclenſi, & Andreae Załęſki finaliter reſpondit, ſe Arces, & Bona Ducatus Curlandiae, quae quodam gubernationis praetextu poſſidet, nemini praeterquam Duci Vilhelmo, vel ipſius filio reſtituturum, praeterea multa verba, & convicia ſummopere dignitatem, & authoritatem Sacrae Regiae Maieſtatis Domini noſtri Clementiſſimi laedentia, rebellionem apertam, & ſeditionem, perduellionemque expreſſam praeſeferentia, in ſummum contemptum, & vilipendium ejuſdem Sacrae Regiae Majeſtatis, & Reipublicae protulit, prout ea omnia ſuo tempore ſpecificata latius explicabuntur. Cum autem ex hac rebellione non vulgare periculum Sacrae Regiae Majeſtati, & Reipublicae imminere Domini Regii Commiſſarii animadverterint, contra praefatum Volmarum Farensbach ſolenniſſime iterum, atque iterum meliori modo, & forma proteſtantur, Inſtigatori Sacrae Regiae Majeſtatis, &

Anno 1617. & Reipublicae liberam actionem ratione horum omnium criminum contra eundem salvo Jure addendi, & hanc protestationem enucleatius explicandi, reservantes.

Cautio Friderici Ducis Curlandiæ Commissariis data.

Nos Fridericus Dei Gratia in Livonia Curlandiae,&Semigalliae Dux,notum testatumque facimus, quorum interest universis, & singulis. Cum a Sacra Regia Majestate Domino nostro Clementissimo Jurisdictio totalis, qua ad Comitia praeterita hactenus in universam Nobilitatem Curlandicam, & Semigallicam quiete usi sumus, ad praesentem Commissionem Curlandicam certis ex causis aliquandiu suspensa fuerit, iam vero per Reverendum, Illustrissimos, & Magnificos Dominos Commissarios Regios gravaminibus quibusdam nobilitatis sopitis, & abolitis vigore subiectionis Pactorum, & Investiturarum, post satisfactionem Decreto Comitiali nobis praestitam, plenarie restituta, Nobilitas Semigallica iterum assignata nobis sit, Nomineque Sacræ eiusdem Maiestatis Regiæ iniunctum esset nobis, ut una cum iustitiae administratione defensionem, & protectionem eiusdem Nobilitatis quoque Curlandicae, Civitatumque ad Curlandiam spectantium eo, quo consvevimus semper, modo in nos reciperemus. Nos licet non ignoremus, pro Magistratu, quem in praedictam Semigalliam, & comissam modo nobis a Sacra Regia Maiestate Curlandicam Nobilitatem ad Comitia Generalia futura gerimus, hoc nostri muneris, & officii esse, attamen quo fidelitatem, & observantiam nostram, in qua erga Sacram Regiam Maiestatem Dominum nostrum Clementissimum hactenus constanter perstitimus, & in posterum quoque ad extremum usque vitae nostrae spiritum fideliter persistere volumus, eo luculentius testatam faceremus, huic Sacrae Regiae Maiestatis iniuncto muneri, sine tamen praeiudicio Juris nostri, quod nobis competere existimamus, submisse nos subiecimus. Ac proinde vigore literarum nostrarum praesentium spondemus, & promittimus, nos illam quoque Nobilitatem Curlandicam, una cum iustitiae administratione, & Decretorum per Illustrissimos Dominos Commissarios latorum executione, in nostram protectionem suscipere, & suscepturos, eandemque accedente illius debito nobis auxilio, contra quosvis homines pro posse nostro defensuros esse. E contra vero praedicta Nobilitas universa Curlandica, & Semigallica nobis omnem obedientiam, & observantiam praestabit. In cuius rei fidem hasce manu nostra subscripsimus, Sigilloque nostro communiri fecimus. Datum Hasenpoti vigesima quinta Aprilis Anno Domini millesimo sexcentesimo decimo septimo. Anno 1617.

Fridericus *mpp.*

Haec itaque acta, gesta, administrataque esse, nos suprascripti Commissarii testamur. In cuius rei fidem manibus nostris praesentes subscripsimus, & Sigillis consignavimus. Datum in Arce Hasenpotensi, *D*ucatus Curlandiae die VIII. Mensis Maii. Anno Domini millesimo sexcentesimo decimo septimo.

CCXXIX.

Ordinatio Regiminis, & Judiciorum in Districtu Piltensi Ducatus Curlandiæ, & Semigalliæ, per Commissarios Sacræ Regiæ Maiestatis, & Reipublicæ constituta, & promulgata. Dat in Oppido Hasenpot d. 9. Maii An. 1617. *Ex Archivo Regni.* Lib. 169. num. 170. 1617.

Joannes Casimirus *Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Russiæ Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, Smolensciæ, Czernichoviæque, nec non Svecorum, Gottorum. Vandalorumque hæreditarius Rex. Significamus præsentibus Literis nostris, quorum interest, universis, & singulis. Oblatas esse ad Acta Metrices Regni Cancellariæ Maioris Literas papyraceas infrascriptas, originales, & authenticas, quinque folia in se habentes, manibus Illustrissimi, & Reverendissimi olim Joannis Kucborski Episcopi Culmensis, & Pomesaniæ, & Magnificorum Adami Talwois Samogitiæ, Maximiliani Przerębski Zawichostensis Castellanorum, nec non Generosi Guilhelmi Kochanski Secretarii Regii, uti, & tanquam authoritate Conventus Regni Generalis per Ordines Regni, & Magni Ducatus Litvaniæ in Ducatum Curlandiæ, & Semigalliæ, Districtumque Piltensem cum plena potestate Ablegatorum Commissariorum subscriptas, & Sigillis quatuor eorundem propriis, in una oblongiori schedula expressis, obsignatas, continentes in se Ordinationem Regiminis & Judiciorum prædicti Ducatus Curlandiæ, & Semigalliæ, Districtusque Piltensis, evidentes, & reales, nulli suspicionis notæ obnoxias, quarum tenor, sequitur, estq; talis.*

ANNO 1617. Nos Joannes Kucborſki Dei, & Apoſtolicæ Sedis Gratia Epiſcopus Culmenſis, & Pomeſaniae, Adamus Talwois Samogitiae, Maximilianus Przerębſki Zawichoſtenſis Caſtellani, Capitaneus Petricovienſis, Gvilhelmus Kochanſki Sacræ Regiæ Maieſtatis Secretarius, Sereniſſimi, & Potentiſſimi Principis ac Domini, Domini SIGISMUNDI III. Dei Gratia Regis Poloniæ, Magni Ducis Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæque &c. nec non Svecorum, Gotthorum, Vandalorumque Hæreditarii Regis, Domini noſtri Clementiſſimi, Ordinumque Regni Poloniae, ac Magni Ducatus Litvaniae in Ducatum Curlandiae, & Semigalliae, Diſtrictumque Piltenſem plena cum poteſtate Ablegati Commiſſarii. Significamus præſentibus Literis noſtris quorum intereſt, univerſis & ſingulis. Quod cum Commiſſione Sacrae Regiae Maieſtatis Domini noſtri Clementiſſimi iniunctum Nobis eſſet, ut in Diſtrictum Piltenſem Nos conferremus, ibidemque indicto, & publicato Conventu ſtatum Diſtrictus illius inſpiceremus, Judices, & iudicia conſtitueremus, in rebelles, & contumaces, Mandatisque Sacræ Regiæ Maieſtatis minus obſequentes, ordinationumque eiusdem Sacræ Regiae Maieſtatis ſuppreſſores, & detentores animadverteremus, gravioris momenti cauſas, & controverſias Nobilium cognoſceremus, appellationum ad Sacram Regiam Maieſtatem interponendarum modum præſcriberemus, Præfectum Piltenſem conſtitueremus, eumque Sacrae Regiae Maieſtati, & Reipublicae fidei iuramento obſtringeremus, Decreta Sacrae Regiae Maieſtatis executioni demandaremus, liberum Catholicae Romanae Religionis exercitium, novumque Calendarium promulgaremus, aliaque ex præſcripto Mandatorum Sacrae Regiae Maieſtatis perageremus. Ea omnia Nos in Conventu Nobilitatis ad diem 27. Menſis Martii Haſenpoti a Nobis indicto, habitoque, iurisdictione noſtra Commiſſoriali ibidem promulgata, pro fide, & officio noſtro, re cum Nobilitate communicata, ad præſcriptum Mandatorum Sacrae Regiae Maieſtatis ſequentem in modum conſtituiſſe, & ſanxiſſe, prout conſtituimus, ſancimus, & promulgamus præſentibus Literis noſtris. Inprimis ne in poſterum a quoquam in colenda libere Catholica Romana Religione metus prætendi poſſet, authoritate Sacræ Regiæ Maieſtatis, conſenſuque univerſae Diſtrictus huius Nobilitatis, hoc in vim legis perpetuae ſancimus, ut nimirum liberum ſit incolis huius Diſtrictus, cuiuscunque ſtatus, & conditionis hominibus, Religionem Catholicam profitentibus, vel eam profiteri volentibus, iuxta præſcriptum Romanae eiusdemque univerſalis Eccleſiae, ſacella, templa, & ſcholas ædificare, vel antiqua in bonis ſuis accommodare, Sacerdotes Catholicos quoscunque accerſere, eorumque miniſterio in ſacris pro ſe, familia, ſubditisque ſuis uti, Magiſtratus vero Politicus ut ex Officio, & ſub gravi indignatione Sacrae Regiae Maieſtatis teneatur tueri, & defendere ab omni vi, & iniuria, loca ſacra, hominesque Religionem Catholicam Romanam profitentes, vel eam docentes, rudesque Catholica fide imbuentes. Ad munia quoque publica Catholicis, qui ex iis in Diſtrictu hoc idonei fuerint, liber aditus eſſe debebit. Calendarium novum in omnibus Imperio Sacrae Regiae Maieſtatis ſubiectis Provinciis receptum, Nobilitas quoque huius Diſtrictus univerſa, ad requiſitionem noſtram Sacrae Regiae Maieſtatis nomine factam, alacri animo recepit, quod ut ad Feſtum S. Joannis Baptiſtae præſentis anni milleſimi ſexcenteſimi decimi ſeptimi, publice etiam per Conſiliarios introducatur, promulgeturque, per Miniſtros etiam Eccleſiarum ad notitiam omnium deducatur, ac deinceps ab omnibus conſtanter obſervetur, authoritate noſtra Commiſſoriali ſub gravi Sacræ Regiæ Maieſtatis indignatione conſtituimus, edicimusque; iudicia inpoſterum ſecundum Leges & Ordinationem Sacrae Regiae Maieſtatis anno 1611. Diſtrictui huic conceſſam, moderatione tamen, quam nonnullis in punctis hac fecimus ordinatione, obſervata exerceantur. Siquid tamen ex Legibus in Curlandiae, & Semigalliae Ducatu, authoritate noſtra Commiſſoriali promulgatis, Nobilitati Diſtrictus Piltenſis uſui eſſe poſſit, id quantum ratio Status Diſtrictus eiusdem patitur, ut in uſum ſuum quoque Nobilitas referat, poteſtatem illi facimus. Iudices, & Conſiliarios Terreſtres conſtituimus hos ſeptem, Generoſos nimirum Reinholdum Brakel, Hermanum Maydel, Sacræ Regiæ Maieſtatis Cubiculi Familiares, Vernerum Behr, Illuſtriſſimi Principis Electoris Conſiliarium, Archimareſchalcum Vendenſem, Fabianum a Roſſen, Alexandrum a Saken, Fridericum Brunau, & Magnum a Brynken, in poſterumque totidem numero ſint, qui a Nobilitate Sacrae Regiae Maieſtatis Confirmatione accedente eligentur, qui iuramentum de officio fideliter adminiſtrando, iureque dicendo præſtabunt, ea forma, quæ in Ordinatione Sacræ Regiæ Maieſtatis præſcribitur. Notarium Terreſtrem Judicii, &

ANNO 1617.

ANNO 1617. & Diſtrictus Piltenſis creamus Generoſum Engelbertum a Mengden, qui ius dicendae ſententiae in iudicio habebit. Neque vero eidem officio in poſterum etiam, niſi Nobilis electione Judicii præficietur. Judicium illud in Diſtrictu hoc nobilitare ſit unicum, iudicio inferiore, quod rationibus Diſtrictus huius minus commodum aſſeritur, ſublato. Quo ambages & protelationes iudiciorum, cauſarumque in poſterum vitentur, diſceptationes, & controverſiae partium non in ſcriptis, ſed oretenus & ſummarie proponantur, meritaq; cauſarum ſententiis, & decretis inſerantur. Citationes & Mandata ſolus Præſes iudicii requiſitus a Partibus ſubſcribat, atque ſub Sigillo publico edat. Appellationes omnes in cauſis, quae ſummam quadringentorum florenorum exceſſerint, ad iudicium Sacrae Regiae Maieſtatis devolvantur, habebuntque terminum in iudicio Sacræ Regiae Maieſtatis, proximos quosque menſes Martium, & Octobrem cuiuscunque anni. In cauſis criminalibus, honoremque tangentibus libera cuique ſit ad Sacram Regiam Maieſtatem appellatio, exceptis cauſis criminum recentium, invaſionum, ſpolii, defloration is, & raptus fœminarum, deprædationum, homicidiorum dolo, atque ex inſidiis factorum. In cauſis mere civilibus, appellans impoſſeſſionatus, priusquam appellatio illi concedatur, appellato in caſum ſuccubitionis de damnis, & expenſis reſarciendis cavebit, eaque præſtabit, ſi appellationem temere interpoſitam fuiſſe, Decreto Sacræ Regiae Maieſtatis iudicatum fuerit. Si quis Conſiliarios & Judices Piltenſes citationibus temere ad iudicium Sacræ Regiæ Maieſtatis evocaverit, damna, & impenſas eam in rem a iudicibus factas refundat. In executione Decretorum facienda, ſi ii, quorum id muneris erit, negligentes fuerint, pœna triginta hungaricalium mulctentur, partique gravatae damna omnia refundant. Mandata adverſus executionem impetrata impedimento non erunt, quominus executio fiat, Mandataque eiusmodi impetrans, mulcta viginti quinque hungaricalium afficiatur. Quod ſi ea potentia, aut contumacia iure victae partis fuerit, ut Conſiliarii, ſeu Judices pares executioni faciendae non ſint, tum univerſa Nobilitas auxilio eis in executione facienda ſit, a quo officio neque ſanguinis cognatio, neque neceſſitudo, aut amicitia ulla quenquam excuſabit, ſub pœna centum hungaricalium cuivis inobedienti irroganda, pro qua cuilibet liberum erit, contravenientem ad Judicium ordinarium citare.

Servitium Nobilitatis Equeſtre Sacræ Regiæ Maieſtati, & Reipublicae debitum conſtituimus, ut in poſterum non minus ſit octuaginta Equitum, armis, omnique apparatu bellico bene inſtructorum. Qui quidem Equites proportione, & qualitate cuiusque Nobilis bonorum, ex aſſignatione & diſtributione quatuor Conſiliariorum Terreſtrium, totidemque ex Nobilitate ad actum præſtabuntur, ſub pœna Confiſcationis bonorum, unicuiq; contravenienti irroganda. Præfectos Militares tota Nobilitas una cum Conſiliariis, cum Confirmatione tamen Sacræ Regiæ Maieſtatis conſtituet, quibus ab omnibus, qui ſigna eorum ſequentur, honor, & obedientia debita præſtabitur, Præfectisque in delinquentes ratione qualitatis delicti, ſecundum diſciplinæ militaris uſum durante expeditione bellica libera ſit animadverſio. Ærarium Provinciale publicum Nobilitati conſtituendi poteſtas ſit, ad quos omnes mulctae, contributionesque publicae & collationes ſpontaneae conferantur, cuius ærarii adminiſtratio penes duos Conſiliarios ſeniores, & duos ex Nobilitate ad hoc deputatos ſit. Arcis Piltenſis Præfectum authoritate Sacræ Regiæ Maieſtatis ad præſentationem Illuſtris Sophiæ Ducis Anſpachianenſis, uti iure contra Ducem Vilhelmum in Judicio noſtro Commiſſoriali vincentis, illiusque Illuſtritatis Fratris, & Tutoris Illuſtris Principis Domini Chriſtiani Epiſcopi Mindenſis, & Brunſvicenſis, ac Luneburgenſis Ducis, conſtituimus Generoſum Jacobum Godemanum S. R. Maieſtatis Secretarium, isque iuramentum fidei Sacrae Regiae Maieſtati, & Reipublicae coram Nobis præſtabit hac Forma.

Ego N. iuro, quod Sereniſſimo, & Potentiſſimo Principi, & Domino, Domino SIGISMUNDO III. *Dei Gratia Regi Poloniæ &c. eiusque Maieſtatis Sereniſſimis Succeſſoribus Regibus Poloniæ, & Reipublicæ fidelis ero, Arcem, Prædia, & Bona Piltenſia, cum in poſſeſſionem eorundem venero, inſcia & invita Sacra Regia Maieſtate, & Republica, ac Illuſtri Duciſſa Anſpachiana, durante iure ipſius, nemini tradam, ſi quid Sacræ Regiæ Maieſtati & Reipublicæ nocivum ſcivero, illud pandam, & pro poſſe meo avertam, ſic me Deus adiuvet, & Sancta Chriſti Paſſio.* Idem, aliique inpoſterum futuri Præfecti Piltenſes in fide, & obſequio Sacræ Regiæ Maieſtatis, & Reipublicæ eſſe, & permanere debebunt. Quodſi modernum Præfectum mori, aut cedere ea Præfectura contigerit, Illuſtris Duciſſa Anſpachiana, Succeſſoresque Illuſtritatis ipſius, in Hypotheca Piltenſi alium Præfectum ſine ſcitu,

ANNO 1617. & conſenſu Sacræ Regiæ Maieſtatis non ordinabunt, neque alius ad hoc ipſum munus niſi Indigena Nobilis, & in *Diſtrictu* Piltenſi bene poſſeſſionatus conſtituetur. Haec Sacrae Regiae Maieſtatis Authoritate, & Mandato Ordinata, ſancitaque Nos ſupraſcripti Commiſſarii manibus Noſtris ſubſcripſimus, Sigilliſque conſignavimus. Datum in Oppido Haſenpot Diſtrictus Piltenſis die nona Maii Anno Domini MDCXVII.

Joannes Kucborſki Fpiſcopus Culmenſis. & Pomeſaniæ manu ſua, L. S. cera rubra ſuper ſchedula expreſſi.
Adamus Talwois manu propria L. S. ſimiliter expreſſi.
Maximilian. de Przereb Caſtellanus Zawichoſten. Capitaneus Petricovienſis mpp. L. S. ſimiliter expreſſi.
Guilhelmus Kochanſki S. R. Maieſtatis Secretarius, L. S. ſimiliter expreſſi.

Quas quidem præinſertas Commiſſionis a Sereniſſimo olim Sigiſmundo III. *Anteceſſore noſtro, & Univerſis Ordinibus Regni, ac M-D. Lithvaniæ unanimi conſenſu aſſignatæ, & ſancitæ per ſuprafatos plenæ poteſtatis ablegatos Commiſſarios in Ducatu Curlandiæ & Semigalliæ, Diſtrictuque Piltenſi legitime expeditæ, Literas Nos ad Acta præſentia ſuſcipi, & ex iiſdem fideliter de verbo ad verbum deſcriptas, Parti, quotieſcunque id poſtulaverit, extradi permiſimus. In cuius rei fidem &c. Actum & Datum Varſaviæ ſub tempus Comitiorum Regni Generalium Feria ſecunda in Vigilia Feſti Sancti Thomæ Apoſtoli die ſcilicet 20. Menſis Decembris, Anno Domini milleſimo, ſexcenteſimo ſexageſimo ſexto. Ad Relationem Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi in Chriſto Patris Domini Domini Nicolai in Prazmow Prazmowſki Epiſcopi Luceorien. & Breſten. deſignati Archiepiſcopi Gneſnen. Supremi Cancellarii Regni, Abbatiæ Sieciechovienſis, perpetui Adminiſtratoris, in Arce Cracoviæ ad Eccleſiam Sancti Michaelis Præpoſiti.*

CCXXX.

1618. *Reſponſum Sacræ Regiæ Maieſtatis Poloniæ, & Sveciæ, Illuſtri Principi Domino Friderico Curlandiæ, & Semigalliæ Duci, Varſaviæ in Comitiis Regni Generalibus,* die 26. Martii. Anno 1618. *datum. Ex Archivo Regni* Lib. 128. N. 129. Fol. 6.

Agnoſcit Sacra Regia Maieſtas Dominus noſter clementiſſimus non illibenter, ita Illuſtrem Principem Dominum Fridericum Curlandiae, & Semigalliae in in Livonia Ducem de Republica, & Sua Maieſtate meritum eſſe, talemq; ſemper ſe præſtitiſſe, qualem eſſe oportebat eum, qui beneficio huius Ampliſſimæ Reipublicæ, & dignitate & fortunis auctus eſt. Optime tenet memoria Maieſtas Regia per omnes occaſiones turbatæ Livoniæ non defuiſſe Patriæ Illuſtritatem illius, fortem, ſtrenuamque operam in bello navaſſe, periculiſque ſeſe ſæpius expoſuiſſe, neq; ſolum grata recordatione proſequitur Regia Maieſtas Illuſtritatis illius pro Republica conatus, verum etiam ea eſt erga Illuſtrem Principem voluntate, ut parata ſit, dum res, & occaſio tulerit, re ipſa declarare, quanto pere Illuſtritatis illius dignitati, fortunarumque incrementis faveat. Experietur Illuſtris Princeps ſemper propenſum Regiæ Maieſtatis in ſe animum, cum viciſſim ille, quemadmodum Regia Maieſtas certo confidit, in conſtanti bene de Regia Maieſtate, & Republica merendi voluntate perſeverabit, dabitque operam, ut omni obſequiorum, ac fidei teſtificatione gratiam, liberalitatemque Regiæ Maieſtatis promereatur. Ut autem Illuſtris Princeps intelligat Regiam Maieſtatem optime illi velle, atque inprimis fortunarum ipſius rationem habere, benigne, & gratioſe concedit, ut eam partem Curlandiæ, & Semigalliæ, quæ in portione Ducatus Vilhelmo Fratri eius ceſſerat (cum haec portio in diſpoſitionem Regiae Maieſtatis, fratre ipſius decreto Comitiali iudicato, devenerit) iure feudi ex mera, & ſpeciali gratia, ac benignitate Regiae Maieſtatis, cum omnibus Arcibus, Civitatibus, Oppidis, Villis, Praediis teneat, uſum fructumque eorum bonorum hac ſpeciali Regiae Maieſtatis conceſſione, cum omnibus nexibus fidelitatis in Diplomate feudi ſpecificatis plenarie habeat. His conditionibus adiectis, ut praeſcriptam a Commiſſariis, quos Regia Maieſtas proxime ſuperiori Anno illic habuit, Regiminis formulam a ſua Maieſtate acceptatam ſervet, ſecundum normam illius univerſo Ducatui praeſit, iuſtitiam ſecundum Leges a Commiſſariis praeſcriptas adminiſtret, articulos, de quibus ſecundum eandem formulam tranſactum eſt, teneat, ſecuritati Provinciae iuxta Jura Ducatus, & opportunitatem temporum proſpiciat, & omnibus, quae in forma Regiminis, a Commiſſariis Regiae Maieſtatis decreta, ordinataque ſunt, pareat, de iisque obſervandis, Reverſalibus ſuis Regiae Maieſtati, & Nobilitati caveat, cum Regia Maieſtas viciſſim omnes ſubditos, quocunque nomine cenſeantur, etiamſi ſpecialibus Literis exempti ſint, eius

ANNO 1618.

ANNO 1618. eius Jurisdictioni subiectos esse velit. Damna, quae belli necessitas intulit, ea ita ferenda esse, ut commune malum, quod vitari non potest: optandum sane esset, ut hostes deessent, ut pax, & tranquillitas ubique affluueret, ne ulli sint, qui hosti rerum novarum occasionem praebeant, ne patriae pericula accersant. Sed quoniam ea rerum est vicissitudo, communis potius fortuna accusanda est. Regia Maiestas ab omni iniuria, quae subditis suis inferri possit, alienum gerit animum, pacem, & tranquillitatem publicam curae habet, salutem publicam privatis omnibus commodis anteponit, & his, quae Livoniae imminere videntur, periculis, ita prospicit, ut quantum fieri possit, ea removeat. Oppignorationes bonorum Ducalium, si iuxta praescriptum feudalis transactionis fient, Regia Maiestas ratas habebit, modo ne bona ita pignori dentur, ut summa pecuniae pignus ipsum excedat, atque eo ipso Patrimonium Reipublicae per speciem oppignorationis in perpetuum alienetur, qua de re cum in particulari ab Illustri Principe Regiae Maiestati aliquid proponetur statuendum, Regia Maiestas id decernet, quod iuri communi, & pactis feudalibus consentaneum existimabit. Haec interea Regia Maiestas Dominus, noster clementissimus Illustri Domino Friderico Curlandiae, & Semigalliae Duci concedendum existimavit, quem Paterno affectu hortatur, ut diligenter expendat & dispiciat partes Officii sui, quid Regiae Maiestati, quid Reipublicae debeat, eumque certum, & stabilem rerum suarum statum existimet, qui a Regiae Maiestatis patrocinio dependeat, cui tanquam primo, & praecipuo secundum Deum dignitatis, & fortunarum suarum Authori, omnia debet.

SIGISMUNDUS *Rex.*

CCXXXI.

1628. *Responsum Nomine Sacrae Regiae Maiestatis Generoso Ottoni Grothuss Ducis Curlandiae, & Semigalliae Supremo Burgrabio, eiusdemque Principis Nuntio. Dat. Varsaviae* die 20. Iulii Anno 1628. *Ex Archivo Regni.*

Quam grata, atque accepta fuerit Sacrae Regiae Maiestati Domino meo Clementissimo Legatio haec, quamque benevolo, & benigno Regiae voluntatis affectu, sua Maiestas debitae observantiae, fidelisque subiectionis testificationem, ac longaevae incolumitatis, feliciumque Successorum comprecationem a Generoso Nuntio Nomine Illustris Principis delatam acceperit, ex Responso a Sacra Regia Maiestate coram dato, idem Nuntius probe intellexit, nec minus id, quam moleste ferat sua Maiestas, tot calamitatibus incolas *D*ucatuum istorum affici, tamque gravibus a milite exactionibus gravari, & ad extremam prope egestatem redigi. Accidit enim id non solum praeter voluntatem modo nominatae suae Maiestatis, verum etiam contra Regia Mandata, quibus militarem insolentiam castigabat, & Militi stativa, atque hyberna, pecuniariasque ac frumentarias exactiones in iisdem Ducatibus severe prohibebat: eadem nunc cura est, eadem sollicitudo suae Maiestatis, de avertendis ab hac Provincia belli calamitatibus, quod & si contagione sua vicinas affligere soleat Provincias, & ubi sedem fixit, ibi duram eius sortem omnes subire, patique coguntur; tamen in eam curam sua Maiestas incumbit, eamque Ducibus Exercitus serio demandavit, ne incolae istius Provinciae his inposterum malis afficiantur, quod etiam publica Regni Constitutione in hisce Comitiis cautum est: Pari ratione Sua Maiestas optat, ut Jura, Institutaque huius Provinciae sarta, tectaq; conserventur, neque aut Authoritas Illustris Ducis, aut Jura Provinciae ullis Mandatis, Rescriptis, & Commissionibus, e Cancellaria Regia obtentis labefactentur, resque iudicatae, ac *D*ecreta infringantur. Verum cum ad Thronum Regium supplicibus aditus patere debeat, nec remedia iuris denegari possint, id tantum sua Maiestas in Cancellaria sua praecaveri mandabit, ne passim, & sine summaria saltem cognitione talia Responsa extradantur, fraudique litigiosorum, & inquietorum hominum, quoad fieri poterit, occurratur. Caeterum ut aut extradita Rescripta revocentur, aut nulla omnino deinceps extradantur, alienum foret a iustitia, Regiaque dignitate.

ANNO 1628.

CCXXXII.

Jurium, & Libertatum Civitati Nitavienſi a Friderico Curlandiae & Semigalliae Duce concessorum Confirmatio, & Approbatio. Dat. Vilnæ die 23. Iulii Anno 1633. *Ex Archivo Magni Ducatus Lithvaniae.* Lib. N. 206. fol. 16. 1633.

Vladislaus IV. Dei gratia Rex Poloniae Magnus Dux Lithvaniae Russiae, Prussiae, Samogitiae, Masoviae, Li-

ANNO 1633. voniæque, nec non Svecorum, Gotthorum, Vandalorumque Hæreditarius Rex, Electus, & Magnus Dux Moſchoviae.

Significamus præſentibus Literis noſtris quorum intereſt, univerſis & ſingulis. Supplicatum Nobis humillime fuiſſe nomine Civitatis Nitavienſis Ducatus Curlandiae, ut eam circa iura, ſtatuta, libertates, & conceſſiones ab Illuſtri Principe Domino Friderico in Livonia Curlandiæ, & Semigalliæ Duce datas, & ſtatum eius Civitatis tam Eccleſiaſticum, quam Sæcularem & limites, atq; granicies continentes, quæ Nobis in Originali exhibitæ fuerunt, conſervare, ac illa, & illas confirmare, approbare, & ratificare dignaremur. Nos iuſtae huic ſupplicationi annuentes, pro authoritate noſtra Regia, iura, ſtatuta, libertates, & conceſſiones, & omnia, & ſingula in iis ſtatutis, & conceſſionibus contenta cum omnibus & ſingulis illorum punctis, clauſulis, & continentiis, ex certa ſcientia noſtra confirmamus, approbamus, & ratificamus, ipſaque, & ipſas perpetuum firmitudinis robur obtinere volumus. In cuius rei fidem præſentes manu noſtra ſubſcriptas, Sigillo Regni, & Magni Ducatus Litvaniæ communiri iuſſimus. Datum Vilnae die vigeſima tertia Menſis Julii, Anno Domini milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo tertio. Regnorum noſtrorum Poloniae & Sveciæ primo.

VLADISLAUS *Rex.*

Martianus Tryzna Referendarius & Notarius Magni Ducatus Litvaniæ.

CCXXXIII.

1635. *Communicatio Juris Advitalitii Illuſtri Principi Eliſabethæ Magdalenæ Curlandiæ, & Semigalliæ Duci ſuper Tenutam Dalenſem.* Dat. Varſaviæ in Comitiis Regni Generalibus die 11. Martii Anno 1635. *Indidem* fol. 34.

VLADISLAUS IV. DEI Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ Ruſſiæ, Pruſſiæ, Samogitiæ, Maſoviæ, Livoniæque, nec non Svecorum, Gottorum, Vandalorumque Hæreditarius Rex, Electus, & Magnus Dux Moſchoviæ.

Significamus præſentibus Literis noſtris quorum intereſt, univerſis & ſingulis. Quod cum ante aliquot annos Sereniſſimus olim Parens noſter Illuſtri Principi Domino Friderico in Livonia Curlandiae, ac Semigalliae Duci Tenutam Dalenſem iure advitali dediſſet, & contuliſſet. Nos quoque dandum id meritis ſuæ Illuſtritatis eſſe duximus, ut Illuſtri Principi Eliſabethæ Magdalenæ in Livonia Curlandiæ, ac Semigalliæ Duci, ſuae Illuſtritatis Coniugi hoc idem ius advitale commuicaremus & conferremus, prout præſentibus Literis noſtris communicamus, & conferimus, ita ut praefati Principes Coniuges in poſterum ambo, & inſolidum, vel uno defuncto, alter ſuperſtes memoratam Tenutam Dalenſem cum omnibus agris, fundis, colonis, utilitatibus, fructibus, piſcaturis, emolumentis univerſis teneant, habeant, & poſſideant ad extrema ſua, vel alterius ſuperviventis tempora. Promittentes pro Nobis, & Sereniſſimis Succeſſoribus noſtris, quod præfatos Principes Coniuges utrosque, quoad vixerint, vel alter eorum ſuperſtes erit, ab uſu, & pacifica poſſeſſione dictæ Tenutæ non amovebimus, neque alienabimus, nec cuipiam amovendi, vel alienandi poteſtatem dabimus, ſed ſalvum ius ipſis, vel alteri eorum ſuperſtiti conſervabimus, Sereniſſimique Succeſſores noſtri idem facient. Onera vero, ſi quæ ex eadem Tenuta præſtari ſolent, vel debent, Illuſtris Princeps Eliſabetha Magdalena præſtabit. In cuius rei fidem præſentes manu noſtra ſubſcriptas, Sigillis Regni, & Magni Ducatus Litvaniae communiri iuſſimus. Datum Varſaviæ in Comitiis Regni Generalibus die undecima Menſis Martii, Anno Domini milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo quinto. Regnorum noſtrorum Poloniae & Sveciae tertio anno. ANNO 1635.

VLADISLAUS *Rex.*

Chriſtophorus Lode Secretarius Regiæ Maieſtatis.

CCXXXIV.

Conceſſio Penſionis ex Portorio Rigenſi, eidem Principi Eliſabethæ Magdalenæ in Livonia Duci. Dat. Varſaviæ in Comitiis Generalibus die 11. Mart. Anno 1635. *Indidem* fol. 35. 1635.

VLADISLAUS IV. DEI Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ Ruſſiæ, Pruſſiæ, Samogitiæ, Maſoviæ, Livoniæque, nec non Svecorum, Gottorum, Vandalorumque Hæreditarius Rex, Electus, & Magnus Dux Moſchoviæ.

Signi-

ANNO 1635. Signficamus præſentibus Literis noſtris quorum intereſt univerſis & ſingulis. Mereri id Illuſtres Fœminas, ut earum, quæ non tantum Maritorum ſuorum ornamentis nitantur, ſed etiam ſuarummet virtutum laude & propriis in Domum noſtram Regiam meritis prælucent, haud poſtrema ratio habeatur. Talem eſſe agnoſcimus Illuſtrem Principem Eliſabetham Magdalenam, in Livonia Curlandiæ, ac Semigalliæ Ducem, Illuſtris Principis Domini Friderici in Livonia Curlandiæ ac Semigalliæ Ducis coniugem, quam etſi ſuæ Illuſtritatis merita clariſſima Divo Parenti Noſtro, ac Nobismet ipſis, & huic Reipublicæ conteſtata luculenter illuſtrent, tamen ipſa quoque propriis ſuis, & Ducalis ſuæ Domus meritis, virtutes ſuas Principe Perſona dignas exornat. Quapropter habentes condignum reſpectum damnorum ſuae Illuſtritatis circa expugnationem hoſtilem Arcis Nitovienſis perpeſſorum, in qua Ducalia ornamenta, & pretioſior ſupellex Illuſtritatis ſuæ per hoſtem direpta ſunt, tum quod grave diſpendium & iacturam fortunarum ſuarum toto Svetici belli tempore paſſa eſt, faciendum eſſe duximus Nobis, ut quemadmodum antea Sereniſſimus Divæ memoriæ Parens Noſter deſideratiſſimus, ſuæ Illuſtritati ad conſervandum ſtatum ipſius Ducalem, inprimis ſi Illuſtris Princeps Dominus Fridericus prius de hac vita, Deo, in cuius manu humanæ vitæ momenta conſiſtunt, ſic permittente, decederet, penſionem annuam verbo ſuo Regio dederat, & conceſſerat, ita Nos quoque eandem penſionem hoc ſpeciali Reſcripto noſtro daremus, & concederemus, prout præſentibus Literis noſtris damus, & concedimus ita, ut ſua Illuſtritas ſtatutam a tempore recuperationis Civitatis Rigenſis, quam Divinum propitium Numen quanto citius largiatur, ex Portorio Rigenſi quotannis penſionem trium millium talerorum, quemlibet triginta ſex groſſis computando, pro Feſto Sancti Joannis Baptiſtæ, præ aliis levet, & percipiat ad extrema usque vitae ſuae tempora. Quod ad notitiam omnium, quorum hæc ſcire intereſt, præſertim vero Præfectorum Portorii Rigenſis, pro eo tempore exiſtentium deducimus, ipſisque mandamus, ut requiſiti a præfato Principe, vel ipſius Mandatario, memoratam penſionem trium millium talerorum, accepta deſuper ſuae Illuſtritatis quietatione, realiter, & effective ipſi numerent, atque extradant, numerarique, & extradi ab iis, quibus intereſt, curent. Quod Nos in omnibus viſa quietatione pro rato, & grato acceTOM. V.

pturi ſumus. In cuius rei fidem præſentes manu noſtra ſubſcriptas, Sigillo Regni, & Magni Ducatus Litvaniae communiri mandavimus. Datum in Comitiis Generalibus Varſaviæ die undecima Menſis Martii. Anno Domini milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo quinto. Regnorum noſtrorum Poloniæ, & Sveciae tertio anno. ANNO 1635.

VLADISLAUS *Rex.*

Chriſtophorus Lode S. R. Maieſtatis Secretarius.

CCXXXV.

Approbatio Commutationis Bonorum inter Illuſtrem olim Gotthardum Curlandiæ, & Semigalliæ Ducem, & Nobilem Ditrich Wonekiel factæ. Dat. Grodnæ die 30. Octobr. An. 1636. *Ex Archivo M. D. Litvaniæ.* 1636.

VLADISLAUS IV. DEI Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, Smolenſciæ, Czernichoviæque, nec non Svecorum, Gottorum, Vandalorumque Hæreditarius Rex. Significamus præſentibus Literis Noſtris, quorum intereſt univerſis, & ſingulis. Exhibitas Nobis eſſe nomine & ex parte Nobilis Henrici Fiting, & Dorotheæ Offemberkowna Coniugum Literas Pargameneas germanico idiomate conſcriptas, manu Illuſtris olim Gothardi in Livonia Curlandiæ Ducis, ſupraſcriptas, & Sigillo communitas, de actu, & data Treydani die decima ſexta Menſis Februarii, Anno Domini milleſimo, quingenteſimo ſexageſimo ſexto, certam commutationem, videlicet ſedecem ruſticorum cum ſex hortulanis, a Garſz Moyza avulſorum, ad præſens Saſſey Moyza nuncupatorum, per praedictum Ducem cum Nobili Ditrich Wonekiel pro bonis ipſius Hrys Kobyły dictis factam, & praedicto Nobili Ditricho Wonekiel, & Dorotheæ Dikier Coniugibus, ipſorumque Succeſſoribus iure perpetuo conceſſam, in ſe continentes, ſupplicatumque Nobis eſt nomine prædictorum Nobilium Henrici Fiting, & Dorotheæ Offemberkowna Coniugum, ut eas Literas, hocque ius ipſorum authoritate noſtra Regia approbare, confirmare, & ratificare dignaremur. Cui ſupplicationi, uti iuſtae Nos benigne annuentes, praedictas Literas in omnibus earum punctis, clauſulis, & articulis non ſecus, acſi hic de verbo ad verbum inſerta eſſent, approbamus, con-

Anno 1636. firmamus, & ratificamus, decernentes, eas vim, & robur debitae firmitatis obtinere debere, in quantum Iuri communi non repugnant In cuius rei fidem praesentes manu nostra subscriptas Sigillo Magni Ducatus Litvaniae communiri iussimus. Datum Grodnae die trigesima Mensis Octobris. Anno Domini millesimo sexcentesimo trigesimo sexto, Regnorum nostrorum Poloniae ac Sveciae quarto Anno.

VLADISLAVS *Rex.*

Jacobus Maximilianus Fredro, Secretarius Sacrae Regiae Maiestatis.

CCXXXVI.

1638. *Responsum Sacrae Regiae Maiestatis Generosis Georgio Firxio Excubiarum Praefecto Regiminis Sacrae Regiae Maiestatis & Georgio Fischer de Viceden Secretario Regiae Maiestatis, Notario Terrestri Piltensi, Nobilitatis Curlandiae, & Semigalliae ad Conventum Generalem Internuntiis*, datum Varsaviae die XXIV. Mensis Aprilis Anno Domini MDCXXXVIII. *Ex Archivo Regni.*

Sacra Regia Maiestas Dominus noster Clementissimus, ea, quae Maiestati Regiae a Nobilitatis Ducatus Curlandiae, & Semigalliae Internuntiis, tam viva voce, quam in scriptis allata sunt, benigne intellexit.

Ac imprimis quidem quod attinet negotium successionis Ducis Jacobi, Illustritatis suae ex Fratre Nepotis, eum Sacra Regia Maiestas, Nobilitatemque circa primaevae subiectionis Pacta, Investituras Ducales, Formulam Regiminis, Privilegia, Diplomata, tot Responsis Regiis suae Illustritati, ac Nobilitati in Comitiis felicis Coronationis suae Cracoviae datis firmata, pro suo erga Ducalem Domum optimo affectu benigne conservat, permittitque, ut sua Illustritas propter gravem, & effaetam aetatem suam, gubernationem, & Regimen Ducatus Curlandiae, & Semigalliae cum plena Jurisdictione, et Possessione in Personam Ducis Jacobi, sui ex Fratre Nepotis, ad quem successorio ordine idem *D*ucatus devolvitur, transferre, ac transportare possit. Ita tamen, ut, antequam realem possessionem illius *D*ucatus apprehenderit, Jurisdictionemque exercere coeperit, idem *D*ux Jacobus Sacrae Regiae Maiestati, ac Reipublicae ex vi Pactorum, Homagium solenni ritu feudali, ibi, ubi pro eo tempore cum Aula sua Sacra Regia Maiestas feliciter constituta fuerit, praestare teneatur. Anno 1638.

Ad Teloneatores Magni *D*ucatus Litvaniae, Sacra Regia Maiestas severiora Mandata extradi iubebit, quibus interdicet, ne subditis, et Incolis *C*urlandicis graves sint, contentionumque, ac caedium causam praebeant.

Ut bonorum *D*uneburgensium cum vicinis bonis Litvanicis dislimitatio, vigore anteriorum Constitutionum fiat, Sacra Regia Maiestas permittit, cupitque negotium hoc maturari, multis inconvenientiis praeveniendo. Quapropter quamprimum ab utrinque Commissariorum nomina Cancellariae porrigentur, Sacra Regia Maiestas eam Commissionem ex Cancellaria extradi iubebit. Juridicam vernalem et autumnalem Sacra Regia Maiestas, tempore ex Formula Regiminis constituto, iudicaturam se benigne declarat, eoque praeterlapso iubebit limitari causas, ne subditi ex tam remotis, et difficilis locis in Aula Sacrae Regiae Maiestatis commorantes, graviori sumptu aggraventur. Haec sunt, quae Sacra Regia Maiestas ad humillima petita Nobilitatis *D*ucatus Curlandiae, et Semigalliae respondendum esse duxit. Cui, uti quoque Internuntiis Gratiam suam Regiam clementer defert.

VLADISLAVS *Rex.*

Jacobus Maximilian. Fredro Succamerarius Premislien-sis, Regens Cancell.

CCXXXVII.

Consensus ad Cessionem faciendam Ducatus Curlandiae, & Semigalliae, in Personam Illustris Jacobi Ducis. Dat. Varsaviae die 24. April. 1638. *Ex Archivo Regni.* Lib. 151. N. 152. fol. 98. 1638.

Vladislaus IV. Dei gratia Rex Poloniae Magnus Dux Lithvaniae, Russiae, Prussiae, Samogitiae, Masoviae, Livoniaeque, nec non Svecorum, Gotthorum, Vandalorumque Hæreditarius Rex, Electus, & Magnus Dux Moschoviae.

Significamus praesentibus literis Nostris, quorum interest Universis & singulis. Quod cum Illustris Princeps Dominus Fridericus Curlandiae, & Semigalliae Dux, Illustri Duci Jacobo, suo ex Fratre Nepoti, ad quem tanquam legitimum

ANNO 1638. timum Hæredem, & ſimultanee inveſtitum, nec non ad contactum Vexilli admiſſum Principem, ſucceſſio *D*ucatus Curlandiæ & Semigalliæ, ſucceſſorio ordine devolvitur, regimen, & gubernationem eiusdem Ducatus cum plena Jurisdictione, & Poſſeſſione, propter graviorem ætatem ſuam cedere, condeſcendereque vellet, ſolliciteque apud Nos per Generoſum Ottonem Grotthuſium, Ducatus Curlandiæ, & Semigalliæ ſupremum Burgrabium, ad Nos Internuntium ſuum, nec non Generoſos Georgium Firxium Excubiarum noſtri Regiminis Præfectum Peditatus Germanici, & Georgium de Viceden Fiſcher Secretarium noſtrum, & Notarium Terreſtrem Piltenſem, Nobilitatis Curlandiæ, & Semigalliæ Internuntios petiiſſet, ut ad eam ceſſionem faciendam conſenſum noſtrum Regium præſtare dignaremur: dandum hoc meritis ſuæ Illuſtritatis, & humillimæ ſupplicationi Nobilitatis eſſe duximus, & de Conſenſu Comitiali, ac DD. Senatorum noſtrorum ad præſens lateri noſtro aſſidentium conſenſimus, ut poſſit, & valeat ſua Illuſtritas memoratum Curlandiæ, & Semigalliæ *D*ucatum in Perſonam *D*ucis Illuſtris Jacobi, Nepotis ſui ex Fratre, cum omni Jure, Dominio, Arcibus, Villis, attinentiisque univerſis, plenaque Jurisdictione transfundere, & tranſportare. Hoc tamen ſpecialiter præcuſtodito, ut, antequam realem poſſeſſionem illius Ducatus apprehenderit, Jurisdictionemque exercere cœperit, idem Dux| Jacobus primum Nobis, ac Reipublicæ Homagium ſolenni ritu feudali ex vi Pactorum, eo in loco, ubicunque pro eo tempore cum Aula noſtra feliciter conſtituti fuerimus, præſtare teneatur. Quod omnibus, & ſingulis, quorum hæc ſcire intereſt, præſertim vero Nobilitati *D*ucatus Curlandiæ, & Semigalliæ ad notitiam deducimus, eidemque mandamus, ut ad hanc rem ſtudia, ac voluntates ſuas accommodent, neque ceſſioni huic faciendæ aliquo Pacto reſiſtant, quinimo iuribus ſuis, Nobilitatisque per omnia ſalvis eam fieri patiantur, pro Gratia noſtra. In cuius rei fidem præſentes manu noſtra ſubſcriptas Sigillis Regni, & Magni Ducatus Litvaniæ communiri mandavimus. *D*atum Varſaviae die 24. Menſis Aprilis, Anno Domini MDCXXXVIII. Regnorum noſtrorum Poloniae, & Sveciae ſexto Anno. Praeſentibus Reverendiſſimis, Reverendis, Illuſtribus, Magnificis, & Generoſis Joanne Wężyk Archiepiſcopo Gneſnenſi, Legato Nato, Primate Regni, Primoque Principe, Jacobo Zadzik Cracovienſi, Mathia Lubinſki Plocenſi, Nicolao Szyſzkowſki Varmienſi, Petro Gembicki Premiſlienſi, Supremo Regni Cancellario, Paulo Piaſecki Camenecenſi, Epiſcopis, Staniſlao a Koniecpole Koniecpolſki Caſtellano Cracovienſi, Exercituum Regni Generali, Chriſtophoro Opaleńſki Poſnanienſi, Gaſparo Donhoff Siradienſi, Maximiliano Przerębſki Lancicienſi, Alexandro Corvino Gąsiewſki Smolenſcenſi, Staniſlao Warſzycki Maſovienſi, Melchiore Weyher Culmenſi, ... Konarſki Marieburgenſi, Paulo Działyńſki Pomeraniae Palatinis, Adamo Kazanowſki Sandomirienſi. ..... Szczawińſki Breſtenſi, ... Lowicki Inowłocławienſi, Stephano Dobrogoſtio Grzybowſki Lublinenſi, Magno Erneſto Donhoff Parnavienſi Caſtellanis, Luca de Bnin Opaleńſki Supremo Regni Marſchalco, Alberto Staniſlao Radziwiłł Duce in Ołyka, & Nieśwież Supremo Magni Ducatus Litvaniae Cancellario, Georgio de Tęczyn Oſſolinſki Vice-Cancellario Regni, Stephano Pac M. D. Litvaniae Vice-Cancellario, Ioanne Nicolao de Zurow Danilowicz Supremo Regni Theſaurario, Staniſlao Przyiemſki *C*uriae Regni Mareſchalco, Maximiliano Oſſolińſki Curiae Regni Theſaurario, Nicolao Alberto Gniewoſz Secretario Regni Maiore, Iacobo Wierzbieta Doruchowſki, Remigio Zaleſki Referendariis Regni, Marciano Tryzna, Chriſtophoro Corvino Gąſiewſki Magni Ducatus Litvaniae Referendariis, & Notariis, Luca Opaleńſki Nuntiorum Terreſtrium Marſchalco, Iacobo Maximiliano Fredro Premiſlienſi, Chriſtophoro Lode Derpatenſi Succamerariis, & aliis quamplurimis Internuntiis, Secretariis, & Aulicis in praeſentibus Comitiis congregatis.

VLADISLAVS *Rex.*

Jacob. Maxim. Fredro, Succamerarius Premiſlien. Regens Cancellariæ Regni.

CCXXXVIII.

Diploma Inveſtituræ Ducatuum Curlandiæ, & Semigalliæ datum Jacobo Duci per VLADISLAUM IV. *Regem.* Vilnæ d. 18. Febr. Anno 1639. *Ex Archivo Regni* Lib. 151. ſub Lit. T. S. num. 152. fol. 50. Item Lib. 182. ſub Lit. R. C. num. 183. fol. 16. *Extat in Archivo Cancellariæ* 1639.

ANNO 1639. *lariæ Magni Ducatus Litvaniæ.* Lib. 206. fol. 56.

In Nomine Domini Amen.

Ad perpetuam rei memoriam.

NOS VLADISLAUS IV. DEI Gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Litvaniae, Ruſſiae, Pruſſiae, Maſoviae, Samogitiae, Livoniæ, Smolenſciæ, Czernichoviaeque, nec non Svecorum, Gottorum, Vandalorumque Hæreditarius Rex.

Significamus præſentibus Literis noſtris, quorum intereſt, huius & futuri temporis univerſis & ſingulis. Cum iam antea Illuſtris olim Princeps *D*ominus Gotthardus Curlandiae, & Semigalliae *D*ux, tum temporis Equeſtris Ordinis Theutonici Magiſter, univerſa cum Livonia, Nobilitate, Civitatibus, Statibus, atque Ordinibus omnibus ſe ad Sereniſſimi Avi, & Prædeceſſoris noſtri *D*ivi SIGISMUNDI AUGUSTI, & Succeſſorum, Regnique Poloniae, & Magni *D*ucatus Litvaniae, Ruſſiae, Pruſſiae, Maſoviae, Samogitiae, cæterarumque *D*itionum noſtrarum fidem, ac poteſtatem contuliſſet, & in omne tempus ſubieciſſet, idque ut faceret, iuſtiſſimis, graviſſimisque cauſis, & perneceſſariis Livoniae rebus adductus eſſet, Magno nempe Moſchorum *D*uce longo, & crudeliſſimo bello in eam Provinciam graviſſime incumbente, ac longe, lateque omni iniuriarum, direptionumque genere, & flammae, ferrique ſævitia graſſante, iamque eo usque armis progreſſo, ut nihil non in eius poteſtatem venturum, cunctaque vi illa hoſtili ſuperatum, atque excuſſum iri viderentur. Iam eius Illuſtritate, cunctisque Livoniae Ordinibus belli magnitudine admodum fractis, & nequicquam Sereniſſimorum Imperatorum Romanorum, Sacrique Romani Imperii fidem, auxilium, & opem diu implorantibus, ſpem iam nullam non modo priſtini ſtatus Provinciae, ſed ne quidem ſalutis, libertatis, vitaeque ſingulorum amplius retinendae habentibus, aliam, quam quae in Sereniſſimorum Poloniae Regum, & Regni, Magnique *D*ucatus Litvaniæ defenſione, atque imperio ſita eſſet. Quod tum eius Illuſtritas, tum Livonia univerſa a Sereniſſimo Prædeceſſore, & Avo noſtro *D*. SIGISMUNDO AUGUSTO in fidem, poteſtatem, ac ditionem ſuam, & Succeſſorum ſuorum Regni, & M. D. Litvaniae certis conditionibus iuſte, legitimeque recepta ſit. Et quia eius Illuſtritatis ſtudium in adducenda ea Provincia ad ſubiectionem, Ditionemque Poloniae Regum, ſingulare extitiſſet, & ita mereri eius dignitas, virtus, fides cenſeretur, illi mutato ex conſilio Ordinis Equeſtris ſtatu priore, approbante eam rem Sereniſſimo Rege D. SIGISMUNDO AUGUSTO, ab eodem tanquam ſupremo, directo, naturali, ac perpetuo Feudi illius Domino, Ducalis Titulus cum omni dignitate, Inſignibus, Privilegiis Ducalibus, ac Ditionibus certis tributus, & eius Illuſtritas Vaſallus Poloniae Regum, Feudatariusque Princeps, & Regni, Magnique Ducatus Litvaniæ membrum factus fuerit, pro eo, ut Diplomate iam ante Divo Deceſſori noſtro, Domino STEPHANO Regi exhibito, ac Vilnae XVIII. die Novembris Anno Domini MDLXI. perſcripto, & SIGISMUNDI AUGUSTI Prædeceſſoris, & Avi noſtri manu ſubſcripto, Sigillo autem eius annullari ſignato, certius, fuſiusque continetur. Quod præterea, cum Illuſtritas eius de ſolenni ſua Inveſtitura Feudali Sereniſſimum Deceſſorem, & Avum noſtrum D. SIGISMUNDUM AUGUSTUM aliquoties appellaſſet, & per temporum rationem, magnitudinemque Regni negotiorum, voti ſui compos, regnante, viventeque prædicto Domino Avo, & Deceſſore noſtro effici non potuiſſet, poſtea vero a Sereniſſimo STEPHANO Rege, & Prædeceſſore noſtro ad Regni Poloniae, Magnique Ducatus Litvaniae faſtigium Dei benignitate evecto diligentiſſimis precibus confirmationem ſuorum iurium a D. SIGISMUNDO AUGUSTO conceſſorum, & Ducalem Feudi inveſtituram, prius in Comitiis ab eodem *D*ivo STEPHANO Rege habitis flagitaſſet, ſed cum magnitudo, varietasque occupationum Serenitatis eius, tum locorum quoque intervalla id a Serenitate eius præſtari non paterentur, eique rei peragendæ ex conſilio Regni noſtri Conſiliariorum, qui partim Serenitati eius coram adfuerunt, partim per Literas de eo appellati fuerunt, pariterque eorum, qui ex Magno Litvaniae *D*ucatu frequentes Serenitati eius in Senatu aſſederunt, in alium locum, tempusque opportunitate eius rei conſtituta, cum Illuſtritas eius ad diem quartam menſis Auguſti, Anno *D*omini MDLXXIX. ſub generalem Exercituum delectum, & recenſitum, ad flumen *D*unam prope *D*ziſnam, quo in loco tum idem Sereniſſimus Prædeceſſor noſter caſtra habebat, acceſſiſſet, inque caſtris, & tentorio Serenitatis eius Inveſtituram ab eodem Sereniſſimo *D*eceſſore noſtro petiiſſet, & fidelitatis, ſubiectionisque iusiurandum eidem Sereniſſimo Prædeceſſori noſtro, eiusque Succeſſoribus ſupremis, directis, naturalibus, & perpetuis Dominis, Regno, Magnoque Du-

ANNO 1639.

ANNO 1639. Ducatui noſtro Litvaniae praeſtitiſſet, quod tum idem Sereniſſimus Prædeceſſor noſter STEPHANUS Rex ex Conſilio Senatorum tam lateri eius aſſidentium, quam per Literas de eo requiſitorum, prænominatum Illuſtrem Principem Dominum Gotthardum Curlandiæ, & Semigalliæ Ducem, ad Terras, Civitates, Oppida, Arces, Poſſeſſiones, quas a commemorato Sereniſſimo Avo, & Prædeceſſore noſtro conceſſas habebat, ac præeminentias, Juraq; omnia, & ſingula tradito ab eodem Sereniſſimo Deceſſore noſtro STEPHANO Rege ſolenni ritu Feudali Vexillo, Serenitas ſua inveſtiverit, Sereniſſimus quoque SIGISMUNDUS III. Poloniae, & Sveciae Rex *D*ominus Parens noſter pientiſſimae memoriae, Illuſtri Principe Gotthardo mortuo, Filiis Illuſtritatis eius Illuſtribus Principibus *D*omino Friderico, & Gvilhelmo eorundem iurium confirmationem, & *D*ucalem Feudi Inveſtituram diligentiſſimis itidem precibus flagitantibus, prædictos Illuſtres Principes Fridericum, & Gvilhelmum, Illuſtrem quidem Principem Fridericum præſentem, Illuſtrem vero Principem Gvilhelmum per unum ex Conſiliariis Fratris ſui vexillum porrectum apprehendentem, ad easdem Terras, Civitates, Oppida, Arces, Poſſeſſionesque, ac præeminentias, Juraque omnia, & ſingula, tradito ſolenni ritu Feudali Vexillo, utrumque in ſolidum, ſine tamen *D*ucatus diſmembratione inveſtiverit. Et ſublato iam ex humanis Sereniſſimo *D*omino Parente noſtro, Illuſtris Princeps Fridericus in præteritis felicis inaugurationis noſtrae Comitiis, tam propter difficultates itinerum, quam temporis anguſtiam, ad præſtandum vigore Pactorum, & Inveſtiturarum homagium adeſſe non poſſet, Nosque abſentiam Illuſtritatis eius in bonam partem ex allegatis rationibus accipientes, eius homagii præſtationem, ad proxima Comitia, vel noſtrum in Magnum *D*ucatum Litvaniae, Vilnam videlicet felicem adventum diſtuliſſemus, prædictusque Illuſtris Curlandiae *D*ux Fridericus iuxta reſponſum noſtrum ſolennis iuramenti Nobis, Regnoque noſtro præſtandi cauſa Vilnam in propria Perſona veniſſet, & die XX. Menſis Julii Senatoribus lateri noſtri aſſidentibus, Officialibus, & Aulicis noſtris, magnaque frequentia Nobilitatis præſentibus Inveſtituram a Nobis petiiſſet, iusiurandum praeſcriptis verbis ſolenni ritu, & Ceremonia Nobis, Regnoque noſtro praeſtitiſſet. Junior vero Illuſtris *D*ux Jacobus, ſuae Illuſtritatis ex Fratre Nepos, tum temporis praeſens tanquam legitimus Succeſſor a Nobis ad contactum vexilli admiſſus fuiſſet. Nos praedictum Illuſtrem Principem Fridericum ad easdem Terras, Civitates, Oppida, Arces, Poſſeſſiones, ac Præeminentias, Juraque omnia, & ſingula tradito ſolenni ritu Feudali Vexillo inveſtiverimus, in proxime præteritis Comitiis vero, a ſuae Illuſtritatis ac Ducatus Curlandiae, atque Semigalliae Nobilitatis eo nomine huc ablegatis Internuntiis interpellati ſimus, dignaremur conſenſum noſtrum Regium præbere, ut prædictus Illuſtris Princeps Fridericus ætate confectus, liberam, & plenariam facultatem haberet cedendi Regiminis, & Poſſeſſionis Ducatus Curlandiae, & Semigalliae Illuſtri Principi Jacobo ex Fratre Nepoti. Nos ob præmemoratam cauſam, re hac prius cum Dominis Senatoribus Regni, Magnique Ducatus Litvaniae in proxime præteritis Comitiis Regni Generalibus lateri noſtro aſſidentibus, diligentiſſime perpenſa, eoque conſiderato, quod prænominatus Illuſtris Princeps Jacobus vigore Pactorum, & Inveſtiturarum a Sereniſſimis Prædeceſſoribus noſtris DD. Poloniae Regibus conceſſarum, & per Nos ex Senatus conſulto in ſolenni Inveſtiturarum iſtarum renovatione confirmatarum, tanquam ſimultanee inveſtitus Princeps, & ex Pacto, & providentia Avi, & Patrui ſui legitimus Succeſſor, alias in Ducatum Curlandiae, & Semigalliae ſucceſſurus ſit, petitioni huic humillimae, & primævæ Subiectionis Pactis, Inveſtituris, atque Reſponſis tam noſtris, quam Reipublicae congrue locum dandum, conſenſumque noſtrum ſpeciali in proxime praeteritis Comitiis ex Senatus Conſulto, eo nomine dato Diplomate præbendum eſſe duximus, prout etiam conſtanter præbuimus. Et licet quidem ſua Illuſtritas Dux Fridericus conſenſum noſtrum, ex Senatus Conſulto de facienda in Perſonam *D*ucis Jacobi ceſſione a Nobis per ſuum, ac Ordinis Equeſtris Legatos obtinuiſſet, & certis conditionibus ceſſionem feciſſet, Duxque Jacobus inhærendo conſenſui noſtro, Homagii præſtandi cauſa ad Nos in propria Perſona ad diem a Nobis præfixam Vilnam veniſſet, ac Juramentum præſtare paratus, ſolennem Inveſtituram expediri a Nobis humillime ſollicitaſſet, Nos vero ceſſionem illam iuxta tenorem conſenſus noſtri non factam fuiſſe cum Dominis Senatoribus, ac Conſiliariis noſtris, ad præſens lateri noſtro aſſidentibus ex ceſſionis Inſtrumento coram Nobis producto perſpexiſſemus, nihilominus tamen ob Inſignia dictorum Principum, ac imprimis Illuſtris Ducis Friderici in Nos, & Rempublicam merita,

ANNO 1639.

ANNO 1639. rita, & ex ſingulari erga Ducalem Domum affectu, & benevolentia defectum non factae plenariae ceſſionis ex plenitudine poteſtatis noſtrae ſupplentes, beneficium hoc noſtrum amplificandum, ceſſionemque illam conditionatam authoritate noſtra Regia ſublevandam eſſe duximus, eundemque Ducem Jacobum, ac illius Hæredes Maſculos legitimos Feudi Succeſſores eo modo ad Terras, Civitates, Oppida, Arces, Poſſeſſionesque a Divis Deceſſoribus noſtris ſuae Illuſtritatis Avo, eiusque Hæredibus, ac Patruo Duci Friderico conceſſas, & Præeminentias, Juraque omnia, & ſingula, tradito a Nobis ritu ſolenni Feudali vexillo inveſtivimus, & praeſentium Literarum noſtrarum vigore inveſtimus, Diplomate Conſenſus noſtri antea ex Senatus conſulto a Nobis obtenti, uti fundamento totius praeſentis actus ſalvo, & in ſuo robore conſervato. Cujus vigore Illuſtris Princeps Fridericus adhuc quandocunque ipſi libuerit, ceſſionem realem, & plenariam cum Jurisdictione, & Regimine in Perſonam Ducis Jacobi facere, intra fatalia tamen Juris poterit. Sin vero contingat Ducem Jacobum poſt factam ſibi a *D*uce Friderico ceſſionem absque Prole Maſcula e vivis decedere, tunc nihilominus idem *D*ucatus, non obſtante eadem ceſſione, ad *D*ucem Fridericum redibit, ac penes ipſum vigore praeteritarum ipſi conceſſarum Inveſtiturarum remanebit: *D*ucem quoque Jacobum etiam non obtenta ante deceſſum Illuſtris Principis Friderici ceſſione vi pactorum primaevorum & Inveſtiturarum, tum quoque diverſorum Reſponſorum, & huius praeſentis Homagii intuitu, circa Feudum *D*ucatus iſtius, Poſſeſſionemq; cum pleno Regimine itidem præſentium vigore conſervamus, Sereniſſimique Succeſſores noſtri conſervabunt. Hac ſpeciali conditione adiecta: ut *D*ux Jacobus, ſive poſt ceſſum ſive poſt deceſſum *D*ucis Friderici, non prius poſſeſſionem illius Ducatus adeat, Jurisdictionemque exercere incipiat, antequam per Commiſſarios ad faciendam intromiſsionem a Nobis deputandos legitime intromiſſus fuerit. Præmiſſa igitur omnia rata, & grata habentes, confirmantesq; & de integro ſolemni Inveſtitura conferentes, quae a prædictis Sereniſſimis Praedeceſſoribus noſtris Regibus Poloniæ vigore Pactorum, & Inveſtiturarum, ſub illarum Majeſtatum manibus, Sigillis autem Regni, Magnique Ducatus Litvaniæ Illuſtritatis eius Avo, & Patruo iam antea data, conceſſa, & collata ſunt, nimirum: Ducalem Titulum adinſtar Illuſtris Ducis in Pruſſiia, cum omni Dignitate, Inſignibus, Privilegiis Ducalibus, ita ut Vaſallus, & Feudatarius Princeps noſter, & Succeſſorum noſtrorum, Regnique, & Magni Ducatus Litvaniæ membrum ſit, itidemque eius Poſteri ſint. Præterea ut a Divo SIGISMUNDO AUGUSTO Prædeceſſore noſtro iam ante Illuſtritatis eius Avo Gothardo quondam Duci, poſteriſque eius legitimis Maſculis ex eius lumbis linea recta deſcendentibus, nominatim *D*itiones, Poſſeſſiones, Civitates, Oppida, Arces, & Terræ aſſignatæ ſine infeudationis ſolennitate fuerunt: poſtea vero vigore legitimae Inveſtiturae a Sereniſſimis itidem Prædeceſſoribus noſtris DD. STEEPHANO & SIGISMUNDO Tertio Regibus, & Nobis eidem attributæ, ita nunc Nos quoque Illuſtri Principi Jacobo attribuimus, damus, & conferimus, primum totum illum Tractum Curlandiæ & Semigalliæ, incipiendo a ſalſo mari, ſurſum ſequendo fluvium Hilga, aſcendendo ad antiquos limites per *D*. Radzivilium inceptos, & diſpoſitos, inter Samogitiam, Litvaniam, & Pruſſiam ab una, & Livoniam ab altera Partibus verſus *D*iſtrictum Polocenſem ad *D*unam fluvium, deſcendendo vero *D*una uſque in mare ſalſum, adeo, ut quid quid in iſtis terminis cis *D*unam verſus Litvaniam continetur, & ad Ordinem Livoniae ſpectabat, nunc, & in perpetuum apud Illuſtritatem eius, Ipſiuſque Hæredes Maſculos permaneat, Curias videlicet, Bona, & Nobilitatem, quæ ad Arcem *D*uneburgenſem ex hac parte fluvii verſus Litvaniam ſpectarunt, Arcem Selburgam, cum toto *D*iſtrictu, Curias item, Nobilitatem, & omne id, quod videlicet ex hac parte ad Arcem Aſcherad ſpectabat, Arcem Bausko, Neugut, & iis, quæ ad Arcem Kircholm pertinebant, Arces item, Curias, & Oppida Mytau, Tuckum, Neuemburg, Doblen, Candau, Alſchwangen, Schrunden, Frawenburg, Zabell, tum et alias Arces, quæ Sereniſſimo Anteceſſori noſtro D. SIGISMUNDO AUGUSTO oppignoratæ fuerunt: Goldingen, Haſenpoth, Durben, Windau, in ſumma octuaginta millium florenorum, Arcem vero Grobin in quinquaginta millibus Illuſtri quondam Principi Alberto, Marchioni Brandeburgenſi in Pruſſia Duci itidem oppignoratam, & illas quidem ſummas, quemadmodum Divi Prædeceſſores noſtri in Diplomatibus ſuis remiſerant, ita et Nos remittimus, adeoque uti præmemorati *D*ivi Praedeceſſores noſtri, ſuae Illuſtritatis Anteceſſores, ita et Nos eius Illuſtritatem, legitimoſque eius Succeſſores, Haeredes

ANNO 1639. redes Maſculos ex lumbis eius prouenientes, circa totum iſtum Curlandiae, et Semigalliæ Ducatum, cum dictis Terris, Civitatibus, Oppidis, Arcibus, et Curiis hac Inveſtituræ renovatione, pro Nobis, & Sereniſſimis Succeſſoribus noſtris in toto conſervamus, iiſdem Prærogativis, ac immunitatibus, quibus Illuſtri Principi Friderico et eius Anteceſſori iam antea collata fuerunt, ſine noſtro, Haeredumque et Succeſſorum noſtrorum Regum, et Regni Poloniae impedimento, et praeiudicio. Pro Nobis vero, et Sereniſſimis Succeſſoribus noſtris Regno, Magnoq; *D*ucatu Litvaniae, reliquam Livoniam omnem, cum omni proprietate, directo et utili *D*ominio, omnique mero et mixto Imperio, quemadmodum iam ante *D*ivi Praedeceſsores noſtri. *D.* SIGISMUNDUS AUGUSTUS Avus noſter, et STEPHANUS, SIGISMUNDUSQUE Tertius Parens noſter reſervarunt, ita etiam Nos reſervamus, retinemuſque. Cumq; inter caetera, et hoc inter Sereniſſimum Praedeceſſorem noſtrum *D.* SIGISMUNDUM AUGUSTUM et Illuſtritatis eius Avum convenerit, ut permutatione Epiſcopatus Curonienſis pro Soneburga Arce, Curiis, *Leal*, et *Madzel* Illuſtris *D*ux Magnus contentetur, et ad eam rem prædictus Avus noſter *D.* SIGISMUNDUS AUGUSTUS, et Sereniſſimus Rex STEPHANUS, Sereniſſimuſque *D.* Parens noſter operam receperint, ut cum reliqua Curonia, Epiſcopatu Curoniensi quoque ſua Illuſtritas potiatur. Poſtea autem cum vivente *D*uce Magno, permutatio ea perfecta non fuiſſet, graviſsima autem de Epiſcopatu eo controverſia inter *D*ivae memoriae Praedeceſsorem noſtrum STEPHANUM, et Sereniſsimum *D*aniae Regem exorta, tandem Sereniſsimus quondam Daniae Rex, per transactionem ex certis conditionibus Sereniſſimo *D*eceſsori noſtro, Regnoque Jus ſuum, quod habere ſe in eo Epiſcopatu exiſtimabat, ceſsiſset, nihil hoc tempore ſine omnium Ordinum conſenſu ſtatuere ea de re poſsumus, rem omnem in eo ſtatu, in quo ante fuit, relinquimus, neq; quin poſthac ea de re cum Ordinibus agat, viam Illuſtritati ſuæ praecludimus. Neve etiam limitum indiſcuſsorum cum vicinis Illuſtritas eius controverſiam, aut difficultatem habeat, Regia noſtra Authoritate curabimus, ut primo quoque tempore ad praeſcriptum Pactorum Paſvolienſium, et poſteriorum Vilnenſium regantur, & certi conſtituantur in tota illa vicinia limites. Interea vero neutra Pars alteri damnum inferat, aut litem, & difficultatem moveat, pro eo, ut hoc Privilegio prædictorum Divorum Praedeceſſorum noſtrorum continetur. Cumque Tractus Dunæ ſurſum, & deorſum limites inter Nos, & Illuſtritatem eius conſtituat, Jus, & æquitatis ratio poſtulat, ut medietate fluvii in piſcando & aliis commoditatibus eius Illuſtritas perpetuo gaudeat. Quæque Inſulæ, ſive mediamnes alteri parti viciniores ſunt, apud eandem Partem iuxta Privilegia eorundem Divorum Prædeceſſorum noſtrorum maneant. Monetæ etiam cudendæ facultatem, ut a prædictis Divis Anteceſſoribus noſtris iam ante Illuſtri olim Avo, & Patruo eius Illuſtritatis data eſt, Illuſtritati eius confirmamus, & de integro conferimus, ad pondus & valorem communis Reipub. & ut eius promiſcuus, & indifferens uſus ſit, tam in Litvania, quam Livonia volumus, attamen ut ex una Parte noſtra effigies, vel Inſignia Regni, Magniq; Ducatus Litv. in altera Illuſtritatis eius exprimantur. Si quid porro Illuſtritati eius vendendum, oppignorandum, permutandumve fuerit, ſuper hoc Illuſtritati eius libertatem, facultatemque concedimus, & ut antea a Divis Prædeceſſoribus noſtris conceſſum eſt, ita videlicet, ut ad Nos, & Sereniſſimos Succeſſores noſtros de eo primo loco referatur, Nobiſque optio detur, ſi talem oppignorationem acceptare ipſi voluerimus, ſin minus, tum id Illuſtritati eius liceat, cui volet, ita tamen, ut tali oppignoratione nulla occaſio diſmembrationis a Republica eorum bonorum detur. Dabimus quoque operam ſecundum Privilegium prædicti Divi Anteceſſoris noſtri, ut ſi quando Ducatus Eſthoniæ cum Civitate Revalienſi aliqua ratione ad Regnum noſtrum Poloniæ adiungatur, ut ſuæ Illuſtritati, eiusque Haeredibus, & Succeſſoribus legitimis æqua portio vel in bonis, vel in pecunia concedatur, ſumptibus in ea recuperatione factis ante omnia Nobis refuſis. Denique Illuſtritati eius Jurisdictionem totalem pro eo, ut in Privilegiis Divorum Prædeceſſorum noſtrorum continetur, iuxta leges, & conſvetudines, moresque antiquos confirmamus, & de novo concedimus, & illi, qui eius Illuſtritatis Jurisdictioni ſubiecti, & ratione domiciliorum ſubditi eius erunt, & manebunt, ad ſuum tantum Principem provocabunt, in cauſis tamen gravibus, & maximi momenti licebit Nobilitati a Principe ſuo ad Conventum Provincialem Terrarum Livoniæ provocare. Caverat etiam D. SIGISMUNDUS AUGUSTUS Anteceſſor, & Avus noſter Illuſtritatis eius piæ memoriæ Avo, cum ante ſexennali bello tam

ANNO 1639.

ANNO 1639. ſuæ Illuſtritatis, quam & Nobilitatis Curonienſis vires exhauſtæ eſſent, relaxata ut eſſet ſua Illuſtritas, & Nobilitas ab onere belli, & ut hoc ſaltem præſtarent, & mitterent, quod commode pro modulo ſuo poſſent, alio autem tempore eandem habendam rationem, quam Illuſtris Domini Ducis in Pruſſia. D. STEPHANUS vero Rex *D*eceſſor noſter ſe quoq; pro eo bello, quod tum gerebat, iis copiis, de quibus cum Illuſtritate eius ſibi conveniret, contentum fore promiſerat. Itaque quamvis Nobis de eius Illuſtritate perſvadeamus, quæ cum Nobilitate ſua poſſit, Nobis non gravatim præſtituram, tamen ad clariorem, quid ſua Illuſtritas Nobis præſtare teneatur, declarationem, ita inter Nos, & ſuam Illuſtritatem convenit, quod in poſterum in vim perpetuæ obligationis erit obſervandum, ut Illuſtris Dux Iacobus, eiusque Succeſſores, & Feudi Hæredes pro hac noſtra in ſe beneficentia, tempore expeditionis bellicæ, unam cohortem equitum cum ſervitiis equeſtribus Nobilium, quoties iis opus fuerit, intra fines Ducatus Curlandiæ, & Semigalliæ præſtet. Quoties vero publica aliqua neceſſitate bellica poſtulante in Regno publicæ contributiones decretæ fuerint, toties Dux Iacobus ſummam decem millium Florenorum Polonical. in Theſaurum Reipublicæ inferet, & Succeſſores illius inferre tenebuntur, hoc videlicet pacto, quod licet una, ſive plures contributiones in Generalibus Comitiis ſciſcerentur, Dux Iacobus in locum ſive unius, ſive plurium prætactam decem millium florenorum Polonicalium ſummam, & non plus, accepta deſuper quietatione DD. Theſaurariorum cum ſuis Succeſſoribus pendere, ac ſolvere adſtrictus erit. Secus vero ſi publica expeditione ſic exigente, Dux Iacobus vaſallagium equitum cum ſuis Nobilibus ſiſteret, in hoc caſu pro eo tempore, etiamſi contributiones in Comitiis ſcitæ fuiſſent, liberum, & immunem eundem Ducem Iacobum, & ipſius Succeſſores a perſolvenda decem millium florenorum Polonicalium contributione fore debere declaramus. Alias etiam conditiones, & cautiones, de quibus inter Nos convenit, quæque peculiaribus ſcriptis commemorati Illuſtris Principis ſub illius chirographo, & Sigillo continentur, debebit ipſe Illuſtris Princeps, & eius Succeſſores adimplere. Poſtremo, cum iam ante Illuſtris olim Avus Illuſtritatis eius perneceſſariis, & iuſtiſſimis de cauſis, ſe ditioni & imperio Sereniſſimorum Prædeceſſorum noſtrorum, & Succeſſorum, Regnique, Magnique Ducatus Litvaniæ ſubiecerit, extrema Magni Moſchorum Ducis iniuria, vi, atque oppreſſione hoſtili impulſus, fruſtra per annos complures implorata Romani Imperii, atque Imperatorum ope, ac ſubſidio, iamque per longiſſimum temporis ſpatium veluti pro derelicto habitus, ſub ditione Poloniæ Regum Anteceſſorum noſtrorum, & noſtra, nulla cum controverſia permanſerit, Nos quidem futurum non iudicamus, ut eius Illuſtritati eo nomine controverſia, aut moleſtia ulla afferatur, verumtamen ſi quæ allata fuerit, quæ cum labe aliqua nominis, aut aliquo detrimento coniuncta ſit, Nos in eo Regio noſtro Officio, quod in defendendis ſubditis noſtris verſari non ignoramus, minime defuturi ſumus, quodque Sereniſſimos Prædeceſſores noſtros in cauſa Illuſtris quondam in Pruſſia Ducis Alberti egiſſe intelligimus, agere minime prætermittemus, defenſionemque contra hoſtem omnem, qualiscunque ille tandem fuerit, præſtabimus, & Succeſſores noſtri praeſtabunt. Ipſe vero Illuſtris Dux pro hac Sereniſſimorum Praedeceſſorum noſtrorum, & noſtra in ſe beneficentia, quaecunque Vaſalli, & feudales Principes erga ſuum naturalem *S*uperiorem, et directum Dominum fidelitatis, obſervantiae, ſervitiorumque officia, et ſtudia praeſtare tenentur, Illuſtritas eius erga Nos, Regnumque, et Magnum Ducatum Litvaniae praeſtabit, itidemq; Haeredes legitimi in hoc Feudo Succeſſores praeſtabunt. Nosque viciſſim eius Illuſtritatem, et Haeredes, et Succeſſores omni patrocinio, amore, et benevolentia boni Regis, et ſupremi, directique Domini complecti, et in Iuribus, Immunitatibus, et Privilegiis illorum conſervare tenebimur, et Succeſſores noſtri tenebuntur. In quorum omnium, et ſingulorum fidem praeſentes Literas manu noſtra ſubſcripſimus, et Sigillo Regni, Magnique Ducatus Litvaniae muniri mandavimus. Datum Vilnae die XVIII. Menſis Februarii Anno *D*omini MDCXXXIX. Regnorum noſtrorum Poloniae, et Sveciae VII. Anno. Praeſentibus Reverendiſſimis, Reverendis, Illuſtribus, Magnificis, et Generoſis Abrahamo Woyna Vilnenſi, Petro Gembicki Premiſlienſi, Supremo Regni Cancellario, Georgio Tyſzkiewicz Samogitiæ Epiſcopis, Chriſtophoro Radziwiłł *D*uce in Birze, et *D*ubinki, Sacri Romani Imperii Principe, Vilnenſi, Copiarum Magni Ducatus Litvaniæ ſupremo Duce, Mohilovienſi, Ianuſſio Skumin Tyſzkiewicz Trocenſi, Chriſtophoro Kiſzka Mſciſtavienſi, Alexandro Corvino Gąsiewſki Smolenſcenſi, Alexandro Maſſalſki Minſcen-

ANNO 1639.

ANNO 1639.

scensi, Caunensi, Gotthardo Joanne a Tyſenhauſen Derpatenſi, Palatinis, & Capitaneis, Joanne Alphonſo Łącki Samogitiae, Chriſtophoro Sokolinſki Połocenſi, Jezierzycensi, Gedeone Raiecki Minſcensi, Nicolao Korff Vendensi, Petro Rudomina Duſiadzki Derpatensi, Vſwiatensi, Caſtellanis, & Capitaneis, Alexandro Ludovico Radziwiłł Duce in Ołyka, & Nieśwież Sacri Romani Imperii Principe, Supremo Magni Ducatus Litvaniae Mareſchalco, Słonimensi Capitaneo, Alberto Staniſlao Radziwiłł Duce in Ołyka, & Nieśwież Sacri Romani Imperii Principe, Supremo Magni Ducatus Litvaniae Cancellario, Pinſcenſi, Mevenſi, Tucholiensi, Boyſagoliensi Capitaneo, Georgio Duce in Oſſolin, Comite de Tenczyn Sacri Romani Imperii Principe, Vice-Cancellario Regni, Bidgoſtiensi Lubaczoviensi, Adzelensi, Relensi Capitaneo, Stephano Pac Vice-Cancellario Magni Ducatus Litvaniæ, Prenenſi, Berſtanensi Capitaneo, Nicolao Tryzna Supremo Magni Ducatus Litvaniae Theſaurario, Bludensi, Ozenſi, Przetomensi Capitaneo, Alberto Nicolao de Olexow Gniewoſz Secretario Regni Maiore, Abbate Coprivnicensi, Jacobo Wierzbięta Doruchowſki Referendario Regni, Archidiacono Varſaviensi, Scholaſtico Lanciciensi, Marciano Tryzna Referendario, & Notario Magni Ducatus Litvaniæ, Trocensi, & Geranonensi Præpoſito, Chriſtophoro Corvino Gąſiewſki Referendario, & Notario Magni Ducatus Litvaniae, Olitensi Capitaneo, Januſſio Radziwiłł Duce in Byrze, & Dubinki, Sacri Romani Imperii Principe, Supremo Camerae Magni Ducatus Litvaniae Præfecto, Camenecensi Capitaneo, Sigismundo Carolo Radziwiłł Duce in Ołyka, & Nieśwież Sacri Romani Imperii Principe, Ordinis Sancti Joannis Hieroſolimitani Melitenſium Equite, Commendatore Poſnaniensi, Magni Ducatus Litvaniae Pocillatore, Gedeone Michaele Tryzna Inciſore Dapum Magni Ducatus Litvaniæ, Breſtianensi Capitaneo, Chriſtophoro Gembicki Dapifero Regni, Gneſnensi Capitaneo, Caſimiro Tyſzkiewicz Dapifero Magni Ducatus Litvaniae, Czeczerſtenſi Capitaneo, Staniſlao Zadorſki Pincerna Regni, Goſtinensi Capitaneo ..... de Wnurow Gniewoſz Venatore Regni, Chriſtophoro Chalecki Enſifero Magni Ducatus Litvaniae, Joanne Gembicki Cancellariae Maioris Regni Regente, Jacobo Maximiliano Fredro Cancellariae Minoris Regni Regente, Succamerario Præmiſliensi, Alexandro Ogińſki Vexillifero Curiae Magni Ducatus Litvaniae, Rochaczenſi Capitaneo, Alexandro Trzebinſki Decano Sendomiriensi, Chriſtophoro Lode Succamerio *D*erpatensi, Capitaneo Golubensi, Nicolao de Olexow Gniewoſz Vexillifero Lublinensi, Staniſlao Skarſzewſki Subdapifero Sendomiriensi, Chriſtophoro Steczkiewicz Succamerio Braſłaviensi, Antonio Tyſzkiewicz Palatino Breſtianensi, Vladiſlao Naruſzewicz Capitaneo Lodziecensi, Aulicis noſtris, Piaſecki Abbate Clarae Tumbae, Adamo Komorowſki, Henrico *D*onhoff Capitaneo Hermensi, Joanne Manowſki, Andrea Buialſki, Petro Bieganſki, Hieronymo *D*unin Secretariis noſtris, Samuele Rylſki Capitaneo Rabitinenſi, Gaſparo Poniatowſki Sylvarum Koniavienſium Præfecto, Alexandro Zyzemſki Sylvarum Oranenſium, Przełacenſium, & Merecenſium Præfecto, Joanne Theodoro Maydell Sylvarum Rudnicensium Præfecto, intimis Cubiculi noſtri Familiaribus, aliisque quam plurimis Aulicis, Secretariis, & Officialibus noſtris.

ANNO 1639.

VLADISLAUS *Rex.*

Jacobus Maximilianus Fredro Succamerarius Premiſlienſis Regens Cancellariæ Regni.

Vice-Cancellariatu Illuſtris, & Magnifici Domini Georgii a Tenczyn Oſſolinſki, Bydgoſtienſis, Lubacovienſis, Rycenſis, Adzelenſis &c. Capitanei.

Mathias Cielecki.

Vice-Cancellariatu Illuſtris, ac Magnifici Domini Stephani Pac Prenenſis, Berſtanenſis &c. Capitanei.

Recepit Vladiſlaus Kyerdey Sacræ Regiæ Maieſtatis Secretarius.

Locus Sigilli penſilis Regni Poloniæ.

Locus Sigilli Magni Ducatus Litvaniæ.

Hanc Inveſtituram Regiam cum vero ſuo producto Originali verbotenus congruere teſtor ego infra denotatus, & requiſitus Notarius Publicus conſveto Sigillo Officii ſubappreſſo, & manus meæ propriæ ſubſcriptione. Actum Mitaviæ die 12. Menſis Auguſti, Anno Domini milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo ſecundo.

L. S. *Godofredus Fabricius Sacræ Regiæ Maieſtatis Authoritate Notarius Publicus, Judicii Terreſtris Mitavienſis Secretarius, manu propria.*

CCXXXIX.

Cautio Jacobi Ducis de conſervatione præeminentiæ, & publici exercitii Religionis Catholicæ 1639.

ANNO 1639. *Romanæ in Ducatibus Curlandiæ, & Semigalliæ, nec non de erectione intra triennium ſuis ſumptibus Templi in Civitate Goldinenſi, cum aſſignatione certorum reditum in uſum eiusdem Religionis.* Dat. Vilnæ d. 18. Febr. An. 1639. *Ex Archivo Regni.* Lib. 151. ſub Lit. T. S. num. 152. fol. 100.

Jacobus Dei Gratia Curlandiae, & Semigalliæ *D*ux. Vniverſis, & ſingulis, quorum intereſt, notum facimus. Quia Nos circa receptionem Inveſtiturae, ac præſtitum Homagium, pro Feudo *D*ucatus Curlandiae, & Semigalliae inter alias conditiones Nobis a Sereniſſimo VLADISLAO IV. Rege Poloniae, uti ſupremo, ac directo *D*omino noſtro clementiſſimo, & Regni, & Magni *D*ucatus Litvaniae Proceribus propoſitas, illam inprimis, & ante omnia cautam eſſe, & aſſecurare volumus, cavemusque, & aſſecuramus præſentibus, quae Religionis Catholicae præeminentiam, & conſervationem concernit, quod nimirum nullis unquam hominibus, nec *D*ucatuum noſtrorum Incolis, cuiuscunque ſtatus, & conditionis fuerint, Religionem Catholicam Romanam profitentibus, ſive qui ad præſens, ſive qui poſthac futuri ſint, exercitium publicum prohibituri ſimus, quinimo liberum, ac perpetuum doctrinae, inſtitutorumque Eccleſiae Catholicæ Romanae uſum omnibus in eadem enutritis, aut nutriri, ac inſtitui volentibus permittemus, ita ut nullus unquam Catholicorum Sacerdotum, ac ſæcularium hominum, nec non Religioſorum eo nomine turbari, inquietari, accuſari, nullus vim, iniuriam, aut contumeliam pati debeat, atque ut omnibus Nobilibus, quicunque in bonis ſuis, ſive allodialiis, ſive hæreditariis Templa, Eccleſiasque habuerint, & habere voluerint, ſecundum declarationem in Formula Regiminis, in iisdem exercitium Catholicae Religionis inſtituere, Sacerdotes alere, habereque ſine cuiuspiam impedimento, liberum, integrumque ſit. Præterea ut ſi qui Catholici Viri Nobiles, aliique idonei extiterint, illi ad munia, officia, honoresque publicos obeundos admittantur, eorumque Nobilitati, virtuti, aut eruditioni ad omnes *D*ignitates aditus pateat, ſpondemus, cavemus, & verbo Principis promittimus. Et quoniam Sacrae Regiae Maieſtati *D*omino noſtro Clementiſſimo, Regni, ac Magni *D*ucatus Litvaniae Proceribus convenire, ac expedire viſum eſt, ut unum, aut alterum Templum in Civitatibus præcipuis Curlandiae, & Semigalliae ad Religionis Catholicæ uſus, cum reditibus iuſtis aſſignaretur, non ſolum propter eos, qui in prædictis *D*ucatibus eius Religionis eſſent, aut in poſterum forent, verum etiam externos, & qui ex Regno, & Magno *D*ucatu Litvaniae eo commearent. Nos quidem pro officio debitae ſubiectionis, & Vaſallatus, quo Sacrae Regiae Maieſtati, & Reipublicae obſtricti ſumus, præſentium Literarum noſtrarum vigore recipimus, promittimus, ſpondemusque in uſus hoſce Religionis Catholicae Romanae unum Templum in Civitate Goldinenſi, cuius iuſta capacitas ſit, lateritium, ſive ex lapide, loco decente, & honeſto, quem *D*elegati a Reverendiſſimo Epiſcopo Samogitiæ, uti viciniori Epiſcopo, commodiorem iudicaverint, Cæmeterium item circumcirca, campanile, ad ſummum intra triennium noſtro ſumptu extructuros, ſimiliter iuxta templum, domum, & habitationes neceſſarias pro Parocho, & Miniſtris, tam eius, quam Eccleſiae intra ſupraſcriptum tempus, tum in dotem etiam Eccleſiae, & alimenta Parochi ſexcentos florenos annuos certi reditus, certis in fundis, villis, agris, aut cenſibus aſſignaturos. Jus præſentandi Parochum idoneum tamen, & inprimis quidem Sacerdotem Catholicum Religionis Catholicæ Romanæ ab Epiſcopo approbandum, & qui utriusque linguæ, tam Lotavicæ, quam Germanicae peritus ſit, ad Nos pertinere debebit, ſi tamen intra ſemeſtre tempus Nos, Succeſſoresve noſtri præſentare eum negligeremus, Reverendiſſimo Epiſcopo Samogitiae, uti Epiſcopo viciniori, Succeſſoribus eius, ſive eius Officiali de Parocho Eccleſiae providere, ipſumque inſtituere liberum erit, & ad eundem, *S*ucceſſoresque eius inſpectio in doctrinam, mores, & vitam Parochi pertinere debebit. Qui quidem eodem iure, quo alii in Regno Poloniae *S*acerdotes, privilegiatus, & exemptus omnino ab omni iurisdictione ſæculari eſſe debebit, exceptis tamen caſibus in iure Canonico expreſſis. Cæterum eidem Parocho, Eccleſiaeque Miniſtris, Nos, *S*ucceſſoresque noſtri, nec non Magiſtratus noſtri tam Caſtrenſes, quam Urbani, ſecuritatem ab omni vi, iniuria, contumeliis, bona fide præſtabimus, illique præſtabunt. Adeoque in univerſum ſupraſcripta omnia, & ſingula Nos, *S*ucceſſoresque noſtros in omnibus eorum punctis, & clauſulis diligentiſſime, ſancteque adimpleturos, executioni demandaturos, obſervaturosque, neque quidquam per Nos, vel

ANNO 1639.

ANNO 1639. vel per alium quempiam contra eadem attentaturos, facturos, aut attentari, fierique passuros, sub fide, honoreque Principis, nostro, Successorumque nomine cavemus, spondemus, promittimusque. In quorum fidem praesentem Cautionem, manu nostra subscripsimus, & Sigillo communiri iussimus. Datum Vilnae die XVIII. Mensis Februarii, Anno *D*omini MDCXXXIX.

JACOBUS *mpp.*

CCXL.

1639. *Cautio eiusdem Ducis de extruendo suis sumptibus, & dotando altero templo in Civitate Mitavienſi in usum Romanæ Catholicæ Religionis.* Dat. Vilnæ d. 18. Febr. 1639. *Indidem.*

Jacobus Dei Gratia Curlandiæ & Semigalliæ Dux. Universis & singulis, quorum interest, notum facimus. Quia cum circa receptionem Investituræ & praestitum Homagium, pro Feudo Ducatus Curlandiæ & Semigalliae, inter alias conditiones Nobis a Sereniſſimo VLADISLAO IV. Regæ Poloniæ, uti Supremo, ac directo Domino Nostro Clementissimo, & Regni, ac Magni Ducatus Lithvaniæ Proceribus, certæ Conditiones propositæ fuissent, ac imprimis de extruendis duobus templis pro exercitio Religionis Catholicæ Romanæ, uno quidem in Civitate Goldinen. altero vero in Civitate Mitavien. iisdemq; dotandis. Nos quidem quantum ad templum in Civitate Goldinensi attinet, Cautionem dedimus Nostram, illud intra triennium ad summum nostro sumptu extructuros & dotaturos. Quantum vero alterum attinet in Civitate Mitaviensi, ex certis rationibus humiliter ab eodem Sereniſſimo Rege Domino nostro clementissimo postulavimus, ut non nisi vita functo Illustrissimo Principe FRIDERICO Patruo nostro cariſſimo huic Conditioni satisfacere teneamnr. Quam dilationem cum benigne Nobis sua Maiestas concessisset, cavemus vicissim, & Verbo Principis promittimus, spondemusque, Nos post mortem prænominati Illustrissimi Ducis Patrui nostri hanc conditionem in Civitate Mitaviensi extruendi & dotandi Templi Catholici Romani, bona fide expleturos, idq; pari et simili per omnia ratione, quemadmodum Goldingæ nihil vel circa extructionem, vel dotationem, Jusque Patronatus, & Præsentationem, Jura item Episcopalia eiusdem Reverendiſſimi Episcopi, & demum nostram, Magistratuumque nostrorum Protectionem immutando, vel diminuendo. In quorum fidem praesentem Cautionem Manu nostra subscripsimus, & Sigillo communiri iussimus. Datum Vilnæ die XVIII. Mensis Febr. An. Domini MDCXXXIX. ANNO 1639.

JACOBUS *mpp.*

CCXLI.

Confirmatio Articuli de Religione Confeſſionis Augustanæ. Dat. Vilnæ 18. Febr. 1639. *Ex Arch. Regni* Lib. 41. sub Lit. RR. num. 42. fol. 38. *Item* Lib. 182. num. 183. fol. 38. 1639.

VLADISLAUS IV. DEI Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Russiæ, Prussiæ, Samogitiæ, Masoviæ, Livoniæque, nec non Svecorum, Gottorum, Vandalorumque Hæreditarius Rex, Electus, & Magnus Dux Moschoviæ.

Significamus praesentibus Literis nostris quorum interest universis, & singulis earum notitiam habituris. Quod cum Illustris Princeps Dominus Jacobus Curlandiae, & Semigalliae Dux, ad Nos tempore, locoque a Nobis datarum harum Literarum venisset, & Investiturae Feudi sui Ducalis collationem, tum Jurium, & Privilegiorum, Concessionumq; omnium, quae a Sereniſsimimis olim *D*ivo SIGISMUNDO AUGUSTO Avo, *D*ivo STEPHANO, & *D*. SIGISMUNDO Tertio, Parente nostro, Regibus, *D*ecessoribus nostris, Illustris olim Avus eius consecutus fuisset, confirmationem, & renovationem a Nobis petiisset, & caetera quidem, quae de novo conferenda & confirmanda existimassemus, ipso Investiturae *D*iplomate confirmare Nobis visum esset, Articulum de Religione Confessionis Augustanæ, e Privilegio eiusdem *D*ivi *D*ecessoris, & Avi Nostri, quemadmodum, & *D*ivae memoriae Sereniſsimi STEPHANUS, & SIGISMUNDUS III. Parens, Reges, *D*ecessores nostri feciſsent, hoc peculiari Nostro *D*iplomate, eius Illustritati Regia nostra potestate, atque authoritate confirmare voluiſse. Cuius quidem Articuli in commemorato Privilegio *D*. SIGISMUNDI AUGUSTI tenor de verbo ad verbum est talis:

Dedimus praeterea fidem, sicut & praesentibus Literis sancte damus, recipimus, & promittimus. Nos tam Principi, quam Civitatibus, aliisve Subditis suis, cuiuscunque Ordinis, & Status fuerint, liberum usum Religionis, Cultusque Divini, & receptorum rituum secundum Augustanam Confessionem in suis Ecclesiis, totiusque

ANNO 1639. *rei Eccleſiaſticæ integram adminiſtrationem, ſicut eam hactenus habuerunt, libere permiſſuros, nec in ea ullam mutationem facturos, neq; ut ab aliis fiat permiſſuros.*

Hunc igitur Articulum ex omni ſua parte Nos ratum, gratumque habere, atque eius Illuſtritati confirmare, & ſalvum ſanctumque perpetuis temporibus conſervaturos eſſe, Verbo noſtro Regio pro Nobis, & Succeſſoribus noſtris promittimus, quemadmodum eum vigore harum Literarum noſtrarum confirmamus. In cuius rei fidem praeſentes manu noſtra ſubſcripſimus, & Sigillo Regni noſtri, Magnique *D*ucatus Litvaniae muniri mandavimus. *D*atum Vilnae tempore praeſtiti Homagii die videlicet XVIII. Menſis Februarii, Anno *D*omini milleſimo ſexenteſimo trigeſimo nono. Regnorum noſtrorum Poloniae, & Sveciae ſeptimo Anno.

VLADISLAUS *Rex.*

Locus Sigilli penſilis Regni Poloniæ.

Locus Sigilli penſilis M. D. L.

A. Zuchowſki Secretarius R. M. Concordat cum vero ſuo Originali.

Locus Sigilli Notarii Publici Regii.

Godefredus Fabritius Notarius Publicus Regius.

CCXLII.

1639. *Illuſtris Princeps Domina Eliſabetha Magdalena Curlandiæ, & Semigalliæ Dux in protectionem, & patrocinium Sacræ Regiæ Maieſtatis ſuſcipitur.* Dat. Varſaviæ die 15. Dec. 1639. *Ex Archivo Regni.* Lib. 153. num. 154. fol. 103.

VLADISLAUS IV. DEI Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Samogitiæ, Maſoviæ, Livoniæque, nec non Svecorum, Gottorum, Vandalorumque Hæreditarius Rex, Electus, & Magnus Dux Moſchoviæ. Significamus praeſentibus Literis noſtris, quorum intereſt, univerſis, & ſingulis. Quo in ſtatu res humanæ ſint poſitæ, quæve earum certitudo, continuis, quæ ob oculos noſtros verſantur, edocemur exemplis. Nulla quippe earum ſtabilitas, nulla perfectio, omnia variabili ſubeſſe videmus viciſſitudini. Quocirca optimo conſilio a viris prudentibus proſpici ſolet, ne poſt extrema eorum facta laudabilia, ipſorum deſideria, piæque intentiones aut immutentur, aut evaneſcant. Eorum exemplo Illuſtris Princeps Dominus Fridericus Curlandiæ, & Semigalliæ Dux, poſt tot exantlatos labores, & curas in promovendis boni publici tam in Sago, quam in Toga rationibus, feliciter ſuſceptas, ſentiens valetudinem ſuam, ob provectam iam ætatem indies ad maiorem devenire imbecillitatem, id vero unicum in votis habens, ut Illuſtris Princeps Domina Eliſabetha Magdalena, nata Princeps Stetini, Pomeranorum, in Livonia Curlandiæ, & Semigalliæ Duciſſa, Cognata noſtra, Illuſtritatis vero ſuæ conſors chariſſima, poſt deceſſum ſuum reſiduum vitæ ſuæ curriculum, quod in longævos annos a Deo præpotenti benigne ipſi concedi animitus precatur, in deſiderata felicitate, omnimoda tranquillitate, debito vero cultu, & veneratione Ducali, ac condigna tanta Principe obſervantia traducat, omnique commoditate, & rerum ſufficientia dignitatis ſuæ congrua, ac bonis iure ſucceſſionis ſeſe concernentibus, atque ab Illuſtri Principe chariſſimo Coniuge ſuo, in Perſonam ſuam transfuſis, & inſcriptis, abſque cuiusvis impetitione, & moleſtatione ſecure, & pacifice ſub patrocinio, & protectione noſtra Regia gaudeat, & utifruatur. Nos quoque propoſito laudabili, & votis, ac deſideriis Illuſtris Principis annuentes, ac faventes, utque ea omnia, quæcunque tam ad conſervandam Illuſtriſſimæ Duciſſæ dignitatem, quam etiam ea, quæ in rem, & commodum ſuæ Illuſtritatis pertinere cenſentur, ad effectum deduci cupientes, eandem Illuſtriſſimam Duciſſam, Cognatam noſtram chariſſimam, uti Jagellonico Sanguine Nobis iunctam, in Regium noſtrum patrocinium, & ſingularem protectionem benigne aſſumendam, cooptandam, & recipiendam volumus, uti quidem cooptamus, aſſumimus, & recipimus hiſce praeſentibus, eodemque patrocinio noſtro munitam a quibuſvis iniuriis, & moleſtiis tutam, & immunem in pacifica eorum omnium, quæ iure ſucceſſionis transfuſorio, vel quovis alio eam concernunt, poſſeſſione conſervari, & manuteneri volumus. Quod omnibus, quorum intereſt, præſertim Magiſtratibus Curlandiæ, & Semigalliæ Ducatuum Statibus, Conſiliariis, Præfectis, Officialibus, ac aliis omnibus, tam publica Officia Caſtrenſia, vel Terreſtria gerentibus, quam privata, totique illorum Ducatuum Nobilitati ad notitiam deducentes, eisdem mandamus, ut pari cultu, reverentia, & ſubmiſſione, quam nunc Illuſtri Principi in Livonia, Curlandiae, & Semigalliæ Duci

ANNO 1639.

ANNO 1639. ci exhibent, Illuſtriſſimam quoque Duciſſam, ſi forte ex hac vita Illuſtrem Principem decedere contigerit, colant, & venerentur, omnesque donationes, & proviſiones bene meritis aſſignatas, vel aſſignandas in ſuo robore conſervent, & ab omnibus ratas, & firmas, inviolabilesque, modo non ſint iuribus illius Provinciæ repugnantes, haberi, & conſervari, famulitiumque Illuſtritatis ipſius ab aliorum iniuriis, & impetionibus defendi curent, Præfectos vero ærarii, Oeconomos, Proviſores, cæterosque proventuum Adminiſtros, & Officiales ad comportationem ſummarum pecuniariarum, tam paratarum, quam ubivis locorum, & quovis modo collocatarum, & depoſitarum, tum & retentarum, & perſolvi debitarum, nec non ad reddendas rationes adminiſtrationis proventuum omnium, & ſingulorum, fidei illorum commiſſorum compellant, & adigant, quatenus ea omnia, quæ pro debito ſuo præſtare tenentur, ſub onere conſcientiæ in compertum Illuſtriſſimæ Duciſſæ proferant, producant, cæteraque omnia, & ſingula ad tuendam dignitatem ſuæ Illuſtritatis, utilitatem, & emolumentum pertinentia, pro fide ſua diligenter proſpiciant, & exequantur, idque Authoritate noſtra, præſentibus hiſce ſibi a Nobis eo nomine conceſſa. In cuius rei fidem &c. Datum Varſaviæ die XV. Menſis Decembris Anno Domini MDCXXXIX. Regnorum noſtrorum Poloniæ, & Sveciæ VIII. Anno.

VLADISLAVS *Rex.*

Alexander Trzebinſki Sacræ Regiæ Maieſtatis Secretarius.

CCXLIII.

1643. *Tractatus Commerciorum inter* LUDOVICUM XIV. *Regem Galliæ, & Jacobum Curlandiæ, & Semigallliæ Ducem concluſus.* Pariſiis d. 30. Dec. An. 1643.

Traité du Commerce entre LOUIS XIV. *Roy de France, & le Duc de Curland, fait a Paris le 30. Decembre 1643,*

ARticles convenus, & accordez entre Monſieur le Comte de Brienne, Conſeiller du Roy en ſes Conſeils, Secretaire d'Etat, & des Commandemens, & Finances de Sa Majeſté, & Commandeur de ſes Ordres, Commiſſaire deputé par Sa dite Majeſté en cette partie, par l'avis de la Reine Regente Sa Mere, & le Sieur Fircks Major envoié en France vers leurs Majeſtez de la part de Monſieur le Duc de Curlande, chargé de Lettres de Creance a cet effet. A Paris le 30. Decembre 1643. ANNO 1643.

Sur ce que le dit Sieur Fircks a ſupplié leurs Majeſtez au nom du dit Duc de Curland, de lui accorder les Articles ſuivans, aiant declaré avoir chargé de les accepter, & d'obliger ſon Maitre a l'entretenement des choſes contenues en ce preſent Ecrit. Le dit Sieur Comte de Brienne en vertu de ſon dit pouvoir aiant conferé avec le dit Sieur Fircks Major ſur ce qui regarde les conditions reſpectives du preſent Traité, ſont demeurez d'accord de ce qui en ſuit.

I. Le dit Duc de Curland aiant fait temoigner au Roy beaucoup d'affection, & deſiré l'affermir d'avantage par l'intereſt du Commerce, Sa Maieſté voulant y correſpondre de ſon côté, & temoigner au dit Duc l'eſtime quelle fait de Sa Perſonne, lui a permis, & acordé la liberté de trafiquer en France, & d'y apporter toutes ſortes de bleds, & autres marchandiſes & denrées qui croiſſent en ſon pays, pour les amener dans ſes vaiſſeaux, icelles de changer dans les ports, & hauvres de ce Roiaume, ſoit a Bourdeaux, Brouage, & autres lieux circonvoiſins & comme bon leur ſemblera.

II. Pourront auſſi ceux qui ſeront negocians, facteurs, ou advoüez du dit Seigneur Duc de Curland, recharger de toutes ſortes de marchandiſes en France pour les tranſporter en Curlande, à la reſerve de celles prohibées, & pourront les Vaiſſeaux ou ceux qui feront le trafic ſous l'aveu du dit Seigneur Duc aller, & venir en toute ſeureté dans nos Mers le le long de nos côtes, entrer & ſortir de ce Roiaume en pleine liberté, en païant les droits pour ce deus, & accoutûmez, & en cas qu'aucuns des Marchands, facteurs, ſerviteurs, ou gens faiſans le negoce vinſſent a deceder en France pendant leur voiage, ou ceux qui y demeureront actuellement pour le ſervice du dit Seigneur Duc, Sa dite Majeſté veut, & entend, que pour celle leurs biens, facultez & marchandiſes ne ſoient ſujettes au droit d'aubeine, désherence, ou confiſcation, ainſi ſeront traitez tout ainſi, que s'ils eſtoient regnicoles.

III. Comme auſſi le dit Seigneur Duc de Curland promet reciproquement de donner toute ſeureté, & liberté aux François dans ſes ports, & hauvres pour y trafiquer, & vendre leurs marchandiſes, & en recharger d'autres ſuivant l'uſage du païs, ſans que durant le temps de leur voïage, & ſéjour arrivant le deceds d'aucuns

ANNO 1643. cuns marchands, facteurs, ou ſerviteurs, leurs biens, facultez, & marchandiſes puiſſent eſtre acquiſes, ou confiſquées par Droit Souverain.

IV. Promet auſſi le dit Seigneur Duc de Curland, de n'aſſiſter les ennemis de la France de ſes vaiſſeaux, ni de leur porter des commoditez ſous pretexte de la liberté preſentement accordée de venir dans nos Mers, mais ſeulement pourront en uſer tout ainſi, & a l'inſtar des villes de Hambourg, Dantzic, & autres places neutres.

V. Permet en outre Sa dite Majeſté au dit Seigneur Duc de Curland d'achepter en France des terres, Seigneuries, & maiſons pour en jouir, comme en faiſoient ceux deſquels il les aura acquiſes, ſans payer autres droits & redevances, que les anciens proprietaires, & ſans que venant ce dit Seigneur Duc a deceder, Sa Majeſté puiſſe pretendre le dit bien lui appartenir par droit d'aubeine, ainſi appartiendra a ſes Heritiers, & Succeſſeurs, tout ainſi que s'ils eſtoient regnicoles, & ſeront par tout traitez, comme s'ils eſtoient originaires François. Faits a Paris le trentieme jour de Decembre 1643.

Signé *de Lomenie* avec paraphe, & *George Fircks* auſſi avec paraphe.

Regiſtrez ouï le Procureur General du Roi, pour êſtre executez ſelon leur forme, & teneur, a la charge de prendre par les Heritiers du dit Duc de Curland Lettres de naturalité, ou de diſpenſe particuliere du droit d'aubeine. A Paris en Parlement le 24. Feuvrier 1647.

Signé du Tillet avec paraphe.

CCXLIV.

1644. *Tranſumptum Status Epiſcopatus Piltenſis ab Ottone Schenking Epiſcopo Vendenſe conſcripti, & ſucceſſive Actis Regni Maioris Cancellariæ S. R. M. inſerti. Ex Archivo Regni* Lib. 166. Lit S. E. num. 157. fol. 31.

VLADISLAUS IV. DEI Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, Smolenſciæ, Czernichoviæque, nec non Svecorum, Gottorum, Vandalorumque Hæreditarius Rex. Significamus præſentibus Literis noſtris, quorum intereſt univerſis, & ſingulis. Oblatas eſſe ad Acta Regni Cancellariæ noſtræ Maioris per Venerabilem Paulum Puzyna, Eccleſiæ Cathedralis Samogitiæ Præpoſitum, Literas infraſcriptas, manu Reverendi in Chriſto Patris Domini Ottonis Schenking Epiſcopi Vendenſis ſubſcriptas, & Sigillo eiusdem munitas, ſanas, ſalvas, omnique ſuſpicione carentes, ſupplicatumque Nobis, ut easdem ad Acta ſuſcipi, & iisdem inſeri mandare dignaremur, quarum tenor ſequitur, eſtque talis. Sub ipſa Religionis Catholicæ in Luteranam mutatione, Curlandiæ, ſive Piltenſem, et alterum Oſilienſem Epiſcopatum ſimul tenuit, Nobilis quidam Epiſcopus Veſtphalus Joannes a Monninghauſen, qui nova opinione imbutus, ad hoc animum intendit, ut vendito Epiſcopatu in Germaniam ſe conferret, ut uxorem duceret. Inventus eſt mox emptor FRIDERICUS Daniæ Rex, qui domi habens Fratrem Magnum nomine, Holſatiæ Ducem, moribus diſcolis ita imbutum, ut dato pretio extra Regnum ſuum illum degere vehementer cuperet. Ideoque appenſis triginta Argenteis hoc Patrimonium eſt appretiatum. Magnus in Livoniam venit, Curlandiæ, et Oſiliæ Epiſcopatus poſſeſſionem, et titulum aſſumpſit, eoque tamdiu uſus eſt, quoad ipſum cœlibis vitae taedium inceſſeret. Tunc ille in Moſchoviam profectus, Anteceſſoris ſui exemplum ſecutus, uxorem quoque duxit, aſſumpto (Tyranno Moſchorum annuente) Regis Livoniae titulo. Interim dum ille in Moſchovia Regnum Livoniae in aëre fabricat, et fundat, germanus ipſius Frater FRIDERICUS Daniae Rex Epiſcopatum Oſilienſem occupat, ne forte expoſiti ab ipſo triginta Argentei (hoc eſt triginta millia Talerorum) plane pereant, Dux Magnus in Moſcovia incerta omnia videns, incertus et ipſe Tranſactionum obſervator, rebus omnibus ibi turbatis, in Livoniam rediit, ſe ipſum, ſuumque Curlandiae Epiſcopatum, et alias Ultradunenſes Arces Moſcho ereptas, quae tamen ad Regnum Poloniae antea pertinuerant, in tutelam Regis, et Reipublicae Polonae ſubiecit, et acceptatus eſt. Poſt ipſius mortem Poloniæ Rex STEPHANUS, et Daniae Rex FRIDERICUS de Curlandiae Epiſcopatu decertarunt, alter ſubiectionem, alter triginta millia expoſita, pro ſuo iure prætendens. Ne vero de re parva, maior quam pro rei dignitate exoriretur contentio, & in apertum bellum Regna iſta præcipitarentur, utriusque Regis conſenſu arbiter electus eſt FRIDERICUS e Domo Brandeburgica Marchio Anſpachenſis, is ita rem compoſuit, ut ſuo proprio ære, Daniae Regi ſatisfaceret, qui omni penitus prætenſioni ſuae in perpetuum renuntiaret, illamque Poloniæ Regi cederet, Rex vero Poloniæ Epiſcopatum Curlandiae non recuperaret prius,

ANNO 1644.

ANNO 1644. prius, quam Marchioni Anſpachenſi pecunias Dano numeratas renummeraret. Impetraverat poſtea STEPHANI Regis Nepos Balthaſar Bathori, Jus Epiſcopatus Curlandiae eliberandi, & hypothecæ titulo eundem poſſidendi. Qui tamen ad Transſylvaniæ Dominatum aſpirans, ius illud ſuum parvipendens Curlandiae Duci Friderico ceſſit. Conatus eſt Fridericus Curlandiae Dux repoſita Marchioni pecunia Epiſcopatum obtinere, aſt Marchio conditionem acceptare nullatenus voluit. Mortuo Anſpachenſi Marchione, cum ex ea familia Gvilhelmus Curlandiae Coniugem acciperet, ita transactum tandem eſt, ut Epiſcopatus iſte in poteſtatem Gvilhelmi Curlandiæ, remiſſa triginta millium ſumma, Dotis loco proveniret. Omnibus iſtis, quæ acta ſunt, ad calculum reductis, verum ſtatus tale eſt, quod modernus Dux Gvilhelmus Curlandiæ Epiſcopatus Hypothecarius eſt Poſſeſſor, cum clauſula expreſſa. *Juribus Regalibus, Epiſcopalibus, & Capituli per omnia ibi ſalvis permanentibus.*

L. S. OTTO *Epiſcopus Vendenſis.*

Cui ſupplicationi Nos benigne annuentes, præinſertas Literas ad acta præſentia ſuſcipi, ex eisdemque authentice extradi mandavimus. Act. & Dat. Vilnæ Sabbatho Magno, Anno Domini 1644.

Relatio Illuſtriſſimi Domini Georgii de Tenczyn Oſſolinſki Regni Poloniæ Supremi Cancellarii, Bidgoſtienſis, Lubacovienſis, Lubomlenſis, Odzelenſis, Ricenſisque &c. Capitanei.

CCXLV.

1644. *Interventio nomine, & in perſona Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi Domini Georgii Tyſzkiewicz Epiſcopi Samogitiæ, Epiſcopatus Curonenſis perpetui Adminiſtratoris de Jure, quod in dicto Epiſcopatu Curonenſi Eccleſiis Catholicis competit.* Act. & Dat. Vilnæ Sabbatho Magno Anno 1644. *Indidem.*

VLADISLAUS IV. Dei Gratia Rex Poloniæ Magnus Dux Lithvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Samogitiæ, Maſoviæ, Livoniæque, nec non Svecorum, Gotthorum, Vandalorumque Hæreditarius Rex.

Significamus præſentibus literis Noſtris, quorum intereſt univerſis & ſingulis. Quod cum Venerabilis Paulus Puzyna Eccleſiae Cathedralis Samogitiae Præpoſitus coram Nobis, dum cauſa inter Illuſtrem Principem JACOBUM Curlandiæ & Semigalliæ in Livonia Ducem, & Generoſum Ottonem Erneſtum Maydell, ratione Diſtrictus Piltenſis ventilaretur, viva voce ex parte Reverendi in Chriſto Patris Domini Georgii Tyſzkiewicz Epiſcopi Samogitiae, & perpetui Adminiſtratoris Curonienſis, ſeu Piltenſis Epiſcopatus interpoſuiſſet, ita & ad Acta Cancellariæ noſtræ Maioris perſonaliter veniens, hanc ipſam interpoſitionem in ſcriptis obtulit, cuius tenor ſequitur, eſtque talis: ANNO 1644.

Retroactis temporibus, quoties Epiſcopatus Piltenſis, ſeu Curoniæ, in poſſeſſionem quorundam ſæcularium de conſenſu Sereniſſimorum Regum divæ recordationis titulo hypothecæ perveniebat, ſemper Literæ conſenſus ſuper redimendo huiusmodi Epiſcopatu, a Sereniſſimis Regibus conceſſæ, hanc expreſſam continebant clauſulam, videlicet, ſalvis Juribus noſtris Regalibus, Reipublicæ, & Eccleſiarum Catholicarum ibidem manentibus. Proinde & in præſenti coram Judicio Sacræ Regiæ Maieſtatis Veſtræ, Domini Clementiſſimi, cum actio occaſione eiusdem Epiſcopatus, inter Illuſtrem Dominum Jacobum Curlandiæ, & Semigalliæ Ducem, & Generoſum Dominum Ottonem Erneſtum Maydell ſit mota, ne eiusmodi cauſa Juribus Eccleſiæ Piltenſis, & aliarum Eccleſiarum Catholicarum ibidem aliquomodo irroget præiudicium, nomine earundem Eccleſiarum Catholicarum, in perſona Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi Domini Georgii Tyſzkiewicz Epiſcopi Samogitienſis, uti vicinioris Epiſcopi, & perpetui Adminiſtratoris huius Epiſcopatus Curonienſis ſeu Piltenſis, Ego Paulus Puzyna Eccleſiæ Cathedralis Samogitiæ Præpoſitus intervenio, ſimulque a Sacra Regia Maieſtate Veſtra, Domino meo Clementiſſimo humiliter peto, ſalvum, & integrum Jus, quod in dicto Epiſcopatu Eccleſiis Cathedralicis competit, conſervari, & meam præſentem Interventionem benigne ſuſcipi, & admitti. Quam Nos ratam, & gratam habentes, ad acta præſentia ſuſcipi, iis inſeri, atque ex iisdem authentice extradi mandavimus. Actum & Datum Vilnæ Sabbatho Magno Anno Domini MDCXLIV.

Relatio Illuſtriſſimi Domini Georgii de Tenczyn Oſſolinſki Regni Poloniæ Supremi Cancellarii, Bidgoſtienſis, Lubacovienſis, Lubomlenſis, Odzelenſis, Ricenſisque &c. Capitanei.

ANNO 1649.

CCXLVI.

Confirmatio Jurium, Libertatum, & Privilegiorum Nobilitatis Piltenſis. Dat. Cracoviæ in Conventu Regni Generali die 10. Febr. An. 1649. *Ex Archivo Regni. Extat in Archivo Cancel. Magni Ducatus Litvaniæ.* Lib. ſub Lit. AAA. fol. 49.

NOs JOANNES CASIMIRUS DEI Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, Smolenſciæ, Czernichoviæque, nec non Svecorum, Gottorum, Vandalorumque Hæreditarius Rex.

Significamus præſentibus Literis Noſtris, quorum intereſt univerſis, & ſingulis. Quod poſtquam faventibus ſuperis unanimi ordinum conſenſu ad inclyti Regni huius gubernacula evecti, & iure, ac Maieſtate Regali, debita cum ſolennitate condecorati ſumus, merito inter primas Regii Officii, ac Poteſtatis curas præcipuam, ac principalem duximus, ut conſilia, factaque noſtra ad Provinciarum, ac populorum noſtrorum tranquillitatem, & ſubditorum quietem, ac ſecuritatem, ius, & iuſtitiam cuique adminiſtrando, & circa Jura, atque Immunitates illos conſervando dirigeremus. Quare cum Nobis nomine Nobilitatis, & Incolarum Epiſcopatus Curonienſis bina pargamenea Privilegia infraſcripta, manibus Sereniſſimorum Divae memoriae SIGISMUNDI III. Parentis, & VLADISLAI IV. Fratris, Regum, Prædeceſſorum noſtrorum ſubſcripta, Sigillisque Regni, & Magni Ducatus Litvaniæ penſilibus roborata, ſana, ſalva, & illæſa, omnique ſuſpitionis nota carentia, in ſe continentia Confirmationem Jurium Nobilium, & Incolarum dicti Epiſcopatus Curonienſis, producta fuiſſent, ſupplicatumque Nobis humillime eſſet, ut eadem Privilegia Authoritate quoque Regia noſtra approbare, & confirmare dignaremur, quorum primi tenor eſt, qui ſequitur:

In Nomine Domini Amen.
Ad perpetuam rei memoriam.

Nos SIGISMUNDUS III. Dei Gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Litvaniae, Ruſſiae, Pruſſiae, Maſoviae, Samogitiae, Livoniæque, nec non Regni Sveciæ proximus Hæres, & futurus Rex. Notum facimus hiſce Literis noſtris, quorum intereſt, aut in poſterum quoquo modo intererit, univerſis & ſingulis. Poſtquam Divina aſpirante gratia omnium Ordinum, ac Statuum inclyti Regni noſtri Poloniæ, & Magni Ducatus Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, cæterarumque Provinciarum ad præfatum Regnum pertinentium libera Electione, ſacro Regni diademate inaugurati eſſemus, nihil magis Nos in votis habuiſſe, quam ut omnium Ordinum & Statuum Regni noſtri ſubditos, Regia noſtra clementia, favore, ac benevolentia complectentes, ita gubernaremus, ut non ſolum ab omni hoſtili impreſſione tuti ſine iniuria in pace vivere, ſed etiam Juribus, Privilegiis, ac Immunitatibus antiquitus obtentis, libere uti, & perfrui poſſint. Quo animo cum iam ante in Conventu felicis Coronationis noſtræ omnium Incolarum Regni noſtri Jura, & Privilegia confirmaſſemus, ac vero nunc Nobilitas etiam, atque incolæ Epiſcopatus Curoniae Transactionem quandam inter Sereniſſimos quondam Divæ memoriæ STEPHANUM Deceſſorem noſtrum Poloniae, & FRIDERICUM Secundum Daniæ Reges, de commemorato Epiſcopatu Curoniæ ſuſceptam, atque inſtitutam Nobis obtuliſſent, utque peculiaribus etiam Literis noſtris eam confirmaremus, Nobis ſupplicaſſent, eo libentius faciendum id Nobis iudicavimus, quod in eadem Transactione conſervanda, non ſolum iura privatorum, verum publicam etiam fidem verſari intelligeremus. Tenor autem Transactionis eius eſt is, qui de verbo ad verbum ſequitur. *In nomine Sanctæ, & Individuæ Trinitatis.* Notum, teſtatumque ſit univerſis, & ſingulis hanc Transactionis formulam, viſuris, audituris, lecturisve, iis præſertim, quorum intereſt. Poſtquam Dei Præpotentis voluntate Illuſtriſſimus Princeps, ac Dominus, Dominus MAGNUS in Livonia Epiſcopatuum Oſſiliæ, Vici, nec non Curoniae Dominus, Epiſcopatus Revaliae Adminiſtrator, Hæres Norvegiae, Sleſvici, Holſatiae, Stormariae, & Ditmarſiae Dux, Comes Oldenburgenſis, & Delmenhorſtenſis, anno elapſo octuageſimo tertio vitam cum morte commutaſſet, & derelicti Curoniae Epiſcopatus Jure, atque Succeſſione inter Sereniſſimum & Potentiſſimum Principem, ac Dominum, Dominum STEPHANUM Regem Poloniae, Magnum Ducem Litvaniae, Ruſſiae, Pruſſiae, Maſoviae, Samogitiæ, Livoniæque, nec non Tranſylvaniae Principem ab una, & inter Sereniſſimum itidem, & Potentiſſimum Principem, ac Dominum, Dominum FRIDERICUM eius Nominis Secundum, Daniae, Norvegiae, Gottorum, Vandalorumque Regem, Sleſvici, Holſatiae, Stormariae, nec non Ditmarſiae Ducem, Co-

ANNO 1649.

ANNO 1649. Comitem Oldenburgenſem, & Delmenhorſtenſem, ab altera partibus, gravis, ac periculoſa lis, atque contentio ſuborta eſſet, adeo ut uterque ius ſuum, quod in hoc Curoniae Epiſcopatu habebat, ſeu habere praetendebat, vi & armis tueri, atque vindicare in animum induxerit, quo factum, ut inter utriusque Regis Officiarios, milites, atque ſubditos, ad arma & neceſſarias defenſiones, & hinc ad graviores perſecutiones, conflictus, cædes, prædiorum, atque agrorum depopulationes, occupationes, direptionesque, & omnem hoſtilitatem deſcenſum, atque perventum fuerit: quibus malis niſi maturo conſilio obviam itum fuiſſet, facile evenire potuiſſet, ut animorum utrinque maiori exacerbatione oborta, vetus illud inter hos duos potentiſſimos Principes neceſſitudinis, amicitiæ, atque vicinitatis vinculum, non tantum cum extrema huius Curoniæ Diſtrictus, & aliarum finitimarum Ditionum pernicie, atque interitu, ſed etiam totius Chriſtianitatis periculo, ac damno ſolutum, atque diſſutum eſſet, bellumque grave, atque difficile exarſiſſet. Cum autem omnibus iis, præſertim qui periculo proximi ſunt, pro parte virili opera danda ſit, ne eiusmodi gliſcens flamma, & hæc magnarum calamitatum ſemina viribus acquiſitis ſerpant latius, ipſe Illuſtriſſimus Princeps, ac Dominus, Dominus GEORGIUS FRIDERICUS Marchio Brandeburgenſis, in Pruſſia, Stetini, Pomeraniæ, Caſſuborum, ac Vandalorum, nec non in Sileſia Carnoviæ &c. Dux, Burgrabius Norimbergenſis, ac Rugiae Princeps, utrisque Sereniſſimis Poloniae, & Daniae Regibus uni arctiſſimo fidelitatis, atque homagii, nec non affinitatis, alteri etiam propinquae cognationis, affinitatis, atque propinquitatis iure & neceſſitudine devinctus, pro communis ſalutis ſtudio, motuque proprio ad hæc mala, & incommoda Chriſtianitatis declinanda, apud utrumque Sereniſſimum Regem intercedere, & omnem operam, ſtudium, fidemque adhibere conatus eſt. De ſalutaribus itaque remediis, æquisque conditionibus, quibus hoc diſſidium placide componi, & communi periculo evitato, vetus illa neceſſitudo, atque amicitia inter utrumque Sereniſſimum Regem, eorumque Regna reſtaurari, atque conſervari poſſint, cogitatione ſuſcepta Celſitudo illius, pro ſuo candore, atque fiducia utrumque Sereniſſimum Regem ad pacis ſtudium, armorumque depoſitionem, & totam cauſam vel familiari transactioni, vel iuſtae cognitioni, atque arbitrio amicorum committendam amice, & fideliter invitavit, atque diligenter hortari non deſtitit. Cui ſuæ Celſitudinis piae voluntati, Dei etiam benignitate accedente, utræq; Sereniſſimae Regiae Maieſtates morem gerentes, pari publicae ſalutis ſtudio commotæ, ad oblatam amicorum Transactionem, vel legitimam etiam cognitionem animos ſalvo iure ſuo adiecerunt. Quia vero hi compoſitionis, atque pacis Tractatus (quod res altioris indaginis eſſet) non niſi armis, atque hoſtilitatis metu ſuſpenſis, & depoſitis ſuſcipi, multo minus feliciter perfici potuerunt, laborandum ſibi idem Illuſtriſſimus Pruſſiae Dux putavit, ut inducias ad utriusque ſubditorum ſecuritatem interea conciliaret, quas & accedente utriusque Sereniſſimi Regis authoritate, & utriusque ſubditorum conſenſu ſua Celſitudo per Legatum, & Conſiliarium Generoſum Levinum a Bulau æquis Conditionibus pepigit, atque firmavit, hac vero Illuſtriſſimi in Pruſſia Ducis præclara erga Rempublicam voluntate, ſtudio, atque candore perſpectis, utrique Sereniſſimi Reges, etſi legitima de cauſa, iureque ſuo apud æquos, & minime ſuſpectos Judices, aut Arbitros cognitionem, atque arbitrium minime reformidarent, tamen ad evitandas controverſias, & contentiones maiores, & ad ſua quoque Tranquillitatis publicae, pacisque ſtudia magis declaranda, Deo primum, & poſt Authoritati Illuſtriſſimi in Pruſſia Ducis id deferentes, totam iſtam cauſam per certas Conditiones determinandam, atque tranſigendam deciſionem, atque transactionem ſolius ſuæ Celſitudinis moderationi, prudentiae, & fidei commiſerunt. Hac itaque poteſtate accepta Illuſtriſſimus in Pruſſia Dux Dei præpotentis auxilio fretus, re penitius deliberata, conſilioque habito, conciliatis, atque ad æquitatem compoſitis inter ſe animis, ſola utilitate Reipublicae, & utriusque Regis Dignitate ſpectata, totam eam controverſiam Conditionibus infraſcriptis, iuſtis, & æqualibus, & utrinque acceptis, per dictum Conſiliarium ſuum Levinum a Bulau compoſuit, atque transegit. Atque inprimis, quod in omnibus controverſiarum compoſitionibus laudatum, atque uſitatum eſt, univerſae, & ſingulae diſſenſiones, offenſiones, exacerbationes, detrimenta, damna, ſumptus, atque impenſae inter utrumque Sereniſſimum Regem, eorumque ſubditos huius Epiſcopatus controverſi cauſa oborta, atque commiſſa, vigore huius Transactionis perpetua oblivione, ſublata, deleta, atque obliterata eſſe, ut viciſſim omnia ea,

ANNO 1649.

ANNO 1649. quæ ad conſtituendam pacem, amicitiam, bonamque vicinitatem pertinere videbantur, coli atque obſervari debent. Etſi vero Sereniſſimus Daniae Rex Jus ſuum, quod in hoc Curoniæ Epiſcopatu ſibi competere aſſeruit, vigere, nec non Sereniſſimus Poloniae Rex prætenſum ius ſuum docere conatus eſt, litis tamen evitandae, & pacis conſtituendae cauſa per Illuſtriſſimum Pruſſiæ Ducem Negotium univerſum eousque deductum eſt, ut dictis Sereniſſimis Regibus, utrinque de ſuo iure prætenſo remittentibus, Sereniſſimus Poloniæ Rex, Sereniſſimo itidem Daniæ Regi amicæ, & placidae Trasactionis nomine triginta talerorum millia probae, uſitatae, & in Romano Imperio approbatae monetae perſolvere, & numerare ſtipulatus, atque pollicitus ſit. Quæ ſumma, ubi Sereniſſimo Daniæ Regi aut numerata, aut certo in loco idonee aſſignata fuerit, Serenitas ſua Sereniſſimo Poloniæ Regi realem poſſeſſionem Arcis Piltenſis, totiusq; Epiſcopatus concedere, atque tradere, Sereniſſimus vero Poloniæ Rex ſimul, ac viciſſim ſubſequentes conditiones promiſſas, atque receptas complere, atq; obſervare tenebitur. Imprimis vero, ut ſubditorum iſtius Curoniæ Epiſcopatus, eorum præſertim, qui poſt obitum Illuſtriſſimi Ducis Magni, fidem Sereniſſimi Daniæ Regis ſecuti ſunt, iuſta ratio habeatur, univerſis, & ſingulis Nobilibus, atque Oppidanis Jura, Libertates, & Privilegia ſua legitime hucuſque obtenta, atque uſurpata, a ſupradicto Sereniſſimo Poloniæ Rege confecto deſuper, atque ipſis dato Diplomate, authoritateque, ac conſenſu Senatorum ſuorum accedente, confirmabuntur, eaque ab omnibus eius Maieſtatis Succeſſoribus, & Ordinibus Regni in perpetuum ſalva, ac illæſa conſervari debent, nec fides Sereniſſimo Daniæ Regi hucuſque præſtita, ulli eis fraudi fuerit, ſed poſthac pro Sereniſſimi Poloniæ Regis ſubditis fidelibus, atq; dilectis ſuſcipientur, & habebuntur. Quandoquidem etiam compluribus iam abhinc annis in Eccleſiis Epiſcopatus iſtius nulla alia, praeterquam ea, quae Confeſſioni Auguſtanae conſentanea eſt, Religio culta, atque obſervata fuit, ex communi in inclyto Poloniae Regno Religionis Conſœderatione aequum cenſetur, atque ex hac porro Pacificationis tractatione ſancitur, ac conſtituitur, ut Incolis tam Nobilibus, quam Oppidanis in Scholis, & Eccleſiis, ipſorum Jurisdictioni, vel Juri ſubiectis, liberum, & pacatum exercitium eius Religionis, Auguſtanae videlicet Confeſſionis relinquatur, nec ulla alia ipſis obtrudatur. Eam itaq; publice ſine omni impedimento, pari cum Curlandiæ Ducatus ſubditis libertate, profiteri, atque exercere illis licebit, & conſcientiæ ſuæ libertate plene gaudebunt. Generoſus Joannes Behr, Sereniſſimi Daniae Regis in Arce Piltenſi Praefectus, & primarius iſtius Diſtrictus Incola in pacata bonorum ſuorum poſſeſſione, vigore Inſcriptionum, et legitime obtentorum privilegiorum ſuorum retineri, ac conſervari debebit. In cuius rei ſecuritatem Sereniſſimus Poloniae Rex dictarum Inſcriptionum, et Privilegiorum ſuorum Diplomate, Maieſtatis ipſius Sigillo munito, authoritate, & conſenſu Senatorum ſuorum pro more, adhibito, confirmationem ipſi dabit, cui quoque, quod fidelem hucuſque Sereniſſimo Daniae Regi ſe praeſtiterit, plane fraudi non erit, ſed Sereniſſimus Poloniae Rex obliterata omni offenſa ſua, eum clementia, & gratia proſequetur, ille vero viciſſim, vel ipſe, ſi bona iſta ſua poſſidebit, vel per alium, cui pro rerum ſuarum neceſſitate, ac ſtatu, ea posſidenda tradiderit, eidem Regiae Maieſtati debitam, & fideli Vaſallo, & ſubdito dignam fidem, atque ſubiectionem præſtare tenebitur. Eadem ratione cæterorum quoque Nobilium, & ſubditorum Jura, & Privilegia de bonis ſuis iuſto titulo hucusque poſſeſſis, ipſis, & ipſorum hæredibus, non tantum tempore huius Serenisſimi Regis, quam omnium eius Succeſſorum, & Ordinum Regni, atque etiam aliorum Dominorum, ad quos Diœceſis iſta ſucceſſu temporis quocunque iure pervenire poſſet, ſalva eſſe, conſervari, atque a Serenisſimo Poloniae Rege, authoritate, & conſenſu Senatorum ſuorum accedente, confirmari debebunt, qui pari erga eandem Regiam Maieſtatem fide, atque ſubiectione obligabuntur. Si quis quid vel emptionis, vel hypothecae, aut pignoris titulo posſideat, ſine legitima iuris cognitione, defacto ea poſſeſſione minime deturbari, ſed in ea tantisper retineri, et conſervari debebit, dum legitima de iure fiat cognitio. Et ſi quis vel pretium, vel mutuum in bona aliqua a ſe expenſum, ſolutum, et numeratum eſſe docuerit, a legitimo vindicatore bonorum ante ceſſionem, iuſte eidem perſolvetur, atque refundetur. Bona, Fundi, Prædia, Domicilia, Coloni et id genus alia, in hoc tumultu atque controverſia alicui adempta, atque occupata, legitimo Domino, et poſſeſſori ſine omni mora, tergiverſatione, aut difficultate reſtitui, et tradi debent. Hac reſtitutione facta, et conditionibus hiſce omnibus completis, eius Epiſcopa-

ANNO 1649.

tus

Anno 1649. tus Nobiles, et ſubditi iuramento, ſi quo Sereniſſimo Daniæ Regi obſtricti fuerunt, abſolvi, et Sereniſſimo Poloniae Regi novo iureiurando obſtringi debent, et tam huic, quam Succeſſoribus illius, ſeu naturalibus ſuis Dominis, nec non inclyto Poloniae Regno omnem fidem, obſervantiam, ſubiectionem, ſubditis fidelibus dignam, atque convenientem præſtare tenebuntur. Illis viciſſim omnium eorum, quae de conſervatione Religionis, Jurium, Privilegiorum, atque bonorum in hiſce Conditionibus promiſſa, atque recepta ſunt, inviolata conſervatio, et Regalis contra omnem vim, et iniuriam, quae cæteris Regni incolis debetur, defenſio, iuſtitia, atque Patrocinium praeſtabuntur; contributionibus quoque, exactionibus, et vectigalibus inuſitatis, et extraordinariis, et ab reliquis Ordinibus Poloniae Regni non laudatis, vel receptis, atque collatis, eius Epiſcopatus ſubditi minime prægravari debent, ſed eorum eadem, quæ cæterorum inclyti Poloniae Regni Incolarum & fidelium ſubditorum habebitur ratio. Quia etiam manifeſtum eſt, durante hac controverſia, & hoſtilitate, bona & ſubditos eius Epiſcopatus omni fere ſuppellectili, pecoribus, atque etiam facultatibus omnibus orbatos, deſtitutos, atque exutos eſſe, ita autem facile ſe colligere, & res domeſticas ſuas reſtaurare non poſſint, pietatis, atque æquitatis arbitrium eſt, & fieri placuit, ut eius Diſtrictus ſubditi annis quinque ſubſequentibus, ab omnibus exactionibus, expeditionibus, oneribusque publicis vacent, atque immunes habeantur, nec durante eo tempore, ullo modo iis aggraventur, niſi pro ſua erga Dominum, & Patriam fide, urgente neceſſitate publica, ſponte quid interim conferre velint. Tempore autem eo exacto communi cum reliquis Regni ſubditis ſorte cenſebuntur. Cautum præterea eſt, ut quidquid nunc vel tormentorum, pulveris, globorum, inſtrumentorum bellicorum, armorumve, quidquid etiam ſuppellectilis, & aliarum rerum mobilium in Arce Piltenſi aſſervatur, id omne hac Transactione confecta, quam primum vel Serenisſimo Daniae Regi, vel ad quemcunque alium id pertinebit, ſine impedimento auferre, atque exportare liceat. Si qui etiam captivi utrinque reliqui fuerint, ſine pretio, & culpa reſtituentur, & ſecure dimittentur, vel ſi quis etiam manu ſtipulata dimiſſus fuerit, is ea ſponſione, atque obligatione per hanc ipſam Transactionem liber, & ſolutus eſſe debebit. Hiſce Tranſactionis Capitibus rite completis, & praeſtitis, Sereniſſimus Daniæ Rex, uti ſe facturum Anno 1649. diſerte recepit, Sereniſſimo Poloniæ Regi totum hunc Curoniæ Epiſcopatum cum omni Jure, Dominiis, uſufructu, cæterisque ad eum Epiſcopatum pertinentibus, quemadmodum in ſuis limitibus & metis ab Illuſtriſſimo Duce Magno piæ memoriæ poſſeſſus, atque uſurpatus fuit, pro ſe, & Sereniſſimis Succeſſoribus ſuis reſignare, cedere, & pleniſſime tradere tenebitur. Quemadmodum Serenitas ſua vigore huius Tranſactionis, id ipſum, quam fieri poteſt, pleniſſime concedit, & tradit, nihil in perpetuum ſibi, aut Sereniſſimis Succeſſoribus ſuis Juris, aut *D*ominii in hoc Epiſcopatu reſervans. Atque hæc ſuperiora omnia inviolate obſervare, complere, & re ipſa præſtare, omnique diſſenſione ſublata, ſinceram amicitiam, bonamque vicinitatem colere, utraque Regia tam Poloniæ, quam Daniæ Maieſtas ſub verbo, & dignitate ſua Regia, pro ſe, & Succeſſoribus, & Ordinibus Regni ſancte receperunt, atque promiſerunt, id ipſum huius Tranſactionis vigore iterum fide bona recipientes, promittentes, atque confirmantes. In quorum omnium indubitatam fidem, atque confirmationem, & rei veritatis Teſtimonium, huius Tranſactionis formulæ bina Diplomata eiusdem tenoris, & vocis in pergameno deſcripta, & horum unum Sereniſſimi Poloniæ Regis, & eiusdem Regni Senatorum manibus & Sigillis, alterum Sereniſſimi Daniæ Regis, eiusque Regni Senatorum manibus, & Sigillis, utrumque autem Illuſtris quoque Principis Marchionis in Pruſſia Ducis tanquam Interceſſoris, & Arbitratoris manu, & Sigillo notata, & ſignata, atque corroborata, & ſingula *D*iplomata ſingulis Sereniſſimis Regibus transmiſſa, atque tradita fuerunt. Confectum eſt hoc Diploma in Regia Arce Croneburga die decima Menſis Aprilis Anno Salutis humanæ 1585.

Cum igitur præinſerta Tranſactio inter commemoratos Sereniſſimos Principes non ſolum ipſorum Principum conſilio, atque authoritate, verum publico etiam utriusque Regni Ordinum Conſenſu inita, ſuſcepta, perfectaque fuerit, Nos quoque Sigismundus Rex præinſertæ Tranſactionis conditionibus per omnia ſatisfacere cupientes, cum conſilio, et conſenſu Senatorum, Conſiliariorumque noſtrorum, lateri noſtro aſſidentium eandem Tranſactionem in omnibus eius Punctis, Conditionibus, Capitibus, pro Nobis, Sereniſſimis Succeſſoribus noſtris, confirmandam, ratificandam, roborandamque duximus; quemadmodum quidem confirmamus, ratificamus, roboramusque

Anno 1649. musque præsentibus hisce, promittentes verbo nostro Regio, eam ipsam Transactionem in omnibus eius Clausulis, & Conditionibus Nos, Successoresque Nostros inviolabiliter servaturos, tum maxime Nobilitatem universam, omnesque Incolas commemorati Episcopatus Curoniae, in omnibus Juribus, Libertatibus, Possessionibus, Inscriptionibus, ac Privilegiis, quæ beneficio & vigore commemoratae Transactionis pertinere ad illos possint, sedulo Nos, Successoresque nostros conservaturos, manutenturosque. In quorum omnium fidem & evidentius Testimonium, hasce manu nostra subscripsimus, Sigillisque Regni nostri, & Magni Ducatus Litvaniae obsignari iussimus. Datum Varsaviae in Comitiis Regni Generalibus die decima septima mensis Aprilis, Anno Domini MDLXXXIX. Regni nostri anno secundo,

Præsentibus Reverendissimo, Reverendis, Illustrissimis, Illustribus, Magnificis, Generosis, Venerabilibus, & Nobilibus, Stanislao Karnkowski Dei Gratia Archiepiscopo Gnesnensi, Legato Nato, & Regni nostri Primate, Joanne Demetrio Solikowski Archiepiscopo Leopoliensi, Hieronymo Rozdrazewski Vladislaviensi, & Pomeraniæ, Georgio Radziwiłł Duce in Olyka, & Nieśwież Sacræ Romanæ Ecclesiæ Presbytero Cardinali, Episcopatus Vilnensis perpetuo Administratore, Luca Koscielecki Posnanienſi, Petro Dunin Wolski Plocensi, Bernardo Maciejowski Luceorienſi, Alberto Baranowski Premislienſi, & Regni Vicecancellario, Laurentio Goslicki Chełmensi, eadem Gratia Episcopis, Christophoro Radziwiłł Duce in Dubińki, & Birże Palatino Vilnensi, Exercituum Magni Ducatus Litvaniæ Generali, Solecensi, Boryszowiensique Capitaneo, Joanne Kiszka Castellano Vilnensi, Capitaneo Brestensi, Petro Potulicki Calissiensi, Joanne Chlebowicz Trocensi, Minscensique Capitaneo, Stanislao Kryski de Drobnin Masoviæ, Alberto Leski Siradiensi, Nicolao Christophoro Radziwiłł Duce in Olyka, & Nieśwież Castellano Trocensi, Joanne Splawski Junivladislaviensi, Nicolao Herborth de Fulsztyn Russiae, Joanne Sieminski Podoliæ, Hodrensique Capitaneo, Georgio Zielenski Płocensi, Mlavensique Capitaneo, Stanislao Kryski de Drobnin Masoviæ, Plocensi, Dobrzynensique Capitaneo, Nicolao Działynski Culmensi, Braviernensi, Januſſio Zbaraski Bracławiensi, Prinscensi, Cremenensi Capitaneo, Palatinis, Stanislao Comite a Tarnow Sandomiriensi, Buscensi, Stobnicensi Capitaneo, Joanne Comite a Tenczyn Woynicensi, & Capitaneo Lublinensi, Paulo Szczawinski Lanciciensi, Bełzensi, Varacensique Capitaneo, Nicolao Ramnowicz Samogitiae, Martino Lesniowolski de Obory Podlachiae, Zatoriensi, Loscensique Capitaneo, Joanne Dulski Culmensi, Regni nostri Thesaurario, Branscensi, Surasensi, Swiecensi, Rogoznensique Capitaneo, Nicolao Firley de Dambrowica Biecensi, Regni nostri Referendario, Korcinensi, Casimiriensi Capitaneo, Staniſlao Bykowski Konariensi, in Terra Lanciciensi, Capitaneo Siradiensi, Castellanis. Andrea Opalinski de Bnin Regni nostri Supremo Mareschalco, & Maioris Poloniae Generali, Sremensi, Lasnicensique Capitaneo, Alberto Radziwiłł Duce in Olyka, & Nieśwież Magni Ducatus Litvaniæ Mareschalco, Caunensique Capitaneo, Joanne Zamoyski de Zamoyscie Regni nostri Supremo Cancellario, & Generali Exercituum, Bełzensi, Mariemburgensi, Darpatensi, Knyszynensi, Grodecensi, Miedzyrzecensi Capitaneo, Leone Sapieha Magni Ducatus Litvaniae Procancellario, Słonimscensi, Markoviensi Capitaneo, Theodoro Skumin Magni Ducatus Litvaniae Thesaurario, Olitensique Capitaneo, Staniſlao Przyiemski Curiae Regni Mareschalco, Petro Zylicki Regni Maiori Secretario, Præposito Gnesnensi, Cracoviensi, Varmiensi Canonico, Joanne Tarnowski Regni Referendario, Cracoviensi, Lanciciensi, Crusviciensi Præposito, Joanne Piotrowski, Decano Posnaniensi, Scholastico Lanciciensi, Cracoviensi Canonico, Joanne Salczynski Cantore Gnesnensi, Cracoviensi Canonico, Secretariis nostris, Gasparo Macieiowski, Stabuli nostri Præfecto, Lubosensique Capitaneo, Hyacintho Młodzieiowski Curiæ Regni Thesaurario, Krzeczovienſique Capitaneo, Staniſlao Krasicki Curruum nostrorum Præfecto, Lumbomsensi, Bolemoviensique Capitaneo, & aliis plurimis Aulicis, & Secretariis nostris, nec non Nuntiis Terrestribus ad præsentem Conventum Regni congregatis sincere, & fidelibus Nobis dilectis.

Anno 1649.

SIGISMUNDUS *Rex.*

Secundi vero Privilegii ea est, de verbo ad verbum series, quæ sequitur:

Vladislaus IV. DEI Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Russiæ, Prussiæ, Samogitiæ, Masoviæ, Livoniæque, nec non Svecorum, Gottorum, Vandalorumque Hæreditarius Rex, Electus, & Magnus Dux Moschoviæ. Significamus præsentibus Literis nostris, quorum interest, universis, & singulis.

Per-

ANNO 1649. Perfectiſſimam Imperii gubernandi rationem, iurium integra conſervatione, & Immunitatum Patriae propenſa defenſione potiſſimum conſiſtere, tam certo naturalis experimenti adminiculo, quam uſu communi, & probatis ſapientum traditionibus compertiſſimum, continua ſeries annorum latiſſime teſtatur. Cui Sereniſſimi Anteceſſores noſtri Reges Poloniae fortiſſime inſiſtentes, tutandam florentiſſimi Regni huius integritatem bene conſiderantes, ad id facillime propendebant, ut Jura, Privilegia, & inclyti Regni ſui immunitates, per Anteceſſores ſuos benigne collatas, per ſe, & Sereniſſimos Succeſſores ſuos conſervandas & manutenendas ad firmius ipſarum robur, Privilegiis cumulatiſſime dotatas confirmarent, & confirmatas ſeræ traderent poſteritati. Jurium enim cura, & Patriarum integritas Immunitatum ad tutanda imperia Civibus ardentiſſimo eſt incitamento. Quo ducta univerſa Curonienſis Epiſcopatus Nobilitas, ad tutandas easdem Libertates, & Immunitates ſuas in Transactione de Epiſcopatu præfato, inter Sereniſſimos STEPHANUM Poloniæ, Anteceſſorem noſtrum, & FRIDERICUM II. Daniæ Reges ſibi benigne conceſſas, ſervitiis Sereniſſimorum Anteceſſorum noſtrorum ſincere, & fideliter devoti, in expeditione Livonica hoſtiles conatus infringentes, & eorundem acerrimos virili pectore impetus reprimentes, fido, & invicto animi robore in præſtandis Reipublicae ſervitiis, dexteritatem, & fidelitatem ſuam perabunde commonſtrarunt, declarantibus id ipſum Kircholmenſi, & Dunamundenſi, aliisque permultis expeditionibus, quibus non amorem libertatum propriarum ſolum, totiusq; Patriæ, ſed noſtræ quoque Maieſtatis dignitatem, uti veri Cives, & Filii, non ſine ſingulari officiorum ſuorum dexteritate ſat abunde teſtati ſunt. Probatum itaque hoc ipſorum tam de Sereniſſimis Regibus Poloniae Anteceſſoribus noſtris, quam de Republica bene merendi ſtudium, & ſtrenua in Patriæ defenſione dexteritas reciprocam noſtrae munificentiae poſcit regratificationem, ex ea potiſſimum ratione, ut digne virtus præmiata, meritis gaudens honoribus altiores ſui cordibus infigat radices, & ardentiores concitet amores. Proinde exhibitas per ipſos literas pargameneas manu Sereniſſimi Divæ memoriæ SIGISMUNDI III. Regis Anteceſſoris noſtri, & Parentis chariſſimi ſubſcriptas, Sigillisque Regni, & Magni Ducatus Litvaniae communitas, de data Varſaviae in Comitiis Regni Generalibus, die decima ſeptima Menſis Aprilis, Anno MDLXXXIX. continentes in ſe Transactionem inter Sereniſſimos STEPHANUM Poloniae, & FRIDERICUM Secundum Daniae Reges ratione Curonienſis Epiſcopatus, morte Illuſtriſſimi Principis Magni in Livonia Epiſcopatuum Oſiliae, Vici, nec non Curoniae Domini, vacantis, mediante Illuſtriſſimo Principe Georgio Friderico Marchione Brandeburgenſe, Duce in Pruſſia, in Arce Regia Czarnoburga dicta, die decima menſis Aprilis Anno milleſimo quingenteſimo octoageſimo quinto factam, authoritate noſtra Regia approbandam, & confirmandam eſſe cenſuimus. Cuius quidem Transactionis modo præmiſſo factae, Articuli, & Conditiones, Authoritate Sereniſſimorum Regum præfatorum, & ſubditorum utriusque conſenſu initae, ſequuntur in tenore tali: Imprimis vero, ut ſubditorum iſtius Curoniae Epiſcopatus, eorum præſertim qui poſt obitum Illuſtriſſimi Ducis Magni fidem Daniae Regis ſecuti ſunt, iuſta ratio habeatur. Univerſis & ſingulis Nobilibus, atque oppidanis Jura, Libertates, & Privilegia ſua legitime hucusq; obtenta, atque uſurpata, a ſupradicto Sereniſſimo Poloniae Rege, confecto deſuper, atque ipſis dato Diplomate, authoritateque, ac conſenſu Senatorum ſuorum accedente confirmabuntur, eaque ab omnibus eius Maieſtatis Succeſſoribus, & Ordinibus Regni, in perpetuum ſalva, & illæſa conſervari debent, nec fides Sereniſſimo Daniæ Regi hucusque præſtita, ulli eis fraudi fuerit, ſed poſt hæc pro Sereniſſimi Poloniae Regis ſubditis fidelibus, atque dilectis ſuſcipientur, & habebuntur. Quandoquidem etiam compluribus iam abhinc annis in Eccleſiis Epiſcopatus iſtius nulla alia, præterquam ea, quæ Confeſſioni Auguſtanae conſentanea eſt, Religio culta, atque obſervata fuit, ex communi in inclyto Poloniae Regno Religionis Confœderatione æquum cenſetur, atque ex hac porro Pacificationis tractatione ſancitur, ac conſtituitur, ut Incolis tam Nobilibus, quam oppidanis in Scholis, & Eccleſiis ipſorum iurisdictioni, vel iuri ſubiectis, liberum, & pacatum exercitium eius Religionis, Auguſtanæ videlicet Confeſſionis relinquatur, nec ulla alia ipſis obtrudatur, eam itaque publice ſine omni impedimento, pari cum Curlandiae Ducatus ſubditis libertate profiteri, atque exercere illis licebit, & conſcientiae ſuæ libertate plane gaudebunt. Generoſus Joannes Behr Sereniſſimi Daniae Regis in Arce Piltenſi Præfectus, ac Primarius iſtius Ducatus Incola, in pacata bonorum ſuorum poſſeſſione vigore Inſcriptionum, & legitime obtentorum

ANNO 1649.

ANNO 1649. Privilegiorum retineri, ac conſervari debebit. Cuius rei ſecuritatem Sereniſſimus Poloniae Rex dictarum Inſcriptionum & Privilegiorum ſuorum, Diplomate Maieſtatis ipſius Sigillo munito, authoritate, & conſenſu Senatorum ſuorum pro more adhibito, confirmationem ipſi dabit, cui quoque, quod fidelem hucusque Sereniſſimo Daniae Regi ſe preſtiterit, plane fraudi non erit, ſed Sereniſſimus Poloniae Rex obliterata omni offenſa, ſua eum clementia, & gratia proſequetur. Ille vero viciſſim vel ipſe, ſi bona iſta ſua poſſidebit, vel per alium, cui pro rerum ſuarum neceſſitate, ac ſtatu ea poſſidenda tradiderit, eidem Regiae Maieſtati debitam, & fideli Vaſallo, & ſubdito dignam fidem, atque ſubiectionem præſtare tenebitur. Eadem, ratione cæterorum quoque Nobilium, & ſubditorum, Jura, & Privilegia de bonis ſuis iuſto titulo hucusque poſſeſſis, ipſis & ipſorum hæredibus, non tantum tempore huius Serenisſimi Regis, quam omnium eius Succeſſorum, & Ordinum Regni, atque etiam aliorum Dominorum, ad quos Diœceſis iſta Succeſſu temporis quocunque iure pervenire poſſet, ſalva eſſe, conſervari, atque a Serenisſimo Poloniæ Rege authoritate, & conſenſu Senatorum ſuorum accedente, confirmari debebunt, qui pari erga eandem Regiam Maieſtatem fide, atque ſubiectione obſtringentur. Si quis quid vel emptionis, vel hypothecae aut pignoris titulo poſſideat, ſine legitima iuris cognitione defacto ea poſſeſſione minime deturbari, ſed in ea tantisper retineri, & conſervari debebit, dum legitima de iure fiat cognitio. Et ſi quis vel pretium, vel mutuum in bona aliqua a ſe expenſum, ſolutum, & numeratum eſſe docuerit, a legitimo vindicatore bonorum, ante ceſſionem iuſte eidem perſolvetur, atque refundetur. Bona fundi, Prædia, Domicilia, Coloni, & id genus alia in hoc tumultu, atque controverſia alicui adempta, atque occupata legitimo Domino & Poſſeſſori ſine omni mora, tergiverſatione, aut difficultate reſtitui, & tradi debent. Hac reſtitutione facta & conditionibus omnibus completis, eius Epiſcopatus Nobiles ac ſubditi iuramento, ſi quo Serenisſimo Daniæ Regi obſtricti fuerunt, abſolvi, & Serenisſimo Poloniæ Regi novo iuramento obſtringi debent, & tam huic, quam Succeſſoribus illius, ſeu naturalibus ſuis Dominis, nec non inclyto Poloniae Regno omnem fidem, obedientiam ſubditis fidelibus dignam, atque convenientem præſtare tenebuntur. Illis vicisſim omnium eorum, quæ de conſervatione Religionis, Jurium, Privilegiorum, atque bonorum in hiſce conditionibus promiſſa, atque recepta ſunt, inviolata conſervatio, & Regalis citra omnem vim, & iniuriam, quæ cæteris Regni Incolis debetur, defenſio, iuſtitia, atque patrocinium præſtabuntur. Contributionibus quoque, exactionibus, & vectigalibus inuſitatis, & extraordinariis, & ab reliquis Ordinibus Poloniæ Regni non laudatis, vel receptis, atque collatis, eius Epiſcopatus ſubditi minime prægravari debent, ſed eorum eadem, quæ cæterorum inclyti Poloniae Regni Incolarum ac fidelium ſubditorum habebitur ratio. Quia etiam manifeſtum eſt, durante hac controverſia & hoſtilitate, bona, & ſubditos eius Epiſcopatus omni fere ſupellectili, pecoribus, atque etiam facultatibus omnibus orbatos, deſtitutos, & exutos eſſe, ita, ut tam facile ſe colligere, & res domeſticas ſuas reſtaurare non poſſint, pietatis, atque æquitatis arbitrium eſt, & fieri placuit, ut eius Ducatus ſubditi annis quinque ſubſequentibus, ab omnibus exactionibus, expeditionibus, oneribusque publicis vacent, atque immunes habeantur, nec durante eo tempore ullomodo iis aggraventur, niſi pro ſua erga Dominum & Patriam fide, urgente neceſſitate publica, ſponte quid interim conferre velint. Tempore autem eo exacto communi cum reliquis Regni ſubditis ſorte cenſebuntur. Cautum præterea eſt, ut quidquid nunc vel tormentorum, pulveris, globorum, inſtrumentorum bellicorum, armorumve, quidquid etiam ſuppellectilis, & aliarum rerum mobilium in Arce Piltenſi aſſervatur, id omne hac Tranſactione confecta, quam primum vel Sereniſſimo Daniæ Regi, vel ad quemcunque alium id pertinebit, ſine impedimento, id auferre, atque exportare liceat. Si qui etiam captivi utrinque reliqui fuerint, ſine pretio, & culpa reſtituentur, & ſecure dimittentur, vel ſi quis etiam manu ſtipulata dimiſſus fuerit, is ea ſponſione, atque obligatione per hanc ipſam Transactionem liber, & ſolutus eſſe debebit. Hiſce Transactionis capitibus rite completis, & præſtitis, Sereniſſimus Daniæ Rex, uti ſe facturum diſerte recepit, Sereniſſimo Poloniae Regi totum hunc Curoniae Epiſcopatum cum omni iure, dominiis uſufructu, cæterisque ad eum Epiſcopatum pertinentibus, quemadmodum in ſuis limitibus, & metis ab Illuſtriſſimo Duce Magno piæ memoriæ poſſeſſus, atque uſurpatus fuit, pro ſe, & Sereniſſimis Succeſſoribus ſuis reſignare, cedere, & pleniſſime tradere tenebitur. Quemadmodum Serenitas ſua vigore huius Transactionis id ipſum quam

ANNO 1649.

ANNO 1649. quam fieri poteſt, pleniſſime concedit, & tradit, nihil in perpetuum ſibi aut Sereniſſimis Succeſſoribus ſuis iuris, aut dominii in hoc Epiſcopatu reſervando. Atque hæc ſuperiora omnia inviolate obſervare, complere, & re ipſa præſtare, omnique diſſenſione ſublata ſinceram amicitiam, bonamque vicinitatem colere, utraque Regia, tam Poloniae, quam Daniae Maieſtas ſub verbo, & dignitate ſua Regia, pro ſe, & Succeſſoribus, & Ordinibus Regni ſancte receperunt, atque promiſerunt, id ipſum huius Transactionis vigore iterum fide bona recipientes, promittentes, atque confirmantes. Cum itaque præfatam Transactionem ad bonum, & incolumitatem Reipublicae plurimum conducere videamus, proinde ipſam non multo ante tempore modo, uti præmiſſum eſt, per Sereniſſimum Parentem noſtrum confirmatam, deinceps in omnibus ipſis punctis, conditionibus, clauſulis, articulis, nexibus, capitibus, pro Nobis, Sereniſſimisque Succeſſoribus noſtris id ipſum facturis promittentes, confirmamus, ratificamus, roboramusque præſentibus Literis noſtris, eandemque in omnibus ipſius punctis, & articulis, tum & Nobilitatem univerſam, omnesque incolas memorati Epiſcopatus Curonienſis, in omnibus iuribus, libertatibus, poſſeſſionibus, inſcriptionibus, ac privilegiis, quæ beneficio, & vigore commemoratæ Tranſactionis ad illos pertinere poſſint, inviolabiliter ſervaturi ſumus, quod & Sereniſſimi Succeſſores noſtri præſtabunt. In quorum fidem & evidentius Teſtimonium præſentes manu noſtra ſubſcriptas, Sigillisque Regni, & Magni Ducatus Litvaniæ communiri mandavimus. Datum Cracoviæ in Comitiis Generalibus felicis Coronationis noſtræ, die decima quarta menſis Martii, An. Dom. MDCXXXIII. Regnorum noſtrorum Poloniæ & Sveciæ primo anno.

VLADISLAVS *Rex.*

Martianus Tryzna Referendarius, & Notarius Magni Ducatus Litvaniæ mpp.

„ Nos itaque JOANNES CASIMIRUS prænominatus Rex, eo attento, quod præinſerta Privilegia ad bonum & incolumitatem Reipublicae plurimum conducant, proinde eadem in omnibus Punctis, Clauſulis, Articulis, & Conditionibus approbamus, & confirmamus, Nobilitatemque univerſam, ac omnes incolas Epiſcopatus Curonienſis circa eadem Privilegia, omniaque Jura, Libertates, Poſſeſſiones, atque Inſcriptiones conſervari volumus, & decernimus præſentibus hiſce Literis noſtris. In cuius rei fidem præſentes manu noſtra ſubſcriptas, Sigillis Regni, & Magni Ducatus Litvaniae communiri mandavimus. Datum Cracoviæ in Conventu Regni Generali felicis Coronationis noſtrae die decima menſis Februarii An. Dom. MDCXLIX. Regnorum noſtrorum Poloniæ, & Sveciæ primo anno. ANNO 1649.

JOANNES CASIMIRUS *Rex.*

CCXLVII.

Renovatio Infeudationis, & Inveſtituræ Illuſtriſſimi Principis Domini Jacobi Curlandiæ, & Semigalliæ Ducis. Dat. Varſaviæ die 28. Maii. An. 1649. *Ex Archivo Regni.* Lib. ſub Lit. S. E. E. fol. 180. *Item.* Lib. 182. Lit. R. C. num. 183. fol. 24. 1649.

In Nomine Domini Amen.
Ad perpetuam rei memoriam.

NOS JOANNES CASIMIRUS DEI Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, Smolenſciæ, Czernichoviæque, nec non Svecorum, Gottorum, Vandalorumque Hæreditarius Rex.

Significamus præſentibus Literis Noſtris, quorum intereſt, huius, & futuri temporis univerſis, & ſingulis. Cum iam antea Illuſtriſſimus olim Princeps Dominus Gotthardus Curlandiae, & Semigalliae Dux, tum temporis Equeſtris Ordinis Theutonici Magiſter, univerſa cum Livonia, Nobilitate, Civitatibus, Statibus, atque Ordinibus omnibus, ſe ad Sereniſſimi Avi, & Prædeceſſoris noſtri Divi SIGISMUNDI AUGUSTI, & Succeſſorum, Regnique Poloniae, & Magni Ducatus Litvaniae, Ruſſiae, Pruſſiae, Maſoviae, Samogitiae, cæterarumque Ditionum noſtrarum fidem, ac poteſtatem contuliſſet, & in omne tempus ſubieciſſet, idque ut faceret, iuſtiſſimis, graviſſimisque cauſis, & perneceſſariis Livoniæ rebus adductus eſſet, Magno nempe Moſchorum Duce longo, & crudeliſſimo bello in eam Provinciam graviſſime incumbente, ac longe, lateque omni iniuriarum, direptionumque genere, & flamma, ferrique ſævitia graſſante, iamque eousque armis progreſſo, ut nihil non in eius poteſtatem venturum, cunctaque vi illa hoſtili ſuperatum, atque exciſum iri viderentur. Jam eius Illuſtritate, cunctisque Livoniae Ordinibus belli magnitudine admodum fractis, & ne quidquam Sereniſſimorum Imperatorum Romanorum,

ANNO 1649. Sacrique Romani Imperii fidem, auxilium, & opem diu implorantibus, ſpem iam nullam non modo priſtini Status Provinciae, ſed ne quidem ſalutis, libertatis, vitæque ſingulorum amplius retinendæ habentibus, aliam, quam quæ in Sereniſſimorum Poloniæ Regum, & Regni, Magnique Ducatus Litvaniæ defenſione, atque imperio ſita eſſet. Quod tum eius Illuſtritas, cum Livonia univerſa, a Sereniſſimo Prædeceſſore, & Avo noſtro Divo SIGISMUNDO AUGUSTO in fidem, poteſtatem, ac ditionem ſuam, & Succeſſorum ſuorum, Regni, Magnique Ducatus Litvaniæ, certis conditionibus, iuſte, legitimeque recepta ſit, & quia Illuſtritatis eius ſtudium in adducenda ea Provincia ad ſubiectionem, Ditionemque Poloniae Regum, ſingulare extitiſſet, & ita mereri eius dignitas, virtus, fides, cenſeretur, illi mutato, ex conſilio Ordinis Equeſtris, ſtatu priore, approbante eam rem Sereniſſimo Rege Divo SIGISMUNDO AUGUSTO, ab eodem tanquam ſupremo, directo, naturali, ac perpetuo Feudi illius Domino, Ducalis titulus cum omni dignitate, Inſignibus, Privilegiis Ducalibus, ac Ditionibus certis tributus, & eius Illuſtritas Vaſallus Poloniae Regum, Feudatarius Princeps, & Regni, Magnique Ducatus Litvaniae Membrum factus fuerit, pro eo, ut Diplomate iam ante Divo Prædeceſſori noſtro Domino STEPHANO Regi exhibito, ac Vilnae XXVIII. die Novembris, Anno MDLXI. præſcripto, & SIGISMUNDI AUGUSTI Prædeceſſoris, & Avi noſtri manu ſubſcripto, Sigillo autem eius annullari ſignato certius, fuſiusq; continetur. Quod præterea cum Illuſtritas eius de ſolenni ſua Inveſtitura Feudali Sereniſſimum Deceſſorem, & Avum noſtrum Divum SIGISMUNDUM AUGUSTUM aliquoties appellaſſet, & per temporum rationem, magnitudinemque Regni negotiorum voti ſui compos, regnante, viventeque prædicto Divo Avo, & Prædeceſſore noſtro effici non potuiſſet, poſtea vero a Sereniſſimo STEPHANO Rege, & Prædeceſſore noſtro ad Regni Poloniæ, Magnique Ducatus Litvaniæ faſtigium Dei benignitate evecto, diligentiſſimis precibus confirmationem ſuorum Jurium a Divo SIGISMUNDO AUGUSTO conceſſorum, & Ducalem Feudi Inveſtituram, prius in Comitiis ab eodem Divo STEPHANO Rege habitis, flagitaſſet. Sed cum magnitudo, varietasque occupationum Serenitatis eius, tum locorum quoque intervalla id a Serenitate eius præſtari non paterentur, eique rei peragendæ ex conſilio Regni noſtri Conſiliariorum, qui partim Serenitati eius coram adfuerunt, partim per Literas de eo appellati fuerunt, pariterque eorum, qui ex Magno Litvaniæ Ducatu frequentes Serenitati eius in Senatu aſſederunt, in alium locum, tempusque, opportunitate eius rei conſtituta, cum Illuſtritas eius ad diem quartam Menſis Auguſti, An. Domini MDLXIX. ſub Generalem Exercituum delectum, & recenſitum ad flumen Dunam prope Dziſnam, quo in loco tum idem Sereniſſimus Prædeceſſor noſter Caſtra habebat, acceſſiſſet, inque Caſtris, & tentoriis Serenitatis eius Inveſtituram ab eodem etiam Sereniſſimo Deceſſore noſtro petiiſſet, & fidelitatis, ſubiectionisque iusiurandum eidem Sereniſſimo Prædeceſſori noſtro, eiusque Succeſſoribus Supremis, directis, naturalibus, perpetuis Dominis, Regno, Magnoque Ducatui noſtro Litvaniae præſtitiſſet: quod tum idem Sereniſſimus Prædeceſſor noſter STEPHANUS Rex, ex conſilio Senatorum tam lateri eius aſſidentium, quam per Literas de eo requiſitorum, prænominatum Illuſtrem Principem Dominum Gotthardum Curlandiae, & Semigalliae Ducem, ad Terras, Civitates, Oppida, Arces, Poſſeſſiones, quas a commemorato Sereniſſimo Avo, & Prædeceſſore noſtro conceſſas habebat, ac præeminentias, iuraque omnia, & ſingula, tradito ab eodem Sereniſſimo Deceſſore noſtro STEPHANO Rege ſolenni ritu feudali Vexillo Serenitas ſua inveſtiverit, Sereniſſimus quoque SIGISMUNDUS III. Poloniæ, & Sveciæ Rex, Dominus Parens noſter Pientiſſimus, pientiſſimae memoriae Illuſtriſſimo Principe Gotthardo mortuo, filiis Illuſtritatis eius, Illuſtriſſimis Principibus Domino Friderico, & Gvilhelmo eorundem Jurium confirmationem, & Ducalem Feudi Inveſtituram diligentiſſimis itidem precibus flagitantibus, prædictos Illuſtriſſimos Principes Fridericum, & Gvilhelmum, Illuſtrem quidem Principem Fridericum præſentem, Illuſtrem vero Principem Gvilhelmum per unum ex Conſiliariis Fratris ſui Vexillum porrectum apprehendentem, ad easdem Terras, Civitates, Oppida, Arces, Poſſeſſionesque, ac Præeminentias, Juraque omnia, & ſingula tradito ſolenni ritu feudali Vexillo, utrumque in ſolidum, ſine tamen Ducatus diſmembratione inveſtiverit, & ſublato ex humanis Sereniſſimo Domino Parente noſtro, Illuſtris Princeps Fridericus in felicis Inaugurationis Sereniſſimi Regis VLADISLAI IV. Deceſſoris, ac Fratris noſtri deſideratiſſimi Comitiis, tam propter difficultates itinerum, quam temporis anguſtiam ad præſtandum vigore Pactorum,

ANNO 1649.

Anno 1649. ctorum,& Inveſtiturarum Homagium adeſſe non potuiſſet, præfatus quoq; Rex abſentiam Illuſtritatis eius in bonam partem ex allegatis rationibus accipiens, eius Homagii præſtationem ad proxima tunc Comitia, vel felicem eiusdem in Magnum Ducatum Litvaniae, Vilnam videlicet adventum diſtuliſſet, prædictusque Illuſtriſſimus Curlandiæ, & Semigalliæ Dux Fridericus iuxta reſponſum Serenitatis ſuæ, ſolennis iuramenti Regi, Regnoque præſtandi cauſa Vilnam in propria perſona veniſſet, & die XX. Menſis Julii Senatoribus lateri Serenitatis ſuæ aſſidentibus, Officialibus, & Aulicis Regiis, magnaque frequentia Nobilitatis præſentibus, Inveſtituram a Serenitate ſua petiiſſet, iusiurandum præſcriptis verbis ſolenni ritu, & Ceremonia Regi, Regnoque præſtitiſſet. Junior vero tunc Illuſtriſſimus Jacobus ſuae Illuſtritatis ex Fratre Nepos tum temporis præſens, tanquam legitimus Succeſſor a Serenitate ſua ad contactum Vexilli admiſſus fuiſſet, Serenitas ſua prædictum Illuſtriſſimum Principem Fridericum ad easdem Terras, Civitates, Oppida, Arces, Poſſeſſiones, ac Præeminentias, Juraque omnia, & ſingula, tradito ſolenni ritu feudali vexillo inveſtiverit. In Comitiis vero Anni milleſimi ſexcenteſimi trigeſimi octavi, a ſuae Illuſtritatis, ac Ducatus Curlandiæ, & Semigalliæ Nobilitatis eo nomine Varſaviam ablegatis Internuntiis, Serenitas ſua interpellata eſſet, dignaretur conſenſum ſuum Regium præbere, ut prædictus Illuſtriſſimus Princeps Fridericus ætate confectus, liberam, & plenariam facultatem haberet cedendi Regiminis, & poſſeſſionis Ducatus Curlandiae, & Semigalliae Illuſtriſſimo Principi Jacobo ex Fratre Nepoti, Serenitas ſua, ob præmemoratam cauſam, re hac prius cum Dominis Senatoribus Regni, Magnique Ducatus Litvaniae, in iisdem Comitiis Regni Generalibus lateri ſuo aſſidentibus diligentiſſime perpenſa, eoq; conſiderato, quod prænominatus Illuſtriſſimus Princeps Jacobus, vigore Pactorum, & Inveſtiturarum, a Sereniſſimis Prædeceſſoribus Serenitatis ſuæ Divis Poloniae Regibus conceſſarum, & per Serenitatem ſuam, ex Senatus Conſulto in ſolenni Inveſtiturarum iſtarum renovatione confirmatarum, tanquam ſimultanee inveſtitus Princeps, & ex pacto, & providentia Avi, & Patrui ſui legitimus Succeſſor, alias in Ducatu Curlandiæ, & Semigalliae ſucceſſurus ſit, petitioni huic humillimæ, & primævæ ſubiectionis Pactis, Inveſtituris, atque Reſponſis tam ſuis, quam Reipublicae congrue locum dandum, conſenſumque Regium ſpeciali in iisdem Comitiis, ex Senatus Conſulto eo nomine dato Diplomate, præbendum eſſe duxit, prout etiam conſtanter præbuit. Et licet quidem ſua Illuſtritas Dux Fridericus conſenſum Serenitatis ſuae ex Senatus Conſulto de facienda in Perſonam Ducis Jacobi ceſſione a Serenitate ſua, per ſuum, ac Ordinis Equeſtris Legatos obtinuiſſet, & certis conditionibus ceſſionem feciſſet, Duxque Jacobus inhærendo conſenſui, Homagii præſtandi cauſa ad Serenitatem ſuam in propria Perſona ad diem præfixum Vilnam veniſſet, ac iuramentum præſtare paratus, ſolennem Inveſtituram expediri a Serenitate ſua humillime ſollicitaſſet, Serenitas vero ſua ceſſionem illam iuxta tenorem conſenſus non factam fuiſſe, cum Dominis Senatoribus, ac Conſiliariis ſuis Regiis, Lateri Regio ſuo aſſidentibus, ex ceſſionis Inſtrumento coram Serenitate ſua producto perſpexiſſet, nihilominus tamen ob Inſignia dictorum Principum, ac inprimis Illuſtriſsimi Ducis Friderici in Reges, & Rempublicam merita, & ex ſingulari erga Domum Ducalem affectu, ac benevolentia, defectum non factæ plenariæ ceſſionis ex plenitudine poteſtatis ſuæ Regiae ſupplendo beneficium illud amplificandum, ceſſionemque illam conditionatam authoritate Regia ſublevandam eſſe duxit, eundemque Ducem Jacobum, ac illius Hæredes maſculos, legitimos Feudi Succeſſores, eo modo ad Terras, Civitates, Oppida, Arces, Poſſeſſionesq; a D. Prædeceſſoribus ſuis, ſuæ Illuſtritatis Avo, eiusq; Hæredibus, ac Patruo Duci Friderico conceſſas, & præeminentias, iuraque omnia, & ſingula tradito a Serenitate ſua ſolenni ritu feudali Vexillo inveſtivit, Diplomate conſenſus ante ex Senatus Conſulto a Serenitate ſua obtenti, uti fundamento totius iſtius actus ſalvo, & in ſuo robore conſervato. Cuius vigore Illuſtriſſimus Princeps Fridericus, quandocunq; ipſi libuerit ceſſionem realem, & plenariam cum iurisdictione, & regimine in Perſonam Ducis Jacobi facere, intra fatalia tamen iuris poſſet. Sin vero contigiſſet Ducem Jacobum poſt factam ſibi a Duce Friderico ceſſionem, abſq; Prole maſcula e vivis decedere, tunc nihilominus idem Ducatus non obſtante eadem ceſſione ad Ducem Fridericum redire, ac penes ipſum vigore præteritarum ipſi conceſſarum Inveſtiturarum remanere debuiſſet. Ducem quoque Jacobum etiam non obtenta ante deceſſum Illuſtriſſimi Principis Friderici ceſſione, vi Pactorum primævorum & Inveſtiturarum tum quoq; diverſorum Reſponſorum, & iſtius Homagii intuitu

Anno 1649.

Anno 1649. tuitu circa Feudum Ducatus, poſſeſſionemque cum pleno Regimine itidem eiusdem Inveſtiturae vigore conſervavit, Serenisſimosque Succeſſores conſervare debere decrevit. Hac ſpeciali conditione adiecta, ut *D*ux Jacobus, ſive poſt ceſſum, ſive poſt deceſſum *D*ucis Friderici non prius poſſeſſionem illius Ducatus adiret, Jurisdictionemque exercere inciperet, antequam per Commiſſarios ad faciendam Intromiſſionem, a Serenitate ſua deputandos legitime intromiſſus fuiſſet. Poſſeſſione porro rite, & legitime, prævia ceſſione, & intromiſſione cum pleno Regimine adepta, & per aliquot annos iuxta Inveſtituram, ac Pacta Conventa pacifice habita, cum ſublato ex humanis præfato Sereniſſimo Rege Vladislao IV. Fratre noſtro deſideratiſſimo, prænemoratus Illuſtriſſimus Princeps Jacobus ad præſtandum Homagium Gratiam noſtram in Comitiis felicis Coronationis noſtræ per Internuntium ſuum humillime expetiiſſet, quemadmodum Sereniſſimi Anteceſſores noſtri in augenda, & ornanda ſingularibus beneficiis Illuſtriſſima Curlandiæ, & Semigalliæ Ducum Familia in omni occaſione maxima exhibuerunt documenta, ita & Nos Illuſtriſſimum Principem Dominum Jacobum Curlandiæ, & Semigalliæ *D*ucem pari affectu, & benevolentia complexi, novum hoc beneficium eidem conceſſimus, ut per Legatos ſuos cum debita fidelitatis, & ſubiectionis teſtificatione ſolita ſolennitate Homagium pro die Pentecoſtes in Anno milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo nono Varſaviæ, aut ubi tunc cum Curia noſtra feliciter conſtituti eſſemus, præſtaret, & Inveſtituram ritu conſveto reciperet. Qua benevolentia noſtra condigne acceptata, is idem Illuſtriſſ. Princeps Dominus Jacobus ad Nos Legatos ſuos Generoſos Georgium Fiſcher de Vizeden ſupremum primæ Inſtantiæ Mitavienſis Capitaneum, Cubiculi noſtri Regii Familiarem, atque Georgium Goes de Duplen Capitaneum Schrundenſem miſit, qui pro termino præfixo coram throno noſtro Regio, & in manibus noſtris ſolenni ritu nomine Illuſtriſſimi Principis ſui Homagium præſtiterunt, & a Nobis viciſſim Feudale Vexillum cum Inveſtitura humillime receperunt. Præmiſſa igitur omnia rata, & grata habentes, confirmantesque, & de integro ſolenni Inveſtitura conferentes, quam a prædictis Sereniſſimis Prædeceſſoribus noſtris Regibus Poloniæ, vigore Pactorum, & Inveſtiturarum, ſub illarum Maieſtatum manibus, Sigillis autem Regni, Magnique Ducatus Litvaniæ Illuſtritatis eius Avo, & Patruo iam antea data, conceſſa, & collata ſunt, nimirum Ducalem Titulum, adinſtar Illuſtriſſimi Ducis in Pruſſia cum omni *D*ignitate, Inſignibus, Privilegiis Ducalibus, ita, ut Vaſallus, & Feudatarius Princeps noſter & Succeſſorum noſtrorum, Regnique, & Magni Ducatus Litvaniæ Membrum ſit, itidemque eius poſteri ſint. Præterea, ut a Divo Sigismundo Augusto Prædeceſſore noſtro iam ante Illuſtritatis eius Avo Gotthardo quondam Duci, poſterisque eius legitimis maſculis, ex eius lumbis linea recta deſcendentibus, nominatim *D*itiones, Poſſeſſiones, Civitates, Oppida, Arces, Terræ aſſignatæ, ſine Infeudationis ſolennitate fuerunt. Poſtea vero vigore legitimæ Inveſtituræ a Sereniſſimis itidem Prædeceſſoribus noſtris DD. Stephano, & Sigismundo Tertio, Vladislaoque Quarto Regibus, & Nobis eidem attributæ, ita nunc Nos quoque Illuſtriſſimo Principi Jacobo attribuimus, damus, & conferimus. Primum totum illum Tractum Curlandiæ, & Semigalliæ, incipiendo a ſalſo mari ſurſum, ſequendo fluvium Hylga, aſcendendo ad antiquos limites, per *D*ominum Radzivilium inceptos, & diſpoſitos, inter Samogitiam, Litvaniam, & Ruſſiam ab una, & Livoniam ab altera partibus, verſus *D*iſtrictum Polocenſem ad *D*unam fluvium, deſcendendo vero Duna uſque in mare ſalſum, adeo, ut quidquid in iſtis terminis cis *D*unam verſus Litvaniam continetur, & ad Ordinem Livoniæ ſpectabat, nunc, & in perpetuum apud Illuſtritatem eius, ipſiusq; Hæredes maſculos permaneat. Curias videlicet, bona, & Nobilitatem, quæ ad Arcem *D*uneburgenſem ex hac parte fluvii verſus Litvaniam ſpectarunt, Arcem *Selburgam* cum toto Diſtrictu, Curias, item Nobilitatem, & omne id, quod videlicet ex hac parte ad Arcem *Aſcherad* ſpectabat, Arcem *Bauſko*, *Neugut*, & iis, quæ ad Arcem *Kircholm* pertinebant, Arces, item Curias, & Oppida, *Mitow*, *Tuckum*, *Neuemburg*, *Doblen*, *Candow*, *Alſchwangen*, *Schrunden*, *Frawenburg*, *Zabeln*, tum & alias Arces, quæ Sereniſſimo Anteceſſori noſtro Divo Sigismundo Augusto oppignoratæ fuerunt, *Goldingen*, *Haſenpot*, *Durben*, *Windau*, in ſumma octuaginta millium florenorum, Arcem vero *Grobin* in quinquaginta millibus Illuſtriſſimo quondam Principi Alberto Marchioni Brandeburgenſi, in Pruſſia Duci, itidem oppignoratam, & illas quidem ſummas, quemadmodum DD. Prædeceſſores noſtri in Diplomatibus ſuis remiſerant, ita & Nos remittimus, adeoq; uti prænemorati DD. Prædeceſſores noſtri, ſuae

Anno 1649.

ANNO 1649. ſuæ Illuſtritatis Anteceſſores, ita & Nos eius Illuſtritatem, legitimosque eius Succeſſores, & Hæredes maſculos ex lumbis eius provenientes, circa totum iſtum Curlandiæ, atque Semigalliæ Ducatum, cum dictis Terris, Civitatibus, Oppidis, Arcibus, & Curiis hac Inveſtituræ renovatione pro Nobis, & Succeſſoribus noſtris in toto conſervamus, iisdem Prærogativis, & Immunitatibus, quibus Illuſtriſſimo Principi Friderico, & eius Anteceſſori iam antea collata fuerunt, ſine noſtro, Hæredumque, & Succeſſorum noſtrorum Regum, & Regni Poloniæ impedimento, & præiudicio. Pro Nobis vero, & *S*ereniſſimis Succeſſoribus noſtris, Regno, Magnoque *D*ucatu Litvaniæ reliquam Livoniam omnem cum omni proprietate, directo, & utili Dominio, omnique mero, & mixto imperio, quemadmodum iam ante *D*ivi Praedeceſſores noſtri, SIGISMUNDUS AUGUSTUS Avus noſter, & STEPHANUS, SIGISMUNDUS III. Parens noſter, & VLADISLAUS IV. Frater noſter deſideratiſſimus reſervarunt, ita etiam Nos reſervamus, retinemusque. Cumque inter caetera, & hoc inter Sereniſſimum Praedeceſſorem noſtrum *D.* SIGISMUNDUM AUGUSTUM, & Illuſtritatis eius Avum convenerit, ut permutatione Epiſcopatus Curonienſis pro *Sonneburga* Arce, Curiis *Leal*, *& Madzel* Illuſtris *D*ux Magnus contentetur, & ad eam rem praedictus Avus noſter *D.* SIGISMUNDUS AUGUSTUS, & Sereniſſimus Rex STEPHANUS, Sereniſſimusque Dominus Parens, & Frater noſter operam receperunt, ut cum reliqua Curonia, Epiſcopatu Curonienſi quoque ſua Illuſtritas potiatur. Poſtea autem cum vivente Duce Magno permutatio ea perfecta non fuiſſet, graviſſima autem de Epiſcopatu eo controverſia inter D. memoriae *D*eceſſorem noſtrum STEPHANUM, & Sereniſſimum Daniae Regem exorta, tandem Sereniſſimus quondam Daniae Rex per Tranſactionem ex certis conditionibus Sereniſſimo Deceſſori noſtro, Regnoque ius ſuum, quod habere ſe in eo Epiſcopatu exiſtimabat, ceſſiſſet, nihil hoc tempore ſine omnium Ordinum conſenſu ſtatuere ea de re poſſumus, rem omnem in eo ſtatu, in quo ante fuit, relinquimus, neque quin poſthac ea de re cum Ordinibus agat, viam Illuſtritati ſuae praecludimus. Neve etiam limitum indiſcuſſorum cum vicinis Illuſtritas eius controverſiam, aut difficultatem habeat, Regia noſtra Authoritate curabimus, ut primo quoque tempore ad praeſcriptum Pactorum Paſvolienſium, & poſteriorum Vilnenſium regantur, & certi conſtituantur in tota illa vicinia limites. Interea vero neutra pars alteri damnum inferat, aut litem, & difficultatem moveat, pro eo, ut hoc Privilegio praedictorum Divorum Praedeceſſorum noſtrorum continetur. Cumque Tractus Dunae ſurſum, & deorſum limites inter Nos, & Illuſtritatem eius conſtituat, ius, & aequitatis ratio poſtulat, ut medietate fluvii in piſcando, & aliis commoditatibus eius Illuſtritas perpetuo gaudeat, Quæque Inſulae, ſive mediamnes alteri parti viciniores ſunt, apud eandem partem iuxta Privilegium eorundem Divorum *D*eceſſorum noſtrorum maneant. Monetae etiam cudendae facultatem, uta praedictis Divis Anteceſſoribus noſtris, iam ante Illuſtriſſimo olim Avo, & Patruo eius Illuſtritatis data eſt, Illuſtritati eius confirmamus, & de integro conferimus, ad pondus, et valorem communis Reipublicae, et ut eius promiſcuus, et indifferens uſus ſit tam in Litvania, quam Livonia volumus, attamen, ut ex una parte noſtra effigies, vel Inſignia Regni, Magnique Ducatus Litvaniae, in altera Illuſtritatis eius exprimantur. Si quid porro Illuſtritati eius vendendum, oppignorandum, permutandumve fuerit, ſuper hoc Illuſtritati eius libertatem, facultatemque concedimus, et ut antea a *D*ivis Anteceſſoribus noſtris conceſſum eſt, ita videlicet, ut ad Nos, et Sereniſſimos Succeſſores noſtros de eo primo loco referatur, Nobisque optio detur, ſi talem oppignorationem ipſi acceptare voluerimus, ſin minus, tum id Illuſtritati eius liceat, cui volet, ita tamen, ut tali oppignoratione nulla occaſio diſmembrationis a Republica eorum bonorum detur. Dabimus quoque operam ſecundum Privilegium praedicti Divi Anteceſſoris noſtri, ut ſi quando Ducatus Eſtoniæ cum Civitate Revalienſi aliqua ratione ad Regnum noſtrum Poloniae adiungatur, ut ſuae Illuſtritati, eiusque Hæredibus, & *S*ucceſſoribus legitimis, æqua portio, vel in bonis, vel in pecunia concedatur, ſumptibus in ea recuperatione factis, ante omnia Nobis refuſis. *D*enique Illuſtritati eius iurisdictionem totalem pro eo, ut in Privilegiis *D*ivorum Prædeceſſorum noſtrorum continetur, iuxta leges, & conſvetudines, moresque antiquos confirmamus, & de novo concedimus, ut illi, qui eius Illuſtritatis iurisdictioni ſubiecti, & ratione domiciliorum ſubditi eius erunt, & manebunt, ad ſuum tantum Principem provocabunt, in cauſis tamen gravibus, & maximi momenti licebit Nobilitati a Principe ſuo ad Conventum Provinciae Terrarum Livoniae provocare. Cave-

Anno 1649. rat etiam *D.* Sigismundus Augustus Anteceſſor, & Avus noſter Illuſtritatis eius piæ memoriæ Avo, cum ante ſexennali bello, tam ſuæ Illuſtritatis, quam & Nobilitatis Curonienſis vires exhauſtae eſſent, relaxata ut eſſet ſua Illuſtritas, & Nobilitas ab onere belli, & ut hoc ſaltim præſtarent, & mitterent, quod commode pro modulo ſuo poſſent, alio autem tempore eandem habendam rationem, quam Illuſtriſsimi *D*omini *D*ucis in Pruſſia. *D.* Stephanus vero Rex *D*eceſſor noſter ſe quoque pro eo bello, quod tum gerebat, iis copiis, de quibus cum Illuſtritate eius ſibi conveniret, contentum fore promiſerat. Itaque quamvis Nobis de eius Illuſtritate perſvadeamus, quae cum Nobilitate ſua poſsit, Nobis non gravatim præſtituram, tamen ad clariorem, quid ſua Illuſtritas Nobis præſtare teneatur, declarationem ita prout inter *S*erenitatem ſuam, *D*eceſſorem, & Fratrem noſtrum deſideratisſimum, ac Illuſtritatem ſuam conventum fuerat, inter Nos & eandem etiam convenit, quod in poſterum in vim perpetuae obligationis erit obſervandum, ut Illuſtriſsimus *D*ux Jacobus, eiusque *S*ucceſſores Feudi Hæredes pro hac noſtra in ſe beneficentia, tempore expeditionis bellicae unam cohortem Equitum cum ſervitiis Equeſtribus Nobilium quoties iis opus fuerit, intra fines *D*ucatus Curlandiae, & *S*emigalliae praeſtet. Quoties vero publica aliqua neceſsitate bellica poſtulante in Regno publicae contributiones decretae fuerint, toties *D*ux Jacobus ſummam decem millium florenorum Polonicalium ſolvet, eiusque medietatem, hoc eſt quinque millia in theſaurum Regni, alia vero quinque millia florenorum in theſaurum Magni Ducatus Litvaniæ inferet, & *S*ucceſſores illius inferre tenebuntur. Hoc videlicet pacto, quod licet una, ſive plures contributiones in Generalibus Comitiis ſciſcerentur, *D*ux Jacobus in locum ſive unius, ſive plurium praetactam decem millium florenorum Polonicalium ſummam, & non plus, accepta deſuper quietatione *DD.* Theſaurariorum, cum ſuis *S*ucceſſoribus pendere, ac ſolvere adſtrictus erit. *S*ecus vero ſi publica expeditione ſic exigente *D*ux Jacobus Vaſallagium Equitum cum ſuis Nobilibus ſiſteret, & in hoc caſu pro eo tempore, etiamſi contributiones in Comitiis ſcitae fuiſſent, liberum, & immunem eundem *D*ucem Jacobum, & ipſius *S*ucceſſores a perſolvenda decem millium florenorum Polonicalium contributione fore declaramus. Alias etiam conditiones, & cautiones, de quibus inter *S*erenisſimum *D*eceſſorem Fratrem noſtrum deſideratisſimum, & Illuſtritatem ſuam convenerat, quaeque peculiaribus ſcriptis commemorati Illuſtrisſimi Principis ſub illius Chyrographo, & *S*igillo continebantur, ipſe Illuſtrisſimus Princeps etiam adimplevit, Illuſtritas ſua, eiusque *S*ucceſſores porro iuxta Conventionem obſervabunt. Poſtremo cum iam ante Illuſtriſsimus olim Avus Illuſtritatis eius perneceſsariis, et iuſtisſimis de cauſis ſe ditioni, atque imperio *S*ereniſsimorum Praedeceſsorum noſtrorum, et *S*ucceſsorum Regni, et Magni Ducatus Litvaniae ſubiecrit, extrema Magni Moſchorum *D*ucis injuria, vi, atque oppreſsione hoſtili impulſus, fruſtra per annos complures implorata Romani Imperii, atque Imperatorum ope, ac ſubſidio, iamque per longisſimum temporis ſpatium veluti pro derelicto habita, ſub ditione Poloniae Regum Anteceſſorum noſtrorum, et noſtra ulla cum controverſia permanſerit, Nos quidem futurum non iudicamus, ut eius Illuſtritati eo nomine controverſia, aut moleſtia ulla afferatur. Verumtamen ſi quae allata fuerit, quae cum labe aliqua nominis, aut aliquo detrimento coniuncta ſit, Nos in eo Regio noſtro Officio, quod in defendendis ſubditis noſtris verſari non ignoramus, minime defuturi ſumus. Quodque Sereniſsimos Praedeceſſores noſtros in cauſa Illuſtriſſimi quondam in Pruſſia Ducis Alberti egiſſe intelligimus, agere minime prætermittemus, defenſionemque contra hoſtem omnem, qualiscunq; ille tandem fuerit, praeſtabimus, et Succeſſores noſtri praeſtabunt. Ipſe vero Illuſtriſsimus *D*ux pro hac Serenisſimorum Praedeceſſorum noſtrorum, et noſtra in ſe beneficentia, quaecunque Vaſalli, et Feudales Principes erga ſuum naturalem Superiorem, et directum Dominum fidelitatis, obſervantiae, ſervitiorumque officia, et ſtudia praeſtare tenentur, Illuſtritas eius erga Nos, Regnumque, et Magnum Ducatum Litvaniae praeſtabit, itidemque haeredes legitimi in hoc Feudo Succeſſores praeſtabunt. Nosque viciſſim eius Illuſtritatem, et Haeredes, et Succeſſores omni patrocinio, amore, et benevolentia boni Regis, et ſupremi, directique Domini complecti, et Juribus, Immunitatibus, et Privilegiis illorum conſervare tenebimur, et Succeſſores noſtri tenebuntur. In quorum omnium, et ſingulorum fidem, praeſentes Literas manu noſtra ſubſcripſimns, et Sigillo Regni, Magnique Ducatus Litvaniæ muniri mandavimus. Datum Varſaviæ die XXVIII. Menſis Maii Anno *D*omini MDCXLIX. Regnorum noſtrorum Poloniae, et Sveciae primo. Prae-

Anno 1649.

ANNO 1649. Præſentibus Reverendiſſimo, Reverendis, Illuſtribus, Magnificis, Generoſis, Venerabilibus, & Nobilibus, Mathia Łubinſki Gneſnenſi, Legato Nato, Regni noſtri Primate, ac primo Principe, Nicolao de Załuſki Kroſnowſki Leopolienſi, Adminiſtratore Abbatiae Czervenenſi, Archiepiſcopis, Venceſlao de Leſno Leſzczynſki Culmenſi, & Pomeſaniae, Pro-Cancellario Regni, Staniſlao de Buzenin Pſtrokonſki Chełmenſi, Adminiſtratore Abbatiae Tynecenſi, Staniſlao de Kalinowa Zaremba Kiiovienſi, Abbatiae Suleiovienſi Adminiſtratore, Petro Laſczewſki Smolenſcenſi Epiſcopis, Vladiſlao in Mirow Marchione Myſzkowſki Palatino Bracławienſi, Grodecenſi, Brachinenſi, Medicenſi, Moſtenſi, Staniſlao Witowſki Sendomirienſi, Kowalienſi, Kniſzynenſi, Zwolinenſi, Joanne de Leſno Leſzczynſki Gneſnenſi, Staniſlao Łaſkawſki Varſavienſi, Nicolao Łopacki Zakrocimenſi, Samuele Nadolſki Roſpirienſi, Derſchavienſi Caſtellanis, & Capitaneis, Georgio de Tenczyn Duce in Oſſolin, Sacri Romani Imperii Principe, ſupremo Regni Cancellario, Lublinenſi, Brodnicenſi, Lubaczovienſi, Lubomlenſi, Ricenſi, Bohuſlavienſi, Adzelenſi, Caſimiro Leone Sapieha Pro-Cancellario Magni Ducatus Litvaniae, Slonimenſi, Volpenſi, Luboſſanenſi, Rochaczevienſi, Joanne Nicolao a Zurow Daniłowicz Theſaurario Regni Supremo, Premyſlienſi, Samborienſi, Drohobycenſi, Ratnenſi, Dolinenſi, Colenſi, Czerwonogrodenſi, Połodenſi, Adamo in Czaſniki Kazanowſki, Marſchalco Curiæ Regni, Bielacenſi, Boriſovienſi, Varecenſi, Koſienicenſi, Solecenſi, Neoforienſi, Joanne Gembicki Supremo Regni Secretario, Præpoſito Miechovienſi, Decano Cracovienſi, Sacræ Reginalis Magieſtatis Cancellario, Martino Starczewſki Tremeſnenſis, Abbatiae Adminiſtratore, Canonico Cracovienſi, Varſavienſi, Alexandro de Otok Zaleſki Regni Referendariis, Maximiliano a Tenczyn Oſſolinſki, Theſaurario Curiæ Regni, Samuele Rylſki Succamerario Regni, Rabſtinenſi, Kapinoſenſi, Chriſtophoro Gembicki Inciſore Regni, Alexandro Lubomirſki Comite in Wiſnicz Stabuli Regni Præfecto, Sandomirienſi, Zatorienſi, Niepołomicenſi, Andrea de Magna Konczyce Mniſzech Culinae Regni Præfecto, Oſiecenſi, Boguſlao in Leſzno Leſzczynſki Maioris Poloniae Generale, Thoma Lezenſki Adminiſtratore Abbatiae Wąchocenſi, Supremo Theſauri Notario, Andrea Trzebicki, Regente Cancellariae Regni Maiori, Scholaſtico Plocenſi, Gneſnenſi, Cracovienſi Canonico, Thoma de Rupniow Uieyſki Adminiſtratore Abbatiæ Plocensi, Præpoſito Varſaviensi, Cuſtode Gneſnensi, Canonico Plocensi, Alexandro Nieborowſki Præpoſito Pultoviensi, Archidiacono Łoviciensi, Canonico Gneſnensi, Sereniſſimi Principis Caroli Ferdinandi Fratris noſtri Chariſſimi Cancellario, Remigiano Piaſecki Regente Cancellariæ minoris Regni, Cantore Præmiſliensi, Daniele Ziakiewicz Inſtigatore Regni, Staniſlao Skarſzewſki Stenzycensi, Waſilkoviensi, Hieronymo in Radziejowice Radzieiowſki Łomzensi, Kamionacensi, Sigismundo Donhoff Sokaliensi Capitaneis, Joanne Caſimiro Umiaſtowſki Subiudice Breſtenſi, Magni Ducatus Litvaniae Regente, Joanne Ferdinando Sapieha Capitaneo Molcavensi, Laurentio Roſtworowſki Vexillifero Caliſſiensi, Martino Nieborowſki Succamerario Terræ Sochaczoviensis, Paulo Kroſnowſki eiusdem Terrae Dapifero, Alexandro Sielſki Subdapifero Poſnaniensi, Jacobo Michałowſki Tribuno Lublinensi, Hyacintho Michałowſki Dapifero Rozanensi, Aulicis, & intimi Cubiculi noſtri Familiaribus, Joanne Wąglikowſki Terrarum Pruſſiae Dapifero, Staniſlao Sarnowſki, Nicolao Prazmowſki Canonicis Cracovienſibus, Andrea Olſzowſki Gneſnensi, Caliſſiensi Canonico, Stephano Piaſecki Præpoſito Caliſſiensi, Sandomiriensi, Varſaviensi Canonico, Secretariis, Alberto Mokranowſki Tribuno Varſaviensi, Intimi Cubiculi noſtri Familiari, Gotteſredo Buttler Capitaneo Prenenensi, Intimo, & Primario Cubiculi noſtri Familiari, Chriſtophoro Sapieha Rothmagiſtro, Joanne Franciſco Lubowicki, Dapifero Czechanoviénsi, Evariſtæ Bełzecki, Chriſtophoro de Rupniow Rupniewſki, Theodoro Donhoff, Intimi Cubiculi noſtri Familiaribus, Bernardo Guyſki Venatore Sandomiriensi, Alberto Kroſnowſki, & aliis quam plurimis Officialibus Secretariis, & Aulicis noſtris, Fidelibus noſtris Dilectis. ANNO 1649.

JOANNES CASIMIRUS *Rex.*

Andreas Trzebicki Regens Cancellariæ Regni Maioris.

CCXLVIII.

Juramentum Illuſtriſſimi Domini Domini Jacobi Curlandiæ, & Semigalliæ Ducis S. R. Maieſtati per Interruntium ſuum præſtitum Varſaviæ die 28. Maii, Anno 1649. *Indidem* fol. 188. 1649.

JOANNES CASIMIRUS Dei gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ,

ANNO 1649. Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæque &c. nec non Svecorum, Gottorum, Vandalorumque Hæreditarius Rex.

Significamus præſentibus Literis Noſtris, quorum intereſt, huius, & futuri temporis univerſis, & ſingulis. Contineri in Actis Cancellariæ noſtræ Maioris Literas infraſcriptas, quarum quidem tenor ſequitur uſque ad verbum, eſtque talis:

Illuſtriſſimi Principis Jacobi Curlandiæ, & Semigalliæ in Livonia Ducis Ego Georgius Fiſcher de Vizeden ſupremus primæ Inſtantiæ Mitaviensis Capitaneus, Cubiculi Sacræ Regiæ Maieſtatis Familiaris, pro præſtando Homagio, & recipienda Inveſtitura ad Sacram Regiam Maieſtatem Legatus, nomine, Mandato, ſeu Plenipotentia eiusdem in animam eius iuro ſuper hæc Sancta Dei Evangelia, quod ab hac hora deinceps uſque ad ultimum diem vitæ ſuæ erit fidelis, & obediens Tibi Sereniſſimo Principi JOANNI CASIMIRO Dei Gratia Regi Poloniæ, Magno Duci Litvaniæ, ſicuti ſuo naturali, et hæreditario Domino, & Succeſſoribus legitimis eius, Regibus Poloniæ, Dominis ſuis, contra omnem hominem, nemine prorſus excepto, & quod nunquam ſcienter erit in conſilio, vel auxilio, vel in facto, ex quo (quod abſit) amittas vitam, vel membrum aliquod, vel per quod accipias in Perſona læſionem, aut iniuriam, vel contumeliam, vel per quod amittas aliquem honorem, quem nunc habes, vel poſt habebis, & ſi ſciverit, vel audierit de aliquo, qui velit aliquid iſtorum contra Te facere, pro poſſe ſuo ut non fiat, impedimentum præſtabit; & ſi impedimentum præſtare nequiverit, quam cito poterit, Tibi nuntiabit, & contra eum iuxta Pacta auxilium Tibi præſtabit. Et ſi contigerit, Te rem aliquam, quam habes, vel poſt habebis, caſu aliquo amittere, eam recuperare curabit, in recuperandaque, & retinenda Te omni ope iuvabit. Et ſi ſciverit, Te velle contra aliquem publico conſilio arma ſumere, & de eo generaliter, vel ſpecialiter fuerit requiſitus, ſuum Tibi ſecundum Pacta præſtabit auxilium. Et ſi aliquid illi de Secreto manifeſtaveris, illud ſine tua licentia nemini pandet, neque quidquam, per quod pandatur, faciet. Et ſi conſilium ab ipſo, ſuper aliquo facto poſtulaveris, illud Tibi dabit conſilium, quod Tibi, Dominiisque tuis iudicaverit magis expedire, & nunquam ex Perſona ſua aliquid ſcienter, quod pertineat ad tuam, vel Regni, Dominiorumque tuorum Regno adiunctorum, vel inpoſterum adiungendorum iniuriam, vel contumeliam, faciet, imo honorem, dignitatem, commodaque tua, Regni, & Dominiorum tuorum tuebitur, & conſervabit, & quoad maxime poterit, augebit. Denique etiam Pacta priora antiqua omnia, & ſingula, quocunque tempore a Deceſſoribus ſuis Curlandiæ, & Semigalliæ Ducibus cum inclyto hoc Poloniæ Regno, & Magno Ducatu Litvaniæ conventa, tum & Formulam Regiminis, & præteritam Tranſactionem, Conditionesque cum Sereniſſimo Divæ memoriæ VLADISLAO VI. Fratre tuo tractatas, conſtitutasque & a ſe peculiari Diplomate confirmatas ſervabit, & adimplebit. Ac præterea omnium, & ſingulorum Equeſtris Ordinis, ac privatorum Ducatus Curlandiæ, & Semigalliæ Incolarum Jura, Privilegia, Libertates, Immunitates ſartas, tectasque integerrime ſervabit, nec quidquam in contrarium earum præiudicii, ac derogationis faciet, aut fieri permittet. Sic me Deus adiuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia. Actum, & Datum Varſaviæ die XXVIII. Menſis Maii, Anno MDCXLIX. Regni Poloniæ, & Sveciæ primo Anno. ANNO 1649.

CCXLIX.

Deſcriptio Ceremoniarum circa Renovationem Feudi, & Inveſtituræ Illuſtriſſimi Jacobi Curlandiæ, & Semigalliæ in Livonia Ducis factam. Varſaviæ d. 28. Maii 1649. *Ex Archivo Regni* Lib. 182. num. 183. fol. 21. 1649.

In renovatione Infeudationis, & Inveſtituræ Illuſtriſſimi, ac Celſiſſimi Principis, ac Domini, Domini Jacobi in Livonia Curlandiæ, & Semigalliæ Ducis, coram Throno Regio Sereniſſimi, ac Potentiſſimi Principis, ac Domini, Domini JOANNIS CASIMIRI Dei Gratia Regis Poloniae, Magni Ducis Litvaniae &c. per Illuſtriſſimæ Celſitudinis ſuæ Legatos, Generoſos Georgium Fiſcher de Vizeden ſupremum primæ Inſtantiæ Mitaviensis Capitaneum, Cubiculique Regii Familiarem, & Georgium Goës de Duplen Capitaneum Schrandenſem, Varſaviæ die 28. Menſis Maii Anno 1649. peractæ, & receptæ:

Poſtquam Legati Illuſtriſſimæ Celſitudinis ſuæ ad præſtandum Homagium Varſaviæ die 21. Menſis Maii, quæ erat feria ſexta ante ſolennia Feſti Pentecoſtes proxima, appropinquaſſent, Sacra Regia Maieſtas, Illuſtriſſimum, ac Reverendiſſimum Dominum Joannem Gembicki Secretarium Regni Maiorem, Sacræ Regi-

nalis

Anno 1649. nalis Maiestatis Cancellarium cum insigni comitatu illis obviam misit, qui medio circiter milliari ante *S*uburbium obviam factus, solenni Oratione propensam *S*acræ Regiæ Maiestatis in Illustrissimam suam Celsitudinem voluntatem, & affectum Regium deduxit, ac de felici adventu Legatorum prolixe gratulatus, eos ad currum Regium, quem in hunc finem splendide adornatum secum habebat, invitavit. Huic per Fischerum, tanquam primarium Legatum, sequentibus ferme respondebatur verbis.

Illustrissime, & Reverendissime Domine, Domine Colendissime.

Rutilantes Orientis radii, summa montium cacumina, & eminentiores Urbium turres primum, dein planitiem, valles, & universum illustrant Orbem : non aliter benignitas Regia in primo felicissimi Regiminis ortu, Magnates principio fulgore suo perstringit, postmodum universæ Reipublicæ ubertim splendet. Cuius rei æternum exemplar est hoc, quod Sacra, atque Serenissima Regia Maiestas, Dominus noster Clementissimus, Illustrissimo, ac Celsissimo Principi, ac Domino, Domino Jacobo in Livonia Curlandiæ, & Semigalliæ Duci, Domino nostro benignissimo, circa præstationem Homagii gratiam Regiam expetenti, singulare concesserit beneficium, & ut per Legatos Homagium præstaret, Investituramque ritu consveto reciperet, clementissime consenserit. Æternum sane benignitatis exemplar, cuius tamen eximia magnitudo præsenti augetur actu, dum Illustrissima Reverentia Vestra, præclarus Reipublicæ Officialis, Nobis ab Illustrissima Celsitudine sua, ad ea, quæ Homagii solennitas requirit, fideliter præstanda, missis obviam venit, nomine Sacrae Regiae Maiestatis humanissime Nos suscepit, & ad progrediendum benevole invitat. Perennabit beneficii istius memoria, & Illustrissima Celsitudo sua nullum obsequii genus, quod a fideli Principe expectari potest, in se desiderari patietur. Illustrissimae Reverentiae Vestrae etiam immortales, pro suscepto onere debentur gratiae. Referre sollicitudinem istam, Illustrissima Celsitudo sua omni occasione studebit. Nos ad quaevis obsequia parati *C*lementiam Regiam humillima subiectione, & benevolum Illustrisimae Reverentiae Vestrae affectum condigna veneramur observantia, iussis promptissime paremus, & bono invitati omine ad Clementissimum Sacrae Regiae Maiestatis Thronum alacriter pergimus.

Post haec Legati in curru Regio per praefatum Secretarium Maiorem ad hospitium, quod ipsis ad Forum Urbis Varsaviensis, per Illustrisimum ac Excellentisimum Dominum Adamum de Kazanowa Kazanowski Curiæ Regiae Mareschalcum ex Officio asignatum fuerat, solenniter deducebantur. Anno 1649.

Altera post adventum die, Sabbatho nimirum ante solennia Festi proximo, Legati Senatores, aliosque Reipublicae Officiales, Regiæ Maiestati tunc a latere præsentes adibant, negotiaque Illustrissimæ Celsitudinis suæ illis more solito, & cum debita observantia commendabant. Magnifico Domino Gotthardo Vilhelmo Buthlero Capitaneo Prenensi, & Supremo Regiæ Maiestatis Camerario, privatam audientiam apud Regiam Maiestatem interea sollicitante, & obtinente, diesq; pro expedienda eadem, ad feriam secundam intra solennia Festi asignata fuit.

In ea præmissis Curialibus, & observatis observandis, Sacræ Regiæ Maiestati, Nomine Illustrissimæ Celsitudinis suæ, præmemoratus Legatus de felici Electione, & Coronatione humillime, ac solemni Oratione gratulatus, Credentiales reddidit, & gratiis pro singulari beneficio actis, Infeudationem istam quantocitius expediri humillime rogavit, atque cum voto longævæ vitæ ac felicissimorum Successuum indefessam Illustrissimae Celsitudinis suæ promptitudinem detulit, & Domum Ducalem Clementiae Regiæ subiectissimis commendavit verbis. Sacra Regia Maiestas, lectis Literis respondebat, se pari benevolentia, qua antecessores suos, Illustrissimam Curlandiæ Ducum Familiam prosecutos esse intellexit, Illustrissimam Celsitudinem suam complecti, & pro evidentiori affectus argumento, singulare hoc beneficium concessisse, atq; etiam nunc ad expedienda Infeudationis solemnia, clementissima mente paratam esse, sibique de Illustrissima Celsitudine sua, cui felicissima quæque precatur, reciprocam fidem, & omnia devincti Principis munia polliceri.

Die porro XXVIII. feria videlicet sexta ante Festum SS. Trinitatis, quæ ad solemnitatem Actus istius destinata fuerat, posteaquam præmemoratus Regni Mareschalcus Legatis, ut ad solennia ista parati essent, pridie denuntiari feciset, circa primam pomeridianam, Illustrissimus & Excellentissimus Dominus Nadolski Castellanus Rospirienis, & supradictus Illustrissimus, ac Reverendissimus Secretarius Regni Maior, cum Curru Regio, quem satellites, & celeres Regii observabant, aliisque septem Curribus, & sexaginta Equitibus Regiis, & aliis

Anno 1649. aulicis ad hoſpitium Legatorum venerunt, illoſque ad Palatium Regium, quod in Suburbio ad hortum Regium eſt, comitante, & præſente ingenti hominum multitudine deduxerunt. Ante portam Palatii ſupradictus Curiæ Regni Marſchallus, multis ſtipatus Aulicis Regiis, illorum adventum præſtolabatur, & venientes, quos Tympaniſtæ, & Tibicines Regii ante Palatium alacriter, tympanorum, & tubarum hilari excipiebant clangore, ac ſtrepitu, praevia gratulatione, & præmiſſa affectus Regii declaratione, aliisque Curialibus præmiſſis in Palatium comitante, & præeunte Aulicorum Corona, ad Thronum Regium deducebat.

Erat is Thronus Regius panno aureo tapetibuſque circumcirca ſplendidiſſime ad hunc Actum ornatus, & inſtructus, Theatrum tres gradus altum erat, erectum, & rubro panno ſolenniter ſtratum, in quo Regia Maieſtas in ſolio Regio Regalibus induta, Coronam capite, una manu ſceptrum, altera pomum gerens ſedebat, & utrumque latus ab Illuſtriſſimis Dominis Regni, & Magni Ducatus Litvaniæ Senatoribus protunc præſentibus, locis ſuis & Ordine ſolito aſſidentibus, cingebatur. Circa Solium Regis a dextris in Abſentia Vexilliferi Regni, Vexillifer Caliſſienſis, Vexillum Feudale manu tenens, a ſiniſtris autem pro Enſifero Regni tunc abſente, Magnificus Dominus Hieronymus de Radzieiow Radzieiowski Capitanens Łomzenſis, diſtrictum Gladium manu proferens aſtabant, totumque Theatrum, ac Palatium, magnam Aulicorum, & aliorum capiebat multitudinem.

Ad inferiorem Throni gradum, cum Legati in genua ritu conſveto procubuiſſent, Fiſcherus in eam, quæ ſequitur ſententiam verba fecit.

Sereniſſime, ac Potentiſſime Rex,
Domine, Domine Clementiſſime.

Quemadmodum Divi Anteceſſores Sacræ Regiæ Maieſtatis Veſtræ, in augenda & ornanda ſingularibus beneficiis Illuſtriſſima Curlandiae, & Semigalliae Ducum Familia, maxima ſemper exhibuerunt documenta, ita etiam Sacra Regia Maieſtas Veſtra Illuſtriſſimum, ac Celſiſſimum Principem Dominum Jacobum in Livonia Curlandiae, & Semigalliae Ducem, Dominum meum benigniſſimum, pari benevolentia, ac affectu complexa, eidem circa præſtationem Homagii gratiam Regiam humillime expetenti, ſingulare beneficium clementiſſime conceſſit, & ut iam per Legatos Homagium præſtare, & Inveſtituram ritu conſveto recipere poſſet, benigniſſime permiſit. Æternum ſane benignitatis Regiæ exemplar, cuius memoria ad generalem usq; mundi periodum feliciter perennabit. Coram ſacrato igitur Sacrae Regiae Maieſtatis Veſtrae Throno Illuſtriſſima Celſitudo ſua per Nos comparet, & cum debita fidelitatis, ac ſubiectionis teſſera humillime petit, dignetur Sacra Regia Maieſtas Veſtra, tanquam ſupremus, & directus Dominus Illuſtriſſimam Celſitudinem ſuam, vigore veterum per Divos Prædeceſſores Poloniae Reges & Magnos Duces Litvaniæ conceſſarum Inveſtiturarum, & Privilegiorum, de Terris, Civitatibus, Oppidis, Vicis, & Arcibus, totoque Ducatu Curlandiae, & Semigalliae clementiſſime inveſtire. Quo nomine Illuſtriſſima Celſitudo ſua coram auguſtiſſimo vultu, & ſolio Regio ad genua Sacræ Regiæ Maieſtatis Veſtrae per Nos provoluta, more ſolito, & laudabili, ac apud omnes gentes recepta conſvetudine, Feudorum iura renovare, Homagium præſtare, fidemq; ac obedientiam iuramento per me ſolennibus verbis obſtringere parata eſt. Anno 1649.

Ad hæc Illuſtriſſimus ac Excellentiſſimus Princeps Dominus Georgius Dux in Oſſolin Sacri Romani Imperii Princeps, & ſupremus Regni Cancellarius, verbis reſpondebat ſequentibus:

Cum Generoſi Domini Legati nomine Illuſtriſſimi Principis, Domini Jacobi Curlandiae, & Semigalliae Ducis, a Sacra Regia Maieſtate Domino noſtro Clementiſſimo Inveſtituram Ducatus Curlandiae, & Semigalliae ſupplices petant, ac eo nomine ad Homagium in animam Illuſtritatis ſuæ paratos ſe eſſe declarent, Sacra Regia Maieſtas benigne id Illuſtritati ſuae concedit. Dat autem hoc inprimis Illuſtrium Curlandiae, & Semigalliae Ducum meritis, dat ſuae erga Illuſtritatem ſuam propenſioni, ac benevolentiæ, dat communi Senatus, Ordinumque Regni authoritati, qui primitus Domum iſtam Ducalem hoc Feudi beneficio ornandam cenſuerunt. Itaque quod non modo Illuſtritati ſuae, & ipſius inclytae Poſteritati, verum etiam Sacrae Regiae Maieſtati, eiusque Poſteris, Poloniae Regibus, Regnoque huic, atque adeo univerſae Chriſtianae Reipublicae bene, & feliciter eveniat, Inveſtituram Curlandiæ & Semigalliae Ducatuum, iuxta veteres, & poſtremam etiam Inveſtituram, per Generoſas DD. Veſtras Illuſtritati ſuae tradito hoc Vexillo ex more confert. Sperat autem, planeque confidit S. R. Maieſtas Illuſtritatem ſuam daturam operam, ut hanc erga ſe Maieſtatis Regiae beneficentiam debitis Officiis proſequatur, deque

Anno 1649. que ea, ac Regno illius perpetuo bene mereri ſtudeat, atque contendat.

His peractis Regia Maieſtas Vexillum Feudale, quod Vexillifer tenebat, apprehendit, & Fiſchero tanquam Primario Legato in manus tradidit, illumque apprehenſo Vexillo, ſequentibus allocuta eſt verbis:

Nos Joannes Casimirus Rex Poloniae &c. tanquam naturalis, & ſupremus Dominus totius Livoniæ, Ducatuumque Curlandiae, & Semigalliae, annuentes precibus Illuſtriſſimi Jacobi Ducis, tradimus, & concedimus Illuſtritati ſuae in Feudum Terras, Civitates, Oppida, & Arces commemoratorum in Livonia Curlandiae, & Semigalliae Ducatuum, & ad eosdem Illuſtritatem ſuam per huius Vexilli traditionem in Perſona Generoſitatis Tuæ Georgii Fiſcher, uti Plenipotentis Illuſtritatis ſuae inveſtimus, & inſtituimus, gratia & benignitate noſtra, qua Illuſtritatem ſuam, ob ſingularia in Reges, Regnumque Poloniae, Anteceſſorum quoque eiusdem Illuſtritatis Ducum merita complectimur, ſperamusque Illuſtritatem ſuam beneficentiae huius memorem ſemper futuram, gratamque pro ea ſe exhibituram.

Inde liber Evangeliorum, quem ſupra memoratus Secretarius Maior manibus tenebat, in ſinu S. R. Maieſtatis poſitus fuit, & præfatus Illuſtriſſimae Celſitudinis ſuae Legatus in ſupremo Throni gradu flexis genibus læva manu Vexillum Feudale tenens, dextera autem ſuper Evangelium poſita, Juramentum fidelitatis, in verba hæc: Illuſtriſſimi Principis Jacobi Curlandiae, & Semigalliae in Livonia Ducis, pro præſtando Homagio, & recipienda Inveſtitura, ad S. R. Maieſtatem Legatus, ego Georgius Fiſcher de Vizeden, nomine, mandato, ſeu Plenipotentia eiusdem, in animam eius iuro ſuper hæc ſancta Dei Evangelia &c. & reliqua iuxta Formulam Juramenti Anni MDCXXXIX. circa primam Illuſtriſſimae Celſitudinis ſuae Infeudationem receptam, prælegente ſupremo Regni Cancellario, præſtitit.

Præſtito Juramento is idem Legatus, Collegæ ſuo Capitaneo Schrondenſi, Vexillum illud Feudale tradidit, & ad inferiorem Theatri gradum in genua iterum procumbens, pro iſta clementiſſima Infeudatione S. R. Maieſtati gratias ſequentibus egit verbis:

Sereniſſime, ac Potentiſſime Rex,
Domine, Domine Clementiſſime.

Quintus agitur Menſis ex quo S. R. Maieſtas Veſtra Sacratum inclyti huius Regni Sceptrum felici ſuſcepit auſpicio, inter medio temporis univerſam Rempublicam & in eadem Illuſtriſſimum, ac Celſiſſimum Principem Curlandiæ, & Semigalliæ Ducem, ſummis cumulavit beneficiis. Inter quæ peracta ad præſens feliciter ſolennis Feudi renovatio primarium ſibi vendicat locum, adeo, ut felicitati eiuſdem nihil deeſſe videatur. Implevit ſane S. R. Maieſtas omnem benignitatis menſuram, largitaque Illuſtriſſimo Principi meo eſt, quantum Clementiſſimus Rex largiri, quantumve fidelis Vaſallus a Clementiſſimo *R*ege expectare potuit: Sacræ igitur, atque Serenisſimæ *R*egiæ Maieſtati Veſtræ Domino ſuo naturali, omniumque fortunarum ſuarum Patrono Illuſtriſſima Celſitudo ſua, tanquam *R*egiæ Maieſtatis Veſtræ, & inclytæ huius *R*eipublicæ obedientiſſimns Cliens, & Feudatarius Princeps, humillimas agit gratias, & ſe ad ſempiternam beneficii memoriam obſtrictum eſſe fatetur. Agnoſcit equidem omnem ſtatus, ac dignitatis eminentiam, facultatesque omnes florentiſſimi huius *R*egni Authoritate fundatas, & firmas eſſe, ideoque S. *R*. M. Veſtrae, & inclytae *R*eipub. ſe ſuaque omnia in fidem ac Clientelam tradit, atque ad Clementiſſimam Protectionem, & maiorem Domus Ducalis auctionem humillime commendat, ſupplices ardenter fundens preces, ut ſummus rerum Arbiter Jehova ſolenne hoc vinculum inter Patronum, & *C*lientem ad ſui Nominis gloriam & *R*eipub. incrementum, firmum, perenne, & fauſtum eſſe iubeat. Beneficio vicem exolvere humanitus haud ſatis proclive, in hoc autem caſu plane impoſſibile: ſequentis aevi memoriam in adverſis praeſenti potentia extingui non poſſe manifeſtum eſt, multo minus beneficii *R*egii recordationem ulla temporis obliterabit diuturnitas. Vitam prius cum voce Illuſtriſſima *C*elſitudo ſua, quam condignam *C*lementiae memoriam amittere volet. Fidem ſancte promiſſam ſervabit ſancte non fortunae duntaxat, ſed vita etiam, ac ſangvis *S. R.* Maieſtati Veſtrae, & Inclytae *R*eipublicae in perpetuum erunt ſacrae.

Ad haec Illuſtriſſimus Supremus *R*egni *C*ancellarius, ob debiliorem corporis valetudinem reſpondere non poterat. Peracta igitur gratiarum actione in ſellam a ſiniſtris *R*egiae Maieſtatis in ſupremo Theatri gradu poſitam Legatus ſedere, caputque tegere per S. *R*. Maieſtatem iubebatur, ſellaque alia ad inferiorem gradum alteri Legato ponebatur; Illis ita ſedentibus Illuſtriſſimae Celſitudinis ſuae aulici huic Legationi pro maiori

Anno 1649. iori ſplendore additi, nimirum Generoſi *R*otgenis Aſchenberg Legationis Mareſchalcus, Fridericus Bock, Fabianus Plachter, Fridericus Kuchradt, *C*hriſtianus Ewold Kleeſt, & alii ad oſculum manus *R*egiae vocabantur, & ſolenniter admittebantur.

Tandem iis omnibus rite, & feliciter peractis, receptoque per Legationis Mareſchalcum Feudi Vexillo, Legati praevia valedictione *R*egiae Maieſtatis, & obſervatis *C*urialibus, per *R*egni *C*uriae Mareſchalcum ex Palatio ad *C*urrum *R*egium, atque per praenominatum *C*aſtellanum, et Secretarium Maiorem, eadem ſolennitate, qua adducti fuerant, niſi quod Vexillum Feudale proxime ante *C*urrum per Generoſum Fridericum Bock ferebatur, & tympaniſtæ, ac tibicines Regii Legatos comitabantur, ac viam, plateasque tympanorum, ac tubarum hilari clangore, ac ſtrepitu implebant, ad hoſpitium deducebantur. Atque ſic ibi gratulationibus, ac debita gratiarum actione hæc ſolennitas finiebatur.

Concordat cum Metrica.

Locus Sigilli Notarii Publici cera rubra ſuper Schedula expreſſi.

Godefredus Fabritius Notarius Publicus Regius.

CCL.

1649. *Confirmatio Pactorum Dotalium inter Illuſtriſſimum Principem Jocobum Curlandiæ, & Semigalliæ Ducem, & Sereniſſimam Ludovicam Charlotam Coniuges.* Datum Varſaviæ die 28. Maii 1649. *Ex Archivo Regni.* Lib. ſub Lit. S. E. E. fol. 189.

Joannes Casimirus Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithvaniæ, &c. Significamus præſentibus Literis Noſtris, quorum intereſt univerſis, & ſingulis. Productas coram Nobis eſſe Literas *S*erenisſimi olim Regis Vladislai IV. Fratris noſtri deſideratisſimi manu, Sigillis autem Regni, & M. D. Litvaniæ ſub Dato Varſaviae die 20. Menſis Aprilis Anno 1646. munitas, certam Confirmationem Pactorum *D*otalitiorum inter Illuſtrem Principem Jacobum in Livonia Curlandiae, & Semigalliae Ducem, & Serenisſimam Ludovicam Charlotam, ex Serenisſimorum Electorum Brandeburgenſi *D*omo antiquisſima oriundam, Coniuges, ſub Actu, & Data Regiomonti die 19. Menſis Octobris An. Domini 1645. legitime confectorum, in ſe continentes, ſupplicatumque Nobis praememorati Illuſtrisſimi Principis Curlandiae Ducis nomine eſt, ut & Nos Authoritate noſtra Regia non ſolum eadem approbare, ratificare, & confirmare, verum etiam plura bona eidem Serenisſimae Coniugi iure advitalitio inſcribendi, et conficiendi facultatem concedere dignaremur. Nos itaque Pacta iſta Dotalitia, praememoratamque Confirmationem, et collationem Regiam non ſecus, ac ſi hic ea omnia de verbo ad verbum praeſentibus inſerta eſſent, approbamus, confirmamus, et ratificamus, atque Illuſtrisſimo Principi concedimus, et plenariam facultatem damus, plura bona, quorum tamen valor non excedat ſummam centum millium florenorum Polonicalium, advitalitio iure praefatae Serenisſimae Coniugi ſuae inſcribendi, et aſſignandi, omnesque eiusmodi inſcriptiones, et collationes debitae, ac inviolabilis firmitatis robur, in quantum iuris ratio, et Feudi Pacta permittunt, omnino obtinere debere volumus. In cuius rei fidem praeſentes manu noſtra ſubſcriptas, Sigillis Regni, et Magni *D*ucatus Litvaniae communiri iuſſimus. Datum Varſaviae die 28. Menſis Maii, Anno Domini 1649. Regnorum noſtrorum Poloniae, et Sveciae primo Anno.

Anno 1649.

JOANNES CASIMIRVS *Rex.*

Andreas Trzebicki Regens Cancellariæ Regni Maioris.

CCLI.

Reverſales binæ Regis Poloniæ Ioannis Casimiri, *& Ordinum eiusdem Regni, erga Iacobum Ducem Curlandiæ, quod Copiæ auxiliares ab hoc ſibi, & Reipublicæ miſſæ, in nullam ſequelam, vel præiudicium trahi debeant.* Datum Varſaviæ in Comitiis Regni Generalibus die 1. Auguſti 1652. 1652.

Joannes Casimirus DEI Gratia Rex Poloniae, M. Dux Litvaniae etc. Significamus praeſentibus Literis, quorum intereſt, univerſis, et ſingulis. Quod cum Republica ex funeſta clade Exercitus noſtri, qua a perfidis Coſacis, & Tartaris affectus fuerat, in grave diſcrimen adducta, ab Illuſtrisſimo Principe Domino Jacobo in Livonia Curlandiae, et Semigalliae *D*uce amanter poſtulaſſemus, ut tanquam in communi periculo deeſſe Nobis nollet, militemque quemcunque paratum habere, vel ſubito colligere

ANNO 1652. ligere posset, Nobis quantocius aere nostro subveniret, Illustritasque sua cum Ordine Equestri, seu Nobilitate Ducatus Curlandiæ, et Semigalliæ promptitudinem suam Nobis in tam gravi casu ubertim declarasset; Nos non tantum declarationem istam benevolo amplectimur affectu, verum etiam pro Nobis, et *S*erenissimis Successoribus nostris, totaque Republica Polona verbo nostro Regio, et Comitiali Authoritate cavemus, quod promtitudo ista, qua Illustritas sua, et Ordo Equestris, seu Nobilitas Ducatus Curlandiae, et Semigalliae extra Pacta, quibus ad Vasallagium, et servitia Equestria intra fines Ducatus Curlandiae solummodo praestanda obligantur, in colligendo milite, nostro, et Reipublicae aere alendo, declararunt, et iuxta declarationem suam praestabunt, Pactis Conventis nihil derogare, nec quocunque tempore pro imponendo, vel exigendo aliquo Pactis minus conformi onere, a quopiam in sequelam, et praeiudicium trahi debeat, quin potius omnia Jura, Privilegia, Pacta, Immunitates, et Libertates sartas, tectasq; conservamus, Illustritatemque suam cum universo Ordine Equestri, seu Nobilitate *D*ucatus ab hocce ex propensa voluntate in praesenti Reipublicae periculo promisso, ac omni Pactis minus conformi onere posthac in perpetuum liberos, et immunes esse, nec quidquam extra Pactorum tenorem exigi, aut imponi debere, verbo nostro Regio pro Nobis, et Serenissimis Successoribus nostris promittimus, et cavemus. In cuius rei fidem praesentes manu nostra subscriptas, Sigillo Regni communiri iussimus. *D*atum Varsaviae in Comitiis Regni Generalibus die 1. Mensis Augusti, Anno *D*omini 1652. Regnorum nostrorum Poloniae, et *S*veciae IV.

JOANNES CASIMIRVS *Rex.*

(L. S.)

Albertus Gorayski Præpositus Crusvicensis, S. R. Maiestatis Secretarius.

Nos Senatores, & Ordines inclyti Regni Poloniae, & Magni Ducatus Litvaniae. Notum, testatumque facimus praesentibus literis nostris, quorum interest universis, & singulis. Quod cum Republica ex funesta clade exercitus, qua a perfidis Cosacis, & Tartaris affectus fuerat, in grave discrimen adducta, Sacra Regia Maiestas Dominus noster clementissimus ab Illustrissimo, & Celsissimo Principe Domino Jacobo in Livonia, Curlandiae, & *S*emigalliae Duce amanter postulasset, ut tanquam in communi periculo deesse nollet, militemq; quemcunque paratum habere, vel subito colligere posset, quantocius ære Reipublicae subveniret, Illustrissimusque suo cum Ordine Equestri seu Nobilitate Ducatus Curlandiae, & *S*emigalliae promptitudinem suam in tam gravi casu ubertim declarassent, Nos nomine universae Reipublicae, non tantum Declarationem ipsam benevolo amplectimur affectu, verum etiam pro Nobis, & tota Republica Polona, authoritate comitiali cavemus, quod promptitudo ista, qua Illustritas sua, & Ordo Equestris, seu Nobilitas Ducatus Curlandiae, & *S*emigalliae extra Pacta, quibus ad Vasallagium & servitia equestria inter fines Ducatus solummodo praestanda obligantur, in colligendo milite, Reipublicae ære alendo, declararunt, & iuxta declarationem suam praestabunt, Pactis conventis nihil derogare, nec quocunque tempore pro imponendo, vel exigendo aliquo, Pactis minus conformi onere, a quoquam in sequelam, & praeiudicium trahi debeat, quin potius omnia Jura, Privilegia, Pacta, Immunitates, ac Libertates sartas, tectasque manere, Illustritatemque suam cum universo Ordine Equestri seu Nobilitate Ducatus ab hocce ex propensa voluntate in praesenti Reipublicae periculo promisso, ac omni pactis minus conformi onere posthac in perpetuum liberos, & immunes esse, nec quidquam extra pactorum tenorem exigi aut imponi debere, universa Respublica sancte promittit, & cavet. Maioris fidei ac certitudinis causa, praesentes manu Illustrissimi ac Reverendissimi in Christo Patris Domini Archiepiscopi Gnesnensis, Legati nati, Regni Poloniae Primatis, & Primi Principis, nec non Dominorum Nuntiorum terrestrium Mareschalci subscriptas, Sigillis eorundem communiri fecimus. *D*at. Varsaviae in Comitiis Regni Generalibus die I. Mensis Augusti, Anno *D*omini M*D*CLII.

(L.S.) *Mathias Lubienski Archiepiscopus Gnesnensis Regni Primas mpp.*

Alexander Sielsky Capitaneus Siezicensis, Mareschalcus Nuntiorum Terrestrium mpp.

ANNO 1652.

CCLII.

Privilegium Consensus dati Generoso Maydelio ad cedendum Jure obligatorio, & advitalitio ad Arcem, & Præfecturam Piltensem 1656.

ANNO 1656. *ſem Illuſtriſſimo Jacobo Curlandiæ, & Semigalliæ Duci.* Dat. in Caſtris ad Varſaviam die 12. Menſis Iunii, Anno 1656. *Ex Archivo Regni.*

JOANNES CASIMIRUS Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, &c. Significamus præſentibus Literis noſtris, quorum intereſt univerſis, & ſingulis. Inſignia Illuſtris Domus Ducalis Curlandiae in Nos & Rempublicam merita, integerrimaque hoc toto turbulento Regni noſtri ſtatu, fides Illuſtris Principis Jacobi Curlandiae, & *S*emigalliae Ducis, Nobis, totique Reipublicae præſtita, ut a Nobis ſummam gratitudinem exigere videntur, ita optimo iure id a Nobis expoſcunt, ut ipſi gratiam, munificentiamque noſtram Regiam declaremus, acciſasque, & attritas ipſius in noſtris, & Reipublicae obſequiis rationes, liberalitate noſtra ſublevemus. Cum igitur Generoſus Otto Erneſtus Maydelius Nobis per certos Conſiliarios noſtros ſupplicaſſet, ut ſibi de univerſo iure obligatorio & advitalitio, quod ipſi ad Arcem & Præfecturam Piltenſem, aliaque eo pertinentia bona & prædia, vigore anteriorum Conſenſuum, *D*ecretorum, & Privilegiorum a *S*ereniſſimis Anteceſſoribus noſtris conceſſorum, & promulgatorum competit, cedere, illudque in Perſonam Illuſtris Ducis Jacobi Curlandiæ, & *S*emigalliae Ducis transferre, & transfundere liceat. Proinde Nos meritorum eiusdem Generoſi Maydel iuſtam rationem habentes, faciendum Nobis eſſe duximus, ut in eam ceſſionem, iurisque ſui transfuſionem, quam præfatus Generoſus Maydel Illuſtriſſimo Principi facturus eſt, Conſenſum noſtrum Regium præberemus, prout præſentibus Literis noſtris præbemus. Vigore cuius ceſſionis, coram quibuscunq; Regni, & M. D. Litvaniæ vel etiam D. Curlandiæ, aut Tractus Piltenſis authenticis Actis recognoſcendæ, præſentisque Conſenſus noſtri idem Generoſus Maydel Arcem, & Præfecturam Piltenſem cum omnibus ad eam ab antiquo pertinentiis, bonis, prædiis, fundis, colonis, villis, aliisque reditibus, cenſibus, obventionibus, agris cultis, & incultis, ſylvis, nemoribus, piſcinis, ſtagnis, pratis, paſcuis, fluviis, molendinis, piſcationibus, venationibus, aucupiis, mellificiis, & quibusve in genere & ſpecie fructibus, utilitatibus, ac iurisdictione eodem iure advitalitio, quo illam præfatus Generoſus Maydel, Anteceſſoresque eius iuxta reſonantiam Conſenſuum, Privilegiorum & Decretorum *S*ereniſſimorum Anteceſſorum noſtrorum tenuit, ipſe quoque Illuſtriſſimus Princeps tenebit, habebit, & poſſidebit, in caſu vero mortis eiusdem Illuſtriſſimi Jacobi Curlandiae, & *S*emigalliae Ducis, Hæredes, & *S*ucceſſores ipſius præfatam Tenutam, & Præfecturam Piltenſem, ac bona eo pertinentia, Nobis & Reipublicae non prius deoccupare tenebuntur, niſi ipſis de ſumma integra triginta millium talerorum Imperialium, quam Illuſtriſſimus olim Fridericus Marchio Brandeburgenſis a *S*ereniſſimo divæ memoriæ STEPHANO Rege, & Prædeceſſore noſtro vigore Pactorum publicorum inſcriptam habuit, & cum quo onere illa ad proxime ſubſequentes Tenutarios, modernosque Poſſeſſores iuxta Decreta ea in cauſa promulgata tranſiit, una cum melioratione plenarie ſatisfactum fuerit. Juribus noſtris Regalibus, Reipublicæque ſalvis manentibus. In cuius rei fidem præſentes manu noſtra ſubſcriptas, *S*igillo Regni, & M. D. Litvaniae communiri iuſſimus. Datum in Caſtris ad Varſaviam die XII. Menſis Junii, Anno Domini MDCLVI. Regnorum noſtrorum Poloniae et Sveciæ VIII. Anno. ANNO 1656.

JOANNES CASIMIRUS *Rex.*
(L. S.)
Albertus Gorayſki Cracovienſis, Poſnanienſis Præpoſitus, Regens Cancellariæ Regni.

Concordat cum vero ſuo Originali.
Locus Sigilli Notarii Publici Regii.
Godefredus Fabritius Notarius Publicus Regius.

CCLIII.

Conſenſus eximendi Territorium Piltenſe, datus Illuſtriſſimo Jacobo Curlandiæ, & Semigalliæ Duci. Die 12. Iunii Anno 1656. *Ex Archivo Regni.* Lib. 166. Lit. S. M. num. 167. fol. 19. Item Lib. 182. num. 183. fol. 41. 1656.

JOANNES CASIMIRUS Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, &c. Significamus præſentibus Literis noſtris, quorum intereſt univerſis, & ſingulis. Exigere a Nobis præclara, & ſingularia Illuſtriſſimæ Domus Ducalis Curlandiæ merita, Sereniſſimis Anteceſſoribus noſtris, & Nobis, totique Reipublicæ tam pacis, quam belli tempore conſtanti ſemper fide, indefeſſo ſtudio, ac infracta animorum magnitudine comprobata, ut Illuſtriſſimo Principi Domino Jacobo in Livonia Curlandiæ, & Semigalliæ Duci, eiusque poſteris gratiam, & benignitatem

Anno 1656. tem noſtram Regiam omni occaſione uberrime conteſtemur, & integerrimum Illuſtritatis ſuæ, totiusque Ducalis Domus affectum, & indefeſſum de Nobis, & Republica bene merendi ſtudium conſervemus. Cum igitur Sereniſſimus Rex Sigismundus III. Parens noſter deſideratiſſimus Illuſtriſſimo Principi Friderico in Livonia Curlandiæ, & Semigalliæ Duci conſenſum dederit, Territorium Piltenſe Ducatui Curlandiæ, vigore primæ Infeudationis illigatum, & certas ob cauſas Illuſtriſſimo Principi Domino Friderico Georgio Marchioni Brandeburgico hypothecario iure inſcriptum, & traditum, cum omnibus ſubditis, iuribus, emolumentis, ac pertinentiis eximendi, poſſidendi, tenendi, iſte vero conſenſus ob graviores bellorum motus, & alia impedimenta effectum ſuum ſortiri nequiverit, Nos intuitu Inveſtiturarum, ac meritorum Illuſtriſſimæ Domus *D*ucalis Curlandiæ, extremam manum huic negotio impoſituri, ex plenitudine poteſtatis Regiæ conſentimus, ut Illuſtritas ſua Territorium iſtud Piltenſe, iuxta conſenſum noſtrum Generoſo Ottoni Erneſto Maydelio Capitaneo Piltenſi, ad cedendum benigniter conceſſum, cum ſubditis, Oppidis, Prædiis, Villis, poſſeſſionibus, ac pertinentiis, & emolumentis in univerſum omnibus, quæcunque hypothecario iure Illuſtriſſimo Marchioni Brandeburgico Georgio Friderico inſcripta fuerunt, eximere, & eliberare valeat, ac poſſit. Quo quidem Territorio Piltenſi, poſteaquam illud ſua Illuſtritas redemerit, integre cum omnibus ſuis annexis habebit, tenebit, ac poſſidebit, atque ſic cum omnibus ſubditis, Nobilibus, Vaſallis, Oppidis, Juribus Patronatus, attinentiis, commodis, fructibus, proventibus, emolumentis, reditibus, utilitatibusque, & prærogativis generaliter univerſis, ſingulisque penitus exceptis, aut inpoſterum excipiendis, tam iis, quæ iam ſunt, quam quæ ulla induſtria excogitari poſſunt, vigore Inveſtiturarum eodem iure cum Ducatu Curlandiæ utetur, fruetur, & potietur. Promittimusque pro Nobis, & Sereniſſimis Succeſſoribus noſtris, non eſſe Nos prædictum Territorium, vel quidquam ex bonis, iuribus, ſubditis quibusvis ad illud quovis modo pertinentibus ab Illuſtritate ſua, eiusque Poſteris, ac Feudi Curlandici Succeſſoribus amoturos, aut alienaturos, amovendive, aut quovis modo alienandi poteſtatem cuiquam daturos, & conceſſuros, quin potius Illuſtritatem ſuam, eiusque poſteros, & Feudi Succeſſores integre in Poſſeſſione Territorii, ac omnium attinentiarum conſervabimus, Sereniſſimiq; Succeſſores noſtri conſervabunt. Juribus directi dominii noſtri, ac Regalibus noſtris per omnia ſalvis ibidem manentibus. In cuius rei fidem præſentes manu noſtra ſubſcriptas, Sigillo Regni, & M. D. Litvaniæ communiri iuſſimus. Datum in Caſtris ad Varſaviam die 12. Menſis Junii Anno *D*omini 1656. Regnorum noſtrorum Poloniæ octavo, Sveciæ vero nono Anno. Anno 1656.

JOANNES CASIMIRUS *Rex.*

(Locus Sigilli Regni.)

Albertus Gorayſki Cracovienſis, Poſnanienſis Præpoſitus, Regens Cancellariæ Regni.

Concordat cum vero ſuo Originali.

Actum Mitaviæ die 26. Jul. An. 1658.

(Locus Sigilli Officii Mitavienſis)

Godefredus Fabritius Notarius Publicus Regni.

CCLIV.

Conſervatio Jurium Illuſtriſſ. Ducis Jacobi ad Ducatum Curlandiæ, & in ſpecie ad Diſtrictum Piltenſem. Dat. Gedani d. 30. April. An. 1660. 1660.

Joannes Casimirus DEI Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ &c. Significamus præſentibus Literis noſtris, quorum intereſt univerſis, & ſingulis. Inter alias Regni noſtri adverſitates, prout & hanc ſortem Illuſtriſſimi Principis grate Nobis dilecti, *D*omini Jacobi Curlandiæ, & Semigalliæ *D*ucis, Vaſalli noſtri, & Reipublicæ fidiſſimi, quam divino permiſſu, iniquæ vero fraudis, cupiditatisque hoſtilis ſucceſſu, ac violentia ſubiit, expertusque eſt, pari doloris ſenſu excepimus, ita dum ob conſtantem, nullisque allicimentis hoſtium motam, erga Nos, & Rempublicam prædicti Illuſtriſſimi Ducis fidem, ac amorem reſtitutionem ipſius priſtinæ dignitati, ac iuri, cura, & ſollicitudine noſtra promovemus, indemnitati eiusdem interea proſpicere, muneris etiam noſtri ducimus, atque cum omnia Jura Illuſtriſſimi Ducis ad *D*ucatum Curlandiae, eiusque Diſtrictus, & adiacentias, atque adeo ipſam poſſeſſionem, ſalva, integra, firmaque in genere, Authoritate noſtra manutenemus, tum in ſpecie Ius ad Diſtrictum Piltenſem, & poſſeſſionem, prout ſeſe antea legitime extendebat, atque mediante conſenſu noſtro praedictus Illuſtriſſimus Curlandiae *D*ux pacifice fruebatur, nulli dubietati, aut diſcrimini ſubiacere poſſe, praeſentibus declaramus, iisdem inſimul (ſi quidpiam

ANNO 1660. piam in praeiudicium legitimi iuris, & poſſeſſionis ſaepe dicti Ducis ad nominatum Diſtrictum, vel eius partem, immunitatesque, & utilitates Incolarum eiusdem, cuiuscunque ſtatus, & conditionis a quopiam, vel privato motu, & praetextu haud aequo, vel etiam vigore gratiae noſtrae male impetratae, publicique Inſtrumenti e Cancellaria Regia exportati petatur, aut praetendatur) iniuſtam, & temeram, quamque praetenſionem ſeponere mandamus, Inſtrumenta, & Reſcripta a Nobis obtenta ſuſpendimus, & nullitati ſubeſſe volumus, plene, ac integre eundem Illuſtriſſimum Ducem circa ius, & poſſeſſionem dicti Diſtrictus tam in genere, quam in ſpecie conſervantes, & ab omnibus conſervari ſerio mandantes, pro gratia noſtra, & ſub pœnis pro praeſumptione, auſuque cuiusq; decernendis. In eo Officiales, & officia quaevis Ducatus praenominati monemus, quatenus inhaerentes hiſce noſtris Literis, atque pro officiis ſuis indemnitatem iurium Illuſtriſſimi Ducis abſentis praecuſtodiant, & brachiis ſuis propugnent, ac defendant. In quorum fidem praeſentes manu noſtra ſubſcriptas Sigillo Regni communiri iuſſimus. Datum Gedani die 30. Menſis Aprilis Anno Domini 1660. Regnorum noſtrorum Poloniae XII. Sveciae XIII.

IOANNES CASIMIRVS *Rex.*
(L. S. Regni.)

1660. *Tractatus Pacis inter* IOANNEM CASIMIRUM *Regem Poloniæ, eiusque Fœderatos* LEOPOLDUM *Rom. Imperatorem, &* FRIDERICUM VILHELMUM *Electorem Brandeburgicum ab una, &* CAROLUM XI. *Sveciæ Regem parte ab altera concluſæ, quo Livonia Transdunana cum partibus Cisdunanis Coronæ Sveticæ relinquitur, & a Rege Poloniæ pro ſe, & Succeſſoribus ſuis omni Juri in Regnum Sveciæ renunciatur.* Dat. in Monaſterio Olivenſi d. 3. Maii An. 1660. *Extat in Archivo Cancell. Regni* Lib. 167. ſub Lit. S. N. num. 168. fol. 176. *Vide Tom. II. Tit.* Svecia *ad An. 1660. cum ſeqq.*

Atteſtatio data a Legatione Polonica Excellentiſſimo D. Mediatori Gallico. Dantiſci d. 2. Ian.

Plenipotentia FRIDERICI VILHELMI *Electoris Brandeburgici, Ducis Pruſſiæ.* Dat. Ripis Cimbrorum d. 13. Ian.

Procuratorium CAROLI *Regis, & Regni Sveciæ.* Dat. Gothoburgi d. 4. Martii.

Ratificantur eadem Pacta per Sereniſſimum Electorem Brandeburgicum. Dat. Coloniae ad Spreham d. 10. Mart.

Plenipotentia IOANNIS CASIMIRI *Regis Poloniæ.* Dat. Gedani d. 4. April. ANNO 1660.

Plenipotentia LEOPOLDI *Rom. Imperatoris.* Dat. Viennae d. 5. April.

Declaratio Svetica reſpectu Elbingæ ſub titulo Legati Gallici comprehenſa. Dat. in Monaſterio Olivenſi d. 3. Maii.

Promulgatio Pacis ab omnium Partium paciſcentium Legatis Plenipotentiariis d. 3. Maii ſubſcripta.

Literæ Univerſales ceſſationis armorum a Commiſſariis Polonicis promulgatæ. Dat. Gedani d. 4. Maii.

Ratificatio proviſionalis Sereniſſimi Regis Poloniæ Legato Mediatori extradita. Dat. Gedani d. 4. Maii.

Ratificantur eadem Pacta per Sereniſſimum Regem, & Regnum Sveciæ. Dat. Stockholmiae d. 14. Iunii.

Plenipotentia Regis Hiſpaniarum ad guarendandam Pacem inter Partes paciſcentes Olivæ initam. Dat. Toloſſae d. 9. Iunii.

Procuratorium Regis Chriſtianiſſimi DD. de Lumbres, & de Terlori Legatis ſuis in Chantilli d. 27. datum.

Ratihabentur eadem Pacta per Sereniſſimum Rom. Imperatorem. Dat. Graecii d. 12. Iulii.

Acceptat Sereniſſimus Rex Poloniæ guarantiam Catholici Regis Hiſpaniarum. Dat. Varſaviae d. 19. Iulii.

Nominatio Sereniſſimi Magnæ Britaniæ Regis ad guarantiam Pacis per Electorem Brandeburgicum facta. Dat. Gedani d. 15. Aug.

Nominatio Regis Hiſpaniarum pro Fideiuſſore Pacis. Dat. Gedani d. 16. Aug.

Nominatio Regis, Magnæ Britaniæ, & Ordinum Fœderati Belgii pro Fideiuſſore Pacis a Plenipotentiario Legato Regis Poloniæ circa commutationem Ratificationum facta. Dat. Gedani d. 16. Aug.

Acceptat Sereniſſimus Elector Brandeburgicus guarantiam Catholici Regis Hiſpaniarum. Dat. Coloniae ad Spreham, die 16. Aug.

Ratificationum Inſtrumenti Pacis Olivenſis errata correcta, d. 16. Aug.

Declaratio verborum certorum per Legatum Sveticum facta. Gedani d. 18. Aug.

Ratificatio Pactorum Olivenſium per Chriſtianiſſimum Regem facta. Dat. Pariſiis d. 22. Sept.

Literæ Reverſales Ducis Curlandiæ.

Literæ Reverſales Ducis Holſatiæ &c.

CCLV.

Proteſtatio Supremi Cancellarii Regni Poloniæ & ad Tractatum cum Svecia Olivenſem cum plena pote- 1660.

ANNO 1660.

poteſtate Legati, & Commiſſarii circa concluſionem Pacis eiuſdem de Livonia, ratione Eccleſiarum Romanæ Catholicæ Religionis, bonorumque ad easdem Eccleſias pertinentium avulſionis. Ex Originali.

Ego Nicolaus in Prażmow Prażmowski Epiſcopus Luceorienſis, & Breſtenſis Electus, Abbatiæ Sieciechovienſis perpetuus Adminiſtrator, Præpoſitus ad Sanctum Michaelem in Arce Cracovienſi, Supremus Regni Poloniae *C*ancellarius & ad praeſentem cum Regno Sveciae Tractatum Olivenſem, tam a Sac. Reg. Maieſtate, quam ab Ordinibus *R*egni Poloniæ, & M. D. Litvaniae cum plena poteſtate Legatus, & Commiſſarius, notum omnibus eſſe cupio, quod cum probe noverim, eam potiſsimum ob cauſam, & finem hanc ipſam, qua in praeſentiarum fungor, Provinciam mihi delatam, atque a me ſuſceptam eſſe, ut una cum aliis Illuſtriſsimis, & Excellentisſimis Dominis, Dominis Poloniae, ac Litvaniae Legatis, & *C*ommiſſariis, utpote *C*ollegis, Sociisque meis omni fide, ſtudio, curaque, & diligentia memorato Tractatui asſiſterem, incumberemque pro virili, ac elaborarem, ne forte muneris noſtri limites is idem Tractatus excederet, Poloniaeque Regni, & M. D. Litvaniae tum publicae, tum privatae res aliquid detrimenti paterentur, quod inquam huic tali, ac tantæ obligationi meae per omnia ſatisfacere contenderim, nullaque hactenus poſſibili ſollicitudine voluerim deeſſe. Porro poſteaquam rationibus, & moliminibus variis diu, multumque ne quicquam agitatis huc tandem condeſcendendum atq; concedendum venit, ut Livonia liquidi alias, integrique Juris Poloni Provincia, eo ambitu, quo ſub iſtud Induciarum Pactis Stumdorfienſibus definitarum tempus, per Reges, *R*egnumque Sveciae poſſeſſa fuit, in partes Sveticas permitteretur, ac reſignaretur, impenſam omnes *C*ommiſſarii adhibuimus operam, quo fides, Religioque *C*atholica nihil huiusmodi permiſsione, ac reſignatione damni capere poſſit. Quod ipſum mihi cumprimis agendum facile in animum inducebam, quem ad Ordinem, Dignitatemque Epiſcopalem Divina vocatio promovit, ac officio *C*ancellarii Spiritualis præditum Eccleſiæ commodis potiori ratione Leges invigilare iuſſerunt. Ea propter ut omnes in Ditionibus Livonicis Sacras, & *C*atholicas *C*leri, Ordinumq; Religioſorum Fundationes, Templa videlicet, *S*acella, Clauſtra, Collegia, Monaſteria, & Xenodochia habentes, quælibet inſuper ædificia vel ſacra, vel ſacris Juribus, ac uſibus addicta, cum bonis tam mobilibus, quam immobilibus atq; redditibus, proventibus univerſis, omnique ſuppellectili vindicarentur, ac in priſtinam aſſererentur Catholicorum poteſtatem: fultus æquo Illuſtriſſimorum, & Excellentiſſimorum Collegarum meorum zelo connitebar, nullis ad id facientibus mediis, modiſque intermiſſis, quibus dicta Eccleſiae Jura, bonaque eximi, ac repeti poſſint, et quae debita pietas, gloriae Altiſsimi propagandae, ac eius veri. cultus dilatandi deſiderium unicuique ſuggerebat. Adfuit affectibus, conatibuſque noſtris Sacrae Maieſtatis Regiae Sereniſſimi, ac Potentiſſimi JOANNIS CASIMIRI Poloniæ, ac Sveciæ Regis, Dominique noſtri clementiſſimi promptiſsimus in Deum, ac ipſius Eccleſiam animus, quo titulum etiam *R*egni Sveciae, quem ipſimet Sveciae Comiſſarii ſuae Maieſtati ſalvum et plenum manere volunt, in fidei, ac *R*eligionis *C*atholicae favorem, ultro a ſe amoliri paratum ſeſe declarabat. Deniq; ubi nulla perſvaſio, tractatioque noſtra quidquam evincere, ac efficere valuit, in ſequentem Articulum libuit ſtabilienda Pacis ſtudio, Illuſtriſsimis, ac Excellentiſsimis Dominis, Dominis Collegis conſentire, ſic autem ſe habet. *Quod Religionem Catholicam, eiuſque exercitium in Livonia Svecicæ poſſeſſionis attinet, omnes Incolæ Livoniæ, ſubditiq; illi Religioni addicti, omni ſecuritate gaudeant, ac conſcientia libera, Religione, devotioneque ſua domi ſine inquiſitione, vel animadverſione privatim utantur.* Qui quidem Articulus ita conceptus, et formatus, quoniam publico *C*atholicae *R*eligionis exercitio aperte obſtat, illudque funditus tollit, neque per eum temporalia Spiritualibus perſonis bona, Templaque, et res Deo, ac uſibus Sacris dicata reſtituuntur, ideo contra illum publice, ſolenniter, omnique meliori modo proteſtatus in præſentia Illuſtriſsimi, et Excellentiſsimi *D*omini *C*hriſtianiſsimi *R*egis Legati, et Mediatoris, coram Illuſtriſsimis, et Excellentiſsimis Dominis Legatis Brandeburgicis tum praeſentibus, coram ipſismet praeterea Illuſtriſsimis, et Excellentiſsimis *C*ollegis manifeſtum feci, me nullatenus huic tali Articulo aſſentiri velle, aut poſſe. Proteſtationem vero iſtam, ſeu *R*eclamationem inſinuavi tam præmemoratis Illuſtriſsimis, et Excellentiſsimis Dominis Legatis *C*ommiſſariis, quam ipſis

ANNO 1660. Dominis Protocollorum Secretariis, petiique, ut eandem meam Manifeſtationem, et Contradictionem, mea protunc, die nimirum quarta Menſis Aprilis, hora quinta pomeridiana, voce expreſſam, in ſua Acta reciperent, copiamque illius facerent cuilibet volenti. Imprimis autem Illuſtriſsimo, et Excellentiſsimo Domino mediatori hanc talem inſinuavi, quam in praeſenti conſignatam, univerſis, et ſingulis, quorum intereſt notam fieri volo.

CCLVI.

1661. *Literæ univerſales ad Incolas Diſtrictus Piltenſis de caſſato Reſcripto quodam, in præiudicium Jurium Illuſtriſſimi Curlandiæ Ducis obtento.* Dat. Varſaviæ d. 25. Iunii, An. 1661. *Ex Archivo Regni.* Lib. 182. fol. 43.

JOANNES CASIMIRUS Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniae, &c. Vniverſis, & ſingulis quorum intereſt, præſertim vero *S*tatibus, ac Incolis Diſtrictus noſtri Piltenſis præſentibus Literis noſtris ſignificamus. Delatum eſſe ad Nos, Generoſum Ulricum a *S*acken Incolam praedicti Diſtrictus Piltenſis obtinuiſſe Reſcriptum manu noſtra, & *S*igillo conclaviali conſignatum, continens ad Generoſos Conſiliarios Piltenſes Mandata quædam, iurisdictionem & poſſeſſionem Illuſtriſſimi ac Celſiſſimi Curlandiae, & Semigalliae *D*ucis ſuper *D*iſtrictu Piltenſi ſuæ Celſitudini de iure competentem, convellentia: nimirum ut cauſæ, & lites Incolarum Piltenſium per ſolam ſententiam Generoſorum Conſiliariorum Piltenſium independenter, imo excluſa iurisdictione Illuſtriſſimi Curlandiae Principis, ad idem iudicium vigore variarum Conventionum, & Transactionum pertinente, non ſine notabili iurium ſuae Celſitudinis præiudicio diſcernerentur, & deciderentur, ſupplicatumque Nobis pro parte Illuſtriſſimi Principis, ut iuribus & prærogativis ſuae Celſitudinis hac in parte ſubveniremus. Nos cum omnem gratiae & benevolentiae noſtrae ſignificationem, qualibet occaſione, tam bene de Nobis, & Republ. merito Principi, qui præclaro conſtantiae ad omnem proſperitatem exemplo, fidem Nobis & Reipublicæ turbulentiſſimis hiſce temporibus, non ſine extrema fortunarum ſuarum ruina, & periculorum tolerantia, integerrimam ſervavit, conteſtandam eſſe cenſeamus, invigilandumque, ne in prærogativis, ac iuribus ſuæ Celſitudinis ab ullopiam ſtatu præiudicium patiatur; prædictum itaque Reſcriptum a Generoſo Sakienio nulliter obtentum, exnunc caſſandum, annihilandum, & nullitatis condemnandum eſſe duximus, uti quidem tenore præſentium univerſalium noſtrarum caſſamus, annihilamus, & nullum prorſus eſſe, uti voluntati, & intentioni noſtræ contrarium declaramus, ſimulque ſerio mandamus, ne aut Generoſi Conſiliarii Piltenſes in cognitionem ullarum cauſarum, litiumque, absque dependentia a iurisdictione, authoritate, ſcituque Illuſtriſſimi Principis Curlandiae deſcendere, iudiciumque exercere præſumant, aut Nobiles, cæterique Diſtrictus Piltenſis Incolae, *D*ecretis extra iurisdictionem *D*ucalem latis acquieſcere, ac parere audeant, ſub amiſſione gratiae noſtrae Regiae, gravique in contravenientes univerſalium noſtrarum animadverſione. In quorum fidem præſentes manu noſtra ſubſcriptas, *S*igillo Regni communiri iuſſimus. Dat. Varſaviæ die XXV. Menſis Junii, Anno *D*omini M*D*CLXI. Regnorum noſtrorum Poloniæ XIII. *S*veciæ vero XIV. Anno. ANNO 1661.

JOANNES CASIMIRUS *Rex.*

(L. S. Regni.)

Joannes Ignatius Bąkowſki Succamerarius Culmenſis. mpp.

CCLVII.

Reſponſum a S. R. Maieſtate Generoſo Vilhelmo a Rummel Burgravio, Conſiliario & Ablegato Illuſtriſſimi Curlandiæ, & Semigalliæ Ducis. Dat. Varſaviæ d. 6. Auguſt. 1661. *Indidem fol. 48.* 1661.

QUantæ curæ, ac patrocinio ſemper fuerunt S. R. Maieſtati Dignitas, commoda, ac indemnitas cum Ducalis Perſonæ, tum Provincialium Curlandiae, ac Semigalliae Incolarum, vel ipſa Olivenſium Tractatuum fronte cuivis patere poteſt, dum ſuis, ac totius Reipublicae negotiis, S. R. Maieſtas dignata ſit præponere Illuſtriſſimi *D*ucis rationes. Pari etiam nunc benevolentia, & favore complectitur ea omnia, quæ idem Illuſtriſſimus *D*ux per Ablegatum ſuum in clementiſſimum ſinum optimi Principis reverenter depoſuit.

Ac imprimis quod attinet hucusque deſideratam ſatisfactionem ablatorum per Coronam Sveciae faciendam ſuae Illuſtritati, iuxta obloquentiam præfatorum Tractatuum, non intermiſit S.R. Maieſtas, tam iuſtae, & publicae Pactorum fidei,

Anno 1661. fidei, nixæ requisitioni suffragari, subindeque cum Svetico Legato isthic præsente super hoc negotio conferre dignata est. Sed cum is idem Legatus nullis se hac in re Mandatis instructum præ se tulerit, necessitatem imposuit S. R. Maiestati præstolandi ab Aula Svetica certius aliquod responsum, non dubitando fore consonum cum æquitati, tum sacrosancto Pactorum, eique debito respectui. De teloneorum quoque, seu vectigalium super invectis ex Litvania, Samogitia, Curlandiaque noviter Rigæ institutorum extinctione, sicuti S. R. Maiestas eandem Coronam Sveciae amice compellat, ita sperat ex vi sæpedictorum Pactorum Olivensium, Dominia sua ab hoc onere quantocius libera fore.

At vero non sine paterni affectus teneritudine obvenit excipere querimoniam Illustrissimi Ducis S. R. Maiestati, quod Litvanicus miles, disciplinae, ac officii immemor, usque adeo insolenter sese gerat, per Ducatus Curlandiae, ac Semigalliae, & perpessis tot bellicas calamitates populis nova identidem accumulet infortunia. Proinde cupiens S. R. Maiestas tam præsenti malo manum apponere, serio demandat Illustri, & Magnifico Palatino Vilnensi,, Generalissimo Exercituum M. D. Litvaniae Ductori, ut eiusmodi insolentias severe cohibeat, neque patiatur fieri præiudicium Illustrissimo Duci paucorum temeritate. Quod ut eo magis suum sortiatur effectum, Literas patentes, ut vocant universales, rigoris plenas, ex Cancellaria Litvaniea S. R. Maiestas extradi præcepit.

Porro prætensiones omnes Illustrissimi Ducis, tam debitorum, quam gratitudinis, recompensationumque ab Ordinibus Regni expetitas, quandoquidem summa moles negotiorum status, & defensae publicae non permiserit præsentibus Comitiis ullatenus agitari posse, cordi fore S. R. Maiestati, ut futuris proximis Deo favente Comitiis, & proponi queat, & efficaciter resolvi. Unde & Piltensis Districtus negotium, cum requirat totius Reipublicae decisionem (præsertim interveniente nonnullorum privatorum iurium obtentu) eorundem futurorum Comitiorum arbitrio censet decidendum. Ne vero persvasum habeat Illustriss. Princeps, solas ipsius rationes præsentibus Comitiis locum non invenisse, certior fiet, ex ipsius Generosi Ablegati sui relatione, quomodo Ordines Regni serio observarint, neque permiserint ullum proponi, nedum concludi negotium, quod ad modernam tuitionem Regni, aut eiusdem tranquillandum statum, aliquo modo referri non posset. Hinc omnes aliorum Principum, & privatorum hominum causae, ac postulata, pariter sunt futurorum Comitiorum recessui consignata. Anno 1661.

Probare S. R. Maiestatem circumspectionem Illustrissimi *D*ucis, quo ad futuram vigore memoratorum Pactorum Olivensium dislimitationem australis a boreali Livonia, ac proinde lubenter habere, ut Illustrissimus Dux viros aliquos maturos, & regionis optime gnaros designet, qui Polonicos, Litvanicosque Commissarios, uti locorum periti instruere, ac *D*ucatuum Curlandiæ, Semigalliæque, quo ad limites iaciendos, possint prospicere non solum indemnitati, verum etiam commoditatem publicam simul ac privatorum adaugere.

Atque hæc S. R. Maiestas Illustrissimo Curlandiæ, & Semigalliæ Duci benevole respondendo, eidem interim benignissime suæ gratiæ, ac *R*egiae propensionis plenam, & sinceram defert exhibitionem.

(L. S. Regni.)

Ad Mandatum S. R. Maiestatis proprium.
Stanislaus Lipski Scholast. Varsavien. S. R. Maiest. Secretarius.

Concordat cum vero suo Originali.
(L. S. Notarii Publici Regii)
Godefredus Fabritius Notarius Publicus Regius.

CCLVIII.

Instrumentum Immissionis Ducis Jacobi per Commissarium S. R. Maiestatis in Curlandiam, & Districtum Piltensem. Indidem fol. 37. 1661.

Sereniſſimi, Potentiſſimi *D*omini Ioannis Casimiri Regis Poloniae, & Sveciae, Magni *D*ucis Litvaniae &c. *D*omini mei Clementisſimi, & Reipublicae, Authoritate Comitiali conſtitutus Commiſſarius Plenipotentiarius notum, teſtatumque facio univerſis, & ſingulis. Quod innitendo Inſtructioni, & Plenipotentiae meae, Illuſtrisſimum, & Celſiſſimum Principem in Livonia Curlandiae, & Semigalliae *D*ucem, qui Regni adverſitates, iniquam ſortis, hoſtisque fraudem expertus eſt, propter conſtantem erga Suam Regiam Maieſtatem, & Rempublicam ſervatam fidem, mediantibus Pactis Olivenſibus currentis Anni milleſimi ſexcenteſimi ſexageſimi libertati priſtinae, dignitati, & iuri reſtitutus, in *D*ucatum, & adiacentem Diſtrictum Piltenſem, quem vigore Inveſtiturarum Ducalium, aliorumque *D*iplomatum Regiae Maieſtatis in poſſeſſione habuit, ſolenni-

Anno 1661. ter intromiserim, omnesque Arces, & Fortalitia tam a milite Svetico, tum & Magni Ducatus Litvaniae evacuari fecerim, suaeque Celsitudini restituerim, & tradiderim, prout quidem vigore harum omnes Arces, Civitates, Oppida, & Villas Ducatus Curlandiae, cum adiacenti *D*istrictu Piltensi, cum omnibus suis pertinentiis, & attinentiis, nihilo prorsus excepto, suae Celsitudini, eiusque Haeredibus in perpetuam, & tranquillam possessionem, tam quoad Iurisdictionem competentem, quam quoad utile Dominium tradidi, et restitui. Cum vero totus Ducatus, et *D*istrictus Piltensis a milite penitus sit exhaustus, devastatus, atque depraedatus, ab omnibus exactionibus, et praetensionibus militaribus Celsitudinem suam, omnesque Incolas liberos, et immunes facio. In cuius rei fidem has praesentes manu mea subscripsi, et Sigillo munitas extradere debui. *D*atum *D*oblehni die 2. Septembris Anno 1661.

(L.S.) *Casimirus Ludovicus Jewiaszewski Palatinus Brestensis M. D. Litv. S. R. Maiestatis, ac Reipubl. Commissarius, & Legatus.*

Concordat cum vero suo Originali.

(L.S.) *Godefredus Fabritius, Notarius Publicus Regius.*

CCLIX.

1667. *Cassatio Citationis ab Instigatore Regni editae, & Confirmatio Jurisdictionis Illustrissimi Ducis Curlandiae in Districtum Piltensem.* Dat. Varsaviæ d. 19. Ian. An. 1667. *Indidem fol. 43.*

Joannes Casimirus Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, &c. Vniversis & singulis, quorum interest, praesertim vero Nobilibus Incolis Districtus nostri Piltensis fideliter Nobis dilectis, Gratiam nostram Regiam. Significamus praesentibus Literis nostris. Expositum Nobis fuisse ex parte Illustrissimi Curlandiae, & Semigalliae Ducis, quosdam Nobiles ex praefato Districtu Piltensi nullo Rescriptorum nostrorum habito respectu, iurisdictionem Illustritatis suae in eundem Districtum competentem conservantium, proprio ausu, privatis Conventiculis & illegitimis Protestationibus turbare, & inquietare. Cum vero ab Illustritate sua Nobis supplicatum fuerit, ut integram eius in Districtum competentem iurisdictionem confirmaremus, Literisque nostris omnibus, & singulis, inprimis vero contravenientibus Nobilibus serio iniungeremus, ne quid amplius in praeiudicium iuris, & possessionis Illustritatis suae ad nominatum Districtum competentis moliri, aut privato motu, vel alio quocunque praetextu tentare sibi praesumerent. Nos igitur precibus iustis Illustritatis suae commoti, habita ratione meritorum saepedicti Illustrissimi Curlandiae, & Semigalliae Ducis, qui praeclaro ad omnem Posteritatem exemplo, constantiam suam, immotamque fidem erga Nos, & Rempublicam, vitae, fortunarumque dispendio contestatus est, ex plenaria Potestate nostra, & Dominio, quod super praefato Districtu Piltensi Nobis competit, omnia, & singula a Nobis ratione iurisdictionis in praefatum Districtum edita Rescripta, hisce praesentbus Literis nostris non solum reassumimus, Citationem Instigatoris Regni ad male narrata emanatam, quo ad formam, & materiam cassamus, verum etiam Illustritatis suae Possessionem, & iurisdictionem praefati Districtus tam in genere, quam in specie confirmamus, potestatemque eidem Illustrissimo Principi Consiliarios Terrestres creandi, & constituendi damus, & concedimus, mandantes serio, ut omnes, & singuli eiusdem Districtus Incolae, iurisdictioni Illustritatis suae subiaceant, nec Generosi Consiliarii Piltenses in cognitionem ullarum causarum, litiumque absque dependentia iurisdictionis, scitu, & authoritate Illustritatis suae descendere, iudiciumque excercere sibi praesumant, aut Nobiles, caterique Districtus saepedicti Incolae, conventiculis illegitime a nonnullis indictis, aut Decretis extra Ducalem iurisdictionem latis acquiescere, & parere audeant (salvis iuribus supremi & directi Dominii nostri, & appellatione a iudiciis Illustrissimi Principis ad Nos integra) sub amissione Gratiae nostrae Regiae, gravique in contravenientes universalium nostrarum animadversione; & si quid privatim e Cancellaria nostra praeter scitum, & voluntatem nostram in contrarium obtentum fuerit, nullitati in perpetuum subesse volumus. In quorum fidem hasce praesentes manu nostra subscriptas Sigillo Regni corroborari mandavimus. Datum Varsaviae die 19. Mensis Januarii Anno 1667. Regnorum nostrorum Poloniae & Sveciae XIX. Anno. Anno 1667.

JOANNES CASIMIRUS *Rex.*

(L. S. Regni.)

Christophorus Michael Rupniowski Tribunus Palatinatus Cracovienſis Secretarius.

CCLX.

ANNO 1668.

CCLX

Literæ conservatoriæ iuris Illustrissimi Ducis Curlandiæ in Districtum Piltensem. Dat. Varsaviæ d. 11. Mart. An. 1668. *Indidem* fol. 44.

JOANNES CASIMIRUS Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litv. &c. Universis, & singulis quorum interest, præsertim vero Generosis Ottoni Ernesto Maydel Camerario, & Vice-Colonello nostro, eiusque adhærentibus Districtus Piltensis Incolis, fideliter Nobis dilectis, Gratiam nostram Regiam. Significamus præsentibus Literis nostris. Quemadmodum Nos ad requisitionem, & instantiam Illustrissimi in Livonia Curlandiæ, & Semigalliæ *D*ucis, nonnullos Nobiles, & Incolas Districtus Piltensis Illustritati suæ refractarios Literis nostris serio admonuimus, & totum Districtum Piltensem, cum universa Nobilitate, nemine excepto plenarie Jurisdictioni eiusdem Illustrissimi Curlandiæ, & Semigalliæ Ducis in omnibus causis subiectos esse, Literis nostris declaravimus, & ne quidquam in contrarium earundem Literarum nostrarum in derogationem Jurisdictionis in *D*istrictum Piltens. Illustriss. Duci competentis moliri, vel privato motu & authoritate attentare præsumerent, serio iniunximus. Ita insistendo Pactis, & Investituris, possessioni per decursum plus quam duodecim annorum confirmatæ, & anterioribus Literis nostris declaratoriis ad Incolas, & Nobiles omnes Districtus Piltens. eo nomine ex Cancellaria nostra emanatis, suprascriptis omnibus Nobilibus, & Incolis Districtus Piltensis, & præcipue Generosis Ottoni Ernesto Maydel, eiusque adhærentibus serio præsentibus mandamus, & iniungimus, quatenus ipsi omnes, & singuli Nobiles, & Incolæ Districtus Piltensis, & præcipue Generosi Maydel, eiusque adhærentes non attentis quibusvis Literis nostris cassatoriis priorum Literarum nostrarum declaratoriarum, ad importunam instantiam, & malam informationem ex Cancellaria nostra emanatis, & inposterum emanandis (quas cum suis contentis nullitatis fore, & esse declaramus, & abrogamus) iuxta anteriora Jura, & Declarationem nostram (quæ cum omnibus conditionibus, & punctis præsentibus approbatur, & ratificatur) quam & præsentem Jurisdictionem Illustrissimi Curlandiæ, & *S*emigalliæ *D*ucis in omnibus causis criminalibus, civilibus, boni reiminis, sine quavis quarumcunque personarum, & Incolarum Districtus Piltensis contradictione agnoscant. Maidelium autem ab Officio Præsidentiæ, Consiliarios Terrestres in contrarium præsentis, & anterioris declarationis nostræ per præfatum Maydel, & eius adhærentes constitutos (qui præsentibus abrogantur, & pro illegitimis declarantur) ab omni functione Illustrissimi Ducis contraria, ex nunc amovemus, volentes, ne inposterum illi iudicia exerceant, & res iudicatas ad executionem deducant. Illos vero Consiliarios Terrestres, quos suprascriptus Illustriss. Dux constituit & constituet (qui præsentibus approbantur) pro veris, & legitimis Consiliariis Terrestribus agnoscimus. Omnes vero Incolæ *D*istrictus Piltensis eos pro talibus observent, iudicatis, & mandatis suprascripti Illustrissimi Ducis pareant, & satisfaciant, nullaque conventicula, qua privatim, qua publice in omnibus causis, etiam Rempublicam tangentibus sine assensu, & scitu eiusdem Illustrissimi Ducis celebrent, neque contributiones, vel subsidia aliqua statuant, sed in omnibus causis mandato eiusdem Illustrissimi *D*ucis, & Consiliariis Terrestribus obtemperent, salvis iuribus supremi *D*ominii nostri. Facturi sunt præmissa omnia tam in præsentibus, quam anterioribus Literis nostris descripta, sub gratia nostra, & sub pœnis in contraventores, & convulsores Mandatorum nostrorum, legibus Regni sancitis. In cuius rei fidem præsentes manu nostra subscriptas Sigillo Regni, & Magni Ducatus Litvaniæ corroborari mandavimus. Datum Varsaviæ die 11. Mensis Martii Anno *D*omini 1668. Regnorum nostrorum Poloniæ, & Sveciæ vigesimo Anno.

ANNO 1668.

JOANNES CASIMIRVS *Rex.*

(L.S. Regni Maioris.)

Christophorus Michael Rupniowski Tribunus Palatinatus Cracovienſis, Capitaneus Lelovienſis, S. R. Maiestatis Secret.

(L.S. M. *D.* Litvaniæ.)

Joannes Wollodkowicz Subdapifer Vitebscenſis, Secretarius S. R. Maiestatis.

CCLXI.

Rescriptum ad Districtum Piltensem inhibitorium, ne Præsidens cum Assessoribus in Judicia sese ingerant, aut Executiones in causis peragant. Datum Varsaviæ d. 30. Iunii Anno 1668. *Indidem.* fol. 45. 1668.

JOANNES CASIMIRUS Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, &c.

ANNO 1668. Generosis, ac Nobilibus Equestris Ordinis Districtus Piltensis in Livonia nostra fideliter Nobis dilectis, Gratiam nostram Regiam. Generosi, ac Nobiles fideliter Nobis dilecti. Cum ex vi dispositionis nostræ, & Transactionis Grobinensis inter Illustrissimum Principem Jacobum in Livonia Curlandiæ, & Semigalliæ Ducem grate Nobis dilectum, atque partem Incolarum Piltensium contradicentem factæ, omnes intervenientes controversias iam sublatas, & sopitas esse, nec unquam revicturas sperabamus: iusto ad præsens læsam authoritatem nostram, & contraventionem apertam dictæ submissioni, acerbiori animi nostri sensu excepimus, dum Generosi Otto Ernestus Maydel Præsidens, & eius Consiliarii prætensi Districtus Piltensis, quos per cassatorium nostrum Rescriptum, uti nulliter, & illegitime electos exauctoravimus, nihilominus motu proprio, postposita authoritate, & voluntate nostra, non tantum dictæ Ordinationi nostræ, & Transactioni, sed & præfato Rescripto nostro cassatorio contravenire, se ad obeunda munia iudicum iam in personis eorum irrita intrudere, & Ducales subditos ad sua illegitima iudicia evocare, prout nuper in causa Generosæ Catharinæ Grodthaus, contra Generosum Hectorem Fridericum ab Osterd, tum Sacken factum, ausi sunt, & præsumunt, atque executiones in causis, præsertim Bandymirow, & Generosi Sacken, Colonelli nostri, eosdem facere velle, recenti eiusdem Illustrissimi Ducis informamur querela. Quocirca ea pro iure, & potestate nostra Regia, serio inhibendum duximus, prout inhibemus hisce Literis nostris, ne ultra præfatum Judicium Assessoriale Piltense, per Nos exauctoratum, iurisdictionem præfati Illustrissimi Ducis convellere, atque executiones in causis prædictis, & aliis peragere, aut quidquam attentare præsumant, ut in omnibus Ordinationi nostræ, & Transactioni factæ satisfiat, & ulterioribus non relinquatur apud Nos locus querelis, diligenter a Fidelitatibus vestris, sive potius parte Incolarum Piltensium condicendum requirimus: secus in casu contraventionis, memorato Illustrissimo Principi Ius suum vindicare liberum erit, & si exinde quidpiam mali eveniet, id sibi imputabunt, conformes tamen Fidelitates Vestras, cum prætactæ Transactioni, tum præsenti expressæ, & anteriori voluntati nostræ, pro gratia nostra futuros minime dubitamus. Datum Varsaviae, Die trigesima Mensis Iunii Anno Domini millesimo sexcentesimo sexagesimo octavo, Regnorum nostrorum Poloniæ, & Sveciæ vigesimo Anno. ANNO 1668.

JOANNES CASIMIRVS *Rex.*

(L.S. Regni Maioris.)

(L. S. M. D. Litvaniæ.)

Valerianus Stanislaus Judycki, Archidiaconus Vilnensis, Notarius M. D. Litvaniæ.

CCLXII.

Responsum Serenissimæ Reipublicæ Poloniæ, & M. D. Litvaniæ ad desideria Illustrissimi, & Celsissimi in Livonia Curlandiæ, & Semigalliæ Ducis, per Ablegatos eius Generosum Christophorum Henricum Putkamer, & Nobilem Adamum Schubert Præfectum Buschovienſem exposita. 1669.

Datum in Generali Electionis Conventu Varsaviæ die 6. Iulii, An. 1669. *Indidem. fol. 46.*

Post mutuæ benevolentiæ, parisque affectus erga Illustrissimam suam Celsitudinem contestationem, quamvis desideria eius, uti, quæ iuris & æqui ratione fulciuntur amico excepta sinu, nihilominus quantum tempus, & rerum in præsens status permisit, aliam non potuere, nisi quæ sequitur, sortiri declarationem.

Ac primo quod attinet insolentiam Exercitus Litvanici, ante quatuor Annos in Ducatum Curlandiae grassantem, ne in futurum similia attententur, reassumit Respublica legem, 1628. de securitate Ducatus Curlandiae, & pœnas de disciplina militari constitutione 1653. sancitas, extendi super excessivis declarat, debitum, & alias prætensiones Illustrissimæ Celsitudinis, ut certo constare possint, Respublica in futuris Deo annuente Coronationis Comitiis, Commissarios ad liquidationem faciendam ex utroque Ordine destinabit, qui deinde Commissarii in facie Reipublicae facient relationem, ex ea quidquid æquum apparebit, Respublica Illustrissimae Celsitudini se non difficilem in satisfactione præstabit.

Quo ad Districtum Piltensem Illustriss. Celsitudinem, circa Iura, Possessionem, & Iurisdictionem huius Districtus Respublica conservat tantisper, quousque differentiarum hactenus inter illustrissimam Celsitudinem suam, & Nobiles aliquot Piltenses intercedentium, ex commissione, lege 1667. designata, Respublica cognitionem habuerit, & postea determinationem fecerit, salva tamen complanatione,

Anno 1669. tione, si, & in quantum contradicentes Nobiles Piltenses ultro, uti a cæteris Nobilibus factum, ad eandem accesserint, quam tum pro rata Respublica habebit.

Vt extet erga Illustrissimam Celsitudinem documentum gratitudinis, ad quam merito Rempublicam suae fidei & amicitiae constantia provocat, facile ad bona aliqua hic in Regno, vel M. D. Litvaniæ in gratiam suae prolis comparanda hanc intentionem citra quorumvis privatorum oppositionem ad effectum deducendam, consensum, & authoritatem dat Respublica, salvis iuribus Ecclesiæ terrestribus, & onerum publicorum solutione, & hanc ad præsens Sereniſſima Respublica dat declarationem, etiam apud S. R. Maiestatem, a felici Deo dante Coronatione, pro approbatione eius interceſſura. Reliqua quoque desideria ad futura Coronationis Comitia differt. Datum in Generali Electionis Conventu Varsaviæ die 6. Julii, Anno 1669.

(L.S.) *Nicolaus Prażmoski Archiepiscopus, Primas, Primusque Princeps.*

(L.S.) *Felicianus Potocki Subdapifer Regni, Mareschalcus Equestris Ordinis.*

CCLXIII.

1669. *Responsum a S. R. Maiestate DD. Clementissimo, Illustrissimi Principis Domini Jacobi in Livonia Curlandiæ, & Semigalliæ Ducis ad Comitia Coronationis Ablegatis, Generoso Christophoro Henrico de Putkamer Consiliario eius, & Nobili Adamo Szubert Præfecto Buschovienſi datum.* Cracoviæ die 27. Mensis Nov. An. 1669. *Indidem fol. 37.*

Quod Illustritas sua Literis ex ore Ablegatorum auspicatissimum Coronationis actum congratulata sit, & cum voto in regendis populis omnium prosperitatum debitam fidem, atque obsequium conteſtetur, in hac sincera devotionis expressione, prout S. R. Maiestas luculentum Illustritatis suæ agnoscit studium, ita vicissim eidem clementiam & benevolentiam Regiam libenter defert. Porro super desideriis scripto, & ore coram expositis hanc ad præsens S. R. Maiestas dat declarationem.

Et primum, quod attinet Responsum a Republica in præterito Electionis actu Illustritati suae datum, quod S.R. Maiestas in suo robore, & firmitate conservat, etsi postulatis Illustritatis suæ, ut per legem publicam ratificaretur, satisfieri libenter exoptabat, cum tamen Comitiis nihil publice decerni potuerit, proinde Sac. Reg. Maiestas benigne offert, se authoritatem Regiam interposituram, ut futuris Deo annuente Comitiis, Responsum hoc suum Respublica lege confirmet, & Commissarios tam ad liquidanda debita, & prætensiones Illustritatis suæ, quam ad dirimendas lites, limitesque inter Districtum Brasławiensem, & Ducatum Semigalliae constituendos, designet. Anno 1669.

Homagio ab Illustritate sua præstari solito, S. R. Maiestas terminum per Literas suas assignabit, ubi primum feliciter Varsaviæ constiterit, quo iuxta beneficium in ultima Investitura Domui eius Ducali concessum, Illustritas sua, quæ alias personaliter. Homagium præstitit, nunc idem per Legatos iterare, ac Feudum accipere queat.

Atque hæc ad singula sermonis & scripti capita, ac postulata Illustritatis suae S. R. Maiestas Dominus noster Clementissimus responderi censuit.

De cætero Illustrissimo Duci S. R. Maiestas prosperos rerum successus, cum testificatione benevolentiae suae precatur.

Ad Mandatum S. R. Maiestatis proprium.
(L.S. Regni Maioris.)
Hieronymus Pinocci S. R. Maiestatis Secretarius.
(L.S. M. D. Litvaniæ.)
Valerianus Stanislaus Judycki Archidiaconus Vilnensis Notarius M. D. Litvaniæ.

CCLXIV.

Cassatio Diplomatis in præiudicium Jurium Ducis Curlandiæ, quæ ei in Districtum Piltensem competunt, obtenti. Datum Cracoviæ d. 1. Decemb. An. 1669. 1669.

Michael Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ &c. Universis, & singulis, quorum interest, præsertim vero Nobilibus, & cæteris Incolis Districtus Piltensis, notum, testatumque facimus. Postquam faventibus Superis per liberam, & unanimem Amplissimorum Ordinum Electionem sceptra huius Regni capessivimus, & Sacro Diademate cincti sumus, nihil Nobis in voto glorioſius esse, quam unumquemque circa Iura a Sereniſſimis Antecessoribus nostris concessa, & emanata, clementia nostra Regia conservare, nec quidquam in eorum diminutionem admittere, prout id

ANNO 1669. tam circa auſpicatæ Electionis, quam & felicis Coronationis noſtræ actus, iuramento firmavimus. Quod dum attente præ oculis habemus, interim ex ſuplici Memoriali, ab Illuſtriſſimi in Livonia Curlandiæ, & Semigalliæ *D*ucis Ablegatis, Nobis porrecto percepimus, quia nonnulli Nobiles Diſtrictus Piltenſis, hic præſentes, Diploma aliquod obtinuerint, quo mediante Iurisdictio Diſtrictus Piltenſis *D*uci Curlandiæ adimitur, & in illos, eorumque caſſatos Collegas transfertur. Quoniam autem Nobis expoſitum ſit per certos Conſiliarios noſtros, qualiter Illuſtriſſimus Dux Curlandiæ multiplici iure *Di*ſtrictum iſtum poſſideat, ipſamq; Nobilitatem Piltenſem non ſolummodo iurisdictionem in Illuſtriſſimum Principem, qui Diſtrictum iſtum ad preces Nobilium ſumma quinquaginta millium Imperialium e poteſtate Svetica vindicavit, ſponte, atque libere (ſalva tamen appellatione ad *S*ereniſſimos Poloniae Reges, iuribusque eorum ſupremi, atque directi Dominii per omnia illaeſis) accedente conſenſu Sereniſſimi Anteceſſoris noſtri transtuliſſe, ſed & Illuſtriſſimum Ducem per Commiſſarium Regium, & Reipublicae in poſſeſſionem *Di*ſtrictus Piltenſis recte intromiſſum; Maydelium autem ab Officio Præſidentiae, Conſiliariosque praetenſos a munere Conſiliariatus amotos, & exortis differentiis inter praenominatum Ducem, & aliquot Nobiles, binas Comiſſiones per Conſtitutionem Anni 1661. & 1667. non ad exuendum Principem poſſeſſione ſua, ſed ad ſopiendas lites, & ad inſpiciendum utriusque partis Iura, ſancitas eſſe. Quapropter nolentes id, quod a *S*ereniſſimo Anteceſſore noſtro, & hac Republica conſtitutum eſt, praepoſtera declaratione convellere, & praefatum Ducem Curlandiae, qui de Sereniſſimis Anteceſſoribus noſtris, & hoc Regno ſemper bene meruit, Nobiſque etiam ſinceram fidem, & obſequia ſua per Ablegatos ſuos explicuit, contra praeſcriptum iuris, atque aequitatis, nec auditum, nec in iudicio victum, poſſeſſione ſua privare deliberato animo Diploma antefactum, ſicuti etiam omnia, quaecunque a contradicentibus Nobilibus in derogationem iurium, & poſſeſſionis Illuſtriſſimi Ducis Curlandiae a Nobis obtenta, & quae inpoſterum obtinebuntur, caſſamus, utq; ea omnia tam in toto, quam in parte irrita, inania, & nullius valoris ſint, & maneant, hiſce decernimus, mandantes, ut iuxta Diplomata ſub datis Varſaviae die 8. Martii, & 30. Iunii An. 1668. & Reſcriptum Reipublicae in praeterito Electionis Actu datum, utraque pars nihil novi attentet, ſed in pacato ſtatu vivant, ac ſeſe tranquille gerant, nec adverſa pars Iurisdictionem ſaepedicti Illuſtriſſimi Curlandiae *D*ucis impediat, donec, non ſubſecuta complanatione, ſuper hoc negotio Nos cum omnibus Ordinibus totius Reipublicae plene determinaverimus, ac deciderimus. Quodſi vero ante inſinuationem huius inhibitionis aliquas cauſas, in executionem, & reſtitutionem, præſertim Brandimirianam refractarii Illuſtriſſimo Curlandiae Duci in effectum deduxiſſent; tunc omnes, & ſingulos eiusmodi actus, uti extraiudicialiter obtentos, nullitati ſubeſſe declaramus, volumusque, ut Illuſtriſſimus *D*ux Curlandiae tenore harum in pacato ſtatu, et poſſeſſione bonorum, tam mobilium, quam immobilium, viduam Sakianam conſervet, et ſi ab iis eiecta eſſet, et reſtituat, et reſtitutam non attentis quibusvis Reſcriptis noſtris emanatis conſervare, atq; tueri velit. ANNO 1669.

Quam in rem etiam Vadium 30000. florenorum, auſu temerario contra modum adſtringendi Principes, a Brandimirio in Reſcripto nulliter obtento, adiectum, nullius momenti eſſe declaramus, utque inpoſterum, contradicentes Piltenſes, a ſollicitandis eiusmodi Reſcriptis, et turbatione iurisdictionis Illuſtriſſimi *D*ucis Curlandiae abſtineant, Vadium noſtrum triginta millia Imperialium interponendum eſſe cenſuimus, ut Literis hiſce noſtris interponimus, admonentes, quod ſi quis ipſorum tam per ſe, quam per ſuos ſubmiſſos, Vadium hoc noſtrum transgreſſus fuerit, illius Nos medietatem pro fiſco noſtro, alteram vero partem pro delatore irremiſſibiliter exacturos eſſe. Quod ad notitiam omnium, et ſingulorum per publicationem huius Caſſatorii deduci volumus. In quorum fidem haſce praeſentes manu noſtra ſubſcriptas, Sigillo Regni, Magnique Ducatus Litvaniae communiri iuſſimus. Datum Cracoviae die 1. Menſis Decembris Anno Domini 1669. Regni noſtri primo.

MICHAEL *Rex*
(L.S. Regni Poloniae.)
(L.S. M. D. Litvaniae.)

CCLXV.

Renovatio Infeudationis Illuſtriſſ. Jacobi Curlandiæ, & Semigalliæ Ducis. Dat. Varſaviæ d. 28. Nov. An. 1670. *Ex Archivo Regni* Lib. 181. Lit. R. B. n. 182. fol. 25. 1670.

MICHAEL Dei Gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Litvaniae, etc. Significamus praeſentibus Literis noſtris, quo-

ANNO 1670. quorum intereſt univerſis, et ſingulis. Oblatas eſſe ad Acta Metrices Cancellariae Regni Literas infraſcriptas pargameneas, folia ſex habentes, manu noſtra ſubſcriptas, et Sigillis binis, Regni Cancellariae Minoris, et M. *D.* Litvaniae Cancellariae Maioris, in pixidibus argenteis in filis aureis appenſis, contentis, in cera vero expreſſis penſilibus obſignatas, ſanas, ſalvas, illaeſas, omnique ſuſpicionis nota carentes. Quarum Literarum tenor ſequitur, et eſt talis.

In Nomine Domini.

Ad perpetuam rei memoriam.

Nos MICHAEL *Dei* Gratia Rex Poloniae Magnus Dux Litvaniae, etc. Significamus praeſentibus Literis noſtris, quorum intereſt huius, et futuri temporis univerſis, et ſingulis. Cum iam antea Illuſtriſſimus olim Princeps D. Gotthardus Curlandiae, et Semigalliae Dux, tum temporis Equeſtris Ordinis Theutonici Magiſter, univerſa cum Livonia, Nobilitate, Civitatibus, Statibus, atque Ordinibus omnibus, ſe ad Sereniſſimi Prædeceſſoris noſtri Divi SIGISMUNDI AUGUSTI, et Succeſſorum, Regnique Poloniæ, & M. D. Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, caeterarumque ditionum noſtrarum fidem, ac poteſtatem contuliſſet, et in omne tempus ſubieciſſet, idque ut faceret, iuſtiſſimis, graviſſimisque cauſis, et perneceſſariis Livoniae rebus adductus eſſet, Magno nempe Moſchorum Duce longo, et crudeliſſimo bello in eam Provinciam graviſſime incumbente, ac longe, lateque omni iniuriarum, direptionumq; genere, et flammæ, ferriq; ſævitia graſſante, iamque eo uſq; armis progreſſo, ut nihil non in eius poteſtatem venturum, cunctaque vi illa hoſtili ſuperatum, atque exciſum iri viderentur, iam eius Illuſtritate, cunctisque Livoniae Ordinibus belli magnitudine admodum fractis, et ne quicquam Sereniſſimorum Imperatorum Rom. Sacriq; Romani Imperii fidem, auxilium, et opem diu implorantibus, ſpem iam nullam non modo priſtini ſtatus Provinciae, ſed ne quidem ſalutis, libertatis, vitaeque ſingulorum amplius retinendae habentibus, aliam, quam quae in Sereniſſimorum Poloniae Regum, et Regni, Magnique Ducatus Litvaniae defenſione, atque imperio ſita eſſet, quod tum eius Illuſtritas, cum Livonia univerſa, a Sereniſſimo Praedeceſſore Divo SIGISMUNDO AUGUSTO in fidem, poteſtatem, ac ditionem ſuam, et Succeſſorum ſuorum Regni, Magnique Ducatus Litvaniae certis conditionibus iuſte, legitimeque recepta ſit. Et quia Illuſtritatis eius ſtudium in adducenda ea Provincia ad ſubiectionem, ditionemque Poloniae Regum ſingulare extitiſſet, et ita mereri eius dignitas, virtus, fides cenſeretur, illi mutato, ex conſilio Ordinis Equeſtris, ſtatu priore, approbante eam rem Sereniſſimo Rege Divo SIGISMUNDO AUGUSTO ab eodem tanquam ſupremo, directo, naturali, ac perpetuo Feudi illius Domino, Ducalis titulus cum omni dignitate, Inſignibus, Privilegiis ducalibus, ac ditionibus certis tributus, et eius Illuſtritas Vaſallus Poloniae Regum, Feudatariusque Princeps, et Regni, Magnique Ducatus Litvaniae membrum factus fuerit, prout Diplomate iam ante *Divo* Praedeceſſori noſtro STEPHANO Regi exhibito, ac Vilnae 28. die Novemb. Anno *Domini* 1561. perſcripto, et SIGISMUNDI AUGUSTI Prædeceſſoris manu ſubſcripto, Sigillo autem eius annulari ſignato, certius, fuſiusque continetur. Quod praeterea cum Illuſtritas eius de ſolenni ſua Inveſtitura Feudali Sereniſſimum *Deceſſorem* Divum SIGISMUNDUM AUGUSTUM aliquoties appellaſſet, et per temporum rationem, magnitudinemque Regni negotiorum voti ſui compos, regnante, viventeque praedicto *Divo Deceſſore* noſtro effici non potuiſſet, poſtea vero a Sereniſſimo STEPHANO Rege, et Praedeceſſore noſtro ad Regni Poloniae, Magnique *Ducatus* Litvaniae faſtigium *Dei* benignitate evecto, diligentiſſimis precibus confirmationem ſuorum Iurium a D. SIGISMUNDO AUGUSTO conceſſorum, et Ducalem Feudi Inveſtituram prius in Comitiis ab eodem D. STEPHANO Rege habitis flagitaſſet, ſed cum magnitudo, varietasq; occupationum *Serenitatis* eius, tum locorum quoq; intervalla id a Serenitate eius præſtari non paterentur, eiq; rei peragendæ ex conſilio Regni noſtri *Conſiliariorum*, qui partim Serenitati eius coram adfuerunt, partim per literas de eo appellati fuerunt, pariterque eorum, qui ex M. D. Litvaniae frequentes Serenitati eius in Senatu aſſederunt, in alium locum, tempusque opportunitate eius rei conſtituta. Cum Illuſtritas eius ad diem quartam Menſis Auguſti Anno Domini 1579. ſub generalem exercituum delectum, et recenſitum ad flumen Dunam prope Dzyſnam, quo in loco tum idem Sereniſſimus Praedeceſſor noſter Caſtra habebat, acceſſiſſet, inque Caſtris, et tentorio Serenitatis eius Inveſtituram ab eodem Sereniſſimo Deceſſore noſtro petiiſſet, et fidelitatis, ſubiectionisque iusiurandum eidem Sereniſſimo Praedeceſſori noſtro, eiusque Succeſſoribus, ſupremis, directis, naturalibus, et perpetuis Dominis, Regno, Magnoque Ducatui Litva-

ANNO 1670.

Anno 1670. niæ præstitisset. Quod tum idem Serenissimus Prædecessor noster Stephanus Rex, ex consilio Senatorum tam lateri eius assidentium, quam per Literas de eo requisitorum, prænominatum Illustrissimum Principem Dominum Gothardum Curlandiæ, & Semigalliæ Ducem ad Terras, Civitates, Oppida, Arces, Possessiones, quas a commemorato Sereniss. Prædecessore nostro concessas habebat, ac Præeminentias, Iuraque omnia, & singula, tradito ab eodem Serenissimo Decessore nostro Stephano Rege solenni ritu feudali Vexillo, Serenitas sua investiverit, Serenissimus quoq; Sigismundus III. Poloniæ, ac Sveciæ Rex Illustrissimo Principe Gothardo mortuo, Filiis Illustritatis eius Illustribus Principibus Domino Friderico, & Gvilhelmo eorundem Iurium confirmationem, & Ducalem Feudi Investituram diligentissimis itidem precibus flagitantibus, praedictos Illustrissimos Principes Fridericum, & Gvilhelmum, Illustrissimum quidem Principem Fridericum præsentem, Illustrissimum vero Principem Gvilhelmum per unum ex Consiliariis Fratris sui Vexillum porrectum apprehendentem, ad easdem Terras, Civitates, Oppida, Arces, Possessionesque, ac Præeminentias, Juraque omnia, & singula, tradito solenni ritu feudali Vexillo, utrumque in solidum, sine tamen Ducatus dismembratione investiverit, & sublato ex humanis Serenissimo Rege D. Sigismundo III. Illustrissimus Princeps Fridericus in felicis Inaugurationis Serenissimi Regis Vladislai IV. Decessoris Comitiis, tam propter difficultates itinerum, quam temporis angustiam, ad præstandum vigore Pactorum, & Investiturarum Homagium adesse non posset. Præfatus quoque Rex, absentiam Illustritatis eius in bonam partem ex allegatis rationibus accipiens, eius Homagii præstationem ad proxima tunc Comitia, vel felicem eiusdem in M. D. Litvaniae Vilnam videlicet adventum distulisset, prædictusque Illustrissimus Curlandiae Dux Fridericus iuxta responsum Serenitatis suae solennis iuramenti Regi, Regnoque præstandi causa Vilnam in propria persona venisset, & die 20. Mensis Julii Senatoribus lateri Serenitatis suae assidentibus, Officialibus, & Aulicis Regiis, magnaque frequentia Nobilitatis præsentibus, Investituram a Serenitate sua petiisset, iusiurandum præscriptis verbis, soleni ritu & ceremonia Regi, Regnoque præstitisset, Junior vero tunc Illustrissimus Dux Jacobus suæ Illustritatis ex Fratre Nepos tum temporis præsens tanquam legitimus Successor a Serenitate sua ad contactum Vexilli admissus fuisset, Serenitas sua prædictum Illustrissim. Principem Fridericum ad easdem Terras, Civitates, Oppida, Arces, Possessiones, ac Præeminentias, Juraq; omnia, & singula tradito solenni ritu feudali Vexillo investiuerit. In Comitiis vero anni 1638. a suæ Illustritatis ac Ducatus Curlandiæ, atque Semigalliae Nobilitatis eo nomine Varsaviam ablegatis Internuntiis, Serenitas sua interpellata esset, dignaretur Consensum suum Regium præbere, ut prædictus Illustrissimus Princeps Fridericus ætate confectus liberam, & plenariam facultatem haberet, cedendi regiminis, & possessionis Ducatus Curlandiae, & Semigalliae, Illustrissimo Principi Jacobo ex Fratre Nepoti, Serenitas sua ob præmemoratam causam, re hac prius cum Dominis Senatoribus Regni, & M. D. Litvaniæ in iisdem Comitiis Regni Generalibus lateri suo assidentibus diligentissime perpensa, eoque considerato, quod prænominatus Illustrissimus Princeps Jacobus vigore Pactorum, & investiturarum a Sereniss. Prædecessoribus Serenitatis suae DD. Poloniae Regibus, concessorum, & per Serenitatem suam ex Senatus Consulto in solenni Investiturarum istarum renovatione confirmatarum tanquam simultanee investitus Princeps, & ex pacto, & providentia Avi, & Patrui sui legitimus Successor, alias in Ducatus Curlandiae, & Semigalliae successurus sit, petitioni huic humillimæ, & primævæ subiectionis Pactis, Investituris, atque responsis tam suis, quam Reipublicae congrue locum dandum, consensumque Regium speciali in iisdem Comitiis ex Senatus Consulto eo nomine dato diplomate præbendum esse duxit, prout etiam constanter præbuit. Et licet quidem sua Illustritas Dux Fridericus Consensum Serenitatis suae ex Senatus Consulto de facienda in personam Ducis Jacobi cessione a Serenitate sua per suum, ac Ordinis Equestris Legatos obtinuisset, & certis conditionibus cessionem feciisset, Duxque Jacobus inhærendo Consensui, Homagii præstandi causa ad Serenitatem suam in propria persona ad diem præfixam Vilnam venisset, ac iuramentum præstare paratus, solennem Investituram expediri a Serenitate sua humillime sollicitasset, Serenitas vero sua cessionem illam iuxta tenorem Consensus non factam fuisse cum DD. Senatoribus, ac Consiliariis suis Regiis lateri Regio suo assidentibus, ex cessionis instrumento coram Serenitate sua producto perspexisset, nihilominus tamen ob insignia dictorum Principum, ac inprimis Illustrissimi Ducis Friderici in Reges, & Rem-

Anno 1670.

ANNO 1670. Rempublicam merita, & ex ſingulari erga Domum Ducalem affectu, ac benevolentia, defectum non factae plenariae ceſſionis, ex plenitudine poteſtatis ſuae Regiae ſupplendum, beneficium illud amplificandum, ceſſionemque illam conditionatam, authoritate Regia ſublevandam eſſe duxit, eundemque Ducem Jacobum, ac illius hæredes maſculos legitimos Feudi Succeſſores eo modo ad Terras, Civitates, Oppida, Arces, Poſſeſſionesque a D. Prædeceſſoribus ſuis, ſuae Illuſtritatis Avo, eiusque hæredibus, ac Patruo *Du*ci Friderico conceſſas, & præeminentias, iuraque omnia, & ſingula, tradito a Serenitate ſua ſolenni ritu feudali Vexillo inveſtivit, diplomate conſenſus antea ex Senatus Conſulto a Serenitate ſua obtenti, uti fundamento totius iſtius actus ſalvo, & in ſuo robore conſervato, cuius vigore Illuſtriſſimus Princeps Fridericus quandocunque ipſi libuerit, ceſſionem realem, & plenariam cum iurisdictione, & regimine in perſonam Ducis Jacobi facere intra fatalia tamen iuris poſſit, ſin vero contigiſſet Ducem Jacobum poſt factam ſibi a Duce Friderico ceſſionem absque prole maſcula e vivis decedere, tunc nihilominus idem Ducatus non obſtante eadem ceſſione ad Ducem Fridericum redire, ac penes ipſum vigore præteritarum ipſi conceſſarum Inveſtiturarum remanere debuiſſet, Ducem quoque Jacobum etiam non obtenta ante deceſſum Illuſtriſſimi Principis Friderici ceſſione, vi Pactorum primævorum, & Inveſtiturarum, tum quoque diverſorum reſponſorum, & iſtius Homagii intuitu, circa Feudum Ducatus, Poſſeſſionemque cum pleno regimine itidem eiusdem Inveſtiturae vigore conſervavit, Sereniſſimosque Succeſſores conſervare debere decrevit; hac ſpeciali conditione adiecta, ut Dux Jacobus ſive poſt ceſſum, ſive poſt deceſſum Ducis Friderici, non prius poſſeſſionem illius Ducatus adire, iurisdictionemque exercere inciperet, antequam per Commiſſarios ad faciendam intromiſſionem a Serenitate ſua deputandos legitime intromiſſus fuiſſet, poſſeſſione porro rite, & legitime prævia ceſſione, & intromiſſione cum pleno regimine adepta, & per aliquot annos iuxta Inveſtituram, ac Pacta conventa pacifice habita, cum ſublato ex humanis præfato Sereniſſimo Rege VLADISLAO IV. & Electo in Regem Poloniae Sereniſſimo JOANNE CASIMIRO Anteceſſoribus noſtris, prænominatus Illuſtriſſimus Princeps Jacobus in Comitiis Coronationis illius, ad præſtandum Homagium per Internuntios ſuos gratiam illius humillime expetiiſſet, & ſicuti Sereniſſimi Anteceſſores noſtri Reges Poloniae in augenda, ac ornanda ſingularibus beneficiis Illuſtriſſima Curlandiae, & Semigalliae Ducum familia in omni occaſione maxima exhibuerunt documenta, ita & Sereniſſimus JOANNES CASIMIRUS Illuſtriſſimum Principem *D*ominum Jacobum pari affectu, & benevolentia complexus novum hoc beneficium eidem conceſſit, ut per Legatos ſuos cum debita fidelitatis, & ſubiectionis teſſera ſolita ſolennitate Homagium præſtare, & Inveſtituram ritu conſveto recipere poſſet; qua benevolentia Regia condigne acceptata, is idem Illuſtriſſimus Princeps Dominus Jacobus ad Sereniſſimum JOANNEM CASIMIRUM Anteceſſorem noſtrum Legatos ſuos, Generoſos Georgium Fiſcher de Vizeden Supremum primae inſtantiae Mitavienſ. Capitaneum, & Cubiculi Regii familiarem, atque Georgium Goës Capitaneum Schrundenſem miſit, qui Varſaviæ die 20. Menſis Maii Anno 1649. coram Throno Regio in manibus illius ſolenni ritu nomine Illuſtriſſimi Principis Domini Jabobi Homagium præſtiterunt, & viciſſim a Sereniſſimo Anteceſſore noſtro iure gratiae feudale vexillum cum Inveſtitura humillime receperunt. Poſtquam autem Sereniſſimus JOANNES CASIMIRUS Anteceſſor noſter Regno abdicaſſet, & Nos faventibus Superis in Regem Poloniae electi eſſemus, confeſtim Illuſtriſſimus Princeps Jacobus in Livonia, Curlandiae, & Semigalliae *D*ux in Conventu Regni Generali felicis Coronationis noſtræ, & proxime diſſolutis Comitiis per Ablegatos ſuos petiit, ut iuxta beneficium ſibi a Sereniſſimo JOANNE CASIMIRO Rege antecedaneo noſtro antea conceſſum homagium per Legatos ſuos renovare, & præſtare poſſet, & quia Nobis ab initio regiminis noſtri cordi fuit Illuſtriſſimum Principem Jacobum, *D*omumque eius *D*ucalem non minori benevolentia, quam Anteceſſores noſtri fecerunt, proſequi, & complecti, quapropter deſignata a Nobis erat dies huic actui peragendo proxima poſt feſtum S. Michaelis, ſub tempus præteritorum Comitiorum: cum vero propter nonnulla impedimenta Illuſtriſſimus *D*ominus Jacobus Curlandiae, & Semigalliae *D*ux eiusdem actum diferri inſtanter poſtulaſſet, Nos eius deſiderio benigne faventes, aliud proximum tempus aſſignavimus, videlicet d. 28. Menſis Novembr. currentis anni, quo per Legatos ſuos Homagium præſtaret, & Inveſtituram ritu conſveto reciperet. Qua benevolentia noſtra grato, atque ſubmiſ-

ANNO 1670.

Anno 1670. so pectore excepta, is idem Illustrisimus Princeps *D*ominus Jacobus ad Nos Legatos suos Generosos Christophorum Henricum Putkamer Capitaneum Supremum Tukumensem, & Georgium Firks Colonellum, & Aulicum nostrum misit, qui pro termino coram Throno nostro Regio, & in manibus nostris solenni ritu nomine Illustrisimi Principis sui Homagium præstiterunt, & a Nobis vicisim feudale Vexillum iure gratiae cum Investitura humillime receperunt. Præmissa igitur omnia rata, & grata habentes, confirmantesque, & de integro solenni Investitura conferentes, quæ a prædictis Serenisimis Prædecessoribus nostris Regibus Poloniae vigore Pactorum, & Investiturarum sub illarum Maiestatum manibus, Sigillis autem Regni, & M.D. Litv. Illustritatis eius Avo, & Patruo iam antea data, concessa, & collata sunt, nimirum Ducalem Titulum adinstar Illustrissimi Ducis in Prussia, cum omni dignitate, Insignibus, Privilegiis Ducalibus, ita, ut Vasallus, & Feudatarius Princeps noster, & Successorum nostrorum, Regniq; & M.D.L. Membrum sit, itidemq; eius posteri sint. Præterea, ut a D. Sigismundo Augusto Prædecessore nostro iam ante Illustritatis eius Avo Gotthardo quondam Duci, posterisq; eius legitimis masculis, ex eius lumbis linea recta descendentibus, nominatim ditiones, possessiones, civitates, oppida, arces, terræ assignatæ sine Infeudationis solennitate fuerunt, postea vero vigore legitimæ Investituræ a Sereniissimis itidem Prædecessoribus nostris DD. Stephano, Sigismundo III. Vladislao IV. Joanne Casimiro Regibus, & Nobis eidem attributæ. Ita nunc Nos quoque Illustrissimo Principi Jacobo attribuimus, damus, & conferimus. Primum totum illum Tractum *C*urlandiæ, & Semigalliæ, incipiendo a salso mari, sursum sequendo fluvium Hylga, ascendendo ad antiquos limites per D. Radzivilium inceptos, & dispositos inter Samogitiam, Litvaniam, & Prussiam ab una, & Livoniam ab altera partibus, versus *D*istrictum Połocensem ad *D*unam fluvium, descendendo vero Duna usque in mare salsum, adeo, ut quicquid in istis terminis cis Dunam versus Litvaniam continetur, & ad Ordinem Livoniæ spectabat, nunc, &in perpetuum apud Illustritatem eius, ipsiusque Hæredes masculos permaneat, *C*urias videlicet, Bona, & Nobilitatem, quæ ad Arcem Duneburgensem ex hac parte fluvii versus Litvaniam spectarunt, Arcem *Selburgam* cum toto Districtu, Curias item, Nobilitatem, & omne id, quod videlicet ex hac parte ad Arcem *Aschcrad* spectabat, Arcem *Bausko*, *Neugut*, cum iis, quæ ad Arcem *Kircholm* pertinebant, Arces, item Curias, & Oppida *Mytaw*, *Tuckum*, *Nevenburg*, *Doblen*, *Candaw*, *Alschwangen*, *Schrunden*, *Frawenburg*, *Zabel*, tum & alias Arces, quæ Sereniissimo Antecessori nostro D. Sigismundo Augusto oppignoratæ fuerunt, *Goldingen*, *Hasenpoth*, *Durben*, *Windau*, in summa octuaginta millium florenorum, Arcem vero *Grobin* in quinquaginta millibus Illustrissimo quondam Principi Alberto Marchioni Brandeburgensi, in Prussia Duci itidem oppignoratam, & illas quidem summas, quemadmodum DD. Prædecessores nostri in Diplomatibus suis remiserant, ita & Nos remittimus; adeoque uti præmemorati D. Prædecessores nostri, suæ Illust. Antecessores, ita & Nos eius Illustritatem, legitimosque eius Successores, Hæredes masculos ex lumbis eius provenientes, circa totum istum Curlandiæ, atque Semigalliæ Ducatum, cum dictis Terris, Civitatibus, Oppidis, Arcibus, & Curiis hac Investituræ renovatione pro Nobis, & Successoribus nostris in toto conservamus, iisdem Prærogativis, & Immunitatibus, quibus Illustrissimo Principi Friderico, & eius Antecessori iam antea collata fuerunt, sine nostro, Hæredumque, & *S*uccessorum nostrorum Regum, & Regni Poloniæ impedimento, & præiudicio. Pro Nobis vero, & Sereniissimis *S*uccessoribus nostris, *R*egno, ac M. D. Litvaniæ reliquam Livoniam cum omni proprietate, directo, & utili dominio, omnique mero, & mixto imperio, quemadmodum iam ante Divi Prædecessores nostri *S*igismundus Augustus, Stephanus, *S*igismundus III. Vladislaus IV. & Joannes Casimirus reservarunt, ita etiam Nos reservamus, retinemusque salvis Pactis Olivensibus. Cumque inter cætera, & hoc inter Sereniissimum Prædecessorem nostrum *D*ivum *S*igismundum Augustum, & Illustritatis eius Avum convenerit, ut permutatione Episcopatus Curonienis pro Sonneburga Arce, Curiis *Leal*, & *Madzel* Illustris Dux Magnus contentetur, & ad eam rem prædictus *D*. Sigismundus Augustus, Sereniissimus Stephanus, Sereniissimus Sigismundus III. Sereniissimus Vladislaus IV. & Sereniissimus Joannes Casimirus operam receperunt, ut cum reliqua Curonia Episcopatu Curonienis quoque suæ Illustritas potiatur. Postea vero cum vivente Duce Magno permutatio ea perfecta non fuisset, graviissima autem de Episcopatu eo controversia inter D. memoriae Decessorem nostrum Stephanum, & Sereniissimum Daniae Regem exorta, tan-

Anno 1670.

ANNO 1670. tandem Sereniſſimus quondam *D*aniae Rex per Tranſactionem ex certis conditionibus Sereniſſ. Deceſſori noſtro, Regnoq; ius ſuum, quod habere ſe in eo Epiſcopatu exiſtimabat, ceſſiſſet, nihil hoc tempore ſine omnium Ordinum conſenſu ſtatuere ea de re poſſumus, rem omnem in eo ſtatu, in quo ante ſub Serenisſimis Regibus SIGISMUNDO AUGUSTO, STEPHANO, SIGISMUNDO III. VLADSILAO IV. JOANNE CASIMIRO, Antecedaneis noſtris fuit, relinquimus, ſalva *C*ommisſione authoritate omnium Ordinum Regni decreta, quam iuxta Conſtitutionem novellam in effectum deducemus. Neve etiam limitum indiſcuſſorum cum vicinis Illuſtritas eius controverſiam, aut difficultatem habeat, *R*egia noſtra Authoritate curabimus, ut primo quque tempore ad praeſcriptum Pactorum Poſwolienſium, & poſteriorum Vilnenſium regantur, & certi conſtituantur in tota illa vicinia limites. Interea vero neutra pars alteri damnum inferat, aut litem, & difficultatem moveat, pro eo, ut hoc Privilegio praedictorum Divorum Praedeceſſorum noſtrorum continetur, cumque Tractus Dunae ſurſum & deorſum limites inter Nos, & Illuſtritatem eius conſtituat, ius, & aequitatis ratio poſtulat, ut medietate fluvii in piſcando, & aliis commoditatibus eius Illuſtritas perpetuo gaudeat, quaeque inſulae, ſive mediamnes alteri parti viciniores ſunt, apud eandem partem iuxta Privilegia eorundem *D*ivorum Deceſſorum noſtrorum maneant. Monetae etiam cudendae facultatem, ut a praedictis Divis Anteceſſoribus noſtris iam ante Illuſtrisſimo olim Avo, & Patruo Illuſtritatis eius data eſt, Illuſtritati eius confirmamus, & de integro conferimus, ad pondus, & valorem communem Reipublicae, & ut eius promiſcuus, & indifferens uſus ſit tam in Litvania, quam in Livonia; volumus attamen ut ex una parte noſtra effigies, vel Inſignia *R*egni, Magnique *D*ucatus Litvaniae, in altera Illuſtritatis eius exprimantur. Si quid porro Illuſtritati eius vendendum, oppignorandum, permutandumve fuerit, ſuper hoc Illuſtritati eius libertatem, facultatemque concedimus, & ut antea a Divis Praedeceſſoribus noſtris conceſſum eſt, ita videlicet, ut ad Nos, et Serenisſimos Succeſſores noſtros de eo primo loco referatur, Nobiſque optio detur, ſi talem oppignorationem ipſi acceptare voluerimus, ſin minus, tum id Illuſtrit. eius liceat, cui volet: ita tamen, ut tali oppignoratione nulla occaſio diſmembrationis a Republica eorum bonorum detur. Dabimus quoque operam ſecundum Privilegium praedicti Divi Anteceſſoris noſtri, ut ſi quando Ducatus Eſthoniae cum Civitate Revalienſi aliqua ratione ad Regnum noſtrum Poloniae adiungatur, ut ſuae Illuſtritati, eiusque Haeredibus, et Succeſſoribus legitimis aequa portio, vel in bonis, vel in pecunia concedatur. Sumptibus in ea recuperatione factis ante omnia Nobis refuſis. Quod punctum non ad convellenda Pacta Olivenſia, quae inviolabiliter obſervari volumus, referendum eſt, ſed ut vigori, atque obſervationi Inveſtiturarum in caſum inopinatum, quem Deus avertat, caveatur. Denique Illuſtritati eius iurisdictionem totalem pro eo, ut in Privilegiis *D*ivorum Praedeceſſorum noſtrorum continetur, iuxta leges, et conſvetudines, moresque antiquos confirmamus, et de novo concedimus, et illi, qui eius Illuſtritatis iurisdictioni ſubiecti, et ratione domiciliorum ſubditi eius erunt, et manebunt, ad ſuum tantum Principem provocabunt, in cauſis tamen gravibus, et maximi momenti licebit Nobilitati a Principe ſuo, prout de iure, et iuxta tenorem priorum Inveſtiturarum provocare. Caverat etiam *D*. SIGISMUNDUS AUGUSTUS Anteceſſor, Illuſtritatis eius piæ memoriae Avo, cum ante ſexennali bello tam ſuae Illuſtritatis, quam et Nobilitatis *C*uronienſis vires exhauſtae eſſent, relaxata ut eſſet ſua Illuſtritas, et Nobilitas ab onere belli, et ut hoc ſaltim praeſtarent, et mitterent, quod commode pro modulo ſuo poſſent, alio autem tempore eandem habendam rationem, quam Illuſtriſſ. olim *D*ucis in Pruſſia, D. STEPHANUS vero Rex *D*eceſſor noſter ſe quoque pro eo bello, quod tum gerebat iis copiis, de quibus cum Illuſtritate eius ſibi conveniret, contentum fore promiſerat. Itaque quamvis Nobis de eius Illuſtritate perſvadeamus, quae cum Nobilitate ſua poſſit, Nobis non gravatim praeſtituros, tamen ad clariorem, quid ſua Illuſtritas Nobis praeſtare teneatur, declarationem, ita prout inter Serenitatem ſuam, Praedeceſſorem noſtrum, ac Illuſtritatem ſuam conventum fuerat, inter Nos, et eandem etiam convenit; quod inpoſterum in vim perpetuae obligationis erit obſervandum: Ut Illuſtrisſimus *D*ux Jacobus, eiusque *S*ucceſſores, et Feudi Haeredes, pro hac noſtra in ſe beneficentia, tempore expeditionis bellicae, unam cohortem equitum cum ſervitiis equeſtribus Nobilium, quoties iis opus fuerit, intra fines *D*ucatus Curlandiae, et *S*emigalliae praeſtet; quoties vero publica aliqua neceſsitate bellica poſtulante, in Regno publicæ contributiones decretae fuerint, toties *D*ux Iacobus ſummam decem millium florenorum

ANNO 1670.

ANNO 1670.

rum Polonicalium in Thesaurum Reipublicae inferet, et Successores illius inferre tenebuntur: hoc videlicet pacto, quod licet una, sive plures contributiones in Generalibus Comitiis sciscerentur, Dux Iacobus in locum, sive unius, sive plurium, praetactam decem millium florenorum Polonicalium summam, et non plus, accepta desuper quietatione DD. Thesaurariorum cum suis Successoribus pendere, ac solvere adstrictus erit. Secus vero, si publica expeditione sic exigente, Dux Iacobus Vasallagium equitum cum suis Nobilibus sisteret, in hoc casu, pro eo tempore, etiamsi contributiones in Comitiis scitae fuissent, liberum, et immunem eundem Ducem Iacobum, et ipsius Successores a persolvenda decem millium florenorum Polonicalium contributione fore debere declaramus. Alias etiam conditiones, et cautiones, de quibus inter Serenissimum Regem VLADISLAUM IV. Antecessorem nostrum convenerat, quaeque peculiaribus scriptis commemorati Illustrissimi Principis, sub illius Chirographo, et Sigillo continentur, debebit ipse Illustrissimus Princeps, ac eius Successores observare. Postremo cum iam ante Illustrissimus olim Avus Illustritatis eius perneccssariis, et iustissimis de causis se ditioni, atque imperio Serenissimorum Praedecessorum nostrorum, et Successorum Regni, et M. D. L. subiecerit, extrema Magni Moschorum Ducis iniuria, vi, atque oppressione hostili impulsus, frustra per annos complures implorata Romani Imperii, atque Imperatorum ope, ac subsidio, iamque per longissimum temporis spatium veluti pro derelicto habita, sub ditione Poloniae Regum Antecessorum nostrorum & nostra, nulla cum controversia permanserit. Nos quidem futurum non iudicamus, ut eius Illustritati eo nomine controversia, aut molestia ulla afferatur, verum tamen si quae allata fuerit, quae cum labe aliqua nominis, aut aliquo detrimento coniuncta sit, Nos in eo Regio nostro officio, quod in defendendis subditis nostris versari non ignoramus, minime defuturi sumus. Quodque Serenissimos Praedecessores nostros in causa Illustrissimi quondam in Prussia *D*ucis Alberti egisse intelligimus, agere minime praetermittemus, defensionemque contra hostem omnem, qualiscunque tandem ille fuerit, praestabimus, & *S*uccessores nostri praestabunt. Ipse vero Illustrissimus *D*ux, pro hac Serenissimorum Praedecessorum nostrorum, & nostra in se beneficentia, quaecunque vasalli, & feudales Principes erga suum naturalem, superiorem & directum Dominum fidelitatis, obsservantiae, servitiorumque officia, & studia praestare tenentur, Illustritas eius erga Nos, Regnumq; & M. D. Litvaniae praestabit, itidemque haeredes legitimi in hoc feudo Successores praestabunt. Nosque vicissim eius Illustritatem, & Haeredes, & Successores omni patrocinio, amore, & benevolentia boni Regis, & supremi, directique Domini complecti, & in Juribus, Immunitatibus, & Privilegiis illorum servare tenebimur, & Successores nostri tenebuntur. In quorum omnium, & singulorum fidem, praesentes Literas manu nostra subscripsimus, & Sigillis Regni, & M. D. Litvaniae muniri mandavimus. Dabantur Varsaviae, die 28. Mensis Novembris Anno Domini 1670. Regni nostri secundo anno. Praesentibus Reverendis in Christo Patribus Dominis Stephano Wierzbowski Posnanien-si, Andrea Olszowski Culmensi, & Pomesaniae, Procancellario Regni, Episcopis, Magnificis, Venerabilibus, ac Generosis, Andrea Carolo Grudzinski Posnanien-si, Joanne Tarło Sandomirien-si, Joanne Gninski Culmensi, Palatinis, Stanislao Skarszewski Woynicien-si, Joanne Francisco Lubowicki Volhyniae, Ludovico Alexandro Niezabitowski Belzensi, *S*tanislao Rudzinski Czernensi, Damiano Kretkowski Culmensi, Stanislao *D*unin Borkowski Polanecensi, Paulo Stokowski Oswiecimensi, Adamo Lassocki Wyssogrodensi, Joanne Oborski Varsavien-si, Castellanis, Christophoro Pac Supremo Cancellario M. D. Litv. Andrea Joanne Morsztyn Supremo Thesaurario Regni, Joanne Clemente Branicki Curiae Regni Mareschalco, Francisco Prazmowski Gnesnensi, Cracovien-si Praeposito, Abbate Sieciechovien-si, Secretario Regni Maiore, Joanne Małochowski Abbate Mogilnicensi, Leopolien-si, Cracovien-si Canonico, Bonaventura Krasinski Capitaneo Varsavien-si, Regni, Paulo Cypriano Brzostowski M. D. L. Referendariis, Joanne Szomowski Curiae Regni Thesaurario, Capitaneo Opocnensi, Theodoro *D*onhoff Succamerario Regni, Vladislao *S*zmeling Regni, Hieronymo Olszowski Capitaneo Vielunensi, Reginalis Maiestatis, *S*tabulorum Praefectis, Francisco Bilinski Ensifero Regni, Venceslao Leszczynski Incisore Regni, Albrechto Opacki Reginalis Maiestatis Pocillatore, Succamerario Varsavien-si, Henrico Bokun M. *D*. L. Pincerna, Bonaventura Madalinski Coadiutore Episcopatus Plocensis, Supremo Notario Thesauri Regni, Boguslao Leszczynski Praeposito Plocensi, Canonico Cracovien-si, Cancellario Reginalis

Anno 1670. nalis Maieſtatis, Valeriano Judycki Archidiacono Vilnenſi Præpoſito Trocenſi, Andrea Kotowicz Capitaneo Grodnenſi, M. D. L. Notariis, Staniſlao Lipſki Cracovienſi, Plocenſi, Maioris, Staniſlao Buzenſki Gneſnenſi, Varmienſi Canonicis Minoris, Cancellariarum Regni Regentibus, Joanne Zaleſki Culinæ Regni Præfecto, Joanne Tyzenhaus M. D. L. Venatore, Joanne Tańſki Regni Inſtigatore, Joanne Zbąſki Gneſnenſi, Varſavienſi, Joſepho Bernardino Zebrzydowſki Cracovienſi Canonicis, Camerae noſtrae Secretariis, Euſtachio Kotowicz Vilnenſi, Joanne Wołowſki Varmienſi, & Culmenſi Canonicis, Martino Kącki Artilleriæ Generali Præfecto, Præmiſlienſi, Petro Kochanowſki Radomienſi, Andrea Gaſiorowſki Radzieiovienſi, Martino Oborſki Livenſi, Joanne Korzeniowſki Koſcianenſi, Feliciano Wąſowicz Narvenſi, Alexandro Wolff Felinenſi, Capitaneis noſtris, Nicolao Narzemſki Plocenſi, Caſimiro Brzezinſki Nurenſi Vexilliferis, Staniſlao Zurowſki Dapifero Czernenſi, Decretorum Curiae Regni Notario, Caſimiro Szczuka Viſnenſi Gladifero, Martino Roſtocki Terræ Leopolienſis Theſaurario, Stephano Hankiewicz Decretorum noſtrorum Volhyniae Notario, Actorum Metrices Regni Cancellariæ Præfecto, Hieronymo Pinocci Secretariis noſtris, Chriſtophoro Orłowſki, Joanne Mniſzech, Nicolao Wołowſki, Gaſparo Siemianowſki, Franciſco Chinowſki Andrea Dunin, Aulicis Dapiferis noſtris, Staniſlao Baczynſki, Mathia Martiano Ładowſki, Staniſlao Urbanſki iſtius Diplomatis Notario, Secretariis noſtris, & aliis quam plurimis Nobilibus, Officialibus, Secretariis, & Aulicis noſtris.

MICHAEL *Rex.*

Vicecancellariatu Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi in Chriſto Patris Domini Andreae Olſzowſki Epiſcopi Culmenſis, & Pomeſaniæ, Decani Cracovienſis, Vicecancellarii Regni.

L. S. Regni Cancellariæ Minoris in pixide argentea in filo aureo ſubappenſa contenti, in cera vero expreſſi.

Staniſlaus Buzenſki Gneſnenſis, Varmienſis Canonicus Regens Cancel. Regni.

Cancellariatu Illuſtriſſ. Domini Chriſtophori Pac Supremi M. D. L. Cancellarii, Caunenſis &c. Gubernatoris, Economiarum Grodnen. &c. Adminiſt.

L. S. M. D. L. Cancel. Maioris, penſilis ſimiliter in pixide argentea.

Cyprianus Paulus Brzoſtowſki Referendarius, & Notarius M. D. L. Oſmianenſis Capitaneus.

CCLXVI. Anno 1670.

Juramentum Illuſtriſſ. Ducis Jacobi S. R. Maieſtati per Legatum ſuum præſtitum Varſaviæ, d. 28. Novembr. An. 1670.

Illuſtriſſimi Principis Domini Jacobi Curlandiæ, & Semigalliæ in Livonia Ducis pro præſtando Homagio, & recipienda Inveſtitura, ad S. R. Maieſtatem Legatus Ego Chriſtophorus Henricus Putkamer Nomine, Mandato, ſeu Plenipotentia eiusdem, in animam eius iuro ſuper hæc ſancta Dei Evangelia, quod ab hac hora deinceps usque ad ultimum diem vitae ſuae Illuſtriſſimus Princeps Dominus Jacobus erit fidelis, & obediens Tibi Sereniſſimo, & Potentiſſimo Principi Domino Micheli Dei Gratia Regi Poloniae, Magno Duci Litvaniæ &c. Sicuti ſuo naturali, & hæreditario Domino, ac Succeſſoribus Tuis legitimis Regibus, & Regno Poloniæ, & M. D. Litvaniae, Dominis ſuis, contra omnem hominem nemine prorſus excepto, & quod nunquam erit ſcienter in conſilio, & auxilio vel in facto, ex quo (quod abſit) amittas vitam, vel membrum aliquod, vel per quod accipias in perſona aliquam læſionem, vel contumeliam, aut iniuriam, vel per quod amittas aliquem honorem, quem nunc habes, vel poſt habebis. Et ſi ſcierit, vel audierit de aliquo, qui velit aliquid iſtorum contra Te, & Regnum hoc Poloniæ, & M. D. Litvaniæ facere, pro poſſe ſuo, ut non fiat, impedimentum præſtabit, & ſi impedimentum præſtare nequiverit, quam cito poterit, Tibi nuntiabit, & contra eum iuxta pacta, auxilium Tibi, & Regno, & M. D. Litvaniae præſtabit; et ſi contigerit Te rem aliquam, quam habes, vel poſt habebis, caſu aliquo amittere, eam recuperare curabit, in recuperataque retinenda Te omni tempore iuvabit, & ſi ſciverit, Te velle contra aliquem publico conſilio arma ſumere, & de eo generaliter, vel ſpecialiter fuerit requiſitus, ſuum Tibi ſecundum Pacta præſtabit auxilium, & ſi aliquid ipſi de ſecreto manifeſtaveris, illud ſine Tua licentia nemini pandet, neque quicquam, per quod pandatur, faciet, & ſi conſilium ab ipſo ſuper aliquo facto poſtulaveris, illud Tibi dabit conſilium, quod Tibi, Dominiisque Tuis iudicaverit magis expedire, & nunquam ex perſona ſua aliquid ſcienter, quod pertineat ad Tuam, vel Regni, M. D. Litvaniæ, Dominiorumque Tuorum Regno, & M. Ducatui adiunctorum, vel in poſterum adiungendorum iniuriam, vel contumeliam, faciet, imo honorem, dignitatem,

ANNO 1670. commodaque Tua, Regni, & Ducatus, Dominiorumque Tuorum tuebitur, & conſervabit, & quoad maxime poterit, augebit. *D*enique etiam Pacta priora antiqua omnia, & ſingula, quocunque tempore a Deceſſoribus eius Curlandiae, & Semigalliae Ducibus cum inclyto hoc Poloniae Regno, & M. D. Litvaniae conventa, tum & formulam regiminis, & præſentem Transactionem, Conditionesque Tecum transactas, conſtitutasque, & ab ipſo peculiari Diplomate confirmatas ſervabit, & implebit. Ac præterea omnium, & ſingulorum Equeſtris Ordinis, ac privatorum Ducatus Curlandiae, & *S*emigalliae Incolarum Jura, Privilegia, Libertates, Immunitates ſartas, tectasque integerrime ſervabit. Nec quidquam in contrarium earundem præiudicii, ac derogationis faciet, aut fieri permittet. Sic me Deus adiuvet & hæc ſancta Dei Evangelia. Anno D. 1670. d. 28. Novembr. Varſaviæ.

Ego infraſcriptus, vigore Plenipotentiæ Nomine Illuſtriſſimi, ac Celſiſſimi Principis Domini Jacobi in Livonia Curlandiæ, & Semigalliæ Ducis, Juramentum in Rotham ſupra ſcriptam publice coram Throno Regio circa receptionem Inveſtituræ præſtiti. In quorum fidem haſce manu mea cum Domino Collega meo ſubſcripſi.

Chriſtophorus Henricus Pütkamer Legatus Illuſtriſſ. Ducis Curlandiæ ad Homagium præſtandum.

(L. S. In cera rubra hiſpanica expreſſi.)

Georgius Fircks Legatus Illuſtriſſ. Ducis Curlandiæ ad Homagium. mpp.

(L. S. In cera rubra hiſpanica expreſſi.)

CCLXVII.

1670. *Confirmatio Articuli de libero exercitio Religionis Auguſtanæ in Ducatu Curlandiæ.* Dat. Varſaviæ d. 28. Nov. An. 1670.

MICHAEL DEI Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ &c. Significamus præſentibus Literis noſtris, quorum intereſt univerſis, & ſingulis harum notitiam habituris. Quod cum Illuſtriſſ. Princeps *D*om. Jacobus in Livonia *C*urlandiæ, & *S*emigalliæ Dux Legatos ſuos pro tempore aſſignato ad Nos miſiſſet, & Inveſtituræ Feudi ſui Ducalis renovationem, tum Jurium, Privilegiorum, Conceſſionumque omnium, quæ a Sereniſſimis olim DD. SIGISMUNDO AUGUSTO, STEPHANO, SIGISMUNDO III. VLADISLAO IV. & JOANNE CASIMIRO Regibus Prædeceſſoribus noſtris, ipſe, & Illuſtriſſ. olim Anteceſſores eius conſecuti fuiſſent, confirmationem per eosdem Legatos ſuos petiiſſet, & cætera quidem, quæ conferenda, & confirmanda exiſtimaſſemus, ipſo Inveſtituræ Diplomate confirmare, & conferre Nobis viſum eſſet, Articulum de *R*eligione *C*onfeſſionis Auguſtanæ e Privilegio eiusdem D. SIGISMUNDI AUGUSTI, quemadmodum & Divæ memoriæ Sereniſſimi Prædeceſſores noſtri fecerunt, hoc peculiari Diplomate eius Illuſtritati Regia noſtra poteſtate, & authoritate confirmare voluiſſe. Cuius quidem Articuli in commemorato Privilegio D. SIGISMUNDI AUGUSTI contenti, tenor de verbo ad verbum eſt talis: *Dedimus præterea fidem, & præſentibus Literis ſancte damus, recipimus, & promittimus Nos tam Principi ipſi, quam Civitatibus, alliisque ſubditis ſuis, cuiuscunque Ordinis, vel Status fuerint, liberum uſum Religionis, cultusque divini, & receptorum rituum ſecundum Auguſtanam Confeſſionem in ſuis Eccleſiis, earumque rei Eccleſiaſticæ integram Adminiſtrationem, ſicut eam hactenus habuerunt, libere permiſſuros, nec in ea ullam mutationem facturos, neque ut ab aliis fiat, permiſſuros.* Hunc igitur Articulum ex omni ſua parte Nos gratum, ratumque habere, atque eius Illuſtritati confirmare, & ſalvum, ſartumque perpetuis temporibus conſervatum eſſe, verbo noſtro Regio pro Nobis, & Sereniſſimis Succeſſoribus noſtris promittimus; quemadmodum eum vigore harum noſtrarum Literarum confirmamus. In cuius rei fidem præſentes Literas manu noſtra ſubſcripſimus, & Sigillo Regni noſtri, & M.D. Litvaniæ communiri mandavimus. Datum Varſaviæ die 28. Menſis Novembris Anno Domini 1670. Regni noſtri ſecundo Anno. ANNO 1670.

MICHAEL *Rex.*

L. S. Regni Cancellariæ Minoris penſilis in pixide laminea contenti, in cera vero expreſſi.

Stephanus Hankiewicz, Regiæ Maieſtatis Secretarius. mpp.

L. S. Magni Ducatus Litvaniæ Cancellariæ Maioris, ſimiliter penſilis.

Cyprianus Paulus Brzoſtowſki, Referendarius, & Notarius M. D. L. Oſmian. Capitaneus.

CCLXVIII.

Cautio S. R. Maieſtatis, quod omiſſio nonnullarum Solennitatum in hoc Actu Homagii, in ſequelam deinceps, & exemplum trahi non debeat. Dat. Varſaviæ d. 28. Novemb. 1670. 1670.

MICHAEL Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ &c. Significa-

ANNO 1670. ficamus præsentibus Literis nostris, quorum interest universis, & singulis. Missse ad Nos pro termino recipiendæ Investituræ assignato, Illustrissimum Principem Dominum Jacobum in Livonia Curlandiæ, & Semigalliæ Ducem, Legatos suos, Generosum Christophorum Henricum Putkamer, supremum Capitaneum Tuckumensem, & Georgium Fircks Colonellum, & Aulicum nostrum. Et quoniam Nos in hoc Actu Homagii more veterum Investiturarum Regalia indutos, Coronaque Homagiali redimitos esse, certæ non permiserunt legalitates, declarandum censuimus, declaramusque hisce Literis nostris, quod Actus hic nil receptæ consvetudini, & Solennitati infeudationis ex pacto, & providentia præiudicare, nec pro exemplo, aut præiudicato in futuris (Deo dante) Homagiis reputari poterit. In cuius rei fidem præsentes manu nostra subscriptas, Sigillis Regni, & M. D. L. muniri iussimus. Datum Varsaviæ, die 28. Mensis Nov. An. Dom. 1670. Regni nostri secundo.

MICHAEL *Rex.*

L. S. Minoris Cancellariæ Regni.
Stanislaus Buzenski Gnesnensis, Varmiensis Canonicus, Regens Cancellariæ Regni.

L. S. Magni Ducatus Litvaniæ Cancellariæ Maioris.
Cyprianus Paulus Brzostowski Referendarius, & Notarius M. D. Litvaniæ.

CCLXIX.

1670. *Reversales DD. Legatorum Illustrissimi Jacobi Ducis Curlandiæ, respectu quarundam Solennitatum.*

Nos infrascripti Illustrissimi, & Celsissimi Principis Domini Jacobi in Livonia Curlandiæ, & Semigalliæ Ducis ad præstandum Homagium Legati, notum, testatumque facimus. Postquam Nos iuxta processum in Renovatione Infeudationis Illustrissimi, ac Celsissimi Ducis Curlandiæ per suos Legatos Georgium Fischer de Vizeden supremum Capitaneum Mitaviensem, & Georgium Goës Capitaneum Schrundensem, Varsaviæ d. 28. Mensis Maii An. 1649. peractæ, & receptæ, humiliter Sacram Regiam Maiestatem Dominum nostrum Clementissimum precibus nostris venerati sumus, ut sicuti Fischero in superiori Throni gradu, & Goesio ad inferiorem Throni gradum, post præstitum Homagium, sellæ datæ sunt, ut nunc etiam idem honor Illustrissimum Principem in Persona nostra maneret, & desuper hisce diebus variis difficultatibus ortis, tandem S. R. Maiestas clementissime annuere dignata est, Nos eodem honore crastina die decorari debere, hac tamen expressa conditione, quod intra certum, & legitimum tempus, a S. R. Maiestate definiendum, Illurissimus Princeps evidenter probare debeat, has solennitates ipsi competentes, circa renovationem Homagii Anno 1649. observatas fuisse. Quod si vero Illustrissimus Princeps in probationibus deficiat, has punctualitates inposterum in consequentiam non esse allegandas, S. R. Maiestas Dominus noster Clementissimus declaravit. Qam declarationem humillima mente venerando acceptamus, eique ab Illustrissimo Principe satisfactum iri promittimus. Dabantur Varsaviæ d. 27. Nov. 1670. ANNO 1670.

Christophorus Henricus Putkamer supremus Capitaneus Tuckumensis, Legatus Illustrissimi Ducis Curlandiæ.

Georgius Fircks Colonellus & Aulicus Cameræ S. R. M. Legatus Illustrissimi Ducis Curlandiæ.

CCLXX.

Sermo S. R. Maiestatis circa Homagium Ducatus Curlandiæ habitus Anno 1670. 1670.

Nos MICHAEL DEI Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ &c. Tanquam naturalis, & supremus Dominus Livoniae, Ducatuumque Curlandiæ, & Semigalliæ, annuentes precibus Illustrissimi Jacobi Ducis, tradimus, & concedimus Illustritati suæ in Feudum Terras, Civitates, Oppida, & Arces commemoratorum in Livonia Curlandiæ, & Semigalliæ Ducatuum, & ad easdem Illustritatem suam per huius Vexilli traditionem in Persona Generositatis Tuæ Henrici Christophori Putkamer, uti Plenipotentis Illustritatis suæ investimus, & instituimus, gratia, & benignitate nostra, qua Illustritatem suam ob singularia in Reges, Regnumque Poloniæ, Antecessorum quoque eiusdem Illustritatis Ducum merita complectimur, speramusque, Illustritatem suam beneficentiæ huius memorem semper futuram, gratamque pro eo se habituram.

CCLXXI.

Protestatio Nuntii Apostolici circa Investituram Ducatuum Curlandiæ, & Semigalliæ de Juribus 1670.

ANNO 1670. *Romanæ Catholicæ Eccleſiæ in Epiſcopatum Curonienſem, ſeu Piltenſem.* Dat. Varſaviæ d. 28. Novemb. An. 1670. *Ex Archivo Regni* Lib. 183. num. 184. fol. 349.

MICHAEL Dei Gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Litvaniae, etc. Significamus praeſentibus Literis noſtris, quorum intereſt univerſis, et ſingulis. Quod coram Actis Metrices Regni Cancellariæ minoris perſonaliter comparens Nobilis Andreas Fiefue Nunciaturæ Apoſtolicae Cancellarius, Nomine Venerabilis Caroli Vernini eiuſdem Nunciaturæ Apoſtolicae Auditoris Generalis, in parata copia conſcriptam, & manu propria Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi in Chriſto Patris Domini Norbii Archiepiſcopi Adrianopolitani ad Nos & Regnum Noſtrum Poloniæ ac Magni Ducatus Litvaniæ Sanctiſſimi Domini Clementis Papæ X. cum facultatibus a latere Nuntii Apoſtolici, Prælatique *D*omeſtici, & Aſſiſtentis ſubſcriptam, ſigilloque conſveto communitam obtulit Manifeſtationem, petens, ut eandem ad Acta Præſentia ſuſcipi, iisdem inſeri, & ingroſſari, atque parti poſtulanti in forma Authentica extradi mandare dignaremur. Cuius Manifeſtationis tenor de verbo ad verbum ſequitur eiuſmodi: Univerſis & ſingulis præſens hoc Noſtrum Proteſtationis Inſtrumentum nunc & pro tempore inſpecturis, lecturis, & audituris ſalutem in Domino ſempiternam. Apoſtolici muneris debitum; ex iniuncta Nobis a Sanctiſſimo Domino Clemente Divina Providentia Papa Xmo ad Sereniſſimum, & Potentiſſimum MICHAELEM Poloniæ Regem, & ad univerſos ipſius Regni & Ditionum fines Legatione, qua fungimur, exigit, ut ea, quæ ad animarum ſalutem, & Catholicæ Religionis fructus provehendos, & ad ipſius jura tuenda pertinere noſcuntur, ſedula cogitatione penſemus, & ut ſarta tecta in omnibus habeantur, omnem conatum noſtrum & curam aſſidue impendamus. Cum igitur ad aures noſtras advenerit, proxime renovandam fore per Sereniſſimum MICHAELEM Poloniae Regem quandam Inveſtituram Ducatus Curlandiæ, quanquam ſperandum ſit, quod a Sereniſſimo Rege pro ea, qua inſigniter enitet pietate ſua, & pro ipſa, quæ in Regno ac ditionibus ſuis inconcuſſa floret, Catholica Religione, nihil adjiciendum ſit, quod ipſius Catholicæ Religionis, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Juribus præiudicium afferre poſſit, immo quod ea omnia executioni demandanda ſint, quæ vel ex Conſtitutionibus Comitiorum, præcipue Anni Milleſimi ſexcenteſimi ſexageſimi primi, & milleſimi ſexcenteſimi ſexageſimi ſeptimi, vel ex particularibus conditionibus præcedentium Inveſtiturarum ad Eccleſiae Sanctæ Jura tuenda, & ad Epiſcopatus Curonienſis & Piltensis rationes illæſas & immunes ſervandas ordinata ſunt; tamen ne in renovationibus eiusmodi forſitan factis, vel faciendis aliquid apponi ſeu comprobari contingat, etiam ad inſtantiam obtinere ſperantium, quod impedimentum aut præiudicium aliquod etiam inſubſiſtenter & defacto inferre poſſit Juribus Catholicæ Religionis, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, & potiſſimum ne per Inveſtituram feudalem huiusmodi forſitan faciendam, ſeu forſitan factam, Epiſcopatus Curoniensis & Piltinenſis, ſeu aliis nominibus nuncupetur, incorporetur, et comprehendatur in Inveſtitura huiuſmodi, aut ſæcularisetur, ſeu quovis alio titulo aut nomine e gremio ac diſpoſitione Eccleſiæ Catholicæ Romanæ, licet invalide, et inutiliter fieret, avellatur. Idem Nuntius Apoſtolicus Sereniſſimo Regi MICHAELI preces porrigit, ut ſuper tam gravi re omnino præcavere aut abſtinere dignetnr, apprime mereri revolvens, quanta eidem Sereniſſimo Regi Beneficia Deus Omnipotens Maximus contulerit, ſive animi dotes inclitas, ſive Regale Diadema, ſive auguſtiſſimum Conſortium, ſive plauſus & obſequia totius Orbis enumeret, ſive etiam, quod omnium maximum eſt, & Religionis ſanctæ decus ac zelum ſuum in omnibus ſpectet. His itaque tot, tantisque donis Regius animus decoratus, & uberiorem etiam cœleſtium donorum fœcunditatem benedicente ſibi Altiſſimo expectans, ſponte ſua, & aſſiduis Religioſiſſimi, providentiſſimique Senatus excitus officiis nihil intentare volet, quod Inclito Nomini ſuo, vel minimam adimat ſplendoris ſcintillam. Verum ut ſui muneris partes idem Nuntius Apoſtolicus adimpleat, neve ſilentium pro acquieſcentia deſumatur, expreſſe coram Deo, & hominibus, cunctoque Catholico Orbe proteſtatus fuit, & proteſtatur de invaliditate cuiuscunque Actus, Conventionis, aut Pacti quoquomodo Juribus Sanctæ Romanæ Catholicæ Eccleſiæ, & potiſſimum circa Epiſcopatus Curonienſis, & Piltenſis, & pertinentias, ac iurisdictiones illorum praeiudicium inferentium, & exnunc tales Actus, Conventiones, aut Pacta nulla, & invalida, & illegitime facta, etiam ex defectu poteſtatis declaravit, & declarat, non ſolum præmiſ-

ANNO 1670.

ſo

Anno 1670. ſo, ſed omni alio meliori, & efficaciori modo, forma, &c. De quo &c. Omnibus &c. Praeſentibus itidem Dominis Joanne Ludovico Piccinardi, & Simone Ciacca teſtibus. Datum in Ædibus noſtris Varſaviae die 28. Menſis Novembr. Anno 1670.

Franciſcus Archiepiſcopus Adrianopolitanus, Nuntius Apoſtolicus.
(L. S.)

Cuius petitioni, ut iuſtae, benigne annuentes, praeinſertam de tenore proteſtationem, ſeu manifeſtationem ad Acta praeſentia ſuſcipi, iisdem inſcribi, atq; parti poſtulanti in forma authentica extradi mandavimus. In cuius rei &c. Actum Varſaviae Feria ſecunda in craſtinum Feſti S. Andreae Apoſtoli, die prima Menſis Decemb. Anno 1670.

CCLXXII.

1672. *Declaratio, & Confirmatio Jurisdictionis Ducis Curlandiæ & Semigalliæ in Diſtrictum Piltenſem.* Dat. Varſaviæ d. 23. Aug. An. 1672.

Michael Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, &c. Univerſis & ſingulis, quorum intereſt, praeſertim vero Generoſis, ac Nobilibus Diſtrictus Piltenſis Incolis, fideliter Nobis dilectis, Gratiam noſtram Regiam. Significamus praeſentibus Literis noſtris. Quemadmodum Sereniſſimus Anteceſſor noſter ad requiſitionem, & inſtantiam Illuſtriſſimi in Livonia Curlandiæ, & Semigalliæ Ducis, nonnullos Nobiles, & Incolas Diſtrictus Piltenſis Illuſtritati ſuæ refractarios Literis ſuis ſerio admonuit, & totum Diſtrictum Piltenſem, cum univerſa Nobilitate, nemine excepto, plenariæ Jurisdictioni eiusdem Illuſtriſſ. Curlandiæ, & Semigalliæ Ducis in omnibus cauſis ſubiectos eſſe, Literis ſuis declaravit, & ne quidquam in contrarium earundem Literarum ſuarum, in derogationem Jurisdictionis in Diſtrictum Pilten. Illuſtriſſimo Duci competentis moliri, vel privato motu & authoritate attentare praeſumerent, ſerio iniunxit. Ita & Nos inſiſtendo Pactis, Inveſtituris, Poſſeſſioni per decurſum plus quam ſedecim annorum confirmatæ, & anterioribus Literis noſtris declaratoriis ad Incolas, & Nobiles omnes Diſtrictus Piltenſ. eo nomine ex Cancellaria noſtra emanatis, ſupraſcriptis omnibus Nobilibus, & Incolis Diſtrictus Piltenſis, ſerio praeſentibus mandamus, & iniungimus, quatenus ipſi omnes, & ſinguli Nobiles, & Incolæ Diſtrictus Piltenſis, non attento Reſcripto noſtro noviſſimo ſub dato die 9. Menſ. Iun. Anni currentis, et quibusvis noſtris Literis caſſatoriis, ad importunam inſtantiam, & malam informationem ex Cancellaria noſtra emanatis, & inpoſterum emanandis (quas cum ſuis contentis nullitatis fore, & eſſe declaramus, & abrogamus) iuxta anteriora Jura, & Declarationem, tam Sereniſſimi Anteceſſoris noſtri, quam & noſtram (quæ cum omnibus conditionibus, & punctis, praeſentibus approbatur, & ratificatur) Jurisdictionem Illuſtriſſimi Curlandiæ, & Semigalliæ Ducis in omnibus cauſis criminalibus, civilibus, boni regiminis, ſine quavis quarumcunque Perſonarum, & Incolarum Diſtrictus Piltenſis contradictione agnoſcant. Conſiliarios Terreſtres in contrarium praeſentis, & anterioris declarationis noſtræ conſtitutos (qui praeſentibus abrogantur, & pro illegitimis declarantur) ab omni functione Jurisdictioni Illuſt. Ducis contraria, ex nunc amovemus, volentes, ne inpoſterum illi iudicia exerceant, & res iudicatas ad executionem deducant. Illos vero Conſiliarios Terreſtres, quos ſupraſcriptus Illuſt. Dux conſtituit & conſtituet (qui praeſentibus approbantur) pro veris, & legitimis Conſiliariis Terreſtribus agnoſcimus, omnes vero Incolæ Diſtrictus Piltenſis eos pro talibus obſervent, iudicatis, & mandatis ſupraſcripti Illuſtriſſimi Ducis pareant, & ſatisfaciant, nullaque conventicula, qua privatim, qua publice in omnibus cauſis, etiam Rempublicam tangentibus ſine aſſenſu, & ſcitu eiusdem Illuſtriſſimi Ducis, celebrent, neque contributiones, vel ſubſidia aliqua ſtatuant, ſed in omnibus cauſis Mandato eiusdem Illuſtriſſimi Ducis, & Conſiliariis Terreſtribus obtemperent, ſalvis iuribus Supremi Dominii noſtri. Facturi ſunt praemiſſa omnia tam in praeſentibus, quam anterioribus Literis noſtris deſcripta, ſub gratia noſtra, & ſub pœnis in contraventores, & convulſores Mandatorum noſtrorum, legibus Regni ſancitis. In cuius rei fidem praeſentes manu noſtra ſubſcriptas Sigillo Regni, & Magni Ducatus Litvaniæ corroborari mandavimus. Datum Varſaviæ die 23. Menſis Auguſti, Anno Domini 1672. Regni noſtri Poloniæ IV. Anno.

MICHAEL *Rex*

Anno 1672.

CCLXXIII.

Conſervatio Nobilitatis Curlandiæ circa Libertatem Mercaturæ. Dat. Cracoviæ die 16. April. An. 1676. 1676.

ANNO 1676. 1676. *Ex Archivo Magni Ducatus Litvaniæ.*

JOANNES III. Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniae &c. Significamus præsentibus Literis, quorum interest, universis, et singulis. Quod cum coram Nobis nomine Incolarum Nobilium *D*ucatus Curlandiae, & Semigalliae per Internuntios illorum Generosos Ernestum Ioannem de Meden Vicecolonellum, hæredem in Wilcen, & Kiarembeck, & Vladislaum Franciscum de Kelset, & Kalrmet Berch hæredem in *S*zemberch, & Ecken Aulicos nostros conquestum, expositumque esset, eorundem libertates, & consvetudines antiquas ab Illustrissimo olim Principe Gothardo concessas, & a Sereniſſimis Antecessoribus nostris approbatas, & usu firmatas Magistratus nonnullarum Civitatum, & Oppidanorum eiusdem *D*ucatus mari finitimarum in exercitio mercaturæ infringere, ac potissimum venditionem frumentorum, et aliarum mercium ipsismet mercatoribus externis ad littora, et portus appellantibus impedire, mulctaque pecuniaria mercatores advenas eo nomine punire, præterea subditis eorundem Nobilium emptionem in foro Civitatum publico, rerum tam ad victum, quam ad amictum servientium per eosdem Magistratus, ac mercatores prohibere, aliasque depactiones facere, supplicatumque Nobis, ut memoratos Incolas Ordinis Equestris circa usum antiquarum libertatum, et consvetudinum in exercitio mercaturarum, et negotiationum conservare, depactationes vero, et monopolia, ac impedimenta Civitatensium Magistratuum abrogare,et annihilare dignaremur. Cui quidem supplicationi uti æquitati consonae benigne annuentes prædictos Incolas Nobiles utriusque *D*ucatus et Provinciarum mari finitimarum pro Religione iurisiurandi circa Inaugurationem nostram impleti, circa libertates ratione mercaturæ Privilegiis Illustrissimi olim Principis Gothardi concessas, et a *S*erenissimis Antecessoribus nostris approbatas hisce nostris conservamus, ac eadem omni firmiori modo roboramus, simulque ut liberum sit cuique Nobilium merces suas cuiusvis generis in littore maris ad portum iacentes peregrino mercatori, seu navium Gubernatori vendere, seu pro mercibus exoticis commutare, vel easdem emere, tum quoque ut subditi eorundem Nobilium libertatem in foro quarumvis Civitatum, et Oppidorum utriusque *D*ucatus omnes res, ac merces emendi habeant, eademque gaudeant, iisdem nostris declaramus, atque demum Magistratibus, et mercatoribus Civitatum, et Oppidanorum, ne in posterum libertates præscriptas, et usum earum quovis prætextu hactenus usurpato, et obtentu Privilegiorum, seu Rescriptorum quorumvis Regiorum in præiudicium antiquissimorum Nobilitatis Privilegiorum, et Iurium ad sinistram Cancellariae informationem obtentorum, quæ omnia uti legi, et libertati Nobilium contraria hisce cassamus, et annihilamus, lædere aut impedire præsumant, vel permittant pro suprema authoritate nostra Regia, et sub pœnis decem millium Hungaricalium Fisco nostro Regio adiudicandorum inhibemus. In cuius rei fidem præsentes manu nostra subscriptas Sigillis Regni, et M. *D*. Litvaniæ communiri mandavimus. *D*at. Cracoviae in Comitiis felicis Coronationis nostrae die 16. Mensis April. Anno *D*omini 1676. Regni nostri II. Anno.

JOANNES *Rex.*

Stanislaus Witwicki Regens Cancellariæ Regni.

ANNO 1676.

CCLXXIV.

Homagium Illustriss. Jacobi Curlandiæ, & Semigalliæ Ducis Sereniſſimo JOANNI III. *Regi Poloniæ præstitum.* Dat Varsaviæ d. 28. April. An. 1677. *Ex Archivo M. D. Litvaniæ.* 1677.

In Nomine Domini Amen.
Ad perpetuam rei memoriam.

NOS JOANNES III. Dei Gratia Rex Poloniæ Magnus Dux Litvaniæ, &c. Significamus praesentibus Literis nostris, quorum interest huius, et futuri temporis universis, et singulis. Cum iam antea Illustrissimus olim Princeps D. Gotthardus Curlandiae, et Semigalliae Dux, tum temporis Equestris Ordinis Theutonici Magister, universa cum Livonia, Nobilitate, Civitatibus, Statibus, atque Ordinibus omnibus, se ad Sereniſſimi Prædecessoris nostri Divi SIGISMUNDI AUGUSTI, et Successorum, Regnique Poloniæ, & M. D. Litvaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, caeterarumque ditionum nostrarum fidem, ac potestatem contulisset, et in omne tempus subiecisset, idque ut faceret, iustissimis, gravissimisque causis, et perneceſſariis Livoniae rebus adductus esset, Magno nempe Moschorum Duce longo, et crudelissimo bello in eam Provinciam gravissime incumbente, ac longe, lateque omni iuri-

Anno 1677. iuriarum, direptionumq; genere, et flammæ, ferriq; sævitia grassante, iamque eo usq; armis progresso, ut nihil non in eius potestatem venturum, cunctaque vi illa hostili superatum, atque excisum iri viderentur, iam eius Illustritate, cunctisque Livoniae Ordinibus belli magnitudine admodum fractis, et ne quicquam Sereniſſimorum Imperatorum Rom. Sacriq; Romani Imperii fidem, auxilium, et opem diu implorantibus, spem iam nullam non modo pristini status Provinciae, sed ne quidem salutis, libertatis, vitaeque singulorum amplius retinendae habentibus aliam, quam quae in Sereniſſimorum Poloniae Regum, et Regni, Magnique Ducatus Litvaniae defensione, atque imperio sita esset, quod tum eius Illustritas, cum Livonia universa a Sereniſſimo Praedecessore Divo Sigismundo Augusto in fidem, potestatem, ac ditionem suam, et Successorum suorum Regni, Magnique Ducatus Litvaniae certis conditionibus iuste, legitimeque recepta sit. Et quia Illustritatis eius studium in adducenda ea Provincia ad subiectionem, ditionemque Poloniae Regum singulare extitisset, et ita mereri eius dignitas, virtus, fides censeretur, illi mutato, ex consilio Ordinis Equestris, statu priore, approbante eam rem Serenisſimo Rege Divo Sigismundo Augusto ab eodem tanquam supremo, directo, naturali, ac perpetuo Feudi illius Domino, Ducalis titulus cum omni dignitate, Insignibus, Privilegiis Ducalibus, ac ditionibus certis tributus, et eius Illustritas Vasallus Poloniae Regum, Feudatariusque Princeps, et Regni, Magnique Ducatus Litvaniae membrum factus fuerit, prout Diplomate iam ante *D.* Praedecessori nostro *D.* Stephano Regi exhibito, ac Vilnae 28. die Novemb. Anno *D*omini 1561. perscripto, et Sigismundi Augusti Prædecessoris manu subscripto, Sigillo autem eius annulari signato, certius, fusiusque continetur. Quod praeterea cum Illustritas eius de solenni sua Investitura Feudali Serenisſimum *D*ecessorem Divum Sigismundum Augustum aliquoties appellasset, et per temporum rationem, magnitudinemque Regni negotiorum voti sui compos, regnante, viventeque praedicto *D*ivo *D*ecessore nostro effici non potuisset, postea vero a Serenisſimo Stephano Rege, et Praedecessore nostro ad Regni Poloniae, Magnique *D*ucatus Litvaniae fastigium *D*ei benignitate evecto, diligentisſimis precibus confirmationem suorum Iurium a D. Sigismundo Augusto concessorum, et Ducalem Feudi Investituram prius in Comitiis ab eodem D. Stephano Rege habitis flagitasset, sed cum magnitudo, varietasq; occupationum *S*erenitatis eius, tum locorum quoq; intervalla id a Serenitate eius praestari non paterentur, eiq; rei peragendæ ex consilio Regni nostri *C*onsiliariorum, qui partim Serenitati eius coram adfuerunt, partim per literas de eo appellati fuerunt, pariterque eorum, qui ex M. D. Litvaniae frequentes Serenitati eius in Senatu assederunt, in alium locum, tempusque opportunitate eius rei constituta. Cum Illustritas eius ad diem quartam Mensis Augusti Anno Domini 1579. sub generalem exercituum delectum, et recensitum ad flumen Dunam prope Dzysnam, quo in loco tum idem Serenisſimus Praedecessor noster Castra habebat, accessisset, inque Castris, et tentorio Serenitatis eius Investituram ab eodem Serenisſimo Decessore nostro petiisset, et fidelitatis, subiectionisque iusiurandum eidem Serenisſimo Praedecessori nostro, eiusque Successoribus, supremis, directis, naturalibus, et perpetuis Dominis, Regno, Magnoq; Duc. nostro Litvaniae praestitisset. Quod tum idem *S*ereniſſimus Praedecessor noster Stephanus Rex, ex consilio Senatorum tam lateri eius assidentium, quam per Literas de eo requisitorum, prænominatum Illustriſſimum Principem Dominum Gothardum, Curlandiæ, & Semigalliae Ducem ad Terras, Civitates, Oppida, Arces, Possessiones, quas a commemorato *S*ereniſſimo *D*ecessore nostro concessas habebat, ac Praeeminentias, Iuraque omnia, & singula, tradito ab eodem Serenisſimo Decessore nostro Stephano Rege solenni ritu Feudali Vexillo, Serenitas sua investiverit, Serenisſimus quoq; Sigismundus III. Poloniae, ac Sveciae Rex Illustrisſimo Principe Gothardo mortuo, Filiis Illustritatis eius Illustribus Principibus Domino Friderico, & Gvilhelmo eorundem Iurium, confirmationem, & Ducalem Feudi Investituram diligentisſimis itidem precibus flagitantibus, praedictos Illustrisſimos Principes Fridericum, & Gvilhelmum, Illustrisſimum quidem Principem Fridericum praesentem, Illustrisſimum vero Principem Gvilhelmum per unum ex Consiliariis Fratris sui Vexillum porrectum apprehendentem, ad easdem Terras, Civitates, Oppida, Arces, Possessionesque, ac Praeeminentias, Juraque omnia, & singula, tradito solenni ritu feudali Vexillo, utrumque in solidum, sine tamen Ducatus dismembratione investiverit, & sublato ex humanis Serenisſimo Rege D. Sigismundo III. Illustrisſimus Princeps Fridericus in felicis Inaugurationis Serenisſimi Regis Vladislai IV.

ANNO 1677. Deceſſoris Comitiis, tam propter difficultates itinerum, quam temporis anguſtiam, ad praeſtandum vigore Pactorum, et Inveſtiturarum Homagium adeſſe non poſſet, praefatus quoque Rex, abſentiam Illuſtritatis eius in bonam partem ex allegatis rationibus accipiens, eius Homagii praeſtationem ad proxima tunc Comitia vel felicem eiusdem in M. D. Litvaniae Vilnam videlicet adventum diſtuliſſet, praedictusque Illuſtrisſimus Curlandiae Dux Fridericus iuxta reſponſum Serenitatis ſuae ſolennis iuramenti Regi, Regnoque praeſtandi cauſa Vilnam in propria perſona veniſſet, et die 20. Menſis Julii Senatoribus lateri Serenitatis ſuae aſſidentibus, Officialibus, et Aulicis *Regiis*, magnaque frequentia Nobilitatis praeſentibus, Inveſtituram a Serenitate ſua petiiſſet, iusiurandum praeſcriptis verbis, ſolenni ritu, et ceremonia Regi, Regnoque praeſtitiſſet, Junior vero tunc Illuſtrisſimus Dux Jacobus, ſuae Illuſtritatis ex Fratre Nepos, tum temporis praeſens tanquam legitimus *Succeſſor* a Serenitate ſua ad contactum Vexilli admiſſus fuiſſet, Serenitas ſua praedictum Illuſtriſſ. Principem Fridericum ad easdem Terras, Civitates, Oppida, Arces, Poſſeſſiones, ac Praeeminentias, Juraq; omnia, et ſingula tradito ſolenni ritu feudali Vexillo inveſtiverit, in Comitiis vero Anni 1638. a ſuae Illuſtritatis ac Ducatus Curlandiae, atque Semigalliae Nobilitatis eo nomine Varſaviam ablegatis Internuntiis, *Serenitas* ſua interpellata eſſet, dignaretur conſenſum ſuum Regium praebere, ut praedictus Illuſtrisſimus Princeps Fridericus aetate confectus liberam, et plenariam facultatem haberet, cedendi regiminis, et poſſeſſionis Ducatus *Curlandiae*, et Semigalliae Illuſtrisſimo Principi Jacobo ex Fratre Nepoti, Serenitas ſua ob praememoratam cauſam, re hac prius cum Dominis Senatoribus Regni, et M. D. Litvaniae in iisdem Comitiis *Regni* Generalibus lateri ſuo aſſidentibus diligentisſime perpenſa, eoque conſiderato, quod praenominatus Illuſtriſſimus Princeps Jacobus vigore Pactorum, et Inveſtiturarum a Serenisſimis Praedeceſſoribus Serenitatis ſuae DD. Poloniae Regibus conceſſarum, et per Serenitatem ſuam ex Senatus Conſulto in ſolenni Inveſtiturarum iſtarum renovatione confirmatarum tanquam ſimultanee inveſtitus Princeps, et ex Pacto, et providentia Avi, et Patrui ſui legitimus Succeſſor, alias in Ducatus Curlandiae, et Semigalliae ſucceſſurus ſit, petitioni huic humillimae, et primaevae ſubiectionis Pactis, Inveſtituris, atque reſponſis tam ſuis, quam Reipublicae congrue locum dandum, conſenſumque Regium ſpeciali in iisdem Comitiis ex Senatus Conſulto eo nomine dato Diplomate praebendum eſſe duxit, prout etiam conſtanter praebuit. Et licet quidem ſua Illuſtritas Dux Fridericus conſenſum Serenitatis ſuae ex Senatus Conſulto de facienda in perſo. nam Ducis Iacobi ceſſione a Serenitate ſua per ſuum, ac Ordinis Equeſtris Legatos obtinuiſſet, et certis conditionibus ceſſionem feciſſet, Duxque Iacobus inhærendo Conſenſui, Homagii praeſtandi cauſa ad Serenitatem ſuam in propria perſona ad diem praefixam Vilnam veniſſet, ac iuramentum praeſtare paratus, ſolennem Inveſtituram expediri a Serenitate ſua humillime ſollicitaſſet, *Serenitas* vero ſua ceſſionem illam iuxta tenorem Conſenſus non factam fuiſſe cum DD. Senatoribus, ac Conſiliariis ſuis Regiis lateri Regio ſuo aſſidentibus, ex ceſſionis inſtrumento coram Serenitate ſua producto perſpexiſſet, nihilominus tamen ob inſignia dictorum Principum, ac inprimis Illuſtriſſimi Ducis Friderici in Reges, et Rempublicam merita, & ex ſingulari erga Domum Ducalem affectu, ac benevolentia, defectum non factae plenariae ceſſionis, ex plenitudine poteſtatis ſuae Regiae ſupplendum, beneficium illud amplificandum, ceſſionemque illam conditionatam, authoritate Regia ſublevandam eſſe duxit, eundemque Ducem Jacobum, ac illius hæredes maſculos legitimos Feudi Succeſſores eo modo ad Terras, Civitates, Oppida, Arces, Poſſeſſionesque a D. Prædeceſſoribus ſuis, ſuae Illuſtritatis Avo, eiusque hæredibus, ac Patruo *Duci* Friderico conceſſas, & praeeminentias, iuraque omnia, & ſingula, tradito a Serenitate ſua ſolenni ritu feudali Vexillo inveſtivit, diplomate conſenſus antea ex Senatus Conſulto a Serenitate ſua obtento, uti fundamento totius iſtius actus ſalvo, & in ſuo robore conſervato, cuius vigore Illuſtriſſimus Princeps Fridericus quandocunque ipſi libuerit, ceſſionem realem, & plenariam cum iurisdictione, & regimine in perſonam Ducis Jacobi facere intra fatalia tamen iuris poſſit, ſin vero contigiſſet Ducem Jacobum poſt factam ſibi a Duce Friderico ceſſionem absque prole maſcula e vita decedere, tunc nihilominus idem Ducatus non obſtante eadem ceſſione ad Ducem Fridericum redire, ac penes ipſum vigore praeteritarum ipſi conceſſarum Inveſtiturarum remanere debuiſſet, Ducem quoque Jacobum etiam non obtenta ante deceſſum Illuſtriſſimi Principis Friderici ceſſione, vi Pactorum primævorum, & Inveſtiturarum, tum quoque diver-

ANNO 1677.

Anno 1677. diverſorum reſponſorum, & iſtius Homagii intuitu, circa Feudum Ducatus, Poſſeſſionemque cum pleno regimine itidem eiusdem Inveſtiturae vigore conſervavit, Sereniſſimosque Succeſſores conſervare debere decrevit; hac ſpeciali conditione adiecta, ut Dux Jacobus ſive poſt ceſſum, ſive poſt deceſſum Ducis Friderici, non prius poſſeſſionem illius Ducatus adire, iurisdictionemque exercere inciperet, antequam per Commiſſarios ad faciendam intromiſſionem a Serenitate ſua deputandos legitime intromiſſus fuiſſet, poſſeſſione porro rite, & legitime prævia ceſſione, & intromiſſione cum pleno regimine adepta, & per aliquot annos iuxta Inveſtituram, ac Pacta conventa pacifice habita, cum ſublato ex humanis præfato Sereniſſimo Rege Vladislao IV. & Electo in Regem Poloniae Sereniſſimo Joanne Casimiro Anteceſſoribus noſtris, prænominatus Illuſtriſſimus Princeps Jacobus in Comitiis Coronationis illius, ad præſtandum Homagium per Internuntios ſuos gratiam illius humillime expetiiſſet, & ſicuti Sereniſſimi Anteceſſores noſtri Reges Poloniae in augenda, ac ornanda ſingularibus beneficiis Illuſtriſſima Curlandiae, & Semigalliae Ducum familia in omni occaſione maxima exhibuerunt documenta, ita & Sereniſſimus Joannes Casimirus Illuſtriſſimum Principem *D*ominum Jacobum pari affectu, & benevolentia complexus novum hoc beneficium eidem conceſſit, ut per Legatos ſuos cum debita fidelitatis, & ſubiectionis teſſera ſolita ſolennitate Homagium præſtare, & Inveſtituram ritu conſveto recipere poſſet; qua benevolentia Regia condigne accepta, is idem Illuſtriſſimus Princeps Dominus Jacobus ad Sereniſſimum Joannem Casimirum Anteceſſorem noſtrum Legatos ſuos, Generoſos Georgium Fiſcher de Vizeden Supremum primae inſtantiae Mitavienſ. Capitaneum, & Cubiculi Regii familiarem, atque Georgium Goës Capitaneum Schrundenſem miſit, qui Varſaviæ die 20. Menſis Maii Anno 1649. coram Throno Regio in manibus illius ſolenni ritu nomine Illuſtriſſimi Principis Domini Jacobi Homagium præſtiterunt, & viciſſim a Sereniſſimo Anteceſſore noſtro iure gratiae feudale vexillum cum Inveſtitura humillime receperunt. Idem a Sereniſſimo Michaele per Legatos ſuos Generoſos Chriſtophorum Henricum Putkamer *S*upremum Capitaneum Tuckunenſem, et Georgium Fircks Collonnelum, eandem ritu ſolenni traditione Vexilli acceperat gratiam. Poſtquam vero vocatione illius, per quem Reges regnant, ad Regale ſumus evecti ſolium, confeſtim Illuſtriſſimus Princeps Jacobus in Livonia Curlandiae, & Semigalliae Dux in Conventu Regni Generali felicis Coronationis noſtræ, & proxime diſſolutis Comitiis per Ablegatos ſuos petiit, ut iuxta beneficium ſibi a Sereniſſ. Joanne Casimiro & Michaele Rege antecedaneis noſtris antea conceſſum homagium per Legatos ſuos renovare, & præſtare poſſet. Et quia Nobis ab initio regiminis noſtri cordi fuit Illuſtriſsimum Principem Jacobum, Domumque eius Ducalem non minori benevolentia, quam Anteceſſores noſtri fecerunt, proſequi, & complecti, quapropter deſignata a Nobis erat dies huic actui peragendo ultima Julii, ſed quia Ottomanica eo ipſo tempore Regno noſtro approximare videbatur potentia, Nosque ad prælia evocare, ideo præfixum illum terminum prorogare voluimus ad felicem usque a bello reditum: quo facto, peractaque eius anni expeditione, terminatis Generalibus Regni Comitiis, tandem nunc ad acceptandum hocce Homagium acceſſimus, quod Nobis Illuſtriſſimi Principis Domini Jacobi Legatus Generoſus Evaldus Pfeilitzer nominatus Franc Cancellarius, et Supremus Conſiliarius Ducatus Curlandiae ad Nos miſſus, nomine eiusdem Illuſtriſsimi Principis coram Throno noſtro Regio, & in manibus noſtris ſolenni ritu praeſtitit, & a Nobis viciſſim feudale Vexillum iure gratiae cum Inveſtitura humillime recepit. Praemiſſa igitur omnia rata, & grata habentes, confirmantesque, & de integro ſolenni Inveſtitura conferentes, quæ a prædictis Sereniſsimis Prædeceſſoribus noſtris Regibus Poloniae vigore Pactorum, & Inveſtiturarum ſub illarum Maieſtatum manibus, Sigillis autem Regni, & M.D. Litv. Illuſtritatis eius Avo, & Patruo iam antea data, conceſſa, & collata ſunt, nimirum Ducalem Titulum adinſtar Illuſtriſſimi Ducis in Pruſſia, cum omni dignitate, Inſignibus, Privilegiis Ducalibus, ita, ut Vaſallus, & Feudatarius Princeps noſter, & Succeſſorum noſtrorum, Regniq; & M.D.L. Membrum ſit, itidemq; eius poſteri ſint. Præterea, ut a D. Sigismundo Augusto Prædeceſſore noſtro iam ante Illuſtritatis eius Avo Gotthardo quondam Duci, poſterisq; eius legitimis maſculis, ex eius lumbis linea recta deſcendentibus, nominatim *D*itiones, Poſſeſſiones, Civitates, Oppida, Arces, Terræ aſſignatæ ſine Infeudationis ſolennitate fuerunt, poſtea vero vigore legitimæ Inveſtituræ a Sereniſſimis itidem Prædeceſſoribus noſtris DD. Stephano, Si-

Anno 1677.

ANNO 1677. SIGISMUNDO III. VLADISLAO IV. JOANNE CASIMIRO, MICHAELE Regibus, & Nobis eidem attributæ, ita nunc Nos quoque Illustrissimo Principi Jacobo attribuimus, damus, & conferimus. Primum totum illum Tractum Curlandiæ, & Semigalliæ, incipiendo a salso mari, sursum sequendo fluvium Hylga, ascendendo ad antiquos limites per D. Radzivilium inceptos, & dispositos inter Samogitiam, Litvaniam, & Rrussiam ab una, & Livoniam ab altera partibus, versus Districtum Polocensem ad Dunam fluvium, descendendo vero Duna usque in mare salsum, adeo, ut quicquid in istis terminis cis Dunam versus Litvaniam continetur, & ad Ordinem Livoniæ spectabat, nunc, & in perpetuum apud Illustritatem eius, ipsiusque Hæredes masculos permaneat, Curias videlicet, Bona, & Nobilitatem, quæ ad Arcem Duneburgensem ex hac parte fluvii versus Litvaniam spectarunt, Arcem *Selburgam* cum toto Districtu, Curias item, Nobilitatem, & omne id, quod videlicet ex hac parte ad Arcem *Ascherad* spectabat, Arcem *Bausko*, *Neugut*, cum iis, quæ ad Arcem *Kircholm* pertinebant, Arces, item Curias, & Oppida *Mytaw*, *Tuckum*, *Nevenburg*, *Doblen*, *Candaw*, *Alschwangen*, *Schrunden*, *Frawenburg*, *Zabel*, tum & alias Arces, quæ Sereniſſimo Antecessori nostro D. SIGISMUNDO AUGUSTO oppignoratæ fuerunt, *Goldingen*, *Hasenpoth*, *Durben*, *Windau*, in summa octuaginta millium florenorum, Arcem vero *Grobin* in quinquaginta millibus Illustrissimo quondam Principi Alberto Marchioni Brandeburgensi, in Prussia Duci itidem oppignoratam, & illas quidem summas, quemadmodum DD. Prædecessores nostri in Diplomatibus suis remiserant, ita & Nos remittimus; adeoque uti præmemorati D. Prædecessores nostri suæ Illust. Antecessores, ita & Nos eius Illustritatem, legitimosque eius Successores, Hæredes masculos ex lumbis eius provenientes, circa totum istum Curlandiæ, atque Semigalliæ Ducatum, cum dictis Terris, Civitatibus, Oppidis, Arcibus, & Curiis hac Investituræ renovatione pro Nobis, & Successoribus nostris in toto conservamus, iisdem Prærogativis, & Immunitatibus, quibus Illustrissimo Principi Friderico, & eius Antecessori antea collata fuerunt, sine nostro, Hæredumque, & Successorum nostrorum Regum, & Regni Poloniæ impedimento, & præiudicio. Pro Nobis vero, & Sereniſſimis Successoribus nostris, Regno, ac M. D. Litvaniæ reliquam Livoniam cum omni proprietate, directo, & utili dominio, omnique mero, & mixto imperio, quemadmodum iam ante Divi Prædecessores nostri SIGISMUNDUS AUGUSTUS, STEPHANUS, SIGISMUNDUS III. VLADISLAUS IV. JOANNES CASIMIRUS, & MICHAEL reservarunt, ita etiam Nos reservamus, retinemusque salvis Pactis Olivensibus. Cumque inter cætera, & hoc inter Sereniſſimum Prædecessorem nostrum *Divum* SIGISMUNDUM AUGUSTUM, & Illustritatis eius Avum convenerit, ut permutatione Episcopatus Curonienſis pro Sonneburga Arce, Curiis *Leal*, & *Madzel* Illustris Dux Magnus contentetur, & ad eam rem prædictus D. SIGISMUNDUS AUGUSTUS, Serenissimus STEPHANUS, Sereniſſimus SIGISMUNDUS III. Sereniſſimus VLADISLAUS IV. Sereniſſimus JOANNES CASIMIRUS, & Serenissimus MICHAEL operam receperunt, ut cum reliqua Curonia Episcopatu Curonienſi quoque sua Illustritas potiatur. Postea vero cum vivente Duce Magno permutatio ea perfecta non fuisset, graviſſima autem de Episcopatu eo controversia inter D. memoriae Decessorem nostrum STEPHANUM, & Sereniſſimum Daniae Regem exorta, tandem Sereniſſimus quondam *D*aniae Rex per Transactionem ex certis conditionibus Sereniſſ. Decessori nostro, Regnoq; ius suum, quod habere se in eo Episcopatu existimabat, cessisset, nihil hoc tempore sine omnium Ordinum consensu statuere ea de re possumus, rem omnem in eo statu, in quo ante sub Sereniſſ. Regibus SIGISMUNDO AUGUSTO, STEPHANO, SIGISMUNDO III. VLADSILAO IV. JOANNE CASIMIRO, et MICHAELE Antecedaneis nostris fuit, in eodem quoque statu eam relinquendam censuimus, prout de facto relinquimus, salva *C*ommissione authoritate omnium Ordinum Regni decreta, quam iuxta Constitutionem novellam in effectum deducemus. Neve etiam limitum indiscussorum cùm vicinis Illustritas eius controversiam, aut difficultatem habeat, *R*egia nostra Authoritate curabimus, ut primo quoque tempore ad praescriptum Pactorum Poswolienſium, & posteriorum Vilnensium regantur, & certi constituantur in tota illa vicinia limites. Interea vero neutra pars alteri damnum inferat, aut litem, & difficultatem moveat, pro eo, ut hoc Privilegio praedictorum Divorum Praedecessorum nostrorum continetur, cumque Tractus Dunae sursum & deorsum limites inter Nos, & Illustritatem eius constituat, ius, & aequitatis ratio postulat, ut medietate fluvii in piscando, & aliis commoditatibus eius Illustritas perpetuo gaudeat, quaeque insulae,

ANNO 1677.

ANNO 1677. sulae, seu mediamnes alteri parti viciniores sunt, apud eandem partem iuxta Privilegia eorundem Divorum Decessorum nostrorum maneant. Monetae etiam cudendae facultatem, ut a praedictis Divis Antecessoribus nostris iam ante Illustrisimo olim Avo, & Patruo Illustritatis eius data est, Illustritati eius confirmamus, & de integro conferimus, ad pondus, & valorem communem Reipubl. et ut eius promiscuus, & indifferens usus sit tam in Regno et Litvania, quam in Livonia; volumus attamen ut ex una parte nostra effigies, vel Insignia *R*egni, Magnique *D*ucatus Litvaniae, in altera Illustritatis eius exprimantur. Si quid porro Illustritati eius vendendum, oppignorandum, permutandumve fuerit, super hoc Illustritati eius libertatem, facultatemque concedimus, & ut antea a Divis Praedecessoribus nostris concessum est, ita videlicet, ut ad Nos, et Serenisimos Successores nostros de eo primo loco referatur, Nobisque optio detur, si talem oppignorationem ipsi acceptare voluerimus, sin minus, tum id Illustrit. eius liceat, cui volet: ita tamen, ut tali oppignoratione nulla occasio dismembrationis a Republica eorum bonorum detur. Dabimus quoque operam secundum Privilegium praedicti Divi Antecessoris nostri, ut si quando Ducatus Esthoniae cum Civitate Revalienси aliqua ratione ad Regnum nostrum Poloniae adiungatur, ut suae Illustritati, eiusque Haeredibus, et Successoribus legitimis aequa portio vel in bonis, vel in pecunia concedatur. Sumptibus in ea recuperatione factis ante omnia Nobis refusis. Quod punctum non ad convellenda Pacta Olivensia, quae inviolabiliter observari volumus, referendum est, sed ut vigori, atque observationi Investiturarum in casum inopinatum, quem Deus avertat, caveatur. Denique Illustritati eius iurisdictionem totalem pro eo, ut in Privilegiis Divorum Praedecessorum nostrorum continetur, iuxta leges, et consvetudines, moresque antiquos confirmamus, et de novo concedimus, et illis, qui eius Illustritatis iurisdictioni subiecti, et ratione domiciliorum subditi eius erunt, et manebunt, ad suum tantum Principem provocabunt; in causis tamen gravibus, et maximi momenti licebit Nobilitati a Principe suo, prout de iure, et iuxta tenorem priorum Investiturarum provocare. Caverat etiam *D.* SIGISMUNDUS AUGUSTUS Antecessor, Illustritatis eius piæ memoriae Avo, cum ante sexennali bello tam suae Illustritatis, quam et Nobilitatis *C*uronienси vires exhaustae essent, relaxata ut esset sua Illustritas, et Nobilitas ab onere belli, et ut hoc saltim praestarent, et mitterent, quod commode pro modulo suo possent, alio autem tempore eam habendam rationem, quam Illustriss. olim Ducis in Prussia, D. STEPHANUS vero Rex Decessor noster se quoque pro eo bello, quod tum habebat, iis copiis, de quibus cum Illustritate eius sibi conveniret, contentum fore promittebat. Itaque quamvis Nobis de eius Illustritate persvadeamus, quae cum Nobilitate sua possit, Nobis non gravatim praestituram, tamen ad clariorem, quid sua Illustritas Nobis praestare teneatur, declarationem, ita prout inter Serenitatem suam, Praedecessorem nostrum, ac Illustritatem suam conventum fuerat, inter Nos, et eandem etiam convenit; quod inposterum in vim perpetuae obligationis erit observandum: Ut Illustrisimus Dux Jacobus, eiusque *S*uccessores, et Feudi Haeredes, pro hac nostra in se beneficentia, tempore expeditionis bellicae, unam cohortem equitum cum servitiis equestribus Nobilium, quoties iis opus fuerit, intra fines Ducatus Curlandiae, et *S*emigalliae praestet; quoties vero publica aliqua necessitate bellica postulante, in Regno publicæ contributiones decretae fuerint, toties Dux Iacobus summam decem millium florenorum Polonicalium in Thesaurum Reipublicae inferet, et Successores illius inferre tenebuntur: hoc videlicet pacto, quod licet una, sive plures contributiones in Generalibus *C*omitiis scisserentur, Dux Iacobus in locum, sive unius, sive plurium, praetactam decem millium florenorum Polonicalium summam, et non plus, accepta desuper quietatione DD. Thesaurariorum cum suis *S*uccessoribus pendere, ac solvere adstrictus erit. Secus vero, si publica expeditione sic exigente, Dux Iacobus Vasallagium equitum cum suis Nobilibus sisteret, in hoc casu, pro eo tempore, etiamsi contributiones in Comitiis scitae fuissent, liberum, et immunem eundem Ducem Iacobum, et ipsius Successores a persolvenda decem millium florenorum Polonicalium contributione fore debere declaramus. Alias etiam conditiones, et cautiones, de quibus inter Serenisimum Regem VLADISLAUM IV. Antecessorem nostrum convenerat, quaeque peculiaribus scriptis commemorati Illustrisimi Principis, sub illius Chirographo, et Sigillo continentur, debebit ipse Illustrisimus Princeps, ac eius Successores observare. Postremo cum iam ante Illustrisimus olim Avus Illustritatis eius perneccessariis, et iustisimis de causis se ditioni, atque imperio

ANNO 1677. Serenisſimorum Praedeceſſorum noſtrorum, et Succeſſorum Regni, et M. D. L. ſubiecerit, extrema Magni Moſchorum Ducis iniuria, vi, atque oppreſſione hoſtili impulſus, fruſtra per annos complures implorata Romani Imperii, atque Imperatorum ope, ac ſubſidio, iamque per longisſimum temporis ſpatium veluti pro derelicto habitus, ſub ditione Poloniae Regum Anteceſſorum noſtrorum & noſtra, nulla cum controverſia permanſerit. Nos quidem futurum non iudicamus, ut eius Illuſtritati eo nomine controverſia, aut moleſtia ulla afferatur, verum tamen ſi quae allata fuerit, quæ cum labe aliqua nominis, aut aliquo detrimento coniuncta ſit, Nos in eo Regio noſtro officio, quod in defendendis ſubditis noſtris verſari non ignoramus, minime defuturi ſumus. Quodque Serenisſimos Prædeceſſores noſtros in cauſa Illuſtrisſimi quondam in Pruſſia Ducis Alberti egiſſe intelligimus, agere minime prætermittemus, defenſionemque contra hoſtem omnem, qualiscunque tandem ille fuerit, præſtabimus, & Succeſſores noſtri præſtabunt. Ipſe vero Illuſtrisſimus *Dux*, pro hac Serenisſimorum Prædeceſſorum noſtrorum, & noſtra in ſe beneficentia, quæcunque vaſalli, & feudales Principes erga ſuum naturalem, ſuperiorem & directum Dominum fidelitatis, obſervantiae, ſervitiorumque officia, & ſtudia præſtare tenentur, Illuſtritas eius erga Nos, Regnumq; & M. D. Litvaniæ præſtabit, itidemque hæredes legitimi in hoc feudo Succeſſores præſtabunt. Nosque vicisſim eius Illuſtritatem, & Hæredes, & Succeſſores omni patrocinio, amore, & benevolentia boni Regis, & ſupremi, directique Domini complecti, & in Juribus, Immunitatibus, & Privilegiis illorum ſervare tenebimur, & Succeſſores noſtri tenebuntur. In quorum omnium, & ſingulorum fidem, præſentes Literas manu noſtra ſubſcripſimus, & Sigillis Regni, & M. D. Litvaniæ muniri mandavimus. Datum Varſaviæ, die 28. Menſis Aprilis, Anno Domini 1677. Regni vero noſtri Anno III.

Præſentibus Reverendiſſimo, Reverendis, Magnificis, Venerabilibus, Generoſis, & Nobilibus, Andrea Olſzowſki Archiepiſcopo Gneſnenſi, Legato Nato, Regni Primate, primoque Principe, Andrea Trzebicki Cracovienſi, Duce Severiæ, Stephano Wierzbowſki Poſnanienſi, Joanne Stephano Wydzga Varmienſi, & Sambienſi, Regni Procancellario, Staniſlao *Dą*bſki Luceorienſi, *Staniſlao* Hyacinto Swięcicki Chełmenſi, Joanne Małachowſki Culmenſi, & Pomeſanien. Alexandro Kotowicz *Smolenſcenſi* Epiſcpis, Michaele Caſimiro Pac Vilnenſi, Supremo Exercituum M. D. L. Duce, Joanne Tarło Sandomirienſi, Andrea Kotowicz Caſtellano Vilnenſi, Martino Oginſki Trocenſi, Felice Casimiro Potocki Siradienſi, Andrea Potocki Kiiovienſi, Staniſlao Joanne Iabłonowſki Ruſſiæ, Regni Campiductore, Michaele Duce in Klewan Czartoryſki Volhiniæ, Maximiliano Fredro Podoliæ, Vladiſlao Rey Lublinenſi, Georgio Demetrio Korybuth Duce in Wiſniowiec, & Zbaraz Bełzenſi, Exercituum Regni Supremo Duce, Samuele Prazmowſki Plocenſi, Ioanne Antonio Chrapowicki Witebſcenſi, Venceſlao Leſzczynſki Podlachiæ, Ioanne Gniński Culmenſi, Ioanne Oginſki Mſciſlavienſi, Conſtantino Duce in Wiſniowiec, & Zbaraz Braclavienſi, Ioanne Ignatio Bąkowſki Pomeraniæ, Palatinis. Chriſtophoro Grzymułtowſki Poſnanienſi, Sacræ Regiae Maieſtatis Mareſchalco, Staniſlao Skarſzewſki Woynicenſi, Alexandro Sielſki Gneſnenſi, Stephano Ludochowſki Volhyniæ, Carolo Łuzecki Podlachiæ, Stephano Piaſeczynſki Breſtenſi, Caſtellanis. Staniſlao Comite in Wiśnicz, & Iaroſlaw Lubomirſki Regni Supremo Mareſchalco, Chriſtophoro Pac M. D. Litvaniæ Supremo Cancellario, Michaele Casimiro Duce Radziwill Procancellario, & Campiductore M. D. Litvaniæ, Andrea de Raciborſko Morſtin Regni, Benedicto Paulo Sapieha M. D. Litvaniæ ſupremis Theſaurariis, Nicolao Hieronymo a Granow Sieniawſki Comite in Szkłow & Myſz Curiæ Regni Mareſchalco, & Capitaneo Rohatinenſi, Franciſco Prazmowſki Regni, & Abbate Sieciechovien. Conſtantino Brzoſtowſki M. D. Litvaniæ, & Præpoſito Trocenſi ſupremis Secretariis, Ioanne Bonaventura Kraśinski Regni, Cypriano Paulo Brzoſtowſki M. *D.* Litvaniæ Referendariis, Joanne Szomowſki Regni Curiæ Theſaurario, & Magno Arcis Cracovienſis Procuratore, Theodoro Donhoff Succamerario Regni, Ioanne Franciſco Bielinſki Regni, Palatinatus Plocenſis Succamerario, Marieburgenſi, Oſiecenſi Capitaneo, Georgio Tyzenhaus M. D. Litvaniæ Enſiferis. Hieronymo Auguſtino Comite in Wisnicę, & Iarosław Lubomirſki Equite Melitenſi, Regni, Ioſepho Boguſlao Słuſzka M. D. Litvaniæ Vexilliferis, Stephano Staniſlao Czarniecki Regni Notario Campeſtri, & Capitaneo Branſcenſi, Stephano Bidzinſki Regni ſupremo Excubiarum Præfecto, Staniſlao Koniecpolſki Regni Caſtrorum Metatore, & Capitaneo Dolinenſi, Marco Mateczynſki Regni, & Capita-

ANNO 1677. pitaneo Grabovecenſi, Franciſco Sapieha M. D. Litvaniae ſupremis ſtabuli Præfectis, Ioanne Carolo Danielowicz Regni Inciſore, Lublinenſi, Parcovienſi Capitaneo, Raphaele Leſzczynſki Regni Subdapifero, Wſchovenſi Capitaneo, Ioanne Załuſki Regni Culinæ Præfecto, Ioanne Witwicki Præpoſito Infulato Olycenſi, Abbate Plocenſi, Gneſnenſi, Varſavienſi Canonico, Minoris, Regni, Andrea Oſſowſki Canonico Vilnenſi, itidem Minoris M. D. Litvaniæ Cancellariarum Regentibus, Ioanne Sbaſki Archidiacono Gneſnenſi, nominato Epiſcopo Premiſlienſi, S. R. Maieſtatis Cancellario, Michaele Radzieiowſki Præpoſito Sancti Michaelis Cracovienſi, Gneſnenſi, Varſavienſi Canonico, intimo noſtro Secretario, Staniſlao Krzycki Caliſſienſi, Stephano Sarnowſki Lancicienſi, Carolo Romanowſki Chełmenſi, Theophilo Grzybowſki Cernenſi Succamerariis, Petro Kochanowſki Radomienſi, Vladiſlao de Raciborſko Morſtin Kowalewienſi, Staniſlao Bykowſki Predecenſi, Andrea Gąſiorowſki Radzieiovienſi, Martino Kątſki Premyſlienſi, Artilleriæ Regni Generali Præfecto, Ioanne Zielinſki Ciechanovienſi, Martino Oborſki Livenſi, Gołębienſi, Hayſinenſi, S. R. Maieſtatis Cameræ intimo Sigilli Miniſtro, Capitaneis noſtris, Vladiſlao Skoraſzewſki Vexillifero Poſnanienſi, Nuntiorum Terreſtrium Marſchalco, Ioanne Grabowſki Cancellario Leopolienſi, Archidiacono Unieiovenſi, Gneſnenſi, Lovicienſi Canonico, Nicolao Swięcicki, Officiali Generali *Ducatus* Maſoviæ, *Cancellario* Poſnanienſi, Scholaſtico Varſavien. Brohovien. Præpoſito, *Staniſlao* Kraiewſki Præpoſito Caliſſienſi, Cuſtode Lovicienſi, Canonico Gneſnenſi, Alexandro Koſzonowſki Canonico Poſnanien. *Secretariis* noſtris, Iacobo Rokitnicki, Dobrinenſi, Nicolao Narzymſki Plocenſi, Vexilliferis, Alberto *Conſtantino* a Goray Breza Nowodworienſi *Capitaneo*, *Staniſlao Sicinſki* Iudice Premiſlienſi, Veſpaſiano *Sienicki* Pocillatore Chełmenſi, Nicolao Kłokocki Dapifero Plocenſi, Remigiano Ioanne *Strzałkowſki* Venatore Leopolienſi, *S. R.* Maieſtatis Colonello, Athanaſio Miączynſki Colonello, & intimo Cubiculi noſtri Familiari, *Stephano* Hankiewicz Decretorum Curiæ noſtræ Notario, Melchiore Gurowſki, Franciſco *Caſimiro* Plaſkowſki Theſauri Regni primo Notario, Nicolao *Szultz* Actorum Metrices *Regni* Notario, & *Staniſlao* Baczynſki *Cancellariæ* Regni, & huius Diplomatis Notario, *Secretariis* noſtris, aliisque plurimis Officialibus Regni; & M. D. Litvaniæ Terrarum Nuntiis, Nobilibusque ad præſentem *Conventum* Generalem Varſaviæ congregatis, laterique noſtro Regio aſſiſtentibus. ANNO 1677.

IOANNES *Rex.*

Joannes Staniſlaus Witwicki Abbas Plocenſis, Infulatus Oticenſis, Regens Cancellariæ Regni

(L. S. Regni.) (L. S. M. D. L.)

CCLXXV.

Reverſales S. R. Maieſtatis, quod Infeudatio Illuſtriſſimi Jacobi Curlandiæ, & Semigalliæ Ducis ſine quibusdam ſolennitatibus peracta, in præiudicium, & ſequelam trahi non debeat. Dat. Varſaviæ d. 27. Apr. 1677. 1677.

JOANNES III. Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ &c. Significamus præſentibus Literis noſtris, quorum intereſt univerſis, & ſingulis. Miſiſſe ad Nos pro termino recipiendæ Inveſtituræ aſſignato, Illuſtriſſimum Principem Dominum Jacobum in Livonia *Curlandiæ*, & *Semigalliæ Ducem*, Legatum ſuum Generoſum Evaldum Pfeilitzer, nominatum Franck, Cancellarium, & *Supremum* Conſiliarium Ducatus ſui Curlandiae. Et quoniam Nos in hoc Actu Homagii more veterum Inveſtiturarum Regalia indutos, Coronaque Homagiali redimitos eſſe, certæ non permiſerunt legalitates, declarandum cenſuimus, declaramusque hiſce Literis noſtris, quod Actus hic nil receptæ conſvetudini, & *Solennitati* Infeudationis ex pacto, & providentia præiudicare, nec pro exemplo, aut præiudicato in futuris (Deo dante) Homagiis reputari poterit. In cuius rei fidem præſentes manu noſtra ſubſcriptas, Sigillis Regni, & M. D. L. muniri iuſſimus. Datum Varſaviæ, die 28. Menſis Apr. An. Dom. 1677. Regni noſtri tertio Anno.

CCLXXVI.

Confirmatio Articuli de libero exercitio Religionis Auguſtanæ, Dat. Varſaviæ d. 27. Apr.. An. 1677. 1677.

JOANNES III. DEI Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ &c. Significamus præſentibus Literis noſtris, quorum intereſt univerſis, & ſingulis harum notitiam habituris. Quod cum Illuſtriſſ. Princeps Jacobus Feudi ſui Ducalis re-

ANNO 1677. renovationem, tum Jurium, & Privilegiorum, Conceſſionumque omnium, quæ a Sereniſſimis olim DD. SIGISMUNDO AUGUSTO, STEPHANO, SIGISMUNDO III. VLADISLAO IV. JOANNE CASIMIRO, & MICHAELE Regibus Prædeceſſoribus noſtris, ipſe, & Illuſtriſſimi olim Anteceſſores eius conſecuti fuiſſent, confirmationem per eundem Legatum ſuum petiiſſet, & cætera quidem, quæ conferenda, & confirmanda exiſtimaſſemus, ipſo Inveſtituræ Diplomate confirmare, & conferre Nobis viſum eſſet, Articulum de Religione Confeſſionis Auguſtanæ e Privilegio eiusdem Divi SIGISMUNDI AUGUSTI, quemadmodum & Divæ memoriæ Sereniſſimi Prædeceſſores noſtri fecerunt, hoc peculiari noſtro Diplomate eius Illuſt. Regia noſtra poteſtate, & authoritate confirmare voluiſſe. Cuius quidem Articuli in commemorato Privilegio D. SIGISMUNDI AUGUSTI contenti, tenor de verbo ad verbum eſt talis: *Dedimus præterea fidem, & præſentibus Literis ſancte damus, recipimus, & promittimus, Nos tam Principi ipſi, quam Civitatibus, aliisque ſubditis ſuis, cuiuscunque Ordinis, vel Status fuerint, liberum uſum Religionis, cultusque divini, & receptorum rituum ſecundum Auguſtanam Confeſſionem in ſuis Eccleſiis, totiusque rei Eccleſiaſticæ integram Adminiſtrationem, ſicut eam hactenus habuerunt, libere permiſſuros, nec in ea ullam mutationem facturos, neque ut ab aliis fiat, permiſſuros.* Hunc igitur Articulum ex omni ſua parte Nos gratum, ratumque habere, atque eius Illuſtritati confirmare, & ſalvum, ſartumq; perpetuis temporibus conſervaturos eſſe, verbo noſtro Regio pro Nobis, & Sereniſſimis Succeſſoribus noſtris promittimus; quemadmodum eum vigore harum noſtrarum Literarum plene confirmamus. In cuius rei fidem præſentes Literas manu noſtra ſubſcripſimus, & Sigillo Regni noſtri, & M.D. Litv. communiri mandavimus. Datum Varſaviæ die 27. Menſis Aprilis Anno Domini 1677. Regni vero noſtri Anno tertio.

CCLXXVII.

1677. *Reverſales Jacobi Ducis Curlandiæ, quod Religionis Catholicæ liberum exercitium in ſuis Ducatibus ſit conſervaturus* Dat. Mitaviæ d. 13. Febr. An. 1677.

Jacobus Dei Gratia in Livonia Curlandiæ, & Semigalliæ Dux. Cavemus, & aſſecuramus præſentibus, quod nullis hominibus, nec Ducatuum noſtrorum Incolis cuiuscunque ſtatus, & conditionis fuerint, Religionem *C*atholicam profitentibus, ſive qui ad præſens, ſive qui poſthac futuri ſint, exercitium publicum prohibituri ſimus, ita, ut nullus Catholicorum *S*acerdotum eo nomine quoad Nos turbari, inquietari, accuſari, nullus vim, iniuriam, & contumeliam pati debeat, atque ut omnibus Nobilibus, quicunque in bonis ſuis allodialiis Templa, Eccleſiasque habuerint, & habere voluerint, ſecundum declarationem in Reverſalibus An. 1639. contentam, in iisdem exercitium *C*atholicae Religionis inſtituere, *S*acerdotes alere, habereque, ſine cuiusquam impedimento liberum, integrumque ſit, verbo Principis ſpondemus, & promittimus. In cuius fidem haſce manu noſtra ſubſcriptas *S*igillo noſtro Ducali communiri iuſſimus. Datum Mitaviae die 13. Febr. Anno 1677. ANNO 1677.

IACOBUS. (L.S.)

CCLXXVIII.

1683. *Diploma Inveſtituræ Ducatuum Curlandiæ, & Semigalliæ datum Friderico Caſimiro Duci per* JOANNEM III. *Regem.* Varſaviæ d. 25. Martii, An. 1683. *Ex Archivo Regni.*

In Nomine Domini Amen.
Ad perpetuam rei memoriam.

Nos JOANNES III. Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Kiioviæ, Volhyniæ, Podoliæ, Podlachiæ, Livoniæ, Smolenſciæ, Severiæ, Czernichoviæque. Significamus præſentibus Literis noſtris, quorum intereſt huius, et futuri temporis univerſis, et ſingulis. Cum iam antea Illuſtriſſimus olim Princeps D. Gotthardus Curlandiae, et Semigalliae Dux, tum temporis Equeſtris Ordinis Theutonici Magiſter, univerſa cum Livonia, Nobilitate, Civitatibus, Statibus, atque Ordinibus omnibus, ſe ad Sereniſſimi Prædeceſſoris noſtri Divi SIGISMUNDI AUGUSTI, et Succeſſorum, Regnique Poloniæ, & M. D. Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, caeterarumque ditionum noſtrarum fidem, ac poteſtatem contuliſſet, et in omne tempus ſubieciſſet, idque ut faceret, iuſtiſſimis, graviſſimisque cauſis, et perneceſſariis Livoniae rebus adductus eſſet, Magno nempe Moſchorum Duce longo, et crudeliſſimo bello in eam Provinciam graviſſime incumbente, ac longe, lateque omni iniuria-

ANNO 1683. iuriarum, direptionumq; genere, et flammæ, ferriq; sævitia grassante, iamque eo usq; armis progresso, ut nihil non in eius potestatem venturum, cunctaque vi illa hostili superatum, atque excisum iri viderentur; iam eius Illustritate, cunctisque Livoniae Ordinibus belli magnitudine admodum fractis, et ne quicquam Serenissimorum Imperatorum Rom. Sacriq; Romani Imperii fidem, auxilium, et opem diu implorantibus, spem iam nullam non modo pristini status Provinciae, sed ne quidem salutis, libertatis, vitaeque singulorum amplius retinendae habentibus aliam, quam quae in Serenissimorum Poloniae Regum, et Regni, Magnique Ducatus Litvaniae defensione, atque imperio sita esset, quod tum eius Illustritas, cum Livonia universa a Serenissimo Praedecessore Divo SIGISMUNDO AUGUSTO in fidem, potestatem, ac ditionem suam, et Successorum suorum Regni, Magnique Ducatus Litvaniae certis conditionibus iuste, legitimeque recepta sit. Et quia Illustritatis eius studium in adducenda ea Provincia ad subiectionem, ditionemque Poloniae Regum singulare extitisset, et ita mereri eius dignitas, virtus, fides censeretur, illi mutato, ex consilio Ordinis Equestris, statu priore, approbante eam rem Serenisimo Rege Divo SIGISMUNDO AUGUSTO ab eodem tanquam supremo, directo, naturali, ac perpetuo Feudi illius Domino, Ducalis titulus cum omni dignitate, Insignibus, Privilegiis Ducalibus, ac ditionibus certis tributus, et eius Illustritas Vasallus Poloniae Regum, Feudatariusque Princeps, et Regni, Magnique Ducatus Litvaniae membrum factus fuerit, prout Diplomate iam ante *D.* Praedecessori nostro *D.* STEPHANO Regi exhibito, ac Vilnae 28. die Novemb. Anno *D*omini 1561. perscripto, et SIGISMUNDI AUGUSTI Prædecessoris manu subscripto, Sigillo autem eius annulari signato, certius, fusiusque continetur. Quod praeterea cum Illustritas eius de solenni sua Investitura Feudali Serenisimum *D*ecessorem Divum SIGISMUNDUM AUGUSTUM aliquoties appellasset, et per temporum rationem, magnitudinemque Regni negotiorum voti sui compos, regnante, viventeque praedicto *D*ivo *D*ecessore nostro effici non potuisset, postea vero a Serenisimo STEPHANO Rege, et Praedecessore nostro ad Regni Poloniae, Magnique *D*ucatus Litvaniae fastigium *D*ei benignitate evecto, diligentisimis precibus confirmationem suorum Iurium a D. SIGISMUNDO AUGUSTO concessorum, et Ducalem Feudi Investituram prius in Comitiis ab eodem D. STEPHANO Rege habitis flagitasset, sed cum magnitudo, varietasq; occupationum *S*erenitatis eius, tum locorum quoq; intervalla id a Serenitate eius præstari non paterentur, eiq; rei peragendæ ex consilio Regni nostri *C*onsiliariorum, qui partim Serenitati eius coram adfuerunt, partim per literas de eo appellati fuerunt, pariterque eorum, qui ex M. D. Litvaniae frequentes Serenitati eius in Senatu assederunt, in alium locum, tempusque opportunitate eius rei constituta. Cum Illustritas eius ad diem quartam Mensis Augusti Anno Domini 1579. sub generalem exercituum delectum, et recensitum ad flumen Dunam prope Dzysnam, quo in loco tum idem Serenisimus Praedecessor noster Castra habebat, accessisset, inque Castris, et tentorio Serenitatis eius Investituram ab eodem Serenisimo Decessore nostro petiisset, et fidelitatis, subiectionisque iusiurandum eidem Serenisimo Praedecessori nostro, eiusque Successoribus, supremis, directis, naturalibus, et perpetuis Dominis, Regno, Magnoq; Duc. nostro Litvaniae praestitisset. Quod tum idem *S*erenissimus Praedecessor noster STEPHANUS Rex, ex consilio Senatorum tam lateri eius assidentium, quam per Literas de eo requisitorum, prænominatum Illustrissimum Principem Dominum Gothardum, Curlandiæ, & Semigalliae Ducem ad Terras, Civitates, Oppida, Arces, Possesiones, quas a commemorato *S*erenissimo *D*ecessore nostro concessas habebat, ac Praeeminentias, Iuraque omnia, & singula, tradito ab eodem Serenisimo Decessore nostro STEPHANO Rege solenni ritu Feudali Vexillo, Serenitas sua investiverit, Serenisimus quoq; SIGISMUNDUS III. Poloniae, ac Sveciae Rex Illustrisimo Principe Gothardo mortuo, Filiis Illustritatis eius Illustribus Principibus Domino Friderico, & Gvilhelmo eorundem Iurium, confirmationem, & Ducalem Feudi Investituram diligentisimis itidem precibus flagitantibus, praedictos Illustrisimos Principes Fridericum, & Gvilhelmum, Illustrisimum quidem Principem Fridericum praesentem, Illustrisimum vero Principem Gvilhelmum per unum ex Consiliariis Fratris sui Vexillum porrectum apprehendentem, ad easdem Terras, Civitates, Oppida, Arces, Possesionesque, ac Praeeminentias, Juraque omnia, & singula, tradito solenni ritu feudali Vexillo, utrumque in solidum, sine tamen Ducatus dismembratione investiverit, & sublato ex humanis Serenisimo Rege D. SIGISMUNDO III. Illustrisimus Princeps Fridericus in felicis Inaugurationis Serenisimi Regis VLADISLAI IV.

ANNO 1683.

ANNO 1683. Deceſſoris Comitiis, tam propter difficultates itinerum, quam temporis anguſtiam, ad praeſtandum vigore Pactorum, et Inveſtiturarum Homagium adeſſe non poſſet, praefatus quoque Rex abſentiam Illuſtritatis eius in bonam partem ex allegatis rationibus accipiens, eius Homagii praeſtationem ad proxima tunc Comitia vel felicem eiusdem in M. D. Litvaniae Vilnam videlicet adventum diſtuliſſet, praedictusque Illuſtriſsimus Curlandiae Dux Fridericus iuxta reſponſum Serenitatis ſuae ſolennis iuramenti Regi, Regnoque praeſtandi cauſa Vilnam in propria perſona veniſſet, et die 20. Menſis Julii *S*enatoribus lateri Serenitatis ſuae aſſidentibus, Officialibus, et Aulicis *R*egiis, magnaque frequentia Nobilitatis praeſentibus, Inveſtituram a Serenitate ſua petiiſſet, iusiurandum præſcriptis verbis, ſolenni ritu, et ceremonia Regi, Regnoque praeſtitiſſet, Junior vero tunc Illuſtriſsimus Dux Jacobus, ſuae Illuſtritatis ex Fratre Nepos, tum temporis praeſens tanquam legitimus *S*ucceſſor a Serenitate ſua ad contactum Vexilli admiſſus fuiſſet, Serenitas ſua praedictum Illuſtriſſ. Principem Fridericum ad easdem Terras, Civitates, Oppida, Arces, Poſſeſſiones, ac Praeeminentias, Juraq; omnia, et ſingula tradito ſolenni ritu feudali Vexillo inveſtiverit, in Comitiis vero Anni 1638. a ſuae Illuſtritatis ac Ducatus Curlandiae, atque Semigalliae Nobilitatis eo nomine Varſaviam ablegatis Internuntiis, *S*erenitas ſua interpellata eſſet, dignaretur conſenſum ſuum Regium praebere, ut praedictus Illuſtriſsimus Princeps Fridericus aetate confectus liberam, et plenariam facultatem haberet, cedendi regiminis, et poſſeſſionis Ducatus *C*urlandiae, et Semigalliae Illuſtriſsimo Principi Jacobo ex Fratre Nepoti, Serenitas ſua ob praememoratam cauſam, re hac prius cum Dominis Senatoribus Regni, et M. D. Litvaniae in iisdem Comitiis *R*egni Generalibus lateri ſuo aſſidentibus diligentiſsime perpenſa, eoque conſiderato, quod praenominatus Illuſtriſſimus Princeps Jacobus vigore Pactorum, et Inveſtiturarum a Serenisſimis Praedeceſſoribus Serenitatis ſuae DD. Poloniae Regibus conceſſarum, et per Serenitatem ſuam ex Senatus Conſulto in ſolenni Inveſtiturarum iſtarum renovatione confirmatarum tanquam ſimultanee inveſtitus Princeps, et ex Pacto, et providentia Avi, et Patrui ſui legitimus Succeſſor, alias in Ducatus Curlandiae, et Semigalliae ſucceſſurus ſit, petitioni huic humillimae, et primaevae ſubiectionis Pactis, Inveſtituris, atque reſponſis tam ſuis, quam Reipublicae congrue locum dandum, conſenſumque Regium ſpeciali in iisdem Comitiis ex Senatus Conſulto eo nomine dato Diplomate praebendum eſſe duxit, prout etiam conſtanter praebuit. Et licet quidem ſua Illuſtritas Dux Fridericus conſenſum Serenitatis ſuae ex Senatus Conſulto de facienda in perſo. nam Ducis Iacobi ceſſione a Serenitate ſua per ſuum, ac Ordinis Equeſtris Legatos obtinuiſſet, et certis conditionibus ceſſionem feciſſet, Duxque Iacobus inhærendo Conſenſui, Homagii praeſtandi cauſa ad Serenitatem ſuam in propria perſona ad diem praefixam Vilnam veniſſet, ac iuramentum praeſtare paratus, ſolennem Inveſtituram expediri a Serenitate ſua humillime ſollicitaſſet, *S*erenitas vero ſua ceſſionem illam iuxta tenorem Conſenſus non factam fuiſſe cum DD. Senatoribus, ac Conſiliariis ſuis Regiis lateri Regio ſuo aſſidentibus, ex ceſſionis inſtrumento coram Serenitate ſua producto perſpexiſſet, nihilominus tamen ob inſignia dictorum Principum, ac inprimis Illuſtriſſimi Ducis Friderici in Reges, et Rempublicam merita, & ex ſingulari erga Domum Ducalem affectu, ac benevolentia, defectum non factae plenariae ceſſionis, ex plenitudine poteſtatis ſuae Regiae ſupplendum, beneficium illud amplificandum, ceſſionemque illam conditionatam, authoritate Regia ſublevandam eſſe duxit, eundemque Ducem Jacobum, ac illius hæredes maſculos legitimos Feudi Succeſſores eo modo ad Terras, Civitates, Oppida, Arces, Poſſeſſionesque a D. Prædeceſſoribus ſuis, ſuae Illuſtritatis Avo, eiusque hæredibus, ac Patruo *D*uci Friderico conceſſas, & praeeminentias, iuraque omnia, & ſingula, tradito a Serenitate ſua ſolenni ritu feudali Vexillo inveſtivit, diplomate conſenſus antea ex Senatus Conſulto a Serenitate ſua obtento, uti fundamento totius iſtius actus ſalvo, & in ſuo robore conſervato, cuius vigore Illuſtriſſimus Princeps Fridericus quandocunque ipſi libuerit, ceſſionem realem, & plenariam cum iurisdictione, & regimine in perſonam Ducis Jacobi facere intra fatalia tamen iuris poſſit, ſin vero contigiſſet Ducem Jacobum poſt factam ſibi a Duce Friderico ceſſionem absque prole maſcula e vita decedere, tunc nihilominus idem Ducatus non obſtante eadem ceſſione ad Ducem Fridericum redire, ac penes ipſum vigore praeteritarum ipſi conceſſarum Inveſtiturarum remanere debuiſſet, Ducem quoque Jacobum etiam non obtenta ante deceſſum Illuſtriſſimi Principis Friderici ceſſione, vi Pactorum primævorum, & Inveſtiturarum, tum quoque diver-

ANNO 1683.

Anno 1683. diversorum responsorum, & istius Homagii intuitu, circa Feudum Ducatus, Possessionemque cum pleno regimine itidem eiusdem Investiturae vigore conservavit, Serenissimosque Successores conservare debere decrevit; hac speciali conditione adiecta, ut Dux Jacobus sive post cessum, sive post decessum Ducis Friderici, non prius possessionem illius Ducatus adire, iurisdictionemque exercere inciperet, antequam per Commissarios ad faciendam intromissionem a Serenitate sua deputandos legitime intromissus fuisset, possessione porro rite, & legitime prævia cessione, & intromissione cum pleno regimine adepta, & per aliquot annos iuxta Investituram, ac Pacta conventa pacifice habita, cum sublato ex humanis præfato Serenissimo Rege Vladislao IV. & Electo in Regem Poloniae Serenissimo Joanne Casimiro Antecessoribus nostris, prænominatus Illustrissimus Princeps Jacobus in Comitiis Coronationis illius, ad præstandum Homagium per Internuntios suos gratiam illius humillime expetiisset, & sicuti Serenissimi Antecessores nostri Reges Poloniae in augenda, ac ornanda singularibus beneficiis Illustrissima Curlandiae, & Semigalliae Ducum familia in omni occasione maxima exhibuerunt documenta, ita & Serenissimus Joannes Casimirus Illustrissimum Principem Dominum Jacobum pari affectu, & benevolentia complexus novum hoc beneficium eidem concessit, ut per Legatos suos cum debita fidelitatis, & subiectionis tessera solita solennitate Homagium præstare, & Investituram ritu consveto recipere posset; qua benevolentia Regia condigne accepta, is idem Illustrissimus Princeps Dominus Jacobus ad Serenissimum Joannem Casimirum Antecessorem nostrum Legatos suos, Generosos Georgium Fischer de Vizeden Supremum primae instantiae Mitavienf. Capitaneum, & Cubiculi Regii familiarem, atque Georgium Goës Capitaneum Schrundensem misit, qui Varsaviæ die 20. Mensis Maii Anno 1649. coram Throno Regio in manibus illius solenni ritu nomine Illustrissimi Principis Domini Jacobi Homagium præstiterunt, & vicissim a Serenissimo Antecessore nostro iure gratiae feudale vexillum cum Investitura humillime receperunt. Idem a Serenissimo Michaele per Legatos suos Generosos Christophorum Henricum Putkamer Supremum Capitaneum Tuckunensem, et Georgium Fircks Collonnelum, eandem ritu solenni traditione Vexilli acceperat gratiam. Nos cum vocatione illius; per quem Reges regnant, ad Regale solium evecti essemus, illum ipsum Illustrissimum Ducem Dominum Jacobum amplexi, eius Illustritati, pro recipienda per Legatos suos, iuxta beneficium D. Michaelis Antecedanei nostri Illustritati eius concessum Investituræ ultimum diem Julii Anno 1676. designaveramus. Ottomanica autem tum appropinquare volente potentia, ad prœlia evocati, Terminum ad reditum nostrum prorogaveramus, reversique, & peracta eius anni expeditione, atque terminatis Generalibus Regni Comitiis, memoratum Illustrissimum Ducem Dominum Jacobum præstito per Legatum suum Generosum Evaldum Pfeilitzer nominatum Franck Cancellarium, & Supremum Consiliarium suum fidelitatis, & subiectionis iuramento, ad easdem Terras, Civitates, Oppida, Arces Possessiones, ac præeminentias, iuraque omnia & singula, tradito more solenni Feudali Vexillo investiveramus. Ubi vero elapsis aliquot post annis, idem Illustrissimus Dominus Jacobus Dux vita functus fuerat, Filius Illustritatis eius Illustrissimus Princeps Dominus Fridericus Casimirus, ad quem successorio ordine, & iure Primogenituræ ex Pacto, & Providentia Proavi, Patrui, & Parentis ipsius successio Feudi, quod secundum decretum D. Prædecessoris nostri Sigismundi III. integrum, & individuum, tam ratione iurisdictionis, quam bonorum manere debet, spectat, confestim per Ablegatos suos humillime petiit, ut secundum beneficium D. Michaelis Regis Poloniæ, Antecedanei nostri, & nostrum Illustritatis eius Illustrissimo Parenti Domino Jacobo concessum, Homagium per Legatos præstare, Investituramque super Avitum, & Paternum Feudum suum Curlandiae, & Semigalliae Ducatus a Nobis humillime recipere posset. Cumque Nobis ab initio Regiminis nostri cordi fuerit, Illustrissimos in Livonia Curlandiæ, & Semigalliae Duces, totamque adeo Ducalem Domum pari gratia Regia, qua Serenissimi Antecessores nostri soliti sunt, prosequi, & fovere, ideo clementissime annuimus, ut confirmationem iurium, & Ducalem Feudi Investituram per Legatos a Nobis acciperet, actuique huic solenni peragendo, tempus duarum septimanarum, ante Generalia Regni Comitia denominavimus, hac declaratione nostra Regia gratiis submississimis, ab Illustrissimo Principe Domino Friderico Casimiro excepta, temporeque denominato adveniente, Illustritatis eius Legati GG. Christophorus Henricus Liber Baro de Puttkamer, Supremus Ducatus

Anno 1683. catus ſui Præfectus, & Dieterius ab Altenbockum Supremus eiusdem Mareſchalcus, Supremique Conſiliarii ſui Varſaviæ comparuerunt, quoniam autem ob itinerum difficultates, aliaque præpedimenta Nos tribus diebus ſaltim ante memorata Comitia huc pervenimus, terminum eundem ad diem 25. Menſis Martii anni nunc currentis prorogavimus. In quo dum modo nominati Legati non ſolum petitum Illuſtriſſimi Ducis Friderici Caſimiri iam præfatum, omni ſubiectionis cultu iterarunt, verum etiam nomine Illuſtritatis eius Illuſtriſſimorum Fratrum Domini Ferdinandi, & Domini Alexandri Ducum poſtgenitorum humillime rogarunt, ut in caſum deficientis aliquando in maſculo ſexu lineæ Friderico-Caſimirianæ, Illuſt. Domino Ferdinando, & Ferdinandinæ, Illuſtriſſ. Domino Alexandro earumque Illuſtritatum legitimis Succeſſoribus maſculis ius ſimultaneæ Inveſtituræ ſecundum Jura Ducalia, & Inveſtituras Sereniſſimorum Poloniae Regum, Prædeceſſorum noſtrorum, & noſtrum in Tabulis Inveſtituræ ſartum, tectumque conſervare quam clementiſſime dignaremur. Acceſimus itaque nunc ad acceptandum Homagium, quod Nobis Illuſtriſſimi Principis Domini Friderici Caſimiri Ducis Legati dicti, coram Throno noſtro Regio, & in manibus noſtris, ſolenni ritu præſtiterunt, feudaleq; Vexillum iure gratiæ cum Inveſtitura a Nobis humillime receperunt. Præmiſſa igitur omnia rata, & grata habentes, confirmantesque, & de integro ſolenni Inveſtitura conferentes, quæ a prædictis Sereniſſimis Prædeceſſoribus noſtris Regibus Poloniae, & Nobis vigore Pactorum, & Inveſtiturarum ſub illarum Maieſtatum, & noſtris manibus, Sigillis autem Regni, & M. D. Litvaniæ Illuſtritatis eius Proavo Gothardo, Parentis Patruo Friderico, & Parenti ipſi Jacobo iam antea data, conceſſa, & collata ſunt, nimirum Ducalem Titulum adinſtar Illuſtriſſimi Ducis in Pruſſia, cum omni dignitate, Inſignibus, Privilegiis Ducalibus, ita, ut Vaſallus, & Feudatarius Princeps noſter, & Succeſſorum noſtrorum, Regniq; & M. D. L. Membrum ſit, itidemq; eius poſteri ſint. Præterea, ut a D. Sigismundo Augusto Prædeceſſore noſtro iam antea Illuſtrit. eius Proavo Gotthardo quondam Duci, poſterisq; eius legitimis maſculis, ex eius lumbis linea recta deſcendentibus, nominatim *D*itiones, Poſſeſſiones, Civitates, Oppida, Arces, Terræ aſſignatæ ſine Infeudationis ſolennitate fuerunt, poſtea vero vigore legitimæ Inveſtituræ a Sereniſſimis itidem Prædeceſſoribus noſtris DD. Stephano, Sigismundo III. Vladislao IV. Joanne Casimiro, Michaele Regibus, & Nobis, Illuſtritatis eius Anteceſſoribus Illuſtriſſ. attributæ, ita nunc Nos quoq; Illuſtriſſimo Principi Friderico Caſimiro attribuimus, damus, & conferimus. Primum totum illum Tractum *C*urlandiæ, & Semigalliæ, incipiendo a ſalſo mari, ſurſum ſequendo fluvium Hylga, aſcendendo ad antiquos limites per D. Radzivilium inceptos, & diſpoſitos inter Samogitiam, Litvaniam, & Ruſſiam ab una, & Livoniam ab altera partibus, verſus Diſtrictum Polocenſem ad Dunam fluvium, deſcendendo vero Duna uſque in mare ſalſum, adeo, ut quicquid in iſtis terminis cis Dunam verſus Litvaniam continetur, & ad Ordinem Livoniæ ſpectabat, nunc, & in perpetuum apud Illuſtritatem eius, ipſiusque Hæredes maſculos permaneat, *C*urias videlicet, Bona, & Nobilitatem, quæ ad Arcem Duneburgenſem ex hac parte fluvii verſus Litvaniam ſpectarunt, Arcem *Selburgam* cum toto Diſtrictu, Curias item, Nobilitatem, & omne id, quod videlicet ex hac parte ad Arcem *Aſcherad* ſpectabat, Arcem *Bauſko*, *Neugut*, cum iis, quæ ad Arcem *Kircholm* pertinebant, Arces, item Curias, & Oppida *Mytaw*, *Tuckum*, *Nevenburg*, *Doblen*, *Candaw*, *Alſchwangen*, *Schrunden*, *Frawenburg*, *Zabel*, tum & alias Arces, quæ *S*ereniſſimo Anteceſſori noſtro D. Sigismundo Augusto oppignoratæ fuerunt, *Goldingen*, *Haſenpoth*, *Durben*, *Windau*, in ſumma octuaginta millium florenorum, Arcem vero *Grobin* in quinquaginta millibus Illuſtriſſimo quondam Principi Alberto Marchioni Brandeburgenſi, in Pruſſia Duci itidem oppignoratam, & illas quidem ſummas, quemadmodum DD. Prædeceſſores noſtri in Diplomatibus ſuis remiſerant, ita & Nos remittimus; adeoque uti præmemorati D. Prædeceſſores noſtri ſuæ Illuſt. Anteceſſores, ita & Nos eius Illuſt. legitimosq; eius Succeſſores, Hæredes maſculos ex lumbis eius linea recta provenientes circa totum iſtum Curlandiæ, atq; Semigalliæ Ducatum, cum dictis Terris, Civitatibus, Oppidis, Arcibus, & Curiis hac Inveſtituræ renovatione pro Nobis, & Succeſſoribus noſtris in toto conſervamus, iisdem Prærogativis, & Immunitatibus, quibus Illuſtriſſimo Principi Jacobo, & eius Anteceſſoribus antea collata fuerunt, ſine noſtro, Hæredumque, & *S*uccеſſorum noſtrorum Regum, & Regni Poloniæ impedimento, & præiudicio. Pro Nobis vero, & Sereniſſimis *S*uccеſſoribus noſtris, Regno, ac M. D. Litva-

Anno 1683.

ANNO 1683. Litvaniæ reliquam Livoniam cum omni proprietate, directo, & utili dominio, omnique mero, & mixto imperio, quemadmodum iam ante D. Prædeceſſores noſtri SIGISMUNDUS AUGUSTUS, STEPHANUS, SIGISMUNDUS III. VLADSILAUS IV. JOANNES CASIMIRUS, & MICHAEL reſervarunt, atque Nos reſervavimus, ita denuo reſervamus, retinemusque ſalvis Pactis Olivenſibus. Cumque inter cætera & hoc inter Sereniſſimum Prædeceſſorem noſtrum *D*ivum *S*IGISMUNDUM AUGUSTUM, & Illuſtrit. eius Proavum convenerit, ut permutatione Epiſcopatus Curonienſis pro Sonneburga Arce, Curiis *Leal*, & *Madzel* Illuſtris Dux Magnus contentetur, & ad eam rem prædictus D. SIGISMUNDUS AUGUSTUS, Sereniſſimus STEPHANUS, Sereniſſimus SIGISMUNDUS III. Sereniſſimus VLADISLAUS IV. Sereniſſimus JOANNES CASIMIRUS, & Serenisſimus MICHAEL operam receperunt, & Nos recepimus, ut cum reliqua Curonia Epiſcopatu Curonienſi quoque ſua Illuſtritas potiatur. Poſtea vero cum vivente Duce Magno permutatio ea perfecta non fuiſſet, graviſſima autem de Epiſcopatu eo controverſia inter D. memoriae Deceſſorem noſtrum STEPHANUM, & Sereniſſimum Daniae Regem exorta, tandem Sereniſſimus quondam *D*aniae Rex per Tranſactionem ex certis conditionibus Sereniſſ. Deceſſori noſtro, Regnoq; ius ſuum, quod habere ſe in eo Epiſcopatu exiſtimabat, ceſſiſſet, nihil hoc tempore ſtatuere ea de re poſſumus, rem omnem in eo ſtatu, in quo ante ſub Sereniſſ. Regibus SIGISMUNDO AUGUSTO, STEPHANO, SIGISMUNDO III. VLADSILAO IV. JOANNE CASIMIRO, et MICHAELE Antecedaneis noſtris & tempore Regiminis noſtri fuit, eam relinquendam cenſuimus, prout relinquimus, ſalva nihilominus Commiſſione, tempore commodo per Nos ad effectum deducenda. Neve etiam limitum indiſcuſſorum cum vicinis Illuſtritas eius controverſiam, aut difficultatem habeat, Regia noſtra Authoritate curabimus, ut primo quoque tempore ad praeſcriptum Pactorum Poſwolienſium, & poſteriorum Vilnenſium regantur, & certi conſtituantur in tota illa vicinia limites. Interea vero neutra pars alteri damnum inferat, aut litem, & difficultatem moveat, pro eo, ut hoc Privilegio praedictorum Divorum Praedeceſſorum noſtrorum continetur. Cumque Tractus Dunae ſurſum & deorſum limites inter Nos, & Illuſtritatem eius conſtituat, ius, & aequitatis ratio poſtulat, ut medietate fluvii in piſcando, & aliis commoditatibus eius Illuſtritas perpetuo gaudeat, quaeque inſulae, ſeu mediamnes alteri parti viciniores ſunt, apud eandem partem iuxta Privilegia eorundem Divorum Deceſſorum noſtrorum maneant. Monetae etiam cudendae facultatem, ut a praedictis D. Anteceſſoribus noſtris iam ante Illuſt. olim Proavo, Parentis Patruo, & Parenti eius Illuſtr. data eſt, Illuſtritati eius confirmamus, & de integro conferimus, ad pondus, & valorem communem Reipubl. et ut eius promiſcuus, & indifferens uſus ſit tam in Regno et Litvania, quam in Livonia; volumus attamen ut ex una parte noſtra effigies, vel Inſignia Regni, Magnique *D*ucatus Litvaniae, in altera Illuſtritatis eius exprimantur. Si quid porro Illuſtritati eius vendendum, oppignorandum, permutandumve fuerit, ſuper hoc Illuſtritati eius facultatem, libertatemque concedimus, & ut antea a Divis Praedeceſſoribus noſtris conceſſum eſt, ita videlicet, ut ad Nos, et Serenisſimos Succeſſores noſtros de eo primo loco referatur, Nobiſque optio detur, ſi talem oppignorationem ipſi acceptare voluerimus, ſin minus, tum id Illuſtrit. eius liceat, cui volet: ita tamen, ut tali oppignoratione nulla occaſio diſmembrationis a Republica eorum bonorum detur. Dabimus quoque operam ſecundum Privilegium praedicti Divi Anteceſſoris noſtri, ut ſi quando Ducatus Eſthoniae cum Civitate Revalienſi aliqua ratione ad Regnum noſtrum Poloniae adiungatur, ut ſuae Illuſtritati, eiusque Haeredibus, et Succeſſoribus legitimis aequa portio vel in bonis, vel in pecunia concedatur. Sumptibus in ea recuperatione factis ante omnia Nobis refuſis. Quod punctum non ad convellenda Pacta Olivenſia, quae inviolabiliter obſervari volumus, referendum eſt, ſed ut vigori, atque obſervationi Inveſtiturarum in caſum inopinatum, quem Deus avertat, caveatur. Denique Illuſtritati eius iurisdictionem totalem pro eo, ut in Privilegiis Divorum Praedeceſſorum noſtrorum continetur, iuxta leges, et conſvetudines, moresque antiquos confirmamus, et de novo concedimus, et illi, qui eius Illuſtritatis iurisdictioni ſubiecti, et ratione domiciliorum ſubditi eius erunt, et manebunt, ad ſuum tantum Principem provocabunt; in cauſis tamen gravioribus, et maximi momenti licebit Nobilitati a Principe ſuo, prout de iure, et iuxta tenorem priorum Inveſtiturarum provocare. Caverat etiam *D*. SIGISMUNDUS AUGUSTUS Anteceſſor, Illuſtrit. eius piæ memoriæ Proavo, cum ante ſexennali bello tam ſuae Illuſtritatis, quam et Nobilitatis *C*uronienſis vires exhauſtae eſſent, relaxata

Anno 1683. ut eſſet ſua Illuſtritas, et Nobilitas ab onere belli, et ut hoc ſaltim praeſtarent, et mitterent, quod commode pro modulo ſuo poſſent, alio autem tempore eam habendam rationem, quam Illuſtriſſ. olim Ducis in Pruſſia, D. Stephanus vero Rex Deceſſor noſter ſe quoque pro eo bello, quod tum gerebat, iis copiis, de quibus cum Illuſtritate eius ſibi conveniret, contentum fore promittebat. Itaque quamvis Nobis de eius Illuſtritate perſvadeamus, quae cum Nobilitate ſua poſſit, Nobis non gravatim praeſtituram, tamen ad clariorem, quid ſua Illuſtritas Nobis praeſtare teneatur, declarationem, ita prout inter Serenitatem ſuam Praedeceſſorem noſtrum, ac Illuſtrit. ſuæ Parentes conventum fuerat, inter Nos, et eandem etiam convenit; quod inpoſterum in vim perpetuae obligationis erit obſervandum: Ut Illuſt. Dux Fridericus Caſimirus, eiusq; Succeſſores, et Feudi Haeredes, pro hac noſtra in ſe beneficentia, tempore expeditiónis bellicae, unam cohortem equitum cum ſervitiis equeſtribus Nobilium, quoties iis opus fuerit, intra fines Ducatus Curlandiae, et Semigalliae praeſtet; quoties vero publica aliqua neceſsitate bellica poſtulante, in Regno publicæ contributiones decretae fuerint, toties Dux Fridericus Caſimirus ſummam decem millium florenorum Polonic. in Theſaurum Reipubl. inferet, et Succeſſores illius inferre tenebuntur: hoc videlicet pacto, quod licet una, ſive plures contributiones in Generalibus Comitiis ſciſcerentur, Dux Fridericus Caſimirus in locum, ſive unius, ſive plurium, praetactam decem millium floren. Polon. ſummam, et non plus, accepta deſuper quietatione DD. Theſaurariorum cum ſuis Succeſſoribus pendere, ac ſolvere adſtrictus erit. Secus vero, ſi publica expeditione ſic exigente, Dux Fridericus Caſimirus Vaſallagium equitum cum ſuis Nobilibus ſiſteret, in hoc caſu, pro eo tempore, etiamſi contributiones in Comitiis ſcitae fuiſſent, liberum, et immunem eundem Ducem Fridericum Caſimirum, et ipſius Succeſſores a perſolvenda decem millium florenorum Polonicalium contributione fore debere declaramus. Alias etiam cautiones, et conditiones, de quibus inter Serenisſimum Regem Vladislaum IV. Anteceſſorem noſtrum convenerat, quæque peculiaribus ſcriptis Illuſtrisſimo Principi Jacobo, ſub illius Chirographo, et Sigillo continentur, debebit ipſe Illuſtrisſimus Princeps Fridericus Caſimirus, ac eius Succeſſores obſervare. Poſtremo cum iam ante Illuſtriſſ. olim Proavus Illuſtritatis eius perneceſſariis, et iuſtisſimis de cauſis ſe ditioni, atque imperio Serenisſimorum Praedeceſſorum noſtrorum, et Succeſſorum Regni, et M. D. L. ſubiecerit, extrema Magni Moſchorum Ducis iniuria, vi, atque oppreſsione hoſtili impulſus, fruſtra per annos complures implorata Romani Imperii, atque Imperatorum ope, ac ſubſidio, iamque per longisſimum temporis ſpatium veluti pro derelicto habitus, ſub ditione Poloniae Regum Anteceſſorum noſtrorum & noſtra, nulla cum controverſia permanſerit. Nos quidem futurum non iudicamus, ut eius Illuſtritati eo nomine controverſia, aut moleſtia ulla afferatur, verum tamen ſi quae allata fuerit, quæ cum labe aliqua nominis, aut aliquo detrimento coniuncta ſit, Nos in eo Regio noſtro officio, quod in defendendis ſubditis noſtris verſari non ignoramus, minime defuturi ſumus. Quodque Serenisſimos Prædeceſſores noſtros in cauſa Illuſtrisſimi quondam in Pruſsia Ducis Alberti egiſſe intelligimus, agere minime praetermittemus, defenſionemque contra hoſtem omnem, qualiscunque tandem ille fuerit, praeſtabimus, & Succeſſores noſtri praeſtabunt. Ipſe vero Illuſtrisſimus Dux, pro hac Serenisſimorum Prædeceſſorum noſtrorum, & noſtra in ſe beneficentia, quæcunque vaſalli, & feudales Principes erga ſuum naturalem, ſuperiorem & directum Dominum fidelitatis, obſervantiae, ſervitiorumque officia, & ſtudia praeſtare tenentur, Illuſtritas eius erga Nos, Regnumq; & M. D. Litvaniæ praeſtabit, itidemque haeredes legitimi in hoc feudo Succeſſores praeſtabunt. Nosque vicisſim eius Illuſtritatem, & Haeredes, & Succeſſores omni patrocinio, amore, & benevolentia boni Regis, & ſupremi, directique Domini complecti, & in Juribus, Immunitatibus, & Privilegiis illorum ſervare tenebimur, & Succeſſores noſtri tenebuntur. Inſuper quoq; ſicubi accidat deficere aliquando in maſculo ſexu Lineam Friderico-Caſimirianam, eum in caſum Illuſtriſſimis Principibus Domino Ferdinando, & Ferdinandinæ, Domino Alexandro Illuſtriſſimi olim Iacobi in Livonia Curlandiæ, & Semigalliæ Ducis Filiis, earumque Illuſtritatum Succeſſoribus maſculis ex lumbis Illuſtritatum earum legitime deſcendentibus ius ſimultaneae Inveſtiturae, ſecundum Iura Ducalia, prioresque Inveſtituras a Sereniſſ. Prædeceſſoribus noſtris DD. Poloniæ Regibus, & Nobis conceſſas, ſartum, tectumque reſervamus, ac conſervamus, integrumque earum Illuſtritatibus maneat, vigore Diplomatis primævae ſubiectionis, & cæterarum

Anno 1683.

In.

ANNO 1683. Inveſtiturarum ad exemplum Prædeceſſorum ſuorum, quandocunque locus, & copia aperturæ Feudi Ducatus Curlandiæ, & Semigalliæ fuerit, modo memoratum Feudum a Nobis, & Sereniſſimis *Succeſſoribus* noſtris Regibus Poloniæ, uti naturalibus, & directis Dominis petere, Iuramentum fidelitatis, & ſubiectionis præſtare, modo ſucceſſorio aggredi, & plenarie, abſque tamen omni Ducatus diſmembratione, poſſidere, omnibusque Iuribus Ducalibus realiter frui, attamen ut & earum Illuſtr. ea fidelitatis, & obſequii officia, quæ a futuris Vaſallis requiruntur, præſtent, & præſtare obſtricti ſint. In quorum omnium, & ſingulorum fidem, præſentes Literas manu noſtra ſubſcripſimus, & Sigillis Regni, & M. D. L. muniri mandavimus. Datum Varſaviæ die 25. Menſis Martii, An. Domini 1683. Regni vero noſtri Anno IX.

Præſentibus Reverendis in Chriſto Patribus DD. Joanne Małachowſki Cracovienſi, Duce Severiæ, Stephano Pac Vilnenſi, Staniſlao Witwicki Luceorienſi, & Breſtenſi, Caſimiro Opalinſki Culmenſi, & Pomeſaniæ, Staniſlao Swięcicki Chełmenſi, Staniſlao Woienſki Camenecenſi Epiſcopis, Magnificis, & Generoſis Felice Potocki Cracovienſi, Caſimiro Sapieha Vilnenſi Exercituum M. D. L. Supremo Duce, Marciano Oginſki Trocenſi, Joanne Odrowąz Pieniązek Sieradienſi, Nicolao Sieniawſki Volhynen. Campiductore Exercituum Reg. Martino Zamoyſki Lublin. Joanne Oginſki Połocen. Campiductore Exercitus M. D. L. Chrapowiecki Witepſcenſi, Jacobo Szczawińſki Inovlad. Staniſlao Jabłonowſki Ruſſiæ, Supremo Exercituum Regni Duce, Franciſco Bielinſki Marieburgenſi Palatinis. Alberto Breza Poſnanienſi, Carolo Łuzecki Podlach. Vladiſlao Łos Culmenſi, Martino Kącki Leopolienſi, Franciſco Dziduſzycki Camenecenſi, Ottone Felkierzon Livon. Caſtellanis. Staniſlao Lubomirſki Supremo Regni Mareſchalco, Joanne Comite in Pieſkowa Skała Wielopolſki Regni Minoris Polon. Generali, Chriſtophoro Pac M. D. L. Suprem. Cancellar. Joanne Gninſki Regni, Dominico Duce Radziwiłł M. D. L. Vice-Cancellariis, Andrea Morſztyn Regni, Benedicto Sapieha M. D. Lit. Supremis Theſaurariis, Hieronymo Lubomirſki Marſchalco Curiæ Regni, Vener. Franciſco Prazmowſki Secret. Reg. Maiore, Gniński Abbate Wągrovienſi Reg. Euſtachio Kotowicz M. D. L. Spiritualibus, Bonaventura Krasinſki Regni, Brzoſtowſki M. D. L. ſæcularibus Referendariis, Raphaele Leſzczyńſki Regni, Equeſtris Ordinis in Co-

mitiis modernis Directore, Joſepho Słuſzka M. D. L. Vexilliferis, Alexandro Polanowſki Regni, Ioanne Bokun M. D. L. Dapiferis, Marco Małczynſki Regni, Franciſco Sapieha M. D. L. Stabulorum Præfectis, Georgio Boguſlao Fredro Regni, Erneſto Donhoff M. D. Litvaniæ Venatoribus, Andrea Modrzewſki Curiæ Regni, Leone Sapieha Curiæ M. D. L. Theſaurariis, Franciſco Gałecki Culinæ Regni Præfecto, Felice Morſztyn Stabuli M. D. L. Vice-Praefecto. Venerabilibus Andrea Załuſki Gneſnenſi, & S. R. Maieſtatis Cancellario, nominato Epiſcopo Kiiovienſi, Vąchocenſi, Caſimiro *Szczuka* Paradiſienſi, Boguſlao Leſzczynſki *Czervinenſi*, Nicolao Swięcicki Trzepreſnenſi, Ignatio Gniński Coronovienſi Abbatibus, Michaele Zebrzydowſki, Canonico Cracovienſi, *Sereniſſimi* Principis Iacobi Cancellario, Nicolao Popławſki Plocenſi, Varſavienſi Decano, Alberto Stremboſz Varſavienſi, Adamo *Sarnowſki* Præpoſito Lancicien. Varſavienſi, Lowucenſi Canonico &c. nec non Generoſis *Sebaſtiano* Cilbaſzewſki Inſtigatore Regni, *Stephano* Hankiewicz Regni, Casimiro Puchalſki M. D. L. Decretorum Notariis, Martino Oborſki Złuenſi, Ioanne *Staniſlao* Korzeniowſki Koscianenſi, Minoris Cancellariæ Regni Regente, Ioanne Gembicki Uſtenſi, Ioanne Butler Drohicienſi, Athanaſio Miąćinſki Luceorienſi, Casimiro *Sapieha* Breſtianenſi, Georgio Iordan Piecenſi, Franciſco Weſſel Rozanenſi Capitaneis, Staniſlao Małachowſki *Sieradienſi*, *Staniſlao Szczuka* Vilnenſi Pocillatoribus, Nicolao *Szulc*, Mathia Ladowſki Metric. Regni Cancel. aliisque quam plurimis *Senatoribus*, Dignitariis, Officialibus Regni, & M. D. L., Nuntiis Terreſtribus, Aulicis, *Secretariis*.

JOANNES *Rex.*

Sigillum penſile Maieſtaticum Cancellariæ Maioris in Pixide argentea deaurata.

Chriſtophorus Taranowſki Cracovienſis, Varſavienſis Canonicus, R. Maieſt. Secretarius.

Sigillum ſimiliter penſile Minoris Cancellariæ M. D. L.

Gabriel Mathæus Hołowinia Secretarius Reg. Maieſt.

CCLXXIX.

Juramentum Illuſtriſſimi Friderici Caſimiri Curlandiæ, & Semigalliæ Ducis, per Dominum Chriſtophorum Henricum, Liberum 1683.

ANNO 1683. *Baronem de Puttkamer præſtitum. Indidem*

Joannes III. Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ &c. Significamus &c. Oblatas eſſe ad Acta Metrices Regni Cancellariæ Maioris Literas Juramenti Illuſtriſſimi Principis Domini Friderici Caſimiri, in Livonia Curlandiæ, & Semigalliæ Ducis per Generoſum Chriſtophorum Henricum Liberum Baronem de Puttkamer, anno 1683. præſtiti, tenoris talis, qui ſequitur.

Ego Chriſtophorus Liber Baro de Puttkamer Supremus Ducatus Præfectus, Illuſtriſſimi Principis Domini Friderici Caſimiri in Livonia Curlandiæ, & Semigalliæ Ducis Conſiliarius, & pro præſtando Homagio, & recipienda Inveſtitura, ad S. R. Maieſtatem Legatus, Nomine, Mandato, et Plenipotentia eiusdem Illuſtriſſimi Ducis in animam eius iuro, ſuper hæc ſancta Dei Evangelia, quod ab hac hora deinceps usque ad ultimum diem vitae ſuae erit fidelis, & obediens Tibi Sereniſſimo, & Potentiſſimo Principi Domino IOANNI III. Dei Gratia Regi Poloniæ M. D. Litvaniæ &c. ſicuti ſuo naturali, & hæreditario Domino, ac Succeſſoribus Tuis legitimis, Reipublicae Poloniæ, Dominis ſuis, contra omnem hominem nemine prorſus excepto, & quod nunquam erit ſcienter in conſilio, & auxilio vel in facto, ex quo (quod abſit) amittas vitam, vel membrum aliquod, vel per quod accipias in perſona aliquam læſionem, vel contumeliam, aut iniuriam, vel per quod amittas aliquem honorem, quem nunc habes, vel poſt habebis. Et ſi ſcierit, vel audierit de aliquo, qui velit aliquid iſtorum contra Te facere, pro poſſe ſuo, ut non fiat, impedimentum præſtabit, & ſi impedimentum præſtare nequiverit, quam cito poterit, Tibi nuntiabit, & contra eum iuxta pacta, auxilium Tibi præſtabit; et ſi contigerit Te rem aliquam, quam habes, vel poſt habebis, caſu aliquo amittere, eam recuperare curabit, in recuperataq; retinenda Te omni tempore iuvabit; & ſi ſciverit Te velle contra aliquem publico conſilio arma ſumere, & de eo generaliter, vel ſpecialiter fuerit requiſitus, ſuum Tibi ſecundum Pacta præſtabit auxilium, & ſi aliquid ipſi de ſecreto manifeſtaveris, illud ſine Tua licentia nemini pandet, neque quicquam, per quod pandatur, faciet, & ſi conſilium ab ipſo ſuper aliquo facto poſtulaveris, illud Tibi dabit conſilium, quod Tibi, Dominiisque Tuis iudicaverit magis expedire, & nunquam ex perſona ſua aliquid ſcienter, quod pertineat ad Tuam, vel Regni, Dominiorumq; Tuorum Regno adiunctorum, vel in poſterum adiungendorum iniuriam, vel contumeliam, faciet, imo honorem, dignitatem, commodaque Tua, Regni, & Dominiorum Tuorum tuebitur, & conſervabit, & quoad maxime poterit, augebit. Denique etiam Pacta priora antiqua omnia, & ſingula, a quocunque tempore a Deceſſoribus ſuis Curlandiae, & Semigalliae Ducibus cum inclyto hoc Poloniae Regno, & M. D. Litvaniae conventa, tum & formulam regiminis, & præteritam Transactionem, Conditionesque cum Sereniſſ. Divæ memoriæ VLADISLAO IV. Fratre Tuo tractatas, conſtitutasq; & a ſe peculiari Diplomate confirmatas ſervabit, & implebit. Ac præterea omnium, & ſingulorum Equeſtris Ordinis, ac privatorum Ducatus Curlandiae, & Semigalliae Incolarum Jura, Privilegia, Libertates, Immunitates ſartas, tectasque integerrime ſervabit. Nec quidquam in contrarium earundem præiudicii, ac derogationis faciet, aut fieri permittet. Sic me Deus adiuvet & hæc ſancta Dei Evangelia. Actum & Dat. Varſaviæ d. 25. Menſis Martii, Anno D. 1683.

Quod ſupraſcriptum Juramentum Nos ad Acta ſuſcipi &c. In cuius rei fidem &c. Actum Varſaviæ Feria ſecunda poſt Feſtum S. Joannis Baptiſtæ proxima, Anno Dom. 1685. Regni noſtri anno undecimo.

ANNO 1683.

CCLXXX.

Literæ Reverſales Friderici Caſimiri Ducis de conſervatione liberi exercitii Religionis Catholicæ Romanæ in Ducatibus Curlandiæ, & Semigalliæ. Dat. Mitaviæ d. 6. Mart. An. 1683.

Joannes III. Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ &c. Significamus &c. Oblatas eſſe ad Acta Metrices Regni Cancellariæ Majoris Literas Illuſtriſſimi Domini Friderici Caſimiri in Livonia Curlandiæ, & Semigalliæ Ducis, continentes in ſe Diploma Reverſale Cautionis de Religione Catholica Romana, tenoris talis, qui ſequitur.

Fridericus Caſimirus Dei gratia in Livonia Curlandiæ, & Semigalliæ Dux, Univerſis, & ſingulis, quorum intereſt, notum facimus. Quod ſicut piæ memoriæ Illuſtriſ. olim Dominus Jacobus in Livonia Curlandiæ, & Semigalliæ Dux, Parens noſter inter alias conditiones ſibi a Sereniſsimo VLADISLAO IV. Rege Poloniæ uti Supremo, & Directo Domino, & Regni, ac M. D. Litvaniæ Proceribus, circa receptionem Inveſtituræ, ac præſtitum Homagium pro feudo Curlan-

ANNO 1683.

Anno 1683. landiæ, & Semigalliæ propoſitas, illam inprimis, ac ante omnia, cautam eſſe, & aſſecurare voluit, quæ Religionis Catholicæ Romanæ præeminentiam, & conſervationem concernit, quod nimirum nullis unqam hominibus, nec Ducatuum præfatorum Incolis cuiuſcunque Status, & Conditionis fuerint, Religionem Catholico Romanam profitentibus, ſive qvi ad præſens, ſive qui poſthac futuri ſint, exercitium publicum prohibiturus erat, quinimo liberum, ac perpetuum doctrinæ, Inſtitutorumque Eccleſiæ Catholicæ Romanæ uſum omnibus in eadem enutritis, aut nutriri, & inſtitui volentibus permitteret, ita, ut nullus unquam Catholicorum Sacerdotum, aut ſæcularium hominum, nec non Religioſorum eo nomine turbari, inquietari accuſari, nullus vim, iniuriam, ac Contumeliam pati debeat, atque ut omnibus Nobilibus, quicunque in bonis ſuis, ſive allodialiis, ſive hæreditariis, Templa, Eccleſiaſque habuerint, & habere voluerint, ſecundum declarationem in formula Regiminis, in iiſdem exercitium Catholicæ Religionis inſtituere, Sacerdotes alere, habereque ſine cuiuſquam impedimento, liberum, integrumq; eſſet, præterea ut ſi qui Catholici Viri, Nobiles, aliique idonei fuerint, illi ad munia, officia, honoreſque publicos obeundos admittentur, eorumque Nobilitati, virtuti, aut eruditioni ad omnes dignitates aditus pateret, ſpoponderat, caverat, & verbo Principis promiſerat, ſimulque quoniam pro illo tempore Sacræ Regiæ Maieſtati Vladislao olim IV. Regnanti, Regnique, ac M. D. Litvaniæ Proceribus convenire, & expedire viſum erat, ut unum & alterum Templum in Civitatibus praecipuis Curlandiae,& Semigalliae ad Religionis Catholicae uſus, cum redditibus iuſtis is idem Illuſtriſsimus Dux Jacobus, piae memoriae Parens noſter aſsignaret, & erigeret, prout re ipſa aſsignavit, & erexit, ita & Nos circa praeſentem Inveſtiturae noſtrae receptionem, pro Officio debitae Subiectionis, & Vaſallatus haec omnia, prout ſupra ab Illuſtriſsimo Parente noſtro cauta, promiſſa, & aſſecurata erant, iterum omni meliori modo, forma, ſtylo, & ordine cavemus, promittimus, & verbo Principis aſſecuramus, atque præſentium Literarum noſtrarum vigore recipimus, ſpondemuſque, in uſus hoſce Religionis Catholicae Romanae, Templum ab Illuſtriſsimo Parente noſtro conſtructum, et erectum, cum omnibus eiusdem Juribus, Immunitatibus, Privilegiis, tum & proventu ſexcentorum florenorum pro alimentis Parochi ſeu in villis, ſeu in cenſibus aſſignato, atque libero Exercitii Religionis Catholicæ Romanæ uſu, conſervare, ac manutenere, omnibusque tam Incolis Ducatuum noſtrorum, quam etiam externis plenum, & liberum Catholicæ Religionis exercitium permiſſuros, adeoque in univerſis ſupraſcripta omnia, & ſingula Nos, Succeſſoresque noſtros in omnibus eorum punctis, & clauſulis diligentiſſime, & ſancte adimpleturos, obſervaturosque, neque quicquam per Nos, vel per alium quempiam in eisdem attentaturos, facturos, aut attentari, fierique paſſuros, ſub fide, honoreque Principis, noſtro Succeſſorumque noſtrorum nomine cavemus, ſpondemus, promittimus. In quorum fidem præſentem Cautionem noſtram ſubſcripſimus, & Sigillo communiri iuſſimus. Datum Mitaviæ die 6. Martii An. 1683. Anno 1683.

Fridericus Casimirus *Dux Curlandiæ.*

CCLXXXI.

Confirmatio Articuli de Religione Auguſtana, Dat. Varſaviæ d. 25. Mart. An. 1683. *Indidem.* 1683.

Joannes III. DEI Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ &c. Significamus præſentibus Literis noſtris, quorum intereſt univerſis, & ſingulis harum notitiam habituris. Quod cum Illuſtriſſ. Princeps Dominus Fridericus Caſimirus in Livonia Curlandiæ, & Semigalliæ Dux, Legatos ſuos pro tempore aſſignato ad Nos miſiſſet, & Inveſtituræ Feudi ſui Ducalis collationem, tum Jurium, & Privilegiorum, Conceſſionumq; omnium, quæ a Sereniſſimis olim DD. Sigismundo Augusto, Stephano, Sigismundo III. Vladislao IV. Joanne Casimiro, & Michaele Regibus Prædeceſſoribus noſtris, & Nobis, ipſe, & Illuſt. olim Anteceſſores eius conſecuti fuiſſent, confirmationem per eosdem Legatos ſuos petiiſſet, & cætera quidem, quæ conferenda, & confirmanda exiſtimaſſemus, ipſo Inveſtituræ Diplomate confirmare, & conferre Nobis viſum eſſet, Articulum de Religione Confeſſionis Auguſtanæ e Privilegio eiusdem Divi Sigismundi Augusti, quemadmodum & Divæ memoriæ Sereniſſimi Prædeceſſores noſtri fecerunt, hoc peculiari noſtro Diplomate eius Illuſt. Regia noſtra poteſtate, & authoritate confirmare voluiſſe. Cuius quidem Articuli in praememorato Privilegio D. Sigismundi Augusti contenti, tenor de verbo ad verbum eſt talis: *Dedimus præterea*

ANNO 1683. *terea fidem, & præsentibus Literis sancte damus, recipimus, & promittimus, Nos tam Principi ipsi, quam Civitatibus, aliisque subditis suis, cuiuscunque Ordinis, vel Status fuerint, liberum usum Religionis, cultusque Divini, & receptorum rituum secundum Augustanam Confessionem in suis Ecclesiis, totiusque rei Ecclesiasticæ integram Administrationem, sicut eam hactenus habuerunt, libere permissuros, nec in ea ullam mutationem facturos, neque ut ab aliis fiat, permissuros.* Hunc itaque Articulum ex omni sua parte Nos gratum, ratumque habere, atque eius Illustritati confirmare, & salvum, sartumq; perpetuis temporibus conservaturos esse, verbo nostro Regio pro Nobis, & Serenissimis Successoribus nostris promittimus; quemadmodum eum vigore harum nostrarum Literarum plane confirmamus. In cuius rei fidem præsentes manu nostra subscriptas Sigillis Regni, & M.D. Litv. communiri iussimus. Datum Varsaviæ die 25. Mensis Martii, Anno Domini 1683. Regni vero nostri IX. Anno.

JOANNES *Rex.*

(L.S.Regni.) (L.S.M.D.L.)

CCLXXXII.

1683. *Cautio S. R. Maiestatis Poloniæ, quod Actus Homagii in Investitura Ducatus Curlandiæ, a Duce Friderico Casimiro per Legatos accepta, receptæ alias consvetudini, & solennitati Infeudationis præiudicare non debeat.* Dat. Varsaviæ d. 25. Mart. An. 1683. *Ex Archivo Regni.*

JOANNES III. Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ &c. Significamus præsentibus Literis nostris, quorum interest universis, & singulis. Misisse ad Nos pro termino recipiendæ Investituræ assignato, Illustriss. Principem Dominum Fridericum Casimirum in Livonia Curlandiæ, & Semigalliæ Ducem, Legatos suos Generosos Christophorum Henricum Liberum Baronem de Puttkamer, Supremum Ducatus sui Præfectum, & Dietericum ab Altenbockum Supremum suum Mareschalcum, Supremosq; Consiliarios Ducatus sui Curlandiæ. Et quoniam Nos in hoc Actu Homagii more veterum Investiturarum Regalia indutos, Coronaque Homagiali redimitos esse, certæ non permiserunt legalitates, declarandum censuimus, declaramusque hisce Literis nostris, quod Actus hic nil receptæ consvetudini, & Solennitati Infeudationis ex pacto, & providentia præiudicare, nec pro exemplo, aut præiudicato in futuris (Deo dante) Homagiis reputari poterit. In cuius rei fidem præsentes manu nostra subscriptas, Sigillis Regni, & M.D.L. communiri iussimus. Datum Varsaviæ, die 25. Martii, An. Domini 1683. Regni nostri nono Anno. ANNO 1683.

Sigillum Regni Cancellariæ Maioris.

CCLXXXIII.

Rescriptum pro Jurisdictione spirituali per Ducatum Curlandiæ Reverendo Episcopo Livoniæ, & Piltensi concessa. Dat. Varsaviæ d. 7. Jun. 1689. *Ex Arch. Reg.* 1689.

JOANNES III. *Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ &c. Significamus præsentibus Literis nostris, quorum interest, universis, & singulis, Oblatas esse ad Acta præsentia Metrices Regni Cancellariæ nostræ Maioris Literas infrascriptas, manu nostra Regia subscriptas, & Sigillo Regni Maiori communitas, sanas, salvas, illæsas, omnique suspicionis nota carentes, continentes in se Rescriptum nostrum pro Jurisdictione spirituali per Ducatum Curlandiæ, Reverendo Nicolao Poplawski Episcopo Livoniæ, & Piltensi, Ecclesiasque Catholico-Romanas, exercenda, a Nobis benigne collatum. Quarum quidem Literarum tenor de verbo ad verbum est, qui sequitur, talis.*

JOANNES III. Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ &c. Significamus præsentibus Literis nostris, quorum interest universis, & singulis, præsertim vero Illustrissimo Principi Domino Friderico Casimiro in Livonia Curlandiæ, & Semigalliæ Duci, tum & Incolis, tam Generosis, ac Nobilibus, quam cuiuscunque status, & conditionis Ducatus Curlandiæ, atque Episcopatus, Territoriique Piltensis. Quia cum Nos non ita pridem pro Jure Patronatus nostri Regii Episcopatum Livoniæ, & Piltensem, alias Curonienſem, in Personam Reverendi Nicolai Popławski contulissemus, ac interea de Episcopatus Piltensis bonis temporalibus gravior exorta fuisset difficultas, negotiumque ex Commissione Piltini peracta, ad Nos, Judiciumq; nostrum remissum fuisset, atque in eo, posteaquam magno motu agitatum est, deliberassemus, & hucusque ex rationibus animum nostrum permoventibus deliberamus, non intendisse Nos, neque ullo modo intendere Jurisdictionem spiritualem supra Ecclesias Catholico-Romanas, per totum Ducatum Curlandiæ, & Semigalliæ, Tractum-

ANNO 1689. Etumque Piltenſem, quam hucuſque Epiſcopus Samogitiæ, tanquam vicinior de Jure communi exercebat, præfato Epiſcopo Livoniæ ſuſpenſam, aut a quopiam impeditam haberi. Sed quemadmodum eam per nominationem noſtram Regiam eidem plene contulimus: ita circa eandem integre nunc conſervamus. Quod dum præſentibus declaramus, in eius rei fidem easdem manu noſtra ſubſcriptas, Sigilloque Regni, & Magni Ducatus Litvaniæ communiri iuſſimus. Dat. Varſaviæ d. 7. Menſis Junii Anno Domini 1689. Regni vero noſtri decimo quinto Anno.

JOANNES *Rex.*

L. S. Maioris Cancellariæ Regni.

Adalbertus Staniſlaus Chroſciński S. R. Maieſtatis Secret. mpp.

Quas quidem Reſcripti Literas ſuprainſertas Nos ad Acta præſentia ſuſcipi, iis inſcribi, & ex iisdem fideliter depromptas parti poſtulanti in forma authentica extradi permiſimus. In cuius rei fidem præſentibus &c. Actum, & Datum Varſaviæ feria tertia ante feſtum S. Joannis Baptiſtæ proxima die ſcilicet 21. Menſis Junii Anno Domini 1689.

Ad Relationem Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi Domini Georgii Albrachti Donhoff Epiſcopi Camenecenſis, nominati Premiſlienſis, Supremi Cancellarii Regni.

1700. *Juſtæ Vindiciæ, & ſumma armorum iuſtitia, ex parte S. R. Maieſtatis Poloniarum, iuxta obligationem Pactorum Conventorum, præſtitumque Reipublicæ Juramentum contra Sereniſſimum Regem, & Coronam Sveciæ, ratione ruptæ toties Pacis perpetuæ, violatorum Pactorum Olivenſium, nec non noviſſimæ exagitationis, & offenſionis Sereniſſimi Regis Daniæ, & Norvegiæ, perpetui Fœderati Regni Poloniæ, ac Copiarum Regiarum aggreſſionis, manifeſtantur.* Anno vindicatæ Salutis æternæ 1700. *Vide Suppl. Tomi V. ad Annum 1700.*

1701. *Caſſatio Confirmationis præteritorum Jurium per Generoſum Maydel ſuper Bona Dundangenſia, & Zyravienſia ad Epiſcopatum Piltenſem ſpectantia obtentæ.* Dat. Varſaviæ d. 17. Aug. Anno 1701. *Vide Suppl. Tomi V. ad An. 1701.*

1702. *Caſſatio Reſcripti pro Contutoria, & Coadminiſtratione Ducatuum Curlandiæ, & Semigalliæ, ac Diſtrictus Piltenſis per Sereniſſimam Duciſſam Curlandiæ, Viduam obtenti.* Datum Cracoviæ die 11. Iulii. *Ibidem ad An. 1702.*

CCLXXXIV.

ANNO 1704.

Punctum quintum Fœderis inter AUGUSTUM II. *Regem, & Rempublicam Poloniæ ab una, &* PETRUM I. *Czarum Ruſſiæ ab altera Parte, contra* CAROLUM *Regem Svecorum defenſive, & offenſive initi.* Narvæ 30. Auguſti An. 1704. (a)

Quemadmodum Czarea Maieſtas ad hæc tempora bellum non in Livonia tantum, ſed etiam in aliis locis, quæ ſub poteſtate communis hoſtis erant, feliciter Deo auſpice geſſit, ita illud deinceps continuabit, fidemq; ſuam obligat, quod omnes Munitiones, Urbes, Arces, reliquaq; omnia loca, quæ in toto Ducatu Livoniæ, Terrisq; ad eundem Ducatum ſpectantibus ad Rempublicam pertinuerant, quæq; Deo opitulante ab hoſte repetentur, Regiae Maieſtati, & Sereniſſimae Reipublicæ Poloniæ ſine ulla compenſationis praetenſione libenter retradet, reſtituetque.

CCLXXXV.

1717. *Acta Commiſſionis S. R. Maieſtatis ex mente Conſtitutionis novellæ Mitaviæ Menſe Julio An. 1717. celebratæ, inſertis iuramentorum formulis, tam a Supremis Conſiliariis, quam Capitaneis Maioribus, & Minoribus, Duci præſtandorum.*

Nos Alexander Horain, Epiſcopus Samogitiæ, Stanislaus Comes Donhoff, Enſifer Regni, Magniq; Ducatus Litvaniæ Dux Campeſtris, Jacobus Comes in Skrzynno Dunin, Regens Maioris Cancellariæ Regni, Braclavienſis Capitaneus, & Joannes Sigiſmundus de Wahlen, Vexilliſer Diſtrictus Grodnenſis, S. R. Maieſtatis Succamerarius, Commiſſarii a S. R. Maieſtate, ex mente Conſtitutionis Novellæ, cum plena poteſtate ad Ducatus Curlandiæ & Semigalliæ deputati & aſſignati, poſt expeditas cauſas expulſionum, liquidationum, Commiſſionum & alia acceſſoria Decreta prolata, quorum ſeparatum Protocollum, ut in cauſis privatorum, manibus Noſtris ſubſcriptum & ad Acta porrectum extat, deciſaque cauſa homicidii, G. olim Caroli Friderici Fircks, Capitanei Telſenſis, conformando Nos Inſtrumento Commiſſionis Sacræ Regiæ Maieſtatis, ad exaudienda & trutinanda gravamina publica

(a) Inſeritur hic Tractatus per totum Tom. II. P. I. Tit. ROSSIA ad Ann. 1704.

ANNO 1717. Generoſæ Nobilitatis Ducatus Curlandiæ & Semigalliae S. R. Maieſtati & iudicio Noſtro Commiſſoriali porrecta & exhibita ſub actu diei decimæ quartæ menſis Julii, Anno Domini milleſimo ſeptingenteſimo decimo ſeptimo proceſſimus. Quibus exhibitis et lectis pro meliori iudicii Noſtri informatione ante omnia ad revidenda Documenta, Gravamina G. Nobilitatem concernentia, in Camera Ducali exiſtentia, ſignanter diſpoſitiones œconomicas et Mandata Ducalia, Commiſſionesque, Illuſtres ac Magnificos Regentem Cancellariæ Regni Maioris, et Vexilliferum Grodnenſem, abſentia unius non obſtante, e medio iudicii Noſtri deputavimus, Officialesque Cameræ Ducalis, ad comportanda eadem, ſub fide iurata adſtrinximus. Poſtmodum etiam Nobili Jacobo Biſelſtein, Advocato Aulico, quatenus Mandata omnia Ducalia ſtatum publicum Ducatus concernentia, et particularia cum publicis connexionem habentia, literasque, quae, et quales per G. Ordinem Eqveſtrem Gravaminibus ſuis ſpecificatae ſunt, ac ſignanter eas literas, in quibus expreſſum, ut praefatus Advocatus Biſelſteinius, GG. Conſiliariis Regentibus recte in omnibus, et cum proiectis aſſiſtere, iiſdemque, ut eum in omnibus adhiberent, eiuſque conſilia ſequerentur, ab Illuſtriſſimo Duce ſpecialiter iniunctum eſt, ſub pœnis ad iudicium noſtrum, comportaret, et produceret, mandavimus, iiſdemque prout et Documentis Cameralibus per eoſdem Magnificos judicii noſtri Deputatos ſecrete reviſis, ad deciſionem eorundem gravaminum condeſcendimus.

Exhibuit Nobis Generoſa Nobilitas Pacta primaevae ſubiectionis, ſub dato Vilnae, die 28. Novembris Anno 1561. et quidem ex iis locum, in quo Divus olim Sigiſmundus Auguſtus, Illuſtriſſimis Ducibus Curlandiae Ducalem titulum, ad inſtar Ducis Pruſſiae, cum omni Dignitate, Inſignibus et Privilegiis Ducalibus tribuit, tum privilegium, ſub dato Vilnæ, feria ſexta poſt Feſtum S. Catharinae, An. 1561 G. Nobilitati datum, in quo habetur, quod Illuſtriſſimus olim Gotthardus ſe & Provinciam ſuam ditionibus, dominiiſque eiuſdem S.R. Maieſtatis, ad inſtar terrarum Pruſſiae, adiunxit et incorporavit; porro Inveſtituras Ducum Curlandiae cum ſuperioribus per omnia convenientes, deinde Diploma Inveſtiturae Duci Pruſſiae, Joanni Sigismundo, eiuſque fratribus præſcriptum, in quo hæc continentur verba: Quoties ſe obtulerit caſus devolutionis de uno in alium Marchiones, & eorum legitimos feudi hæredes maſculos, debebunt illi, & quisque eorum debebit, Nobis & Succeſſoribus noſtris, Regibus & Regno Poloniae, intra tempus debitum, ſubiectionem & feudi obligationem, & homagium præſtare, neque prius feudum Ducatus Pruſſiae accipere, aut acceptum adire poterunt, aut debebunt, quam Nobis, Succeſſoribusve, Regibus ac Regno Poloniae, in propria perſona iuramentum fidelitatis præſtiterint; poſt haec Inſtrumentum ſimultaneæ Inveſtituræ, de An. 1633. in quo Dux Jacobus cum Patruo, Duce Friderico, ſimul inveſtitus, & ad contactum vexilli admiſſus fuit, & conſenſum Regium ex Reſponſo Comitiali An. 1638. obtentum, cui conſenſui hæc conditio vel clauſula fuit adiecta: ut antequam realem poſſeſſionem illius Ducatus apprehenderit, iuriſdictionemq; exercere cæperit, is idem Dux Jacobus, primum Nobis & Reipublicæ homagium ſolenni ritu feudali, ex vi pactorum eo in loco, ubicunque pro eo tempore cum Aula noſtra feliciter conſtituti fuerimus, præſtare teneatur. Praeterea paragraphum Formulæ Regiminis 44. qui huius tenoris eſt: Novus Princeps Curlandiæ & Semigalliae iureiurando, quod Sacrae Regiae Maieſtati & Reipublicæ præſtabit, ſe quoque Nobilitatis univerſæ, omnium præterea & ſingulorum privatorum, libertates, privilegia, iura, immunitates, ſartas atque tectas ſervaturum conteſtabitur, ut & §. 4tum Form. Regiminis, in quo habetur: quodſi Principem abeſſe a Ducatu contigerit, Conſiliarii ſupremi Jurisdictionem, & Judicia exercere, mandata & ſententias, aliaque omnia adminiſtrationis munia, Principis nomine expedire, & promulgare tenentur; denique declarationem ac deciſionem de Anno 1642. ubi ſequentia verba leguntur: Sede vero vacante, vel Principe ex Ducatu abſente, vel minorenni exiſtente, ſoli quatuor Supremi Conſiliarii, iuxta Formulam Regiminis, Ducatum, omniaque Gubernationis munia, etiam in indicendo Conventus, adminiſtrabunt; Quibus exhibitis G. Nobilitas conqueſta eſt, quod his omnibus non obſtantibus, Dux Illuſtriſſimus Ferdinandus, licet homagium non præſtiterit, in S.R. Maieſtatis & Reipublicæ, nec non Ordinis Equeſtris præiudicium, Regiminis munia ſuſcepit, & ad ſe Gedanum traxit, multa præiudicioſa, nullo Conſiliario, niſi Secretario Superiore, Joanne Chriſtiano Hölchero præſente, contra Leges fundamentales, reſcribendo expe-

ANNO 1717.

ANNO 1717. expediendo, atque promulgando, Conventum vero publicum ſecundum Formulam Reg. & Comiſſionem de A. 1642. a Conſiliariis *S*upremis indicendum, denegando. In Contrarium GG. Conſiliarii Regentes, coram Nobis comparentes, exhibuerunt Literas Reſcripti S. R. Maieſtatis, de dato Varſaviæ, die 24. menſis Martii, An. 1713. conceſſas, ſigillo Regni Maiori & M. *D.* Litvaniæ communitas, quibus S. R. Maieſtas prout in Anno 1712. ex cauſa prætenſæ debilis valetudinis Illuſtriſſimi moderni *D*ucis, Ferdinandi, homagii praeſtationem, & Inveſtituræ receptionem, ad cadentiam ſequentium Comitiorum differre, ita quoque ad proxima, immediateque futura Comitia prorogare, & ſibi G. G. Conſiliariis, & Officialibus, totique Nobilitati, ut iuxta praeſcriptum Statutorum & Formulae Regiminis, eidem Illuſtriſſimo *D*uci obtemperent, juriſdictioni eius in omnibus pareant, demandare dignata eſt.

Nos Commiſſarii S. R. Maieſtatis eo in conſideratione habito, quod ex Pactis primævæ ſubiectionis, aliisque documentis exhibitis, Formula Regiminis, Commiſſorialique Deciſione, Illuſtriſſimus Dux Ferdinandus, ante homagium S. R. Maieſtati præſtitum, adminiſtrationem Ducatus ſubire, & iurisdictionem exercere, vel prætendere nullo modo valuerit, ſed quod ſede vacante, vel Principe abſente, omnia adminiſtrationis munia ſolis Conſiliariis ſupremis attributa ſint, & quamvis prorogationem præſtandi homagii in Literis Reſcripti S. R. Maieſtatis Illuſtriſſimus Dux obtinuerit, ea tamen extra Ducatum abuti non potuit; itaq; ob concurrentiam eiusdem prorogationis S. R. Maieſtatis, in qua etiam aſſignatus ad præſtandum homagium terminus iam a tot annis per Illuſtriſſimum Ducem prætermiſſus, cauſam quidem hoc in puncto cum toto ſuo effectu ad Judicia Relationum propriarum S. R. Maieſtatis remittimus, terminumque Partibus, dum, & quando Judicia eadem, præviis Innoteſcentialibus, in cadentia ſolita Juridicæ Curlandicæ celebrabuntur, conſervamus peremtorium. Ut autem omnia devia, iuxta Conſtitutorium Regium Nobis clementiſſime conceſſum, in priſtinam orbitam redigamus, in futurum, iuxta Formulam Regiminis, deciſionemque Commiſſorialem, inhærendoque Legi publicæ Conſtitutionis Anni 1683. eo in caſu, quando Princeps iuramentum fidelitatis, homagiumque in propria Perſona ſua nondum præſtiterit, Generoſam Nobilitatem ab obedientia Principibus inveſtitis præſtari ſolita pro abſoluta declaramus. Cæterum providendo, ne in abſentia Illuſtriſſimi Domini Ducis moderni maiores, & periculoſiores abuſus, ob uſurpatam ſibi extra Ducatus præfatos iurisdictionem prætenſam, eveniant, Formulamque Regiminis ad executionem deducendo, caſſatis, & pro nullis declaratis quibusvis Mandatis, Reſcriptis, & Commiſſionibus Ducalibus, Gedano in anteceſſum, & ad præſens ad quaſcunq; perſonas transmiſſis, uti iuribus Ducatus contrariis, eidem Illuſtriſſimo Domino Ferdinando Duci, Authoritate S. R. Maieſtatis, & Reipublicæ, ne prætenſam extra Ducatum iurisdictionem exerceat, & continuet, G. G. quoque Conſiliarii Regentes, Capitanei maiores, vel minores, aliique Officiales, etiam Camerales, Mandata, & Commiſſiones eiusmodi Ducales ad ſe transmiſſas, ſive transmittendas ullo modo exequi audeant, ſed eo in paſſu ad GG. Conſiliarios ſupremos Regentes recurrant, ſub pœnis privationis officiorum, & incapacitatis in futurum ad ea aſſequenda interdicimus, & ſerio inhibemus. Ac ut interim, & in futurum abſente extra Ducatum Principe, & in aliis caſibus in Formula Regiminis expreſſis GG. ſupremi Conſiliarii Regentes, per Nos, inferius conſtituti, & approbati, ſive in futurum eligendi, & conſtituendi, iurati Iurisdictionem, & Iudicia exerceant, Mandata, & ſententias, aliaque omnia adminiſtrationis, & gubernationis munia, Principis nomine, quamdiu in vivis erit, expediant, Iudicia ſua ſtatis temporibus inchoari curent, & ſeſe iuxta præſcriptum iuramenti per Nos inferius præſcripti, Formulæ Regiminis §pho 10. 14. & 15. in iure dicendo, & adminiſtranda iuſtitia gerant, eaque obſervent, ita, ut eorum iurisdictio, etiam mortuo, abſente, vel minorenne, infirmoque Principe, indiviſa, atque in ſolidum cenſeri debeat, & iuxta §. quartum Formulæ Regiminis uno, pluribusve eorum defunctis, vel legaliter abſentibus, reliqui munere ſuo plene fungantur, & in locum defunctorum a reliquis Conſiliariis ſupremis, intra menſem, alii ex præſcripto Legum eligantur, & conſtituantur, ſalvo, & reſervato G. Nobilitati, in caſum neglectus, ad S. R. Maieſt. recurſu, declaramus, & ſub pœnis contra negligentes Officiales in Iure ſancitis, per G. Inſtigatorem Regni, & M. D. Litv. ad inſtantiam, & delationem cuiuscunque ex Nobilitate in Iudiciis S. R. Maieſt. decernendis, & irremiſſibiliter extendendis, demandamus; Iure tamen S. R. Maieſtat. & Reipubl. per omnia, & in omnibus ſalvo.

ANNO 1717.

Conſequenter & in decimo tertio, attenta notorietate facti ex libera iudiciali

ANNO 1717. agnitione G. Cancellarii Sacken, quod ipſe Gedani Illuſtriſſimo Domino Ferdinando Principi ſuper Officium Cancellariatus iuramentum A. 1713. præſtitit, per literasque eiusdem Illuſtriſſimi Ducis confirmatus, & in pacifica poſſeſſione ſit, & alterius G. Philippi Everhardi de Bruggen, Capitanei maioris Tuckumenſis, quod ipſe iuramentum ſuper Capitaneatum Tuckumenſem in ſcriptis eidem Illuſtriſſimo Gedanum tranſmiſerit, nec non confeſſione GG. Landhofmaiſteri, & Cancellarii facta, quod quidam Capitaneorum iuramenta in ſcriptis Gedanum tranſmiſerint, conſiderata eiusmodi omnia iuramenta, uti iuribus Formulæ Regiminis, & praxi antiquæ, ac directo dominio S. R. Maieſtatis, & Reipublicae praeiudicioſa, & contraria abrogamus, & pro nullis declaramus, & ne in futurum Officiales iuramenta extra Ducatum praeſtent, vel eadem illic, aut in Ducatu in literis exhibeant, ſub privatione officiorum inhibemus. Verum quoniam GG. ſupremi Conſiliarii Regentes, abſente extra Ducatum Principe, nomine Principis, & in aliis Caſibus in Formula Regiminis ſpecificatis, ſoli omnia adminiſtrationis munia, & iurisdictionem exercere debent, ideo, quatenus in futurum omnes Officiales, praeſente in Ducatu inveſtito Principe, coram Principe praeſentibus Conſiliariis, ſede vero vacante, & necdum inveſtito Principe, coram ſolis iisdem GG. Conſiliariis duntaxat, S. R. Maieſtati, Reipublicae, & legitime inveſtitis Principibus, in loco Reſidentiae Ducalis ſolito iurare debeant, ſtatuimus, & declaramus, Rotamque Iuramenti, Principibus inveſtitis praeſtandi, praeſcribendam eſſe duximus, & praeſcribimus in hunc, qui ſequitur modum.

Formula Juramenti Supremorum Conſiliariorum.

Ego N. N. iuro, & promitto Illuſtriſſimo Principi, ac Domino, Domino Ferdinando, in Livonia Curlandiae, & Semigalliae Duci, Principi, ac Domino meo gratioſiſſimo, eiusque legitime inveſtitis Haeredibus, & Succeſſoribus, ſub dominio directo S. R. Maieſtatis Poloniae, & M. D. Litvaniae, (quamprimum homagium tam modernus Illuſtriſſimus Dux, quam Haeredes, & Succeſſores eius praeſtiterint, & renovationem Inveſtiturae realem conſecuti fuerint,) Ducibusque non amplius ſuperſtitibus, Sereniſſimo, ac Potentiſſimo Principi, ac Domino, Domino AUGUSTO II. Regi Poloniae, & M. Duci Litvaniae, tanquam meo non ſolum Domino ſupremo, & directo, qui S. R. Maieſtas iam eſt, ſed etiam tanquam meo tunc immediato, & plane perfecto naturali Domino, & Reipublicae, me, uti alii Regni Incolae, ſubiectum, fidelem, & deditum futurum, & manſurum, ſuae Illuſtritatis commoda quaeſiturum, mala averſurum, damnaque præcauturum; et poſtquam a ſua Illuſtritate Conſiliarius ſupremus conſtitutus ſum, me in conſiliis, legationibus, et aliis mihi commiſſis negotiis loquendo, et ſcribendo diligentem, ſollicitum, et ſolertem exhibere, eiusdem Illuſtritatis regalia, honorem, et reputationem, ius, et iurisdictionem, quod per me fieri poterit, defendere, tum Ordinationes, et Privilegia ſecundum Pacta ſubiectionis, Formulam regiminis, Deciſionesq; Commiſſoriales, iura, et conſvetudines, tam omnium in genere Incolarum, quam uniuscuiusq; in ſpecie, cum omni fidelitate debite obſervare, et quantum in me eſt, non permittere velle, ut peregrini, vel exotici ad conſilia, et conſultationes publicas ſive clam, ſive palam admittantur, imo multominus ego eosdem ad eas admittam, vel introducam, contra vero in id incumbam, ut omnia iuxta leges cardinales, et horum Ducatuum obſervantiam ſolummodo ab indigenis diſponantur, atque adminiſtrentur. In caſu vero, ſi praeter opinionem aliquid, quod huic contrarium eſſet, fieret, vel intenderetur, volo ego ſuam Illuſtritatem deſuper tenore Formulae Regiminis tempeſtive, et cum fundamento praemonere, omnemque operam navare, ut id intermittatur, quae ſi omnia abſque effectu eſſent, ad S. R. Maieſtatem, utpote Dominum meum directum recurram, atque vi huius mei Iuramenti præſtiti, debite, fideliter, ac ingenue omnia deferam, et remedium quaeram, caeterum vero ſuae Illuſt. arcana, et quidquid mihi concreditum fuerit, tum et quod in habito conſilio per modum ſuffragii, vel aliter concluſum eſt, nemini revelabo, ſed ad cineres uſque reticebo; In cauſis, et actibus iudicialibus, item in decernendis libellis ſupplicibus, tantum iuri, et iuſtitiae ſanctae me conformabo, et ad normam, regulamque eius, abſque perſonarum, munerum, et donationum reſpectu omnes cauſas decidam, et definiam, tandemque omnia perficiam, quae fideli Conſiliario ſupremo incumbunt, eumque obligant, omnia ingenue, ſine reſervatione. Ita me Deus adiuvet, et S. eius Evangelium.

ANNO 1717.

Principi autem inveſtito ita iurabunt Conſiliarii Regentes, ſcilicet omiſſa clauſula: Quamprimum &c. fuerint.

Simi-

ANNO 1717. Similiter GG. Capitanei maiores, & minores, quos ſub eadem præcautione, qua GG. Conſiliarios ſupremos, in officiis ſuis conſervamus, iurabunt eiusmodi rota.

Formula Juramenti Capitaneorum Maiorum, & Minorum.

Ego N.N. promitto & iuro Illuſtriſſimo Principi ac Domino, Domino Ferdinando, in Livonia Curlandiæ & Semigalliæ Duci, Principi ac Domino meo gratioſo, eiusdemque rite inveſtitis Hæredibus, & Succeſſoribus, ſub directo dominio S. R. Maieſtatis Poloniæ, & Magni Ducis Litvaniæ, (quam primum homagium tam modernus Illuſtriſſimus Dux, quam Hæredes & Succeſſores eius præſtiterint, & renovationem Inveſtituræ realem conſecuti fuerint) Ducibusque non amplius ſuperſtitibus, Sereniſſimo ac Potentiſſimo Principi ac Domino, Domino AUGUSTO II. Regi Poloniæ & M.D.Litvaniæ, eiusque in Regno Succeſſoribus, Serenisſimis Regibus Poloniæ, & Magnis Ducibus Litvaniæ, tanquam meo non ſolum Domino ſupremo, directo, qui *S.* R. Maieſtas iam eſt, ſed etiam tanquam meo tunc immediato, & plane perfecto, naturali Domino, & Reipublicæ, me, uti alii Regni incolae, ſubiectum, fidelem, & deditum futurum & manſurum, ſuae Illuſtritatis commoda quæſiturum, damnaque præcauturum, & poſtquam a ſua Illuſtritate Capitaneus Maior N. conſtitutus ſum, in legationibus & commisſionibus, in & extra Ducatum, me fidelem, & diligentem exhibebo, arcana mihi concredita, ad aram uſque reticendo, nec ſine iuſſu ſuæ Illuſtritatis cuipiam propalando; Claves & arcem N. mihi, in Capitaneatu delato maiori, commiſſas, caute obſervabo, nec ſine Illuſtritatis ſuae, eiuſque *Succeſſorum* voluntate, cuiquam extradam; In iudiciis ſolummodo ad ſanctam iuſtitiam reſpiciam, & ſecundum eius normam & regulam, abſque reſpectu perſonarum, munerum, ſeu largitionum, omnes cauſas decidam & diſcernam, conſtitutiones & privilegia horum Ducatuum, ſecundum Pacta ſubiectionis, Formulam regiminis, Deciſiones commiſſoriales, iura & conſvetudines, tum omnium incolarum in genere, tum & uniuscuiusvis in ſpecie, omni fide, & ſemper manutenebo & obſervabo, & quantum in me eſt, tenore inſtructionis per me in ſcriptis acceptæ, pro optima mente & facultate mea, diligenter & fideliter peragam & perficiam, nec omittam, quod fidelem Capitaneum & Miniſtrum decet, eique convenit, ſine reſervatione, aut periculo: ita me Deus adiuvet, & S. eius Evangelium. ANNO 1717.

Concluſio.

Cum igitur omnia, quæ ita a Nobis, authoritate commiſſoriali, in perpetuum legis vigorem conſtituta ſunt, Pactis primævæ ſubiectionis, Formulæ Regiminis, Deciſioni Commiſſoriali de Anno 1642. aliique iuri publico, iuſtitiæ & æquitati conformia, & quæcunque devia, ex tenore Conſtitutionis novellae, & Conſtitutorii Regii, per ea in priorem orbitam redacta ſunt; itaque confirmando ſimul omnia ac ſingula, quae in moderno & prioribus Conventibus publicis Regiis, cum Generoſis Conſiliariis regentibus a G. Ordine Equeſtri concluſa, ut quævis in ea contenta ac ordinata accurate obſerventur, iisque pleniſſime ſatisfiat, & ne ab eis ullo in puncto recedatur, vel præiudicioſi quid in Generoſum Equeſtrem Ordinem, vel ad calculationem Deputatos, vel Generoſi Ordinis Equeſtris Plenipotentiarios, & Patronos cauſæ, contra Protectoriales literas S.R. Maieſtatis (quas hiſce renovamus & reaſſumimus) in ſecuritatis publicæ everſionem, deciſionumq; noſtrarum derogationem, ſuſcipiatur, ſed iuxta illa Protectorialia S. R. Maieſtatis tam generalia, quam ſpecialia, eaque, quæ a Nobis conſecuta & ordinata ſunt, univerſis & ſingulis omnimoda ſecuritas præſtetur, neque in ſpecie ab Illuſtriſſimo Duce, vel Succeſſoribus eius, huic contrarium aliquid fiat, aut attentetur, eidem vel iisdem, ſub amiſſione feudi, & GG. Conſiliariis regentibus, ut talia ſollicite præcaveant, atque ſerio avertant, nec ulla ratione admittant, ſub confiſcatione bonorum, aliisque graviſſimis S.R. Maieſtatis arbitrariis pœnis, ſuper iis irremiſſibiliter extendendis, cæteris vero Officialibus, & quibuscunque aliis, ne operam præſtent, ut eiusmodi eveniant, ſub pœna infamiæ ac colli, S. R. Maieſtatis & Reipublicae nomine, & authoritate, ſerio præcipimus, mandamus, inhibemus, & ſtatuimus.

Limitatio Actus Commiſſionis S. R. Maieſtatis.

Quoniam autem varii bonorum Ducalium, reluitioni obnoxiorum, poſſeſſores ſuperſunt, qui ſatisfaciendo Decreto noſtro iura ſua deducere parati fuerunt, Nobis vero legalitates noſtrae, & varia ac graviſſima negotia non permittunt eos iam admittere, præterea nonnulla Generoſis Conſiliariis regentibus, atque Generoſo Ordini Equeſtri, commiſſa ſunt, quæ reviſione noſtra & finali deciſione indigent, imprimis ratione

ANNO 1717. teloniorum, & ordinationum politicarum civitatenſium, diverſorum quoque deſiderio, in liquidandis calculationibus ſatisfieri non potuit, atque inſuper neceſſitas ac rei ſtatus efflagitat, ut adhuc alia quædam expediantur, & in ordinem redigantur, quæ omnia hac vice ad finem perduci nequeunt; ideo hunc terminum pro Commiſſionis actu concluſive expediendo limitandum, differendum, ac prorogandum eſſe duximus, uti quidem effective & realiter limitamus ac prorogamus, ac terminum eiusdem actus reaſſumptionis pro die 20. Maii in anno proxime venturo 1718. aſſignamus, & determinamus, interea vero omnes bonorum Ducalium poſſeſſores a pœna in Decretis, ratione producendorum iurium ad bona Ducalia latis, interpoſita abſolvimus, Generoſisque Conſiliariis regentibus, ut reditus, & proventus Ducatuum ſedulo connotari faciant, de iisque in futurum rationes reddant, ac ea, quæ ipſis ac G. Ordini Equeſtri commiſſa ſunt, ad finem perducant, Generoſi vero ad calculandum Deputati cum quibusvis deſiderantibus calculent, & liquident, et partes ad iudicium noſtrum remittant, ſtatuimus et mandamus.

(L.S.) *Staniſlaus Comes Donhoff, Dux Campeſtris Exercitus M. D. Litvaniæ, Enſifer Regni, Neocorcinenſis, Sac. Reg. Maieſtatis, & Reipublicæ Commiſſarius.*

(L.S.) *Jacobus Comes in Skrzynno Dunin, Regens Regni Cancellariæ, Capitaneus Braclavien. S. R. Maieſt. & Reipubl. Commiſſar.*

(L.S.) *Joannes Sigismundus de Wahlen, Vexillifer Diſtrictus Grodnenſis, Succamerarius & Commiſſarius S. R. Maieſt. & Reip.*

Joſephus Kolinſki, Pocillator Braclavienſis, Commiſſionis S. R. Maieſt. Secretarius iuratus.

CCLXXXVI.

1726. *Inhibitio Sacræ Regiæ Maieſtatis, per Generoſum Nakwaſki, Capitaneum Ciechanovienſem, Statibus Curlandiæ, ne divulgatum Congreſſum particularem celebrare præſumant, intimata.*

AUGUSTUS II. &c. Generoſis Supremis Conſiliariis, Maioribus & Minoribus Capitaneis, ac univerſæ Nobilitati Ducatuum Curlandiæ & Semigalliæ fideliter Nobis dilectis, Gratiam noſtram Regiam: Generoſi fideliter Nobis dilecti. Cum non ſolum publica fama, divulgatique rumores, ſed certæ quædam relationes id deferant, acſi Fidelitates Veſtræ, prætextu abſentiae in hactenus a *Ducatibus Ducis* Ferdinandi, homagiique eius non redditi, ſeu alia quavis palliata ratione, meditentur & moliantur, contra Jura Supremi *Dominii* noſtri & Reipublicæ, Conventum privatum ſibi inſtituere & formare velle; idque non obſtante noſtra remiſſione & ſuſpenſione deſideriorum Fidelitatum Veſtrarum ad imminentem Comitiorum Regni Generalium Grodnæ celebrandorum reaſſumptionem, ex ea potiſſimum cauſa, quod priori gratioſa conceſſione noſtra & indictione Conventus, Fidelitates Veſtrae ſint abuſae, præſcriptum tenorem univerſalium Literarum Noſtrarum excedendo, & in materiam ſucceſſionis eventualis ſe ſe indebite ingerendo. Proinde Fidelitates Veſtras ſuper praemiſſis iam antecedenter legitime monitas, praeſentibus literis noſtris iterum ſerio monemus, ipſisque inhibemus & interdicimus, ne quidquam hac in re attentare, neque aliquem Conventum particularem privatum ſibi inſtituere & indicere, ſub quocunque praetextu praeſumant. Quem quidem Conventum conceſſimus & concedere poterimus, praevia certitudine, Fidelitates Veſtras facultatem noſtram in celebratione huiuſmodi Conventus non exceſſuras. Siquid autem contra haſce prohibitiones noſtras Fidelitates Veſtrae attentaverint, id totum, uti Pactis ſubiectionis, Conſtitutionibus & Juramento Fidelitatis, contrarium, pro irrito, invalido, & non exiſtenti declaramus. Renovamus inſuper noſtras attentiores inhibitiones, ne Fidelitates Veſtrae in tam magni momenti publico negotio eventualis horum *Ducatuum* Principis vacantiae, & ad Regnum noſtrum devolutionis, aliquas cointelligentias & correſpondentias, praecipue cum exteris, habere & quidquam attentare audeant. Facturae ſunt praemiſſa Fidelitates Veſtrae, pro gratia noſtra, pro fidelitatis ſuae juratae exacta obſervantia, & ſin ſecus quidquam attentare audeant, ſub gravi indignatione noſtra, irremiſſibilique Legum rigore. *Datum* Varſaviae, die 8. Menſis Junii, An. D. 1726. Regni vero noſtri 29. anno.

ANNO 1726.

AUGUSTUS *Rex.*

(L.S. Minoris Regni.)

(L.S. Minoris M.D.L.)

Andreas Franciſcus Cichocki, Sacræ Regiæ Maieſtatis Secretarius. mpp.

CCLXXXVII.

ANNO 1726.

CCLXXXVII.

Documentum intimatæ Inhibitionis ſupradictæ &c.

Magnificum, ac Generoſ. D. Ioſephum Nakwaſki, Capitaneum Ciechanovienſem, Inhibitorium quoddam a S. R. Maieſtate Poloniæ, *D*omino noſtro *C*lementiſſimo, de dato Varſaviæ die 8. Menſis Junii, Anno 1726. de non inſtituendis, & non indicendis *C*onventibus, nec de ſe non ingerendo in materiam ſucceſſionis eventualis d. 21. Iunii Anni currentis, Magnificis, ac Generoſis *D*ominis Conſiliariis ſupremis Regentibus, ad manus proprias tradidiſſe, idque Reſcriptum Regium hodierno die pro ulteriori cuſtodia, quotiescunque viſum fuerit neceſſe, ut & iterum producatur, Cancellariæ *D*ucali commiſſum eſſe ad Mandatum, ſub appreſſione Sigilli *D*ucalis, ſubſcriptioneque hac ſolita teſtor. *D*at. Mitaviæ d. 24. Junii An. 1726.

CCLXXXVIII.

1726. *Oblata videndæ Manifeſtationis*, d. 11. Jul. An. 1726.

AUGUSTUS II. *D*ei Gratia Rex Poloniæ &c. &c. Significamus præſentibus Literis noſtris, quorum intereſt univerſis, & ſingulis. Oblatas eſſe ad Acta præſentia Metrices Regni *C*ancellariæ noſtræ Maioris Literas infraſcriptas Videndæ Manifeſtationis, manibus Magnificorum Senatorum *R*egni die hodierna in actu contenta ſubſcriptas, tenoris ſequentis: *D*abitur Manifeſtatio nomine infraſcriptorum in rem totius Reipublicæ, & pro reſervatione ſupremi Iuris, & directi *D*ominii, quod S. R. Maieſtati, & Reipublicæ ad *D*ucatus Curlandiæ, & Semigalliæ competit, ne aliquod patiatur detrimentum, in, & contra omnia & ſingula in his *D*ucatibus per quoſcunque tam ab extra, quam ab intra ultra mentem S. R. Maieſtatis, & Reipublicæ, imo in convulſionem Legum Regni, & Reſcriptorum, præcipue ultimarii S. R. M. in his Ducatibus recenter attentata, & attentanda, Pactis primævæ ſubiectionis & incorporationis Regno Poloniæ horum Ducatuum, ac vinculo fidelitatis contraria, & conceſſioni Feudali, Inveſtituris, tum Legibus, & Conſtitutionibus Regni, & M. D. Litvaniæ, nec non Fœderibus anterioribus, & noviſſimis cum vicinis Potentiis initis, repugnantia, in præiudicium S. R. Maieſtatis, & Reipublicæ evenientia, aut eventura, ſuo loco, & tempore explicanda, cum proteſtatione de nullitate eorundem omnium, & ſingulorum attentatorum, et attentandorum, ſtante vita legitimi Principis Illuſtriſſimi Ferdinandi Ducis Curlandiæ, et Semigalliæ, prout latius in parata copia eadem Manifeſtatio porrigetur. ANNO 1726.

Andreas de Lubraniec Dąmbſki, Palatinus Breſtenſis Cuiaviæ. mpp.
Joſephus Sołtyk, Caſtellanus Belzenſis. mpp.
Caſimirus Rudzinſki, Caſtellanus Czernenſis. mpp.
J. Mniſzech, Supr. Reg. Mareſchalcus
J. Szembek, Supr. Regni Cancellarius.
Joan. Lipſki, Procancellarius Regni.
Joannes Georgius Przebendowſki, Supr. Regni Theſaurarius.

Quas eiusmodi Literas videndæ Manifeſtationis, ſic, ut præmiſſum, oblatas, Nos ad Acta præſentia ſuſcipi, inſcribi, et ex iisdem fideliter deſcriptas parti poſtulanti authentice extradi permiſimus. Actum, et Datum Varſaviæ feria quinta ante Feſtum *S.* Margaritæ Virginis, et Mart. proxima, die ſcilicet 11. Iul. Anno Domini 1726.

CCLXXXIX.

Manifeſtatio Procerum Regni Poloniæ, & M. D. Litvaniæ contra Actum Curlandicum, Congreſſu illicito die 26. Jun. Anno 1726. formatum. 1726.

Experimento triſti compertum eſt, Respublicas maiores, minoresve tamdiu ſtare, quamdiu a Veterum Inſtitutis non recedant, fundamentalibusque primævæ originis, vel acceſſionis ſuæ legibus innitantur; poſtquam vero pertæſæ ſtatus antiqui quidpiam novi moliantur, vel cupido novandarum rerum, aut fatalis voluptas pereundi, innumerabilibuſque ſe ſe tricis implicandi inceſſerit earum animis, neceſſario cadere, ac ſuccumbere. Probe experti ſunt Ducatus Curlandiæ, et Semigalliæ, quid ad felicem illorum ſtatum hucuſque contulerit, poſtquam felicibus Anteceſſorum noſtrorum armis, ſub auſpiciis *S*ereniſſimorum SIGISMUNDI AUGUSTI, STEPHANI BATHOREI, SIGISMUNDI Tertii, ſubſequentiumque Regum Poloniæ ab interitu vindicati, a quavis hoſtili impetitione protecti, pari Nobiſcum proſperitate gloriari aſſueverunt; quodſi quandoque contigerit, minora votis perferre, communem Regnorum ſortem inſtabilis fortunæ miſerati inter tempeſtates, procellasq; bellorum fluctuare poterant, non mergi, ubi coadunati Reipublicæ noſtræ nec perire, nec ſalvi niſi una eſſe debuerant. Iam quod

ANNO 1726. Superi avertant, navigium hoc, quod, cum Republica noſtra ſtricte unitum, feliciter hucuſque vehebatur, verendum, ne dividi cœptum naufragium patiatur, quando nuper inſcia, ac inconſulta, multo minus requiſita S. R. Maieſtate, et Republica, exiſtente adhuc in vivis Principe ſuo legitimo, Conventiculum quodpiam ſibi formare, deq; eligendo novo Principe deliberare, imo actu, auſuque illicito eligere, monitiones S. R. Maieſtatis hunc Actum inhibentes reſpuere, Emiſſarium Regium, Charactere Nuntii ad Comitia inſignitum, non admittere, aliaq; contraria Pactis, et Fœderibus ſubiectionis eiusdem Ducatus Curlandiæ, et Semigalliæ, obliti beneficiorum Regni huius, attentare auſi ſunt. Non commemoramus, quomodo Provincia hæc a Gotthardo Kettlero, Magiſtro quondam Ordinis Teutonici, Reipublicae noſtrae ſe ſubdiderit, ſubieceritque, quomodo a temporibus eiusdem Kettleri in obſequio, et fide feudali Reipublicae noſtrae ad haec uſque tempora fidelis permanſerit; praetermittimus, qualiter non interrupta ſerie in Friderico, et Wilhelmo, Filiis Gotthardi, poſtea in eodem Friderico, et Iacobo, ex Wilhelmo Fratre Nepote ſuo, demum in Friderico Caſimiro, et Ferdinando adhuc ſuperſtite, Filiis Iacobi Ducis, Inveſtituras petierit, obtinueritque, Leges tantum nonnullas, tenoremque Pactorum ſubiectionis adducere in animo eſt, quo luculentius pateat, immerito, indebiteque attentatum, adeoque nullius valoris, imo damnabile eſſe, quidquid in noviſſimo tumultuario cœtu recenter actum eſt.

Et quidem libet prima verba Tractatus Subiectionis Livoniæ, uti cum Curlandia indiviſae, eiusdemque naturae exiſtentis, hic inſerere, quae ſic ſonant: SIGISMUNDUS AUGUSTUS *&c. Cum Terra Livoniæ Nobis ex parte M. D. Litvaniæ &c.* Vide Pacta Subiectionis fol. 238.

Placeat et alterius Inſtrumenti confirmationis Iurium initialem textum de verbo ad verbum exprimere; SIGISMUNDUS AUGUSTUS *&c. Cum Livonia Provincia &c.* Vide fol. 243.

Faciunt multum ad rem, imo inſtruunt plurimum verba illa, quibus Magiſtratum etiam ordinandi, nedum Principem conſtituendi, Regi poteſtas ſupererat, dum ſic in Tabulis Conventionum reperitur: " Cum nihil Reſpublicas magis quaſſare, atque concutere ſoleat, quam legum, conſvetudinis, atque morum mutatio, S. R. Maieſtas bene conſtitutas Reſpublicas hac ratione non modo ſervandas, ſed collapſas reſtituendas prudentiſſimo, atque vere divino conſilio cenſuit, quod Principibus, Nobilibus, Civitatibus, atque Statibus Livoniae promiſerit, non ſolum Magiſtratum Germanicum, ſed et Iura Germanorum propria conceſſuram etc. „ Iam quod attinet ad ipſam Curlandiam, Semigalliamque, Incorporationemque horum Ducatuum ad Regnum Poloniae, verba plenae ſubiectionis in hunc ſonant modum: SIGISMUNDUS AUGUSTUS *&c. Significamus &c. Quod cum Illuſtris Dominus Gotthardus &c.* Vide fol. 287. ANNO 1726.

Id vero tanquam directe caſui, auſuique contrarium, haud ſilentio praeterire poſſumus, quod Formula Regiminis cautum, circumſcriptumque reperitur his plane expreſſis verbis: " Conventus publici ſingulis bienniis Mitaviae celebrentur, ad quos ſinguli Diſtrictus, poſtquam Articulos deliberatorios nacti fuerint, Nuntios ſuos cum ſufficienti poteſtate ablegabunt. In quibus Conventibus nihil decernetur, quod Pactis ſubiectionis fundamentalibus, et Ducalibus Inveſtituris, et huius Regiminis Formae, aut Ordinationi ſit contrarium, horum enim aeterna authoritas eſſe, et obſervari debebit Si tamen Princeps eiusmodi Conventum indicere recuſaverit, auhtoritate Regiæ Maieſtatis is indicetur. „

Quid memoramus Iuramenti formam, a Nobilitate ſuo Principi præſtiti ſemper, praeſtandique, cuius tenor eſt talis: " Ego N. N. iuro N. N. Curlandiae, et Semigalliae Duci, eiusque Succeſſoribus inveſtitis, et ſi horum nullus ſuperfuerit, Sereniſſimo, ac Potentiſſimo Principi, ac Domino, D. SIGISMUNDO III. Poloniae Regi, illiusque Succeſſoribus Regibus, et inclyto Regno Poloniae, et Magno Ducatui Litvaniae, tanquam non ſolum ſupremis, ac directis, quales nunc ſunt, ſed etiam utilibus, et immediatis tunc futuris, Dominis meis, tam uti caeteri Regni indigenae, ſubditus fidelis, et ſubiectus eſſe, eius Illuſtritatis commoda, & emolumenta quærere, promovere, omniaque terrarum, et incolarum Illuſtritatis eius, quantum per me fieri poteſt, damna, et incommoda praecavere, amovere, praevenire, uti fidelem, et probum ſubditum decet, ſemper velim, qua in re nihil quidquam, quod humano ingenio excogitari poterit, me impediet. Sic me Deus adiuvet, et Sancta Chriſti Paſſio. „

Juramento ſic conſcripto, Maiorum noſtrorum cautela non permiſit, quin etiam

ANNO 1726. iam pœnas in ſeditioſos, religionique Pactorum refractarios ſingulari lege ſtatueret, quæ quidem lex tenoris eſt talis: "His ita conſtitutis, illud poſtremo adiiciendum duximus, ut cum omnia, quæ hac Formula Regiminis continentur, Pactis primævae ſubiectionis huius Provinciae, iuribus aliorum Principum Vaſallorum, feudali titulo Provincias in Republica Polona poſſidentium, atque adeo ipſi æquitati et iuſtitiae ſint conformia, ea deinceps, ſub pœna Decreti Comitialis, anno ſuperiore lati, tum et aliis S. R. Maieſtatis arbitrariis, obſerventur, debitaeque executioni a ſuis Magiſtratibus demandentur.„

Jam vero id totaliter omittere non poſſumus, quod pro concluſione Tractatus, velut pro rei totius cardine, Formulæ eidem adiectum reperitur, in hæc formalia: "Inſuper omnes ex æquo in eam curam incumbant, quo pacatus, tranquillusque huius Ducatus ſtatus permaneat, qui cum inſtar propugnaculi contra finitimos univerſae Reipublicae hoſtes ex hac parte eſſe debeat, omnes concordibus animis ſtudia ſua ad ſalutem eius certatim et alacriter conferant, Illuſtri Principi ſuo, ac illius legitimis in feudo Succeſſoribus, obedientiam, honoremque exhibeant, fidei Regiae Maieſtati et Reipublicae Polonae datae memores ſint, ſi omni felicitate patriam ſuam florere, ita ac debent, peroptant.„

Quæ omnia ſecus nunc recenter acta, cum e diametro hiſce hicceque adductis contraria ſint, Nos Proceres Regni, et M. D. Litvaniae, ad latus S. R. Maieſtatis, Domini noſtri clementiſſimi, nunc præſentes, de nullitate cuiuslibet Actus noviſſimi, directo Dominio S. R. Maieſtatis, et Reipublicae repugnantis, Pacta Subiectionis et Diplomata Incorporationis ad Rempubl. horum Ducatuum infringentis, Juramentum Fidelitatis per Anteceſſores ſuos ac ſemetipſos praeſtitum tollentis, aliaque inſolita, illicita, vetita et punibilia attentantis, noſtro & totius Reipubl. nomine ac de inſubſiſtentia eorum attentatorum et attentandorum, iterum atq; iterum manifeſtamur, et proteſtamur, compagemque hanc multorum annorum ſudore, imo ſanguine coalitam, ſine exitio convellentium, convelli non poſſe, palam atteſtamur, ac præſentem manifeſtationem et proteſtationem manibus propriis ſubſcriptam Actis Metrices Regni, & quibusvis aliis Authenticis inſcribi committimus, ſalva eiusdem manifeſtationis augendae, corrigendae, pleno in robore reſervata facultate. Datum Varſaviae, Anno Domini milleſimo ſeptingenteſimo vigeſimo ſexto. ANNO 1726.

J. Mniſzech Supremus Reg. Mareſchal.
Joannes Lipſki Procancell. Regni.
M. Princeps Czartoryſki, Procancell. M. D. Litvaniæ.
Franciſ. Załuſki Palatin. Plocenſis. mp.
J. Przebendowſki Supremus Reg. Theſaurarius.
Staniſlaus Ciołek Poniatowſki Supremus M. D. Litvaniæ Theſaurarius.
Franciſ. Bielinſki Palatin. Culmen. mp.
Staniſlaus Chomentowſki Mareſchalcus Curiæ Regni. mp.

CCXC.

Citatio Conſiliariorum Supremorum &c. totiusque Equeſtcis Ordinis Curlandiæ, & Semigalliæ Ducatuum ad iudicium Sacræ Regiæ Maieſtatis. 1726.

AUGUSTUS II. DEI Gratia Rex Poloniae &c. Vobis Generoſis Henrico Chriſtiano de Bricken, Land-Hoff-Magiſtro, Joanni Henrico Keyſerling, Cancellario, Adamo Kościuſzko, Oberburgrabio, Eberhardo Philippo de Bruggen, Land-Mareſchalco, Conſiliariis Supremis, tum Joanni Erneſto de Ronne, Selburgenſi, Caſimiro Chriſtophoro Brackel, Mitavienſi, Carolo Firks, Goldingenſi, Philippo de Hahn Tuckumen. Maioribus, & aliis Minoribus Capitaneis, nec non Joanni Chriſtiano Sacken, praetenſo Mareſchalco cuiuſdam Congreſſus, N. Korff. Plenipotentario Provinciali, Georgio Rek, Friderico Klopman, Joanni Erneſto Nolde, Ottoni Eobaldo Sacken, Friderico Caſimiro Heyking, Henrico Joanni Brincken, Benedicto Henrico Hayking, Eberhardo Chriſtophoro de Medem, Erneſto Adolpho Heyking, Hermanno Carolo Keyſerling, Gotthardo Friderico Lœben, Gedeoni Saſs, Ottoni Chriſtophoro Höven, Erneſto, Chriſttophoro Bruggen, Erneſto Joanni Buttler, Georgio Chriſtophoro Medem, Sigiſmundo Korff. Chriſtophoro Wiegant, Wilhelmo Henrico Schröders, Franciſco Chriſtophoro Nottelhorſt, Friderico Aſcheberb, Carolo Joanni Erneſto Ronne, Joanni Funk, Henrico Joanni Gothus, Hieronymo Bruckein, Friderico Sacken, Georgio Joanni Keyſerling, Nicolao Vilhelmo Stempel, Deputatis, totique Equeſtri Ordini Curlandiae & Semigalliae Ducatuum, ſeu ex Vobis principalibus motoribus, autoribus & primariis ad infraſcripta attentata concurrentibus cooperatoribus de nominibus & cognominibus

Anno 1726. in termino ſpecificandis, quos magis actio praeſens afficit de perſonis, cauſa infraſcripta, bonisque veſtris, generaliter omnibus mandamus, ut coram Nobis & Judicio Relationum Noſtrarum propriarum, Grodnae, aut ubi tunc cum Curia noſtra feliciter conſtituti fuerimus, a poſitione praeſentis citationis noſtrae in ſex ſeptimanis, ſeu alias futura Juridica Cauſarum Curlandicarum, menſe Octobri, anno praeſenti, celebranda, tum, dum & quando cauſa praeſens ex Regeſtro publico Judiciali acclamata ad judicandum inciderit, et quidem vos, qui ſupra ſpecificati de cognominibus eſtis, perſonaliter, alii vero per legitimos Plenipotentes et mandatarios, peremptorie compareatis, ad Inſtantiam Generoſorum Inſtigatorum & Vice-Inſtigatorum Regni et M. D. L. pro munere officii ſui publici agentium Actorum, qui vos hac unica, eaque peremptoria citatione, uti in cauſa Juris Publici citant, pro eo, quia vos, contra Pacta publica ſubiectionis ſuæ cum Sereniſsimo Divæ memoriae, Sigismundo Augusto Rege Poloniae, Anteceſſore noſtro, Anno 1561. inita, & contra juramentum fidelitatis, Nobis, uti ſupremo et directo Ducatuum Curlandiae et Semigalliae Domino, praeſtitum, atq; contra diſpoſitionem juris communis, et *D*iplomatis Incorporationis horum Ducatuum Regno Poloniae, Anno 1569. in Comitiis Regni Generalibus Lublini factae, tum contra Conſtitutionem Regni Anni 1589, procedendo, et Jus quoddam electionis ſibi Ducis Curlandiæ et Semigalliae arrogando et uſurpando, et ex directo *D*ominio noſtro et Reipublicae ſe eximendo, necdum extincta ſtirpe Illuſtriſ. magnae recordationis *D*ucis Gotthardi, et filiorum eius, Frideci Wilhelmi, ac Illuſtriſſimo Ferdinando, *D*uce Curlandiae et *S*emigalliae, ex hac ſtirpe procedente, in vivis exiſtente, poſt cuius ſtirpis deceſſum modo primum hi *D*ucatus, juxta praeſcriptum memoratae Conſtitutionis Regni 1589. ad Regnum Poloniae et M. D. Litvaniae redire et illis coniungi debent, aequaliter prout Provincia Livoniae coadunata eſt, in qua provincia hi *D*ucatus exiſtunt, auſi eſtis et inconſiderate, imo temere praeſumpſiſtis, expreſſas inhibitiones Noſtras in literis noſtris ad vos datas, vobisque legitime intimatas, contemnendo, et ipſiusmet Illuſtriſſimi Ducis inhibitiones literatorias levipendendo, imo nomen eiusdem Illuſtriſſimi Ferdinandi *D*ucis ad literas quaſdam, per modum Univerſalium, inſcio illo conceptas, uſurpando, per eaſdem literas editas congreſſum quendam privatum, ſine conſenſu Noſtro, ſibi indicere, Mareſchlcum huius congreſſus conſtituere, et ad inſtar alicuius particularis Conventus eundem congreſſum peragere, ac in eo de ſucceſſore, *D*uce futuro in his *D*ucatibus, concludere, uti de facto ſpretis inhibitionibus Noſtris eundem Conventum privatum indixiſtis, celebraſtis, ſucceſſorem elegiſtis, Ordinationem Reipublicæ, & Leges Regis, ac pacta primitiva convulſiſtis, cointelligentias hac in parte etiam cum externis habere, aliaque illicita, futuro in termino latius declaranda et explicanda, attentare præſumpſiſtis, quo eiuſmodi progreſſu in pœnas legum incurriſtis, eiſque ſuccubuiſtis, pro quibus pœnis criminalibus et perduellionis, ſuper vobis, ſeu quem vel quos magis haec attentata, onuſque praeſentis actionis afficit, juxta demeritum cujusvis decernendis, tum ad videndum et audiendum, hunc congreſſum ſeu particularem veſtrum Conventum et praetenſam Ducis electionem, quam pro nulla in literis Noſtris inhibitoriis iam declaravimus, cumque omnibus eius conventus concluſis caſſari et annihilari, Jura Noſtra et Reipublicae in eoſdem Ducatus habita, per vos laeſa, et violata redintegrari, circa primitiva pacta, cum quibus in clientelam et defenſionem Regum et Reipublicae Polonae ſuſcepti eſtis, conſervari et manuteneri, caeteraque, quae de jure venerint, contra vos ſtatui, decerni et ſententiari, in damnis litiſque expenſis condemnari, citamini, ſitis parituri, terminum attenturi, et iudicialiter ad praemiſſa, aliaque latius futuro in termino contra vos proponenda, reſponſuri. Datum Varſaviae, Sabbatho, in craſtino Feſti S. Annae Matris Deiparae, Anno Domini 1726. Anno 1726.

(L. S. Minoris Cancellarii Regni.)
(L. S. Minoris M. D. Litvaniæ.)
S. R. S. R. S.

CCXCI.

Commiſſio Generalis S. R. Maieſtatis, & Reipublicæ, vigore Conſtitutionis Anni 1726. in Ducatum Curlandiæ, & Semigalliæ expedita. 1727.

Tenor Articuli Conſtitutionis Grodnenſis.

Quandoquidem ſecundum communem experientiam omnes Gentes, & Dominia congregata, & coadunata in unum ſub uniformi Regimine corpus, multo magis eſſe ſolent potentiora, & feliciora ad

ANNO 1727. ad mutuam defenſionem, & conſervationem, quam diviſa; igitur inhærendo Pactis æternis Subiectionis, & Incorporationis abſolutiſſimæ, & pleniſſimæ, ſine ulla minima reſervatione, libere, rite, ac legitime ab utrinque ſtabilitis, & iurata fide confirmatis, tum conformando ſeſe ad Conſtitutionem Anni 1589. deficiente ſtirpe maſcula moderni Celſiſſimi *D*ucis Ferdinandi, ex linea Kettleriana procedentis, ſalvis per omnia iuribus, poſſeſſionibusque, & prærogativis eiusdem Ducis, quouſque ſupervixerit (cui Homagium, diſpenſando Conſtitutionem Anni 1683. ob reſpectum provectæ ætatis, & ſingularia erga Rempublicam merita, etiam per Legatum ſuum præſtare permittimus, hoc tamen præcauto, quod id ſervire nequeat Succeſſoribus eius, in quantum ex lumbis illius directe deſcendentes exiſtere deberent) præfatum Ducatum Curlandiæ, & Semigalliæ antiquitus incorporatum, & adiunctum ad Corpus Reipublicæ cum omnibus attinentiis, & contingentibus ſuis antiquis ad Regnum Poloniæ, & M. D. Litvaniæ adiungimus, & incorporamus; pro mutuis, & indiviſis Incolis Regni, & M. D. Litvaniæ prius ſuſceptos, ſuſcipimus cum Juribus, Privilegiis, & Libertatibus illis antea conceſſis, ad omnia iura, honores, prærogativas, & libertates Regni, & M. D. Litvaniæ admiſſos pariter admittimus, mutuis viribus, auxiliis, exercitibus totius Reipublicae contra omnes uſurpationes, & quoſvis inſultus hoſtiles protegere, defendere, & intercedere appromittimus. Inſuper prout omnem prorſus novi Principis infeudandi ſubſtitutionem, poſt fata ſuprafati Ducis Ferdinandi, in caſum deficientis ſtirpis maſculæ, in perpetuum excludimus (a), & abrogamus; ita attentata præterita omnia contra Inhibitiones, Mandata, & Reſcripta noſtra, ſignanter uſurpati indebite ultimi Conventiculi, cum omnibus Actibus ſeſe in materiam eventualis ſucceſſionis ingerentibus tollimus, caſſamus, & illa pro invalidis ex vitio nullitatis, & inſubſiſtentiæ materialis, ſtante pro nunc directo, & ſupremo, in futurum autem utili, & immediato Dominio noſtro, & Reipublicæ perpetua, & irrevocabili lege declaramus. Et quia Comes Mauritius inobediens Mandatis noſtris, & voluntati Reipublicæ contra effectuationem Diplomatis noſtri in præſentibus Comitiis traditi, ſeſe exhibuit; ideo eum non tantum ex Ditionibus Provinciæ Curlandiæ, tum Regni Poloniæ, & M. D. Litvaniæ proſcribimus, ſed etiam pro hoſte Reipublicæ, & invindicabili capite pronuntiamus, & condemnamus. Liberum exercitium Auguſtanæ Confeſſionis, cum quo ad Rempublicam acceſſerunt, & per Pacta Subiectionis ſibi caverunt, cum pacifico uſu, & conſervatione eiusdem Religionis, cæterisque illius ritibus, ſecundum obloquentiam duntaxat eorundem Pactorum aſſecuramus, certificando, quod ad mutationem illius neminem per vim cogere permittemus, ſalvo iure, & uſu Religionis Romano-Catholicæ in Formula Regiminis præſcripto, & per Conſtitutionem Anni 1678. approbato. ANNO 1727.

Tum ut deſideria, & repræſentationes omnium Statuum Provinciæ Curlandiæ ratione domeſtici Regiminis, & aliorum ſancitorum ad bonum ordinem, & internum Regimen neceſſariorum eo facilius, & efficacius accommodari pro iuſtitia, commodo, & utilitate univerſorum valeant, cum conſenſu omnium Statuum Commiſſarios noſtros ex Senatorio Ordine Reverendum in Chriſto Patrem Chriſtophorum in Słupow Szembek Epiſcopum Varmienſ. & Sambienſ. Magnificos Caſimirum de Kozielſko Oginſki Trocenſ. Staniſlaum Donhoff Polocenſ. Ducem Campeſtrem Exercituum M. D. Litv. Staniſlaum Chomentowſki Maſoviæ, Ducem Campeſtrem Exercituum Regni, Palatinos, Ex Ordine Equeſtri ex Minori Polonia, Generoſos Joannem in Tykocin, & Tyczin Branicki Vexilliferum Regni, Branſcenſem Capitaneum, Jacobum in Skrzynno Dunin Regentem Regni, Capitaneum Rodoſzycenſ. Ożarowſki Dapiferum Cracovienſ. Wielopolſki, Lanckoronenſ. Kalinowſki Vinnicenſem, Capitaneos; Karwowſki Pocillatorem Viſnenſem, Judicem Branſcenſem: Ex Maiori Polonia, Generoſos Maximilianum de Tenczyn Oſſolinſki Theſaurarium Curiæ Regni, Sendomirienſem Capitaneum, *S*tephanum Garczynſki Vexilliferum, Alexandrum Lozia Poninſki, Venatorem Wſchovenſem, Joſephum Nakwaſki Ciechanovienſem Capitaneum, Kraſinſki Pincernam Ciechanovienſem, Szembek Tolkmicenſem Capitaneum: Ex Magno Ducatu Litvaniæ, Generoſos Caſimirum in Bychow *D*ombrowna, & Zaſław Sapieha, Generalem Artilleriæ M. D. L. Volpinenſem Capitaneum, Michaelem Ducem in Nieświeſz, & Ołyka Radziwiłł Premiſlienſem, Joſephum de Campo Scipionem Lidenſem, de Koziel-

(a) Declaratio, & immutatio huius Articuli facta eſt Lege Anni 1736. qua conſtitutum eſt, ut Ducatus Curlandiæ, & Semigalliæ iuxta Pacta Subiectionis, & Formulam Regiminis ſemper ſub Regimine Ducis a S. R. Maieſtate de Feudis Ducalibus inveſtiendi maneat. Vid. Vol. VI. Legum fol. 664. Tit. CURLANDIA.

ANNO 1727. ſko Oginſki Gorzdovienſem Capitaneos, Wahl Vexilliferum Grodnen. Antonium Eperyaſz Colonell. noſtrum, non tantum propter exauditionem, examinationem, & accommodationem eorundem deſideriorum, & repraeſentationum, verum etiam primario, & principaliter propter formandam, & conſtituendam Ordinationem eiusdem Provinciæ, tum Diſtrictus Piltenſis, reſpective quoad iura ſua, item propter amotionem, & pacificationem qualiumcunque diſcordiarum, exorbitantiarum, controverſiarum, & prætenſionum domeſticarum, & externarum cum poteſtate iudicandi, & puniendi ſummario proceſſu hos Curlandos, qui rebelles Reipubl. iuribuſque, aut auctoritati Commiſſoriali poſt hanc Conſtitutionem illic in Curlandia ſe monſtrarent, ordinamus, ſalva relatione, & approbatione in futuris Comitiis. Quibus Reverendo, Magnificis, & Generoſis Commiſſariis, ut Magnifici Exercituum Duces utriuſque Gentis aſſiſtentiam militarem pro exigentia neceſſitatis, ſalva diſciplina militari per novellam legem præſcripta ſub Commenda Regimentariorum idoneorum, tam ex Regni, quam & M. D. L. Exercitibus præſtent, auctoritate præſentis Conventus iniungimus, qui Regimentarii cum diviſionibus in Commenda ſua exiſtentibus in limite Curlandico ſeſe locare, & ulteriora Mandata eorundem Reverendi, Magnificorum, & Generoſorum Commiſſariorum expectare debent. Præfatos autem Reverendum, Magnificos, & Generoſos Commiſſarios noſtros obſtringimus, ut hanc Commiſſionem primo vere aſſignato termino per Innoteſcentiales ſuas, & proprio ære pro illa profecti, ſine ullo ſumptu, etiam ex Senatus Conſilio aſſignando, neque Theſauri, neque Palatinatuum, ſalvo beneficio ſuſpenſionis cauſarum earum in quovis ſubſellio, expediant, Inſtrumenta Pſeudoelectionis, & omnia alia Juribus Reipubl. nociva ex Actis eliminent. Incolis quoque totius Ducatus Curlandiæ, Semigalliæ, ac Diſtrictus Piltinen. in genere, & in ſpecie omnibus, Correſpondentias, Practicationes, Negotiationes omnes cum externis Potentiis, & quasvis innovationes, machinationes, vel molimina in præiudicium iurium Reipubl. ſub quocunque titulo, colore, vel prætextu, directe, ſive indirecte, auctoritate publica modernorum Comitiorum, ſub pœnis criminis læſae Maieſtatis, perduellionis, cæterisque rigoribus in Legibus deſcriptis, inhibemus. Quibus rigoribus omnes fautores, cooperatores, & aſſiſtentes, ſi qui in futurum reperientur, cuiuscunque Nationis, ſubiacere debent in iudiciis Comitialibus. ANNO 1727.

Reſcriptum Commiſſionis.

AUGUSTUS II. DEI Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Kijoviæ, Volhyniæ, Podoliæ, Podlachiæ, Livoniæ, Smolenſciæ, Severiæ, Czernichoviæque, nec non Hæreditarius Dux Saxoniæ, & Princeps Elector, &c.

Reverendo in Chriſto Patri Domino Chriſtophoro in Słupow Szembek Epiſcopo Varmienſi, & Sambienſi, Magnifico Caſimiro de Kozielſko Oginſki, Trocenſi, *S*taniſlao Donhoff Polocenſi, Campi Ductori M. D. Litv. Staniſlao Chomentowſki, Maſoviae, Campi Ductori Regni, Palatinis, tum Generoſis ex Minori Polonia Jacobo in Skrzynno Dunin Referendario Regni, Capitaneo Radoſzycenſi, Joanni in Tykocin, & Tyczyn Branicki Vexillifero Reg. & Branſcenſi Capitaneo, Ozarowſki *D*apifero Cracovienſi, ... Wielopolſki Lanckoronenſi, ... Kalinowſki Vinnicenſi, Capitaneis, ... Karwowſki Pocillatori Viſnenſi, Judici Branſcenſi, ex Maiori Polonia, Maximiliano de Tenczyn Oſſolinſki, Theſaurario Curiae Regni, Sendomirienſi Capitaneo, Joſepho Nakwaſki Ciechanovienſi Capitaneo, Stephano Garczynſki Vexillifero, Alexandro Lodzia Poninſki Venatori Wſchovenſi, Franciſco Szembek Tolkmicenſi Capitaneo, ... Kraſinſki Pincernae Ciechanovienſi, ex Magno *D*ucatu Litvaniae Generoſis Caſimiro in Bychow *D*ombrowna, & Zaſtaw Sapieha Generali Artilleriae M. *D*. Litvaniae, Volpinenſi Capitaneo, Michaeli *D*uci in Nieśwież, & Ołyka Radziwiłł Premiſlienſi, Joſepho de Campo Scipioni Lidenſi, ... de Kozielſko Oginſki Gorzdovienſi, Capitaneis, ... Wahl Vexillifero Grodnenſi, Antonio Eperyaſz Colonello noſtro, Commiſſariis a Nobis, omnium Ordinum Reipublicae authoritate, Comitiorum Generalium proxime præteritorum Grodnenſium per Legem publicam, deſtinatis, ſincere, & fideliter Nobis dilectis Gratiam noſtram Regiam.

Reverende in Chriſto Pater, Magnifici, ac Generoſi, ſincere, & fideliter Nobis dilecti.

Quemadmodum in proxime praeteritis Comitiis Generalibus Grodnenſibus cum Statibus Regni, & M. *D*. Litvaniae, multis, & gravibus permoti rationibus de *D*ucatibus Curlandiae, et Semigalliae diſponendo, Sinceritates, et Fidelitates Veſtras in Commiſſarios ad eosdem *D*ucatus deſignavimus, ita et praeſentibus, Le-

ANNO 1727. Legi publicae eorundem Comitiorum inhaerendo, Sinceritates, et Fidelitates Veſtras deputamus, et aſſignamus, illisque committimus, et mandamus, quatenus, communicato inter ſe conſilio, Sinceritates, et Fidelitates Veſtrae, et Illuſtriſſimo Ferdinando Curlandiae, et Semigalliae Duci, tum GG. Supremis Conſiliariis Majoribus, & Minoribus Capitaneis, cæterisque Officialibus, ac toti Equeſtri Ordini Curlandiae, & Semigalliae, ac Diſtrictus Piltenſis, univerſisq; Ius, & Intereſſe ad olim Illuſtriſſimos Duces, modernumq; Illuſtriſſimum *D*ucem Curlandiae, & Semigalliæ ſe habere prætendentibus, innoteſcatis, attenta præſenti tempore annonae penuria, & caritate, ex præſentis Senatus ſenſu pro die 26. Auguſti Anno nunc currente Mitaviam condeſcendant, ibidemque in loco, qui ipſis commodior videbitur, abſentia nonnullorum non obſtante, modo ſex adſint, Jurisdictione ſua Commiſſoriali fundata, deſideria, & repraeſentationes Statuum huius Provinciae Curlandiae, & Semigalliae, ac Diſtrictus Piltenſis, ratione interni regulaminis ad bonum ordinem, et internum regimen, pro iuſtitia, commodo, et utilitate univerſorum neceſſarias, tum querelas, poſtulata, gravamina, ſi aliqua illata ſunt, tam publica, quam privatorum, exaudiant, de iis ex aequitate, et iuribus, privilegiisque, his Ducatibus, et Diſtrictui Piltenſi, atque Illuſtriſſimo Duci, et Incolis eorum ſervientibus ſtatuant, ordinent, vel ſi res iudicium poſtulaverit, ſummario Proceſſu disiudicent, teſtes, teſtimoniaque iuratorum teſtium, ſi opus fuerit, examinent, ad calculum de proventibus, et expenſis, adminiſtrationeque bonorum Ducalium, eos, qui in abſentia Illuſtriſſimi Ducis bona Ducalia adminiſtrarunt, adigant, rationesque excipiant, et quantum ex calculo provenire Illuſtriſſ. Duci advertent, eidem Illuſtriſſimo Duci ſatisfactionem praeſtari iniungant, tum quoque in refragarios Juribus Reipublicae rebelles animadvertant, praetenſiones etiam externorum, et privatorum ad olim Illuſtriſſimos Duces, et modernum Illuſtriſſimum Ducem habitas introſpiciant, et diſcutiant, ad quas, et quales, et cui ſolvendas, Illuſtriſſimus Dux teneretur, decernant, et an ne praeiudicium Illuſtriſſimi Ducis, vel contra Statuta Curlandiae, Iuraque noſtra, et Reipublicae per antecedaneos Illuſtriſſimos Duces ſuper bona Ducalia importatae, inſcriptae, vel contra Inhibitiones noſtras potentioribus ceſſae aliquae ſint, cognoſcant, et determinent, caeteraque omnia, et ſingula, quae ex mente, & præſcripto Legis novellae Comitiorum Grodnenſium *S*inceritatibus, & Fidelitatibus veſtris commiſſa ſunt, exequantur. Facturæ ſunt Sinceritates, & Fidelitates Veſtræ praemiſſa omnia pro Gratia noſtra. In cuius rei fidem præſentes manu noſtra ſubſcriptas, *S*igillis Regni, & M. D. Litvaniae communiri iuſſimus. Dat Varſaviæ d. 2. Aprilis, Anno 1727. Regni vero noſtri trigeſimo Anno. ANNO 1727.

AUGUSTUS *Rex.*

(L. S. Regni) (L. S. M. D. Litv.)

Literæ Innoteſcentiales.

NOs Chriſtophorus in Słupow Szembek, Dei Gratia Epiſcopus Varmienſis, & Sambienſis, Caſimirus de Kozielſko Oginſki Trocenſis, Staniſlaus Donhoff Polocenſis, Campi Dux M. D. Litvaniæ, *S*taniſlaus Chomentowſki Maſoviae, Campi Dux Regni, Palatini, tum ex Minori Polonia, Jacobus in *S*krzyn Dunin, Referendarius Regni, Capitaneus Radoſzycenſis, Joannes in Tykocin, & Tyczyn Branicki Vexillifer Regni, Kroſinenſis, Ożarowſki Dapifer Cracovienſis, Wielopolſki Lanckoronenſis, Kalinowſki Vinnicenſis, Capitanei, Karwowſki Pocillator Viſnenſis, Judex Branſcenſis, atque ex Maiori Polonia, Maximilianus de Tenczyn Oſſolinſki Theſaurarius Curiae Regni, Sendomirienſis Capitaneus, Joſephus Nakwaſki Ciechanovienſis Capitaneus, Stephanus Garczynſki Vexillifer, Alexander Lodzia Poninſki Venator Wſchovenſis, Franciſcus Szembek Tolkmicenſis Capitaneus, Kraſinſki Pincerna Ciechanovienſis, nec non ex M. D. Litvaniae, Caſimirus in Bychow, & Dombrowna, & Zaſtaw Sapieha, Generalis Artilleriae M. D. Litv. Volpinenſis Capitaneus, Michael Dux in Nieśwież, & Ołyka Radziwiłł, Premiſlienſis, Joſephus de Campo Scipion Lidenſis, de Kozielſko Oginſki Gondovienſis, Capitanei, Wahl Vexillifer Grodnenſis, Antonius Eperyaſz, Colonellus S. R. Maieſtatis, Commiſſarii a Sereniſſimo, & Potentiſſimo AUGUSTO II. Dei Gratia Rege Poloniae, Magno Duce Litvaniae, Ruſſiae, Pruſſiae, Maſoviae, Samogitiae, Kiioviae, Volhyniae, Podoliae, Podlachiæ, Livoniæ, Smolenſciæ, Severiæ, Czernichoviæque, nec non Hæreditario *S*axoniae Duce, & Principe Electore, Domino noſtro clementiſſimo, omnibusque Ordinibus Reipublicae authoritate Comitiorum Generalium proxime praeteritorum Grodnenſium, per Legem publicam deſignati, Magnificis,

Anno 1727. ficis, & Generoſis Supremis Conſiliariis, Maioribus, & Minoribus Capitaneis, cæterisque Officialibus, totique Ordini Equeſtri, nec non Civitatibus, & earum Magiſtratibus, ac omnibus Incolis Ducatuum Curlandiae, & Semigalliae, atque Diſtrictus Piltinenſis, tum univerſis, & ſingulis, cuiuscunque præeminentiae, dignitatis, ac tituli, ius, & intereſſe ad olim Celſiſſimos Duces, modernumque Celſiſſimum Principem Ferdinandum Ducem Curlandiae, & Semigalliae, ſe habere prætendentibus, innoteſcimus, atque authoritate S. R. Maieſtatis, & Reipublicae, & noſtra, qua hac in parte fungimur, mandamus, quatenus Magnificentiae, & Generoſitates Veſtrae, cæterique quorum intereſt, coram Nobis Commiſſariis Mitaviae pro die 26. Menſis Auguſti, Anno nunc currente, legitime, ac peremptorie compareatis, executionemque novellae Legis iuxta contenta illius, & Reſcripti Commiſſionis peragendam, attendatis, idque ratione interni regulaminis, & boni ordinis, pro iuſtitia, commodo, & utilitate univerſorum, prout neceſſitas poſtulaverit, ſtatuendi, poſtulata, deſideria ſua, querelas, & gravamina tam publica, quam privata, ſi aliqua illata ſunt, inferatis, proponatis, & exponatis, & qui ad reſpondendum ad ea tenemini, reſpondeatis, Jura, Privilegia his Ducatibus, & Diſtrictui Piltinenſi, ac privatis ſervientia, exhibeatis, & in quo illis derogatum, informetis, ceſſionesque de ſummis in bonis Ducalibus prætenſis producatis, fuerintne liquidae, an non? & cui? & an legitime factae? cognitioni noſtrae Commiſſoriali ſubiiciatis, teſtes, ſi neceſſe fuerit, in punctis facti inducatis, calculum ex adminiſtratione bonorum Ducalium de Proventibus, & expenſis, penes quos adminiſtratio eorum in abſentia Celſiſſimi Ducis Ferdinandi erat, reddatis, ſummas, quas vos in bonis eiusdem Celſiſſimi Ducis habere prætenditis, liquidetis, ceteraq; quae ad munus noſtrum ex præſcripto Legis novellae, et Commiſſionis Nobis datae pertinere videbuntur, ſtatuenda, et exequenda attendatis, certificando vos, quod ſive in termino præfixo coram Nobis comparueritis, ſive non, Nos ad ea, quae Nobis a S. R. Maieſtate, et Republica commiſſa ſunt, exequenda procedemus, ſitis parituri, et eundem terminum attentaturi. Datum in Reſidentiis noſtris die 25. Menſis Aprilis Anno Domini 1727.

Chriſtophorus Joannes Szembek Epiſcopus Varmienſis, & Sambienſis. (L.S.)

Staniſlaus Donhoff Palatinus Polocen. Exercituum M. D. Litv. Dux Campeſtris, S. R. Maieſtatis, & Reipubl. Commiſſarius. (L.S.) Anno 1727.

Staniſlaus Chomentowſki Palatin. Maſoviae, Campi Dux Regni. (L.S.)

Jacobus in Skrzyn Dunin, Referendarius Regni. (L.S.)

M. de Tenczyn Oſſolinſki Theſaurarius Curiae Regni Poloniae, Sandomirien. Capitaneus. (L.S.)

Joannes Comes Branicki Supremus Vexillifer Regni. (L.S.)

Joſephus Nakwaſki Capitaneus Ciechanovienſis, Commiſſarius a S. R. Maieſtate, & Republica. (L.S.)

Alexander Lodzia Poninſki, Reipubl. Commiſſarius. (L.S.)

Caſimirus Comes Sapieha Generalis Artilleriae M. D. Litvaniae. (L.S.)

Antonius Comes Eperyaſz Colonellus S. R. Maieſtatis. (L.S.)

CCXCII.

Declaratio, Sponſio, & Obligatio Supremorum Conſiliariorum, Mareſchalci, & Deputatorum ex omnibus Diſtrictibus Ducatus Curlandiae & Semigalliae, ſuo ac totius Nobilitatis, omniumque Statuum huius Provinciae, ac Succeſſorum ſuorum nomine, ſub fide, honore & conſcientia, ſub nexu iuramenti in Formula Regiminis expreſſi, tum ſub poenis criminis laeſae Maieſtatis, & perduellionis, perpetuo & irrevocabiliter facta. Mitaviae, die 26. Septembr. Anno Dom. 1727. 1727.

Nos infraſcripti ſupremi Conſiliarii, Mareſchallus, & Deputati ex omnibus Diſtrictibus Ducatuum Curlandiae, & Semigalliae, pro generali, & publico Conventu horum Ducatuum in termino, per Intimatoriales Regiae, & Reipublicae Commiſſionis præfixo, id eſt pro 15. præſentis congregati, & pleniſſime a fratribus inſtructi, inhærendo Pactis primævae ſubiectionis noſtræ, Divo Sigismundo Augusto Regi, Regnoque Poloniae, & M. D. Litvaniae, inſiſtendoque iuramento, in Formula Regiminis, An- 1617. conſtituto, ac expreſſo, & a Maioribus noſtris circa Inveſtituras novorum Ducum, pro Nobis, etiam poſteris ſuis, & in animas noſtras præſtito, tum demum Diſpoſitioni Reipublicae, per Legem publicam in Comitiis Generalibus Grodnenſibus proxime præteritis Anni 1726. latae,

ANNO 1727. tæ, & in virtute eius, Declarationi iudiciariæ Commiſſoriali obſequentes, & obedientes, ſub fide, honore, & conſcientia, ſequentia pro Nobis, & poſteris noſtris in perpetuum declaramus, & ſtatuimus.

I. Cum Nobis, prementibus graviſſimis circumſtantiis, contra ſupra allegata Pacta, & Juramenta temere, & nulliter eventualem ſucceſſionem --- determinare acciderit; ideo tam præfatæ Pſeudo-Electioni, quam --- omni imaginariæ etiam prætenſioni novi cuiuscunque Principis eligendi in perpetuum renuntiamus, Actus omnes præfatæ Pſeudo-Electionis tam anteriores, quam poſteriores, poſt latam a Republica Legem, tum omnia Conventicula, Scripta, & Lauda, eo nomine habita, & ſancita, uti legibus, & iuramentis contraria, & ipſo facto damnata, & nulla pro nullis, irritis, & inſubſiſtentibus in perpetuum declaramus, caſſamus, damnamus, annihilamus, & ex Actis publicis eliminamus, &c.

II. In caſum vero ſterilium fatorum moderni Celſiſſimi Ducis Ferdinandi, ſuper non attentanda ſub quocunque prætextu, vel colore novi Principis infeudandi prætenſione, imo iuxta Iuramentum in Formula Regiminis expreſſum ſuper omnimoda, & invariabili ſubiectione Regibus, Regnoque Poloniæ, & M. D. Litv. tanquam nunc ſupremis, & directis, pro tunc vero iam utilibus, & immediatis Dominis noſtris iterum, atque iterum quam ſolenniſſime, & ſacroſancte, ſub fide, honore, conſcientia, & nexu ſupra allegati iuramenti, quod in totum, & integrum reaſſumimus, inſtauramus, & eiusdem valoris, & roboris, ſicuti a Nobis eſſet præſtitum, ſancte teſtamur, & profitemur, tum ſub pœnis criminis læſæ Maieſtatis, & perduellionis, noſtro, totiuſque Nobilitatis, ac omnium Statuum huius Provinciæ, & Succeſſorum noſtrorum nomine perpetuo, & irrevocabiliter ſpondemus, & Nos obſtringimus, cointelligentias etiam, & machinationes cum omnibus exteris Potentiis in præiudicium ſupraſcriptorum, & detrimentum Iurium S. R.M. & Reipubl. ſuper hos Ducatus, nullas unquam, & in perpetuum habebimus, nec practicabimus, ſub nexibus, vinculis, & rigoribus ſupra expreſſis. Datum Mitaviæ die 26. Sept. Anno Dom. 1727.

L.S. *Henricus Chriſtianus de Brucken, Landhofmeiſterus, & ſupremus Conſiliarius, mpp.*

L.S. *Adamus Caſimirus Koſciuſzko, Oberburgrabius, & ſupremus Conſiliarius, uti in præterito, ita in futurum intaminatam fidem meam Reipublicæ ſpondeo, mpp.* ANNO 1727.

L.S. *Henricus Joannes a Meerfeld, Subiudex Goldingenſis, p. t. Deputatorum Mareſchallus, & Diſtrictuum Goldingenſis, & Windavienſis Deputatus, mpp.*

L.S. *Georgius Fridericus Klopmann, Capitaneus minor Schrundenſis, & Deputatus Mitavienſis, mpp.*

L.S. *Chriſtophorus Joannes a Brucken, dictus Fock, Deputatus Mitavienſ. mpp.*

L.S. *Joannes Henricus Keyſerling, Cancellarius, & ſupremus Conſiliarius.*

L.S. *Caſimirus Chriſtophorus Brackel, Mareſchallus Provinciæ, & ſupremus Conſiliarius.*

L.S. *Chriſtophorus Fircks, Deputatus Diſtrictus Talſenſis, mpp.*

L.S. *Georgius Fridericus Fircks, Diſtrictus Talſenſis Deputatus, mpp.*

L.S. *Fridericus Caſimirus de Brucken, dictus Fock, Deputatus Candavienſis, mpp.*

L.S. *Georgius Henricus Hahn, Deputatus Candavienſis, & Neuenburgenſis.*

L.S. *Gerhardus Erneſtus Haudring, Subiudex Selburgenſis, & Deputatus Diſtrictus Dunaburgenſis, & Translautzenſis.*

L.S. *Wilhelmus Fridericus de Budberg, Staroſta Rumborſki, Deputatus Diſtrictus Dunaburgenſis, & Translautzenſis.*

L.S. *Otto Friderich Behr, Deputatus Frawenburgenſis, mpp.*

L.S. *Magnus Chriſtophorus Korff, Deputatus Diſtrictus Tuckumenſis, mpp.*

L.S. *Joannes Melchior de Funck, Diſtrictus Tuckumenſis Deputatus, mpp.*

L.S. *Henricus Gerhardus de Plettenberg, Diſtrictuum Aſcheradenſis, & Nerfftenſis Deputatus, mpp.*

L.S. *Philippus Georgius Hahn, Deputat. Diſtrictus Bauſcenſ. mpp.*

L.S. *Georgius Melchior Stempell, pro me, & Mandatario nomine Friderici Henrici a Biſtram, Deputat. Autzenſis, & Irentzhofienſis, mpp.*

L.S. *Henricus Chriſtianus Offenberg, Capitaneus minor Doblenenſis, & Deputatus Diſtrictus Doblenenſis.*

L.S. *Gotthardus Fridericus de Lœbel, Doblenenſis Deputatus Diſtrictus.*

L.S. *Alexander Fridericus Korff, Deputatus Seelburgenſis, mpp.*

L.S. *Chriſtopher Gideon Manteuffel, genannt Szœge, Deputatus Seelburgenſis.*

L.S. *Gebhardus Joannes Kayſerling, Deputatus Diſtrictus Durbenſ. & Grambsdenſis, mpp.*

L.S. *Joannes Fromhold de Buttler, Deputatus Durbenſis, Gramsdenſ. mpp.*

L.S. *Gerhardus Wihelmus Nagel, Diſtrictus Alſshwangenſis Deputatus.*

ANNO 1727. L.S. *Fridericus Manteuffel, nomine Szœge, Deputatus Diſtrictus Eravienſ. mpp.*
L.S. *Petrus Koſchkull, Zabelienſis Diſtrictus Deputatus, mpp.*
L.S. *Nicolaus Korff Deputatus Diſtrictus Haſenpotenſis, mpp.*
L.S. *Gotthardus Erneſtus de Budberg, Deputatus Diſtrictus Baldonenſis, & Neugutenſis, mpp.*
L.S. *Andreas Gotthardus Manteuffel, nomine de Szœge, Deputatus Diſtrictus Seſſavienſis, mpp.*
L.S. *Wilhelm Alexander de Heucking Zabelienſis Diſtrictus Deputatus, mpp.*

CCXCIII.

1727. *Ordinatio futuri Regiminis Ducatuum Curlandiæ, & Semigalliæ, ſub immediato Dominio Regum Poloniæ, & Reipublicæ, in caſum ſterilium fatorum moderni Illuſtriſſimi Ducis Ferdinandi, per Commiſſarios S. R. Maieſtatis, & Reipublicæ ex Comitiis Grodnenſibus Anni Dom. 1726. delegatos, facta & conſcripta.* Mitaviæ die 5. Dec. An. 1727.

Cum ea omnium Feudorum natura ſit, ut deficientibus iis, quibus ob inſignia & eminentia merita conferuntur, redire debeant ad liberam ſupremorum Dominorum diſpoſitionem, & immediatum, directum, ac utile Dominium, prudentiaque & ordo, rerum anima, ſuadet, ut circa proximam eorundem ad ſupremos Dominos devolutionem, tempeſtive norma futuri illorum Regiminis inſtituatur; Itaque Nos Commiſſarii, per Conſtitutionem Comitiorum Grodnenſium, in anno præterito milleſimo ſeptingenteſimo vigeſimo ſexto, a Sacra Regia Maieſtae Domino Noſtro Clementiſſimo, reliquisque *R*eipublicæ Ordinibus, ex univerſali omnium aſſenſu, ad Ducatus Curlandiae & Semigalliæ, pro facienda Ordinatione eventuali, in caſum ſterilium fatorum Illuſtriſſimi Ducis moderni, Ferdinandi, & exaudiendis Ordinis Equeſtis deſideriis, aliisque negotiis Nobis commiſſis, deſignati, inhærendo antiquiſſimis Juribus Sacræ Regiæ Maieſtatis, & Reipublicæ, in hoſce Ducatus, per Pacta ſubiectionis libere & ſpontanee Regibus, Regnoque Poloniae & Magno Ducatui Litvaniae, in æternum ſubiectos, & ad corpus Reipublicae in anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo nono adiunctos & incorporatos, tum ſacro vinculo Juramenti in formula Regiminis, expreſſi, ad fidem & obſequium Regibus & Reipublicae inviolabiliter ſervandum obſtrictos, utilique & immediato, extincta Ducali ſtirpe Kettleriana, Regum ac Reipubl. Polonæ Dominio in perpetuum ſubiectos, nec non armis & ſangvine civium Reipublicae, ab hoſtium quorumvis inſultibus, gravibusque periculis defenſos, liberatos & ſervatos; tum quoque ſatisfaciendo Legi publicæ, in prædictis Comitiis Grodnenſibus latæ, & ſecundum gradus, Nobis in ea præſcriptos, procedendo, - - - omnia Juribus Reipublicæ nociva et contraria, per alte dictam Conſtitutionem Grodnenſem caſſata & annihilata, ex Actis publicis horum Ducatuum eliminari fecimus, debitam fidem, ſubiectionem, et obedientiam, per renovatos nexus, in aſſecuratione, a Magnificis Supremis Conſiliariis Regentibus, & Generoſo Ordine Equeſtri Reipublicæ data aſſeruimus; deſcendimus tandem ad examinanda deſideria a Generoſo Ordine Equeſtri Ducatuum Curlandiæ & Semigalliae, ex Conventu publico, hic Mitaviae celebrato, per Generoſum Ordinis Equeſtris Mareſchalcum, Henricum Joannem a Meerfeld, Nobis exhibita. Igitur matura deliberatione perpenſis ac trutinatis hiſce Generoſi Equeſtris Ordinis deſideriis & poſtulatis, iuxta conceſſam Nobis per Legem publicam facultatem, ea, quæ Pactis ſubiectionis, Privilegiis Sereniſſimorum Regum Poloniae, Formulae Regiminis, Deciſionibus Commiſſorialibus innixa, ac Juribus & comodis Reipublicæ, ſecuritatique, tranquillitati & utilitati, horum Ducatuum, conſentanea eſſe videntur, accedente ad id voluntario Generoſi Ordinis Equeſtris aſſenſu, & ſpontanea ſubmiſſione, relative ad approbationem Reipublicæ, pro Norma & Methodo futuri Regiminis, in caſum ſterilium fatorum Illuſtriſſimi moderni Ducis, excluſa in perpetuum, tam per antiquiores, quam per recentem Legem, novi alterius Ducis Infeudatione, prohibitaque univerſis & ſingulis, ſub pœnis ſeveriſſimis, ex omni iure illicita cum extraneis Principibus correſpondentia, & vetita cointelligentia, ſtatuere Nobis viſum eſt.

1. Provincia hæc generaliter circa Pacta primævæ ſubiectionis, Privilegium Nobilitatis a Divo Rege SIGISMUNDO AUGUSTO clementiſſime conceſſum, Formulam Regiminis, Statuta, Deciſiones Commiſſoriales, tam anteriores, quam novellas, tum & Lauda Publica (dummodo tam Juribus Sacræ Regiae Maieſtatis & Reipulicæ, ſuper hos Ducatus, quam

ANNO 1727. quam Juribus Cardinalibus horum Ducatuum ac Religioni Romano-Catholicæ, juxta Formulam Regiminis, non ſint contraria, nec in præiudicium, & cum iniuria privatorum, ſtatuantur) poſſeſſionem dignitatum, quae tempore aperturæ legitime collatæ reperientur, necnon omnium Bonorum ſive Feudalium, ſive Hypothecariorum, & integram rei Eccleſiaſticæ Auguſtanæ Confeſſionis adminiſtrationem, eiuſdemque Religionis, juxta expreſſa verba Formulæ Regiminis, perpetuum, & ſine ulla immutatione, liberum exercitium in ſuis Eccleſiis, libertates, immunitates, praerogativas, & ſummatim circa omnia & ſingula antiquitus acquiſita & conceſſa iura, conſvetudines, & obſervantias legitimas, tam in Eccleſiaſticis, quam Politicis, penitus conſervabitur, ſalvis & illæſis iuribus, privilegiis, immunitatibus, ritibus, obſervantiis Religionis Rom. Catholicæ, juxta Formulam Regiminis, Deciſiones Commiſſoriales, ſtatutis & conceſſis, quæ vim & robur perpetuæ firmitatis habere debent, cum libero prædictæ Religionis exercitio.

2. Eo vero caſu, quo Illuſtriſſimus Dux modernus, Ferdinandus, ſine prole maſcula fatis cederet, Curlandia & Semigallia ita incorporatae eſſe conſeantur, tanquam Ducatus, Juribus, Pactis, & Privilegiis peculiaribus gaudentes, quibus, ſicuti omnibus reliquis, nullæ Conſtitutiones, quoad immutationem Jurium & Legum fundamentalium, Religionisq; Auguſtanæ Confeſſionis, præiudicent, cum promiſſum ſit, quod Pactorum ac Formulæ Regiminis autoritas æterna eſſe & permanere debeat; itaque Provincia hæc, nomine Sacræ Regiæ Maieſtatis & Reipublicæ, ut tunc temporis Ducatuum Curlandiæ & Semigalliæ immediatorum & utilium Dominorum, a quatuor Conſiliariis Supremis, & duobus Aſſeſſoribus Judicii, juxta Fomulam Regiminis, itidem a Capitaneis Maioribus & Minoribus, hoc modo regatur, ut ſede unius vel alterius vacante, Dignitariorum & Officialium talis ſit electio: Ut Capitanei Majores & Minores, necnon in Formula Regiminis nominati duo Aſſeſſores, per ſolum Ordinem Equeſtrem in Conventibus publicis eligantur, & a Conſiliariis Supremis, nomine Sacræ Regiæ Maieſtatis confirmentur, Conſiliarii vero Supremi a Sacra Regia Maieſtate ex quatuor Capitaneis Maioribus aſſumantur, & per privilegium conſtituantur. Cum autem Cancellarius, non tantum ex quatuor Capitaneis Maioribus, uti cæteri Conſiliarii, ſed & ex reliqua Nobilitate creari poſſit, & hocce officium virum idoneum, ac multis qualitatibus dotatum requirat, conſultum fuit, ut facultas eligendi tres Candidatos in Conventibus Publicis, eoſque S. R. Maieſtati præſentandi, penes Generoſum Ordinem Equeſtrem relinqueretur, ex quibus electis & præſentatis, qui Auguſtanæ Confeſſionis ſint, cum juxta antiquiſſimum uſum & ſtatuta Curlandiæ Cancellarius Conſiſtorii Auguſtanæ Confeſſionis ſit Praeſes, S. R. Maieſtas uni officium Cancellariatus conferet: Ne vero per electionem Capitaneorum Maiorum & Minorum Catholici, quorum paucus numerus, a dignitatibus & officiis excludantur, quibus ſecundum Formulam Regiminis ad munia publica aditus patere debet, idcirco, aſſentiente ad id Generoſo Ordine Equeſtri, ſtatuimus, ut omnino unus inter Conſiliarios Supremos, unus inter Capitaneos Majores, & duo inter Capitaneos Minores ſint Catholici, nec in hiſce officiis eorum numerum Nobilitas augere teneatur; quodſi contigerit, aliquem ex Conſiliariis vel Capitaneis, poſt aſſecutam iam dignitatem, vel officium, Catholicam fidem amplecti, id nec illi, nec alteri Catholico in ſimili officio conſtituto, ullum dignitatis ſuæ detrimentum ac periculum adferat, præter Cancellarium, qui juxta reſervationem a Nobilitate factam, poſt reſignationem Auguſtanæ Confeſſionis, munia Cancellarii non exercebit, & alius Cancellarius in eius locum, facta ab Ordine equeſtri electione & præſentatione, conſtituetur, titulo tantum ſolo huius officii Cancellariatus ſalvo illi manente; duo vero Aſſeſſores Judicii liberis Nobilitatis ſuffragiis eligendi, per lauda publica confirmentur. Ad eos autem Dignitarios & Officiales eligendos, quoties opus fuerit, ad inſtantiam vel Generoſi Ordinis Equeſtris aut eius conſtituti Plenipotentis Conventus publicus extraordinarius, a Supremis Conſiliariis, nomine Regis, indicetur, neque quiſquam, ſive Conſiliariorum, ſive Capitaneorum aliorumque Officialium, abſque gravi & iuſta legitimaque cauſa, ſine cognitione Judiciali, a loco & officio ſuo amoveatur; ſi autem cognitio a Conſiliariis Supremis & Aſſeſſoribus, una cum quatuor Capitaneis Majoribus, unius vel alterius abſentia non obſtante, ſive in ordinario, ſive in extraordinario termino facta fuerit, ſalva Parti gravatæ a ſola definitiva appellatione, removeri poſſit. Si vero contigerit, ut unus Capitaneorum Majorum vel Minorum removeretur, vel alia ex cauſa officio ſuo fungi impediretur, hinc proximus quiſq; Loci

ANNO 1727. Capitaneus, ne iudicia, iuſtitiæq; adminiſtratio retardentur, vices ipſius ſuppleat.

3. Cum penſiones omnibus Dignitariis, & inprimis Magnificis Conſiliariis ſupremis, ordinatæ, tenues admodum & exiguæ ſint, ex quibus dignitatem ſuſtinere nullatenus valent, itaque ne curſum iuſtitiae, ob modicos proventus, ſiſtere, vel ex donis vivere, aut accidentia illicita ſollicitare cogantur, convenientiora dignitatibus & officiis ſalaria, ex proventibus bonorum Ducalium, iam tunc ad utilitatem & diſpoſitionem Reipublicae devolvendorum, aſſignantur, ſcilicet, ut unicuique Conſiliario ſupremo, ultra ſolitum mille florenorum Albertinorum ſalarium, quingenti floreni Albertini quotannis addantur, & realiter per Generoſum Oeconomum Bonorum Feudalium, exſolvantur.

4. Quemadmodum iuxta Formulam Regiminis in omnibus punctis obſervatam, & præcipue iuxta hos paragraphos, quod nemo omnium ſive Nobilium, ſive incolarum, bonis ſuis, ſine legitima cognitione & iudicio, privetur ; item ſi lis inter Regimen & Nobilem ſive unum, ſive plures, de poſſeſſionibus, aliisque rebus orta fuerit, quod cauſa eorum, immediate coram iudiciis relationum S. R. Maieſtatis intentetur, nec ulla Reſcripta Regia, contra iura huius Provinciae, a Regimine Ducatuum horum attendantur, imo, ut ſuper impetrantes ad ſiniſtram Cancellariarum Regni, & M. D. Litvaniae informationem, talia Reſcripta, pœnae in Formula Regiminis expreſſae extendantur, perpetuo cavetur.

5. Quia vero naturalis & communis defenſionis expoſcit ratio, ut ſubſidia aliqua Reipublicae, urgente neceſſitate belli, cum extraneis a S. R. Maieſtate, & Republ. gerendi, a Generoſo quoque Equeſtri Ordine ſubminiſtrentur ; idcirco ad ſervitia equeſtria in Formula Regiminis præſcripta, nempe ex viginti uncis Raytarum unum, reducendo, iuxta allegatam uncorum proportionem, hocce ſubſidium ad numerum ducentorum Raytarorum, ſive Equitum, præter Officiales, tempore belli, ex bonis ſolis Nobilium, annumeratis iis, quae Domus Ducalis Jure Allodiali a Nobilitate acquiſivit, præſtanda, fidem ſuam obligat ; quoniam autem ſiſtendi hi milites, ob inæqualitatem uncorum, magna adferunt incommoda, hinc Generoſus Ordo Equeſtris, loco ſervitiorum equeſtrium, iuxta Formulam Regiminis præſtandorum, primo anno cœpti belli triginta millia Imperialium Albertinorum, reliquis vero annis, quamdiu bellum duraverit, quotannis decem millia Imperialium ſe exſoluturum promiſit, hoc tamen præcauto, ſi tum temporis ſive copiae hoſtiles, ſive etiam milites Reipublicae, Provinciam hanc pro defenſione occuparent, ne prædictus Ordo Equeſtris ad exſolvendas antememoratas pecunias, nec ipſo belli tempore, nec etiam poſt recuperatam pacem, pro his annis, quibus vel copiae hoſtiles, vel Reipublicae, in viſceribus huius Provinciae permanſerint, exſolvere obſtrictus ſit, præter prædicta autem ſervitia, ab omnibus inhoſpitationibus militum, contributionibus, omnibusque aliis eiusmodi oneribus, liber & immunis erit. ANNO 1727.

6. Item Regimini huius Provinciae, iurium omnium ſuperiorum, nimirum iuris cudendae monetae, & aliorum ex Pactis ſubiectionis reſultantium, exercitium, uti Illuſtriſſimi Duces ea habuerunt, relinquitur, adeo ut ea omnia, nomine S. R. Maieſtatis exercere poſſint, ita tamen, ut monetae ad pondus & valorem intrinſecum huius, quae in Regno Poloniæ, & M. D. Litvaniae, vicinisque Provinciis curſum habet, cudendae, ex una parte effigies Regia, ex altera Inſignia Regni Poloniae & M D. Litvaniae, incluſis Inſignibus Ducatuum Curlandiae & Semigalliae imprimantur.

7. Quoniam iam ante annos complures moderna S. R. Maieſtas feliciter regnans, concedere dignata eſt, ut Generoſus Ordo Equeſtris Provinciae Plenipotentem eligere & conſtituere poſſit, cuius officium erit providere, ut Leges, Jura, & Libertates Provinciæ, quocunque tempore in viridi uſu & obſervantia conſerventur, & ſi quid in contrarium vel a Regimine, vel a quovis alio inciderit de eo, ad S. R. Maieſtatem deferre ; licitum itaque erit, eiusmodi Provinciae Plenipotentem eligere & conſtituere, qui tamen nullas innovationes, vel aliqua molimina, & negotiationes cum extraneis, quocunque titulo & prætextu, inire audebit, ſub pœnis contra violatores iurium Reipubl. & perduelles ſancitis.

8. Cum Fines Ducatuum Curlandiæ & Semigalliæ ex parte Livoniæ, & M. D. Litvaniæ non mediocriter coarctati, & imminuti ſint, curabit S. R. Maieſtas, Dominus noſter Clementiſſimus, & Reſpublica, & convenientia media adhibebit, ut fines in ordinem redigantur, limites iuxta ductum Pactorum ſubiectionis definiantur, & quidquid Ducatibus Curlandiæ, & Semigalliæ ſubtractum apparuerit, illis reſtituantur.

9. Siquidem ad Regimen manutenendum, & iuſtitiam exequendam milites neceſ-

ANNO 1727. neceſſario requirantur, numerus duodecim Raytarorum, et triginta peditum habeatur, illisque ex reditibus Ducalibus, iuxta antiquam conſvetudinem ſtipendium exſolvatur.

10. Conſervatur quoque in Eccleſiaſticis, et eo ſpectantibus, Iudicium Conſiſtoriale, quod hucuſque in viridi uſu, et obſervantia fuit, quodque ex Conſiliariis ſupremis, et duobus Aſſeſſoribus Auguſtanæ Confeſſionis, Superintendente, et Præpoſitis conſiſtit, et uti antea ſemper, ita et inpoſterum, Cancellarius præſidium retineat, et in ea omnia, quæ ad integram rei Eccleſiaſticae adminiſtrationem pertinent, conſtituantur, et decidantur. Conventus, quos vocant Synodos, habeantur, eo tamen praecauto, quod idem Conſiſtorium Auguſtanae Confeſſionis nullam unquam ſuper perſonis Romano-Catholicis, cuiuscunque ſtatus, et conditionis, ſi rei fuerint, iuriſdictionem ſibi uſurpare poterit. Cauſae vero matrimonii, in quibus una perſona coniugum erit Catholica, nec ex reatu, nec ex actoratu, ad praedictum Conſiſtorium ullatenus trahantur. In iis Templis in quibus Dux, vel Patronus ſolus fuit, vel Compatronos habuit, tam in Templis omnium urbium, quam agrorum, nulla mutatio ſuſcipiatur, eaque Templa, et Parochiae, cum omnibus iis aſſignatis Cmethonibus, et aliis pertinentiis, Concionatoribus Auguſtanae Confeſſionis, (quibus ex reditibus Ducalibus iuxta morem receptum ſalarium perſolvatur) proprovideantur, et ex Praefecturis tecta, atque ſarta ſerventur, imo, quoties opus fuerit, emendentur, in quantum antiqua collapſa fuerint. In iis Templis, ubi Nobiles Ius Compatronatus habent, pars competens, uti antea, conferatur, & ad hanc Partem competentem, tam quoad Concionatorum ſalarium, quam quoad conſervationem templorum conferendam, & exſolvendam etiam Catholicae Religionis Compatroni teneantur, ius tamen Patronatus, quod & ubi Ducibus competebat, S. R. Maieſtati, per Conſiliarios ſupremos, nomine Regis exercendum, reſervatur. Itidem Nobilibus Jus Patronatus in ſuis templis, & ius in bonis ſuis templa ædificandi, ea renovandi, & quidquid alias ipſis competierit, uti antea habuerunt, aut habere potuerunt, per omnia & in omnibus relinquitur.

11. Cum Curlandia Gymnaſio Academico deſtituta ſit, unde et Nobilium, et Civium liberi, magnis cum ſumptibus in Academias Germaniae mittendi non mediocrem ſummam pecuniae Provinciae auferunt, praeterea multae viduae, et virgines paupertate premantur, et non habeant, quo vitam ſuam honeſte ſuſtentare poſſint; igitur Evangelicum Gymnaſium, et Cœnobium pro viduis, et virginibus inſtituendi, et conſervandi quocunque tempore, dummodo non ex proventibus Ducalibus, facultas indulgetur; illa autem pauca hoſpitalia, et viduarum domus, uti et Scholae hic in Curlandia, et Semigallia exiſtentes in eodem ſtatu, in quo ſunt, retineantur, et quae ipſis dedita ſunt, prompte, et expedite exſolvantur. ANNO 1727.

12. In Privilegio Divi SIGISMUNDI AUGUSTI §. 7. clementiſſime proviſum eſt, quod Nobiles in omnibus bonis feudalibus iam obtentis, vel quovis modo ſive ſpeciali gratia, ſive contractu licito obtinendis liberam, et omnimodam poteſtatem de iis diſponendi habeant; Idcirco bona, quae Nobiles a Domo Ducali iure Feudi obtinuerunt, praevia probatione iurium feudalium, coram Commiſſione Regia eodem iure, uti obtinuerunt, etiam poſt fata Illuſtriſſimi Ducis ſterilia, tenebunt, et poſſidebunt; Bona vero Allodialia a Ducibus acquiſita, et libero commercio ſubiecta, uti fuerunt, ita ſemper remaneant.

13. Cum vel bello, vel aliis variis, et innumeris caſibus, imo ipſa diuturnitate temporis evenit, ut Privilegia, et Documenta Praediorum nonnullorum Allodialium perierint, ea iuxta praeſcriptum in Privilegio Divi SIGISMUNDI AUGUSTI §. 8. a S. R. Maieſtate novis Diplomatibus innoventur, ſi de bonorum haereditatione, tranquilla, atque continua poſeſſione conſtiterit, et abſque neceſſitate, producendi Privilegia ſua, in bonis ſuis conſerventur, et Praediis Nobilium Allodialibus, iura, ſi quae in bonis, et Praefecturis Ducalibus habeant, ac per documenta, vel longam, ac quietam poſſeſſionem demonſtrare poſſint, uti eſt ius lignandi, paſcendi, piſcandi, etc. quiete, et citra ullam turbationem retineantur.

14. Contractibus Ducalibus pignoratitiis ut ſatis fiat, Generoſi Oeconomi Bonorum Feudalium cura eſſe debebit, adeo, ut ſi poſſeſſoribus in Bonis pignoratitiis diutius remanere non placeret, ipſis, poſt reſignationem legitime factam, (modo Bona iſta poſſeſſoris culpa non ſint deteriorata, quo caſu, juxta Deciſiones Commiſſoriales Novellas, procedendum) vel creditum, una cum legitimis ſuis praetenſionibus iuxta tenorem contractus exſolvantur, vel etiam ad id extenuandum, Praefectura, vel Praedium tale tradatur, ex quo iuxta conſuetam

ANNO 1727. proventuum computationem, praetensiones suas legitimas extenuare possint. Illi vero possessores, qui vel iure extenuationis pignoratitio, vel Arendae bona Ducalia iam tenent, in possessionibus suis usque ad finem *Contractus* nullo modo turbentur, salvo tamen calculo, iuxta anterioris *Commissionis* Decisiones, et eo quam firmissime praecauto, et inhibito, ne quisquam eorum ius suum in extraneum, pel potentiorem transferat, sub nullitate Transactionis, et solutione aequivalentis summae ad Fiscum.

15. Bona Ducalia in sempiternum naturam suam retinebunt, & quæ tempore subiectionis, sæcularia fuerunt, nunquam in bona spiritualia permutabuntur, & si illa vel pignori dentur, vel locentur, non aliis, quam Nobilibus indigenis relinquentur. Ad arendas autem & administrationem eorundem non solum Nobiles, sed etiam civicæ personae, idoneae, possessionatae, admitti poterunt, Nobilium tamen prima habita ratione, simulque curabitur, ut possessoribus bonorum Ducalium, non indigenis, in prætensionibus, quæ iustae & legitimae apparebunt & censebuntur, quamprimum satisfiat, & eorum loco indigenae assumantur, dignitariis vero, cum dignitate simul, Præfecturarum administratio non competat.

16. Nobiles, sicuti antea & in posterum, atque in æternum, tam in nundinis, quam omnibus aliis casibus, a vectigalis solutione exempti manebunt, omniaque vectigalium augmenta, & nova Telonia, in præiudicium iurium Nobilitatis, quocunque nomine veniant, prorsus tollantur. Ne vero Nobiles quoque in bonis suae possessioni subiectis, privata et nullo iure fundata Telonia, in aggravationem civitatensium et mercatorum usurpare præsumant, inhibetur.

17. Quoad rusticos in Rigensium Ditiones profugos, in futura cum Ministris extraneis conferentia, huic quoque opera dabitur, ut retradantur. Pro recuperatione autem transfugorum in Litvaniam, sufficienter Lege Novella omnibus provisum est, dummodo iure retorsionis, eadem quoque in hisce Ducatibus, subditorum ex Litvania transfugorum Legis et iustitiae, in extradendis illis, exhibeatur observantia.

18. Jus Indigenatus Nobilitatis Curlandiæ & *S*emigalliæ in Regno Poloniae & M. *D.* Litvaniæ, prout est incontestabile, & Constitutione Novella Grodnensi, anno millesimo septingentesimo vigesimo sexto, cautum, ita accessus ad omnes dignitates, uti Nobilibus Polonis & Litvanis (salvis legibus publicis) eidem Nobilitati pateat. ANNO 1727.

19. Quoniam autem Nobilitas horum Ducatuum, ex variis rationibus, impossibilitatem alicuius subsidii, præter servitia Equestria, in Paragrapho 5. huius Ordinationis, Sacræ Regiæ Maiestati & Reipubl. ullo unquam tempore solvendi, vel præstandi, demonstravit, (tametsi juxta paragraphum decimum septimum Privilegii Divi SIGISMUNDI AUGUSTI, ad innatam Ordini Equestri generositatem, & spontaneum pro defensione communi concursum, via non præcludatur) volens tamen, ut Respublica ex immediata hujus Provinciæ subiectione sentiat suum utile super illa *D*ominium, beneficio panis bene merentium, quod in Bonis Regalibus per totum Regnum Poloniæ & M. *D.* Litvaniæ sitis, & per distributivam Justitiam Regum conferri solitis, consistit in hac Provincia, sponte sua renunciavit, & privatum hocce particularium meritorum præmium & commodum publicæ utilitati, & emolumento sacrificavit, ita scilicet, ut omnia Bona Domus Ducalis Feudalia in hac Provincia existentia, unquam possint quocunque titulo Feudi, Emphytheusis, vel Juris advitalitii, usibus privatis applicari, nec ullo unquam modo distributivæ justitiæ Regum subsint, sed pure & mere ad utilitatem publicam convertantur; Nos igitur laudabili zelo & voluntario consensui Nobilitatis inhærendo, decernimus, ut ex omnibus Bonis & proventibus Ducalibus, fundus perpetuus & inalienabilis, in subsidium virium Reipublicæ, constituatur, & Copiæ peculiares in hac Provincia erigantur, quæ imperio Ducum exercituum Regni & Magni *D*ucatus Litvaniæ suberunt, & ab eorum mandatis dependebunt, ita tamen, ut hæ copiae, sine omnium Bonorum Nobilium aggravatione, inhospitatione, & alio, quocunq; nomine veniant, onere, ex stipendiis vivant, neque quisquam milites ex Cmethonibus Nobilium conscribendi faculatem sibi arrogare præsumat, & si quis Cmethonum in numerum militum esset assumptus, is Domino suo repetenti instantanee, & absque ullis diffugiis, restituatur, quo autem amplior iste fundus esse possit, & Respublica serius quidem, uberiorem tamen, ex plena præfatorum Bonorum possessione fructum percipere, eoque maiorem numerum copiarum militarium habere valeat, tali modo futuræ eorundem proventuum dispositioni providetur, ut omnes reditus liberi tam ex civitatibus, quam ex bonis, sylvis, vectigalibus, cæterisque

Anno 1727. que utili Dominio annexis iuribus, provenientes, quotannis in ærarium publicum collati, reſervata pro legitimis expenſis, tertio et decimo præſentis Ordinationis Articulo circumſcriptis, ſufficienti pecuniae ſumma, in reluitionem bonorum Feudalium oppignoratorum, prævia liquidatione, et calculatione prætenſionum applicentur, et quidquid proventuum inde acceſſerit, eadem ratione tollendis prorſus reliquorum bonorum oneribus impendatur, donec omnes Præfecturae, et Prædia Feudalia ære alieno liberentur, hoc tamen ſervato ordine reluendi, ut illa bona prius recuperentur, ex quibus, ducta proportione ſummae Capitalis, maiores reditus percipi poſſunt. Oeconomus Generalis omnium bonorum et proventuum a S. R. Maieſtate conſtituatur, ſitque Nobilis indigena, Curlandus, bene poſſeſſionatus, adminiſtrationem præfatorum bonorum et redituum Ducalium ſolus habeat; Officialibus omnibus ſalaria ſua annuatim, abſque ulla tergiverſatione vel prætextu inprimis exſolvere teneatur, quæcunque pro exſtructione templorum, iuxta decimum Ordinationis præſentis articulum, vel conſervatione eorundem, & ſalariis Miniſtrorum, Xenodochiis, *D*omibuſque Viduarum, Scholis, Parochiis, iuxta veterem uſum, & continuam praxim ex bonis *D*ucalibus tribui ſolent, aut ad alias pias cauſas antiquitus ex iisdem deſtinata ſunt, & hactenus uſitata fuerunt, prompte exſolvat, rationes coram ſupremis *C*onſiliariis quotannis fideliter reddat, illi autem ſub occluſo rothulo iuſtificatas easdem rationes S. R. Maieſtati, & Reipublicæ ad initium Comitiorum Generalium tranſmittant, quo tempore Oeconomus quoque generalis compareat, & calculationem factam examini Miniſtrorum Status, & Belli utriuſque Gentis ſubiiciat. Formula Contractuum futurorum, qui ab Oeconomo dandi, & ſubſcribendi erunt, iuxta morem antiquum conſervetur, & ſi lis inter contrahentes exoriretur, ſecundum præſcriptum Deciſionum Commiſſorialium anni 1717. dirimatur. Si autem præter ſpem cuipiam, ſive Officiali, ſive Templis, vel eorum Miniſtris, debita ſalaria, aut Xenodochiis, Domibuſque Viduarum, & in alias pias cauſas ea, quæ legitime competunt, Oeconomus exſolvere retardaret, unicuique liceat, per querelas ad *C*onſiliarios Regentes refugere, qui plenariam facultatem habeant, illum ad promptiſſimam exſolutionem ex Bonis Ducalibus, non tantummodo adſtringere, ſed etiam proceſſu ſummario coram Judiciis ſuis, ob non præſtitam debitam exſolutionem inſtituendo, in eiuſdem bonis propriis refuſionem damnorum, & expenſarum decernere, nec ei hoc in paſſu ad S. R. Maieſtatem ulla concedatur Appellatio. In locatione bonorum, quantum ſine detrimento Fiſci eſſe poterit, Nobilium indigenarum Curlandorum prima ratio habeatur. Ante factam ſalariorum, & ſuprafatorum præſtandorum exſolutionem nulla pecuniarum ſumma extra Ducatum mittatur. In cauſis iudicialibus, quæ exempli gratia extra ditionem Cmethonum, ductum limitum &c. concernunt, & ad ſolum Regimen ſpectant, Oeconomus ſe non immiſceat, nec in his caſibus legitimas Inſtantias, iuxta leges, & praxim Provinciæ, ac uſitatum proceſſum iuris unquam perturbare præſumat. Bona Ducalia in ſua propria, & perſonali adminiſtratione ſolus non retineat, ſed tam illa, quam omnes reditus publicos vel plus offerenti locet, vel perſonæ idoneæ ad adminiſtrandum concedat. Ipſe vero univerſalem, quoad ineundos Contractus, inſtituendosq;, et amovendos Adminiſtratores, diſpoſitionem, ac ſupremam, ut res Oeconomica bene tractetur, inſpectionem habeat, proventus omnes recipiat, ærario publico præſit, pecuniam Fiſco illatam, detractis iuxta anteriora puncta neceſſariis expenſis, tali ratione, qualis nunc præſcribitur, in recuperationem bonorum Ducalium, ſub onere hypothecario exiſtentium applicet. Poſtquam autem omnia liberata, & copiæ iam erectæ fuerint, ſtipendia militaria exacte, iuxta diſpoſitionem Reipublicæ exſolvat. Augendis, quantum ſalva æquitate fieri poteſt, emolumentis, & proventibus publicis conſervandis, & meliorandis bonis Ducalibus, retinendis, ac recuperandis eorum Cmethonibus omnem poſſibilem curam impendat. Ex adminiſtratione, & locatione bonorum, ac redituum nullam privatam utilitatem quærat, munera etiam ultro oblata a perſonis, cum illo ex ratione officii aliquid negotii habentibus, non acceptet, ſed ex aſſignato ſalario vivat, tum Eccleſias Romano-*C*atholicas, Mitavienſem, & Goldingenſem, ſartas, tectasque conſervet, & manuteneat. Quæ omnia, ut eo exactius adimpleat, fidem ſuam ſuper præmiſſis, & ſuper obſervandis legibus Provinciæ iuramento coram Conſiliariis ſupremis præſtando, circa apprehenſionem officii obſtringere tenebitur; ſi vero aliquid in damnum Sacræ Regiæ Maieſtatis, & Reipublicæ, vel detrimentum Fiſci, contra fidem & obligationem ſuam fecerit, ex cuiusvis delatione, Commiſſio mixta ex Polonis, Anno 1727.

ANNO 1727. Litvanis, & Curlandis, contra illum instituatur, quae pro qualitate delicti, eum pœnis afficere, vel ab officio removere poterit. Præfectus sylvarum simili ratione Nobilis indigena, iuratus & bene possessionatus, a S. R. Maiestate constituetur, illique sylvarum cura & conservatio incumbet, curatores & custodes saltuum ab illo dependebunt. Duo Magistri Teloniorum Libavienſium, & Vindavienſium pariter iurati, & exercendo huic muneri idonei, sine distinctione conditionis, Privilegio S. R. Maiestatis constituendi, prædictarum civitatum Portoriis præerunt, quidquid autem ex Teloneis & sylvis proveniret, ærario publico inferatur, prædicti quoque tres Officiales, tam quoad dispositiones, pro augmento horum redituum faciendas, quam quoad reddendum calculum, ab Oeconomo Generali dependeant. Cum autem secundum præsentem Ordinationem Consiliarii Supremi ab Oeconomo Generali calculum exigere, & ne quid in damnum Reipublicæ, vel detrimentum Fisci fiat, prospicere teneantur; ad Ordinarium illorum Juramentum, sequentia puncta addenda esse censentur: *Omni pro viribus meis cura, sollicitudine, & vigilantia ad id concurram, ut bona & proventus ad ærarium publicum pertinentes, integre, citra omnem defraudationem administrentur, in usus a Republica assignatos fideliter applicentur, nec quisquam ex illis privatum lucrum, me sciente, percipiat, quod nec ego ipse pro me, vel pro aliis, directe vel indirecte quæram, imo, si quid mihi ab Oeconomo Generali, vel illius gratia ab aliis, oblatum fuerit, non acceptabo, rationes rei Oeconomicæ quotannis diligenter, & exclusso omni amicitiæ, consanguinitatis vel præsentis, aut futuræ utilitatis respectu, ab Oeconomo exigam, illasque ad initium Comitiorum Generalium S. R. Maiestati & Reipublicæ eadem fidelitate transmittam, si quid ab Oeconomo, vel per negligentiam & conniventiam illius ab aliis, in præiudicium Civitatum, Præfecturarum, bonorumque Ducalium & Fisci publici fieri advertero, S. R. Maiestati deferam, in omnibus denique damna publica avertere, commoda & emolumenta procurare satagam.* Quo autem plenius integrae proventuum publicorum administrationi provideatur, & Officiales in obeundis muneribus suis exactiores sint, Procurator Fiscalis a S. R. Maiestate constituetur, cuius officium erit, omni possibili conatu ad id incumbere & providere, ne reditibus Reipublicae, civitatibus, bonisq; Ducalibus damnum aliquod a quopiam inferatur, ne Præfecturae & Prædia, sive per incuriam Oeconomi, sive per iniquas exactiones & oppressiones Cmethonum, in deteriorem statum collabantur, ne sylvae & saltus devastentur, ne proventus publici, per favorem vel dolum, minori pretio, quam deberent, locentur, ne in contractibus, & calculationibus aliqua collusio fiat, vel pecunia publica in privatos usus convertatur, aut quisquam ex Fisco & fundis ad Fiscum pertinentibus lucrum aliquod privatum habeat, utque Officiales officia sua, omni qua par est diligentia, exerceant, & Jura Reipublicae, & huius Provinciae nullum præiudicium patiantur, vel labefactentur. Si quid vero in contrarium a quocunque ageretur, id S. R. Maiestati & Ministris, idem Fiscalis fideliter deferre tenebitur, munera, sub pœna peculatus, a nemine acceptabit, nihil damnosum Fisco & Reipublicae per favorem, respectum, aut ob pollicitationes, vel spem alicuius proprii emolumenti, reticebit, & super omnibus præmissis punctis Juramentum coram supremis Consiliariis præstabit. ANNO 1727.

20. Id denique firmissime & omni meliori modo spondetur, & cavetur, ex mutuis Reipublicæ & huius Provinciæ, vinculis & stipulationibus, quod Ducatus hi Curlandiæ & Semigalliæ nunquam a Regno Poloniae & Magno Ducatu Litvaniae separabuntur, vel alii exotico Dominio, aut Regimini cedentur, sed in æternum tanquam indivisibile politici Reipublicae corporis membrum, sub Regum & Reipublicae Dominio, perpetuaque & immediata subiectione permanebunt, nec status eorum iam constituendus ullo modo, sine consensu Generosi Ordinis Equestris, immutabitur, nosque omni studio & conatu possibili promoturos & curaturos fore, ut Jura eorum antiqua, & quæ iam a Commissione nostra ipsis stipulantur, in Comitiis Generalibus proxime venturis, a S. R. Maiestate & Republica solenniter confirmentur & approbentur, atque hoc modo authoritatem æternam obtineant.

21. Si quid vero ob angustiam temporis omissum, quod Provinciae huic proficuum & ex usu esset, eorum a S. R. Maiestate & Republica postulandorum, non præscinditur facultas. Mitaviæ d. 5. Dec. 1727.

L. S. *Christophorus Joannes Szembek, Episcopus Varmienſis & Sambienſis, S. R. Maiest. & Reipubl. Commiss. mpp.*

L. S. *Casimirus Oginski, Palatinus Trocenſis, Capitaneus Vspolienſis, Commissarius Sacræ Regiæ Maiestatis, & Reipublicæ.*

L. S.

ANNO 1727.

L.S. *Staniſlaus Donhoff Palatinus Polocenſis, Exercitus M. D. Litvaniæ Dux Campeſtris, Capitaneus Neocorcinenſis, S. R. Maieſtatis, & Reipubl. Commiſſarius. mpp.*

L.S. *Jacobus in Skrzynno Dunin, Referendarius Regni, Viſlicenſis, Radoſycenſis, Lipnicenſis Capitaneus, S. R. Maieſt. & Reipubl. Commiſſarius. mpp.*

L.S. *Joſephus Nakwaſki Capitaneus Ciechanovienſis, S. R. Maieſtatis & Reipublicæ Commiſſarius mpp.*

L.S. *Jacobus Franciſcus Szembek, Capitaneus Tolkmicenſis, mpp.*

L.S. *Adamus Kraſinſki, Pincerna Ciechanovienſis, Colonellus & Commiſſarius S. R. Maieſtatis & Reipublicæ.*

L.S. *Michael Dux in Olyka & Nieśwież Radziwiłł, Capitaneus Premiſlienſis.*

L.S. *Joſephus de Campo Scipio, Capitaneus Lidenſis, Commiſſarius S. R. Maieſtatis & Reipublicæ.*

L.S. *Johannes Sigismundus de Wahlen, Vexillifer Diſtrictus Grodnenſis, S. R. Maieſtatis & Reipubl. Commiſſar. mpp.*

L.S. *Antonius de Eperyaſz Colonellus S. R. Maieſtatis, Commiſſarius S. R. Maieſtatis & Reipublicæ.*

L.S. *Chriſtophorus Manteuffel Kielpinſki, Abbas Sieciechovienſis, Commiſſionis S. R. Maieſtatis & Reipubl. Secretarius.*

L.S. *Sebaſtianus Rybczynſki Decretorum Curiæ Regni & Commiſſionis S. R. Maieſtatis & Reipublicæ Notarius. mpp.*

Acceptatio eiusdem Ordinationis a ſupremis Conſiliariis Curlandiæ & Semigalliæ, per Mareſchalcum & Deputatos omnium Diſtrictuum, ſuo, ac totius Nobilitatis, omniumque Statuum huius Provinciæ nomine ſubſcripta, appoſitisque ſigillis munita, cum ſupplicatione, ut hæc eadem Ordinatio manuteneatur & in futuris Comitiis confirmetur, annexa:

Quemadmodum ſupraſcriptam Ordinationem futuri Regiminis in omnibus ſuis Articulis per totum acceptavimus; ita celſiſſimam hanc Commiſſionem de benigniſſime promiſſa & promovenda eiusdem in Comitiis Generalibus proxime futuris confirmatione, humillime ac inſtantiſſime imploramus.

L.S. *Adamus Caſimirus Koſciuſzko, Landhofmeiſter. & ſupremus Conſiliar. mpp.*

L.S. *Caſimirus Chriſtophorus Brackel, Cancellarius & Conſiliarius Supremus. mpp.*

L.S. *Carolus Fircks, Oberburgrabius & Supremus Conſiliarius, mpp.* ANNO 1727.

L.S. *Philippus Henricus Hahn, Landmareſchallus & Supremus Conſiliarius.*

L.S. *Henricus Joannes a Meerfeld, Subiudex Goldingenſis, Deputatorum Mareſchallus, & Diſtrictuum Goldingenſis, & Windavienſis Deputatus, mpp.*

L.S. *Georgius Fridericus Klopmann, Capitaneus Schrundenſis, Diſtrictus Mitavienſis Deputatus, mpp.*

L.S. *Chriſtophorus Joannes de Brucken, dictus Fock, Deputatus Mitavienſ. mpp.*

L.S. *Chriſtophorus Fircks, Deputatus Diſtrictus Talſenſis, mpp.*

L.S. *Georgius Fridericus Fircks, Diſtrictus Talſenſis Deputatus, mpp.*

L.S. *Philippus Georgius Hahn, Deputat. Diſtrictus Bauſcenſ. mpp.*

L.S. *Gerhardus Erneſtus Haudring, Subiudex Selburgenſis, & Deputatus Diſtrictus Dunaburgenſis, & Translautzenſis.*

L.S. *Gotthardus Erneſtus de Budberg, Deputatus Diſtrictuum Neugutenſis, & Baldonenſis*

L.S. *Alexander Fridericus Korff, Deputatus Diſtrictus Seelburgenſis, mpp.*

L.S. *Henricus Gerhardus de Plettenberg, Diſtrictuum Aſcheradenſis, & Nerfftenſis Deputatus, mpp.*

L.S. *Magnus Chriſtophorus Korff, Deputatus Diſtrictus Tuckumenſis, & ex plenipotentia Joannis Melchioris Tunis Deputati Tuckumenſis.*

L.S. *Georgius Melchior Stempell, Deputatus Autzenſis & Irentzhofienſis, & ex plenipotentia Friderici Henrici a Biſtram, Deputat. Autzenſis, & Irentzhofienſis.*

L.S. *Gerhardus Wihelmus Nagel, Diſtrictus Alſshwangenſis Deputatus.*

L.S. *Fridericus Caſimirus de Brucken, dictus Fock, Diſtrictus Candavienſis, Deputatus.*

L.S. *Tam nomine Mandatario Henrici Chriſtiani de Offenberg, Capitanei & Deputati Doblenenſis, quam meo, ſubſcribo Gotthardus Fridericus de Lœbel, Deputatus Doblenenſis, mpp.*

L.S. *Fridericus Manteuffel, nomine Szœge, Deputatus Diſtrictus Eravenſ. mpp.*

L.S. *Petrus Koſchkull, Zabelienſis Diſtrictus Deputatus, pro ſe & Mandatario nomine Ottonis Friderici Behr, Deputati Diſtrictus Frawenburgenſis, itemque Wilhelmi Alexandri de Heucking Deputati Zabelienſis.*

L.S. *Georgius Henricus Hahn, Deputatus Candavienſis, & Neuenburgenſis.*

L.S. *Andreas Gotthardus Manteuffel, nomine de Szœge, Deputatus Diſtrictus Seſſavienſis.*

ANNO 1727. L.S. *Gebhardus Joannes Kayserling, Deputatus Districtus Durbens. & Grambsdensis, pro se & Mandatario nomine Nicolai Korff Deputati Hasenpothensis.*

CCXCIV.

1731. *Homagium Illustrissimi Ferdinandi Curlandiæ, & Semigalliæ Ducis, Sereniſſimo* AUGUSTO II. *Regi Poloniæ præstitum.* Dat. Varsaviæ 25. Febr. 1731.

AUGUSTUS II. Dei Gratia Rex Poloniæ, M. Dux Litvaniæ &c. Oblatas esse ad Acta præsentia Metrices Regni Cancellariæ nostræ Maioris Literas Diplomatis nostri Regii infrascripti, tenoris sequentis:

In Nomine Domini Amen.
Ad perpetuam rei memoriam.

Nos AUGUSTUS II. Dei Gratia Rex Poloniæ, M. Dux Litvaniæ &c. Significamus præsentibus Literis nostris, quorum interest universis, & singulis, tam præsentis, quam futuri temporis hominibus. Quemadmodum *S*erenissimus Divæ memoriæ SIGISMUNDUS AUGUSTUS Rex Prædecessor noster grassantibus pro tunc crudelibus armis, incendiis, & vastationibus Moschoviticis in Livonia Illustrissimum magnæ recordationis Gotthardum tunc temporis Equestris Ord. Teutonici in eadem Livonia Magistrum cum Nobilitate, Civitatibus, Statibus, & Ordinibus huius Provinciæ universis, quando suis viribus, & consiliis ex hac calamitate hostili, & angustiis eluctari non valerent, & a Cæsarea Maiestate, Statibusque Romani Imperii destitutos se animadverterent, ad humillimam postulationem ipsorum in suam Regiam, Successorumque suorum Regum, Regnique, & M. *D.* Litvaniæ, ac totius Reipubl. tutelam, fidem, potestatem, ac ditionem susceperat, hancque Provinciam Livoniæ Regno Poloniæ, et Magno Ducatui Litvaniae incorporaverat, ac in ea idem Sereniſſimus Rex SIGISMUNDUS AUGUSTUS, tanquam supremus, directus & naturalis Dominus memorato Illustriss. Gotthardo *D*uci, ac eius de stirpe procedentibus Masculis Curlandiam, & *S*emigalliam cum omni *D*ignitate, Insignibus, Privilegiis *D*ucalibus, Ditionibusque, Terris, Civitatibus, Oppidis, Arcibus, & Possessionibus per solenne Diploma contulerat; qui Illustrissimus Gotthardus *D*ux Curlandiæ, & Semigalliæ creatus Vasallus Poloniæ Regum, Feudatariusq; Princeps Regni, & M. D. Litvaniæ Membrum factus, dum de solenni sua Investitura Feudali eundem Sereniſſimum SIGISMUNDUM AUGUSTUM Regem aliquoties appellasset, & per temporum rationem, magnitudinemque Regni negotiorum voti sui compos, regnante, viventeq; eodem SIGISMUNDO AUGUSTO effici non potuisset, postea a Sereniſſimo STEPHANO Rege, & Prædecessore nostro in Castris ad flumen Dunam prope Dzisnam d. 4. Augusti A. D. 1579. in Persona sua solenni ritu feudali investitus fuisset, Sereniss. quoq; SIGISMUNDUS III. Poloniæ et Sveciæ Rex, Illustrissimo Principe Gotthardo mortuo, Filiis Illustritatis eius, Illustrissimis Principibus Friderico, & Vilhelmo, eorundem Jurium confirmationem, & Ducalem Feudi Investituram, utrisque in solidum, sine tamen Ducatuum dismembratione, & quidem Illustrissimo Friderico Vexillo ipsi porrecto, Illustrissimo autem Vilhelmo per tactum Vexilli Varsaviæ die 16. Mensis Aprilis Anno Domini 1589. in Comitiis Generalibus contulisset, & sublato ex humanis *S*ereniſſimo SIGISMUNDO III. idem Illustrissimus Fridericus Princeps Sereniſſimo VLADISLAO IV. Regi iureiurando præstito, ab ipso confirmatus fuisset, simulque & Illustrissimus Jacobus Dux, suæ Illustritatis ex Fratre Nepos, tunc temporis praesens die 20. Julii Anno Domini 1633. Vilnae ad contactum Vexilli, cum Patruo suo Illustrissimo Friderico admissus esset, qui Illustrissimus Fridericus aetate confectus, licet consensum Sereniss. VLADISLAI IV. Regis cedendi de Regimine, & possessione horum Ducatuum *C*urlandiæ, & Semigalliæ in Personam prædicti Illustriss. Jacobi Principis obtinuisset, eique cessisset, quia tamen cessionem illam iuxta tenorem, consensus non factam fuisse, idem *S*ereniſſimus VLADISLAUS IV. cum Dominis Senatoribus, et Consiliariis Regni, lateri suo pro tunc assidentibus, perspexisset, nihilominus ob insignia dictorum Principum in Reges, et Rempublicam merita, ex singulari erga Domum Ducalem affectu, et benevolentia defectum hunc non factae plenariae cessionis, ex plenitudine potestatis suae Regiae supplendo, beneficiumque illud amplificando, cessionem illam conditionatam Authoritate Regia sublevandam esse duxit, eundemque Ducem Iacobum, ac illius Haeredes masculos, legitimos Feudi Successores, eo modo ad Terras, Civitates, Oppida, Arces, Possessionesque a *D*ivis Praedecessoribus eiusdem Illustritatis Avo, eiusque Haeredibus, ac Patruo *D*uci Friderico concessas, et Praeeminentias, Iuraque omnia, et singula, tradito a *S*erenitate sua solenni ritu Feudali Vexillo investivit, *D*iploma-

ANNO 1731.

Anno 1731. plomate consensus antea a Serenitate sua obtento, uti fundamento totius illius Actus salvo, et in robore suo conservato. Cuius vigore Illustrissimus Princeps Fridericus, quandocunq; illi libuisset, cessionem realem, et plenariam cum iurisdictione, et Regimine in Personam Ducis Iacobi facere (intra fatalia tamen Iuris) posset, sin vero contigisset *D*ucem Iacobum post factam sibi a *D*uce Friderico cessionem, absque prole mascula e vita decedere, tunc nihilominus idem *D*ucatus, non obstante eadem cessione, ad *D*ucem Fridericum redire, ac penes ipsum vigore praeteritarum ipsi concessarum Investiturarum remanere debuisset. *D*ucem quoq: Iacobum, etiam non obtenta ante decessum Illustriss. Principis Friderici cessione, vi Pactorum primaevorum, et Investiturarum, tum quoq; diversorum responsorum, et istius Homagii intuitu, circa Feudum Ducatus, possessionemq; cum pleno Regimine itidem eiusdem Investiturae vigore conservaverat, & Sereniss. Successores conservare debere decreverat, hac speciali conditione adiecta, ut Dux Iacobus sive post cessum, sive post decessum Ducis Friderici non prius possessionem illius Ducatus adiret, Iurisdictionemq; exercere inciperet, antequam per Commissarios ad faciendam Intromissionem a Serenitate sua deputandos, legitime intromissus fuisset, possesioneque porro rite, et legitime, praevia cesione, et intromissione, cum plenario Regimine adepta, et per aliquot annos iuxta Investituram, et Pacta Conventa pacifice habita, cum sublato ex humanis praefato Serenissimo Rege Vladislao IV. et electo in Regem Poloniae Serenissimo Ioanne Casimiro, Antecessoribus nostris, praenominatus Illustrisimus Princeps Iacobus in Comitiis Coronationis illius ad praestandum Homagium per Internuntios suos Gratiam illius humillime expetiisset, ac sicuti Serenissimi Antecessores nostri Reges Poloniae in augenda, et ornanda singularibus beneficiis Illustrissima Curlandiæ, et Semigalliæ Ducum Familia in omni occasione maxima exhibuerunt documenta, ita & Sereniss. Joannes Casimirus Illustrissimum Principem Dominum Jacobum pari affectu, & benevolentia amplexus, novum beneficium hoc eidem concesserat, ut per suos Legatos cum debita fidelitatis, & subiectionis tessera, solita solennitate, homagium praestare, & Investituram ritu consveto accipere posset, qua benevolentia Regia condigne accepta, is idem Illustrissimus Dux Iacobus ad Sereniss. Joannem Casimirum Antecessorem nostrum certos suos Legatos

miserat, qui Varsaviae die vigesima Anno 1731. Mensis Maii Anno Domini 1649. coram Throno Regio in manibus illius solenni ritu nomine Illustrissimi Principis Domini Jacobi Homagium praestiterunt, & vicisim a Serenissimo Antecessore nostro, eodem Jure gatiae Feudale vexillum cum Investitura humillime receperunt. Item a Serenissimo Michaele Antecessore nostro per Legatos certos suos eandem Gratiam ritu solenni idem Princeps Jacobus acceperat, tum quoque a Serenissimo Joanne Tertio, itidem per Legatos suos die 28. Aprilis Anno Domini 1677. praestito fidelitatis, & subiectionis juramento ad Terras, Civitates, Oppida, Arces Possessiones, ac Praeminentias, Juraque omnia, & singula, tradito more solenni Vexillo investitus erat, ubi vero elapsis aliquot post annis, idem Illustrissimus Dux Jacobus fuerat vita functus, Filius Illustritatis eius Illustriss. Princeps Dominus Fridericus Casimirus, ad quem successio ordine, & jure Primogenituræ, ex Pacto, & Providentia Proavi Parentis, & Patrui Ipsius succesio Fundi (Qvod secundum *D*ecretum Divi Prædecessoris nostri Sigismundi Tertii integrum, & individuum, tam ratione Jurisdictionis, quam bonorum manere debuit spectat,) confestim per ablegatos suos humillime petiit tam suo, quam & Illustrissimorum Fratrum suorum Dominorum Ferdinandi, nunc in vivis existentis *D*ucis, & Alexandri jam mortui postgenitorum nomine, ut in casu deficientis aliquando in masculo sexu lineæ Friderico-Casimirianæ, Illustris. Dominum Ferdinandum, & post Ferdinandum Illustrissimum Alexandrum (si supervixisset) earumque Illustritatum legitimos Successores masculos in iure simultaneæ Investituræ, secundum iura Ducalia, & Investituras Serenissimorum Poloniæ Regum Prædecessorum nostrorum in tabulis Investituræ præscriptum conservare dignaretur, quod & obtinuit, idem Illustrissimus Princeps Fridericus Casimirus per Legtos suos solenni ritu Homagio praestito, die vigesimo quinto Martii, Anno Domini 1683. Varsaviæ hac conditione per Legem publicatam cauta, ut in futurum, quotiescunque contigerit novum Curlandiae Ducem adire velle Possessionem, in Persona sua Regibus Poloniae illud redderet, eo vero Illustrissimo Friderico Casimiro Duce vita functo, eiusque Filio Illustrissimo Principe Friderico Vilhelmo, pro tunc minorenni relicto, cum idem Ducatus, stante minorennitate prædicti Fri-

ANNO 1731. derici Vilhelmi per Illuſtriſſimum Principem Dominum Ferdinandum, uti Tutorem, adminiſtrarentur, & partim propter minorennitatem ſuam idem Fridericus Vilhelmus Dux, partim propter turbulenta tempora Homagium Nobis non reddidiſſet, & immature e vivis deceſſiſſet, atque poſt fata eius idem Illuſtriſſimus Dux Ferdinandus pro Inveſtitura, & Homagio reddendo Nobis humillime ſupplicaſſet, ita Nos AUGUSTUS Rex ſupplicationi illius benigne annuendo, nec minori benevolentia, quam Prædeceſſores noſtri Familiam Illius Ducalem proſecuti ſunt, uti Conſangvineum amplectendo, vigore diſpenſationis per Legem publicam in proxime præteritis Comitiis Generalibus Grodnæ Anno 1726. celebratis a perſonalitate factæ, ob ſingularia Illius merita erga Rempublicam, pro hac ſola vice, ad idem Homagium reddendum per Legatum, ſeu Plenipotentem ſuum admittere clementiſſime dignati ſumus, eique pro recipienda eadem Inveſtitura diem 25. Menſis Februarii Anni præſentis 1731. deſignavimus, cumque Legatum, & Plenipotentem ſuum Generoſum Fridericum Gotthardum a Bulow intimum noſtrum belli Conſiliarium ad Nos miſiſſet, & humillime eandem Inveſtituram ad hos Ducatus Curlandiæ, & Semigalliæ, ad Terras, Civitates, Oppida, Arces, quas a Sereniſſimis Prædeceſſoribus noſtris Antenati ipſius Illuſtriſſimi Duces inveſtiti erant, & poſſederant, ad omnesque Præeminentias, ac Jura Ducalia cum pleno Regimine gratioſe conferenda ſe admitti petiiſſet, & de facto Homagium, & iuramentum Rotha per Illuſtriſſ. Duces antea præſtari ſolita fidelitatis, & ſubiectionis ſuæ per eundem Legatum Nobis præſtitiſſet. Nos vigore Pactorum, & Inveſtiturarum, prout in ſuis Tabulis deſcriptæ ſunt, & prout per Sereniſſimos Prædeceſſores noſtros, & eosdem Illuſtriſſimos Duces hucuſque obſervatæ erant, eidem Illuſtriſſimo Ferdinando Duci novum hoc beneficium traditione Vexilli ipſi concedimus, & tribuimus, nimirum Ducalem Titulum adinſtar Illuſtriſſimi olim Ducis in Pruſſia cum omni Dignitate, Inſignibus, Privilegiis Ducalibus, ita, ut Vaſallus, & Feudatarius Princeps noſter, & Succeſſorum noſtrorum, Regnique, & M. D. Litv. Membrum ſit, itidemque eius Poſteri ſint ex lumbis eius maſculi. Præterea, uti a D. SIGISMUNDO AUGUSTO Prædeceſſore noſtro jam ante Proavo Illuſtritatis eius Gotthardo quondam Duci, Poſterisque eius legitimis maſculis, ex eius lumbis linea recta deſcendentibus, nominatim Ditiones, Poſſeſſiones, Civitates, Oppida, Arces, Terræ aſſignatæ, ſine Infeudationis ſolennitate fuerunt, poſtea vero vigore legitimæ Inveſtituræ a Sereniſſimis itidem Prædeceſſoribus noſtris Divis STEPHANO, SIGISMUNDO III. VLADISLAO IV. JOANNE CASIMIRO, MICHAELE, & JOANNE III. Regibus, Illuſtritatis eius Anteceſſoribus, Illuſtriſſimis Ducibus attributæ erant, ita Nos quoque nunc eidem Illuſtriſſimo Principi Ferdinando attribuimus, damus, & conferimus. Primum totum illum Tractum Curlandiæ, & Semigalliæ, incipiendo a ſalſo mari, ſurſum ſequendo fluvium Hilga, aſcendendo ad antiquos limites quondam per Illuſtrem Radzivilium inceptos, & diſpoſitos inter Samogitiam, Litvaniam, & Ruſſiam ab una, & Livoniam ab altera partibus, verſus Diſtrictum Polocenſem, ad Dunam fluvium, deſcendendo vero Duna, uſque in mare ſalſum, adeo, ut quidquid in iſtis terminis cis Dunam, verſus Litvaniam continetur, & ad Ordinem Livoniæ ſpectabat, nunc, & inpoſterum, apud Illuſtritatem eius, ipſiusque Hæredes maſculos permaneat. Curias videlicet, Bona, & Nobilitatem, quæ ad Arcem Duneburgenſem ex hac parte fluvii verſus Litvaniam ſpectarunt, Arcem Selburgum cum toto Diſtrictu, Curias, item Nobilitatem, & omne id, quod videlicet ex hac parte ad Arcem Aſcherad ſpectabat, Arcem Bauſko, Neugut, & iis, quæ ad Arcem Kircholm pertinebant, Arces item, Curias, & Oppida Mitau, Tuckum, Neuenburg, Doblen, Kandau, Alſchwangen, Schrunden, Fravenburg, Zabel, tum & alias Arces, quæ Sereniſſimo Anteceſſori noſtro D. SIGISMUNDO AUGUSTO oppignoratæ fuerunt, Goldingen, Haſenpoth, Durben, Vindau, in ſumma octuaginta millium florenorum, Arcem vero Grobin in quinquaginta millibus Illuſtriſſimo quondam Principi Alberto, Marchioni Brandeburgenſi, in Pruſſia Duci itidem oppignoratam, & illas quidem ſummas, quemadmodum Divi Prædeceſſores noſtri, in Diplomatibus ſuis remiſerant; ita & Nos remittimus, adeoque ut prænominati Divi Prædeceſſores noſtri ſuæ Illuſtritatis Anteceſſores, ita & Nos eius Illuſtritatem, legitimosque eius Succeſſores Hæredes maſculos, ex lumbis eius linea recta provenientes, circa totum iſtum Curlandiæ, & Semigalliæ Ducatum, cum dictis Terris, Civitatibus, Oppidis, Arcibus, & Curiis hac Inveſtituræ collatione pro Nobis, & Sereniſſ. Succeſſoribus in toto conſervamus, iisdem prærogativis, ac immunitatibus, quibus Illuſtriſſ. Friderico Caſimiro, & ANNO 1731.

ANNO 1731. & aliis Anteceſſoribus Ducibus antea collata fuerunt, ſine noſtro, & Succeſſorum noſtrorum Regum, & Regni Poloniae impedimento, ac præiudicio. Pro Nobis vero, & Sereniſſimis Succeſſoribus noſtris, Regno, Magnoque Ducatu Litvaniae, reliquam Livoniam, cum omni proprietate, directo, et utili Dominio, omnique mero Imperio, quemadmodum iam ante D. Prædeceſſores noſtri SIGISMUNDUS AUGUSTUS, STEPHANUS, SIGISMUNDUS III. VLADISLAUS IV. JOANNES CASIMIRUS, MICHAEL, et JOANNES III. reſervarunt, ita et Nos reſervamus, retinemusque. Cumque inter cætera et hoc inter Sereniſſimum Prædeceſſorem noſtrum D. SIGISMUNDUM AUGUSTUM, et Illuſtritatis eius Proavum conventum eſt, ut permutatione Epiſcopatus Curonienſis pro *Sonneburga* Arce, Curiis *Leal*, et *Mazel*, Illuſtris Dux Magnus contentaretur, et ad eam rem prædictus D. SIGISMUNDUS AUGUSTUS receperat operam, ut cum reliqua Curonia Epiſcopatu Curonienſi ſua Illuſtritas potiretur, poſtea vero cum vivente Duce Magno permutatio ea perperfecta non fuiſſet, graviſſima autem de Epiſcopatu eo Controverſia inter D. Prædeceſſorem noſtrum STEPHANUM, & Sereniſſimum *D*aniæ Regem exorta fuiſſet, tandem Sereniſſimus quondam Daniae Rex per Tranſactionem ex certis conditionibus, Sereniſſimo Prædeceſſori noſtro, Regnoque ius ſuum, quod habere ſe in eo Epiſcopatu exiſtimabat, ceſſiſſet, nihil hoc tempore ſtatuere ea de re poſſumus, rem omnem in eo ſtatu, in quo ante ſub Sereniſſimis Regibus DD. SIGISMUNDO AUGUSTO, STEPHANO, SIGISMUNDO Tertio, VLADISLAO Quarto, JOANNE CASIMIRO, MICHAELE, & JOANNE Tertio, Antecedaneis Noſtris, & tempore Regiminis noſtri fuit, eam relinquendam cenſuimus, prout relinquimus. Neve etiam limitum indiſcuſſorum cum vicinis Illuſtritas eius Controverſiam, aut difficultatem habeat, Regia noſtra authoritate curabimus, ut primo quoque tempore ad præſcriptum Pactorum Poſvolienſium, & poſteriorum Vilnenſium regantur, & certi conſtituantur in tota illa vicinia limites, interea vero neutra Pars damnum alteri inferat, aut litem, & difficultatem moveat, prout hoc Privilegio prædictorum DD. Prædeceſſorum continetur. Cumque tractus Dunæ ſurſum, & deorſum limites inter Nos, & Illuſtritatem eius conſtituat, Jus, & æquitatis ratio poſtulat, ut medietate fluvii, in piſcando, & aliis commoditatibus, eius Illuſtritas perpetuo gaudeat, quæque Inſulæ ſive mediamnes alteri Parti viciniores ſunt, apud eandem Patrem juxta Privilegia eorundem DD. Prædeceſſorum noſtrorum maneant. Monetæ etiam cudendæ facultatem, ut a prædictis DD. Anteceſſoribus noſtris, iam ante Illuſtriſſimo olim Proavo, Avo, Parentique eius Illuſtritatis data eſt, Illuſtritati Eius confirmamus, & de integro conferimus, ad pondus, & valorem communem Reipublicæ, & ut eius promiſcuus, & indifferens uſus ſit, tam in Regno, & Litvania, quam in Livonia, volumus attamen ut ex una parte noſtra effigies, vel Inſignia Regni, Magnique Ducatus Litvaniæ, in altera Illuſtritatis Eius exprimantur. Si quid porro Illuſtritati eius vendendum, oppignorandum, permutandumq; fuerit, ſuper hoc Illuſtritati Eius facultatem, libertatemque concedimus, & ut antea a DD. Prædeceſſoribus noſtris conceſſum eſt, ita videlicet, ut ad Nos, & Serenſſimos Succeſſores noſtros de eo primo loco deferatur, Nobisque optio detur, ſi talem oppignorationem ipſi acceptare voluerimus, ſin minus, tum id Illuſtritati eius liceat, cui volet, ita tamen, ut tali oppignoratione nulla occaſio diſmembrationis a Republica bonorum eorum detur. Dabimus quoque operam, ſecundum Privilegium prædicti Divi Anteceſſoris noſtri, ut, ſi quando Ducatus Eſtoniae cum Civitate Revalienſi aliqua ratione ad Regnum noſtrum Poloniae adiungatur, ut ſuae Illuſtritati, eiusque Hæredibus, et Succeſſoribus legitimis æqua portio vel in bonis, vel in pecunia concedatur, ſumptibus in ea recuperatione factis, ante omnia Nobis refuſis. Denique Illuſtritati eius iurisdictionem totalem, prout in Privilegiis DD. Prædeceſſorum noſtrorum continetur, iuxta leges, et conſvetudines, moresque antiquos, confirmamus, et de novo concedimus, et illi, qui eius Illuſtritatis Jurisdictioni ſubiecti, et ratione Domiciliorum ſubditi erunt, et manebunt, ad ſuum tantum Principem provocabunt, in cauſis tamen gravioribus, atque maximi momenti, licebit Nobilitati a Principe ſuo, prout de iure, et iuxta tenorem formulae Regiminis, ac priorum Inveſtiturarum, provocare. Caverat etiam Divus SIGISMUNDUS AUGUSTUS Anteceſſor noſter Illuſtritatis eius piae memoriae Proavo, cum ante ſexennali bello tam ſuae Illuſtritatis, quam et Nobilitatis Curlandiæ vires exhauſtæ eſſent, relaxata ut eſſet ſua Illuſtritas, et Nobilitas ab onere belli, et ut hoc ſaltim præſtarent, et remitterent, quod commode ANNO 1731.

ANNO 1731. pro modulo ſuo poſſent, alio autem tempore eam habendam rationem, quam Illuſtriſſimi olim Ducis in Pruſſia. D. STEPHANUS vero Rex, Prædeceſſor noſter, ſe quoque pro eo bello, quod tum gerebat, iis copiis, (de quibus cum Illuſtritate eius ſibi convenerit) contentum fore promittebat; Itaque quamvis Nobis de eius Illuſtritate perſvadeamus, quae cum Nobilitate ſua poſſit Nobis non gravatim præſtituram, tamen ad clariorem, quid ſua Illuſtrit. Nobis præſtare teneatur, declarationem, ita, prout inter Serenitatem ſuam, Prædeceſſorem noſtrum, ac Illuſtritatis ſuae Anteceſſorem conventum fuerat, inter Nos, et eandem etiam conventum, quod in poſterum in vim perpetuæ obligationis erit obſervandum, ut Illuſtriſſimus Ferdinandus Dux, eius Succeſſores, et Feudi Hæredes, pro hac noſtra in ſe beneficentia, tempore expeditionis bellicae, unam cohortem Equitum, cum ſervitiis Equeſtribus Nobilium, quoties iis opus fuerit, intra fines Ducatus Curlandiae, et Semigalliae præſtet. Quoties vero publica aliqua neceſſitate bellica poſtulante, in Regno publicae contributiones decretae fuerint, toties Dux Ferdinandus ſummam decem millium florenorum Polonicalium in Theſaurum Reipublicae inferet, et Succeſſores illius inferre tenebuntur. Hoc videlicet Pacto, ut, licet una, ſive plures contributiones in Generalibus Comitiis ſciſcerentur, Dux Ferdinandus in locum ſive unius, ſive plurium, prætactam decem millium florenorum Polonicalium ſummam, et non plus, accepta deſuper quietatione Dominorum Theſaurariorum cum ſuis Succeſſoribus pendere, ac ſolvere adſtrictus erit, ſecus vero ſi publica expeditione ſic exigente, Dux Ferdinandus Vaſallagium Equitum cum ſuis Nobilibus ſiſteret, in hoc caſu pro eo tempore, etiamſi contributiones in Comitiis ſcitæ fuiſsent, liberum, et immunem eundem Ducem Ferdinandum, et ipſius Succeſſores, a perſolvenda decem millium florenorum Polonicalium contributione fore debere declaramus. Alias etiam cautiones, et conditiones, de quibus inter Sereniſſ. Regem VLADISLAUM IV. Anteceſſorem noſtrum conventum erat, quæque peculiaribus ſcriptis Illuſtriſſimi Principis Jacobi ſub illius chyrographo, & ſigillo continentur, debebit Illuſtriſsimus Princeps Ferdinandus, ac eius Succeſſores obſervare. Poſtremo cum jam ante Illuſtriſsimus olim Proavus Illuſtritatis eius perneceſſariis, & iuſtiſsimis de cauſis ſe ditioni, atque imperio Sereniſſimorum Prædeceſſorum noſtrorum, & Succeſſorum Regni, & M. D. Litvaniæ ſubiecerit, extrema Magni Moſchorum Ducis iniuria, vi, atque oppreſsione hoſtili impulſus, fruſtra per annos complures implorata Romani Imperii ope, atque ſubſidio, iamque per longiſsimum temporis ſpatium veluti pro derelicto habitus, ſub Ditione Poloniæ Regum Anteceſſorum noſtrorum, & noſtra, nulla cum controverſia permanſerit, Nos quidem futurum non iudicamus, ut eius illuſtritati eo nomine controverſia, aut moleſtia ulla afferatur, verumtamen, ſi quæ allata fuerit, quæ cum labe aliqua nominis, aut aliquo detrimento coniuncta ſit, Nos in eo Regio noſtro Officio, quod in defendendis ſubditis noſtris verſari non ignoramus, minime defuturi ſumus, quodque Sereniſsimos Prædeceſſores noſtros in cauſa Illuſtriſsimi quondam in Pruſsia Ducis Alberti egiſſe intelligimus, agere minime prætermittemus, defenſionemq; contra hoſtem omnem, qualiscunque tandem ipſe fuerit, præſtabimus, & Succeſſores noſtri præſtabunt, ipſe vero Illuſtriſsimus Dux Ferdinandus, pro hac Sereniſsimorum Prædeceſſorum noſtrorum, & noſtra in ſe beneficentia, quæcunque Vaſalli, & Feudales Principes, erga ſuum naturalem Superiorem, & directum Dominum fidelitatis, & obſervantiæ, ſervitiorumq; ſtudia, & officia præſtare tenentur, Illuſtritas eius erga Nos, Regnumque, & M, D. Litvaniæ præſtabit, itidemque Haeredes legitimi in hoc Feudo Succeſſores praeſtabunt. Nosq; vicisſim eius Illuſtritatem, & Succeſſores eius omni patrocinio, amore, & benevolentia boni Regis, & ſupremi, directique Domini complecti, & in Juribus, Immunitatibusque, ac Privilegiis illorum ſervare tenebimur, et Succeſſores noſtri tenebuntur. Quodſi autem accidat deficere in maſculo ſexu lineam Illuſtriſsimi Ferdinandi, tunc in tali caſu idem Ducatus Curlandiae, et Semigalliae, cum omnibus attinentiis, et contingentiis ſuis antiquis ſecundum obloquentiam Pactorum Subiectionis, et Incorporationis, Juraque antiqua, uti Regno, et M. D. Litvaniae coadunati, et incorporati, et per novellam legem Comitiorum Grodnenſium, in omnibus Libertatibus, Immunitatibus, Privilegiis ſuis aſſecurati, ita cum omni utili, et directo Dominio, tanquam Membrum ad Corpus Reipublicae, ſub Formula, et Ordinatione praeſcripti Regiminis per Commiſſarios noſtros, et Reipublicae, die 5. Menſis Decembris, Anno Domini 1727. facta, et per Nobilitatem horum Ducatuum acceptata, redibunt, et redire debebunt. In

ANNO 1731.

quorum

ANNO 1731. quorum omnium, et ſingulorum fidem praeſentes Literas manu noſtra ſubſcripſimus et Sigillis Regni, Magnique D. Litvaniae communiri mandavimus. Datum Varſaviae die 25. Menſis Februarii, Anno 1731. Regni vero noſtri 34. Anno.

Praeſentibus Reverendiſſimo in Chriſto Patre, Domino Theodoro Potocki Archiepiſcopo Gneſnenſi, Regni noſtri, et M. D. Litvaniae Primate, Primo Principe. Admodum Reverendo in Chriſto Patre Domino Feliciano Conſtantino Szaniawſki Cracovienſi, Duce Severiae, Reverendis in Chriſto Patribus, *D*ominis Chriſtophoro Szembek Vladiſlavienſi, et Pomeraniae, Andrea Staniſlao Załuſki Plocenſi, Franciſco Czapſki Culmenſi, Staniſlao Hoſius Camenecenſi, Epiſcopis; tum Magnificis, et Generoſis Principe Caſimiro Czartoryſki Caſtellano Vilnenſi, Andrea Dąbſki Breſtenſi Cuiavienſi, Joſepho Potocki Kiiovienſi, Staniſlao Iabłonowſki Ruſſiae, Ioanne Tarło Lublinenſi, Principe Radziwił Nowogrodenſi, Załuſki Plocenſi, Franciſco Bieliński Culmenſi, Palatinis, Mathia Kozminſki Caliſſienſi, Ioſepho Sołtyk Bełzenſi, Caſimiro Rudziński Cernenſi, Siemianowſki Vielunenſi, Theodoro Moſtowſki Sierpcenſi, Caſtellanis; Ioſepho Vandalino in Magna Konczyce Mniſzech Mareſchalco Supremo Regni, Ioanne a Lipe Lipſki Regni, Michaele Principe Czartoryſki, M. D. Litvaniæ Procancellariis, Staniſlao Poniatowſki Theſaurario Supremo M. *D.* Litvaniæ, Generali Regimentario Exercitus Regni, Joſepho Załuſki, Antonio Sebaſtiano Dębowſki, Referendariis Regni, Joanne Branicki Vexillifero, & Artilleriæ Regni Generali Præfecto, Alexandro Lubomirſki Regni, Ignatio Zawiſza M. D. Litv. Enſiferis, Michaele Bieliński Pincerna Regni, Joſepho Lipſki Regente Cancellariæ Minoris, Regni, Adamo Wilkowſki Succamerario Sochaczovienſi, Mathia Szymanowſki Wiſſogrodienſi, Ignatio Przyiemſki Łomzenſi, Staniſlao Swidźinſki Radomienſi, Petro Sapieha Wſchovenſi, Adamo Roſtowſki Viſnenſi, Joanne Szembek Tołkmicen. Capitaneis, Sebaſtiano Rybczynſki Notario Decretorum Curiæ Regni, tum & aliis plurimis Aulicis, & Secretariis noſtris, Nobilibus Provinciarum, & Terrarum Regni noſtri &c. Datum Varſaviæ die 25. Februarii, An. 1731. Regni vero noſtri 34.

AUGUSTUS *Rex.*

(L. S. Cancellariæ Minoris Regni.)

(L. S. Cancellariæ Min. M. D. L.)

TOM. V.

CCXCV. ANNO 1731.

Juramentum Illuſtriſſimi Ducis Ferdinandi S. R. Maieſtati per Legatum ſuum præſtitum.

Ego Fridericus Gotthardus a Bülow S. R. Majeſtatis intimus Conſiliarius belli, Pocillator Palatinatus Braclavienſis, Illuſtriſſimi Principis Ferdinandi Curlandiæ, & Semigalliae in Livonia Ducis pro præſtando Homagio, & recipienda Inveſtitura Legatus, & Plenipotentiarius nomine, & mandato, & in animam eiusdem Illuſtriſſimi Ducis iuro ſuper hæc Sancta Dei Evangelia: quod idem Illuſtriſſimus Dux Ferdinandus ab hac hora deinceps ad ultimum diem vitæ ſuæ erit fidelis, & obediens Tibi Sereniſſimo AUGUSTO II. Regi Poloniæ, Magno Duci Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Kijoviæ Volhyniæ, Podoliæ, Podlachiæ, Livoniae, *S*molenſciæ, Severiæ, Czerniechoviæque, nec non Hæreditario Duci Saxoniæ, & Principi Electori, ſicuti ſuo naturali, & hæreditario Domino, & *S*ucceſſoribus Tuis legitimis Regibus Poloniæ, Dominis ſuis contra omnem hominem nemine prorſus excepto, & quod nunquam ſcienter erit in conſilio, vel auxilio vel in facto, ex quo (quod abſit) amittas vitam, vel membrum aliquod, vel per quod accipias in Perſona aliquam læſionem, vel contumeliam, aut iniuriam, vel per quod amittas aliquem honorem, quem nunc habes, vel poſt habebis, & ſi ſciverit, vel audiverit de aliquo, qui velit aliquid iſtorum contra te facere, pro poſſe ſuo, ut non fiat, impedimentum præſtabit & ſi contigerit Te rem aliquam, quam habes, vel poſt habebis caſu aliquo amittere, eam recuperare curabit, in recuperataque retinenda te omni tempore iuvabit, & ſi ſciverit Te velle contra aliquem publico conſilio arma ſumere, & de eo generaliter, vel ſpecialiter requiſitus fuerit, ſuum Tibi ſecundum Pacta præſtabit auxilium, & ſi aliquid illi de ſecreto manifeſtaveris, illud ſine Tua licentia nemini pandet, neque quidquam per quod pandatur, faciet, & ſi conſilium ab ipſo ſuper aliquo facto poſtulaveris, illud Tibi dabit conſilium, quod Tibi, Dominiisq; Tuis judicaverit maxime expedire, & nunquam ex perſona ſua aliquid ſcienter, quod pertinet ad Tuam, vel Regni, Dominiorumq; Tuorum Regno adiunctorum, vel in poſterum adiungendorum iniuriam, vel contumeliam, faciet, imo honorem, dignitatem, commodaq; Tua Regni, & Dominiorum Tu-

Anno orum tuebitur, & conſervabit, & quoad
1731. maxime poterit, augebit, denique etiam Pacta priora antiqua omnia, & ſingula a quocunque tempore a Prædeceſſoribus ſuis Curlandiæ, & Semigalliae Ducibus cum inclyto hoc Poloniae Regno, & M. D. Litvaniae Conventa, tum & formulam Regiminis, præteritaſque Tranſactiones, & conditiones cum Sereniſſimis divæ memoriae Regibus Poloniae, & Magnis Ducibus Litvaniae factas, novellam Conſtitutionem Comitiorum Grodnenſium de Ducatu Curlandiae ſancitam ſervabit, adimplebit, & nihil in contrarium eidem novellæ Legi faciet, ac præterea omnium, & ſingulorum Equeſtris Ordinis, ac privatorum Ducatus Curlandiæ, & Semigalliae Incolarum, Jura, Privilegia, Libertates, Immunitates ſartas tectas integerrime ſervabit, nec quidquam in contrarium earundem præiudicii, ac derogationis faciet, aut fieri permittet, ſic me & Illuſtriſſimum Ducem Deus adjuvet, et hæc Sancta Dei Evangelia.

CCXCVI.

1731. *Reverſales ſuper omiſſis ſolennitatibus tempore Infeudationis Illuſtriſſimi Ducis Curlandiæ.*

Augustus II. Dei Gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Litvaniæ &c. Significamus Præſentibus Literis noſtris quorum intereſt univerſis et ſingulis. Miſiſſe ad Nos Illuſtriſſimum Principem Dominum Ferdinandum Curlandiæ et Semigalliae in Livonia Ducem Legatum et Plenipotentiarium Generoſum Fridericum Gotthardum a Bülow, intimum noſtrum Belli Conſiliarium, pro recipienda Inveſtitura & præſtando Homagio, vigore novellae Legis, & quoniam Nos in hoc Actu recepti Homagii, more veterum Inveſtiturarum Regalia indutos, Coronaq; Homagiali redimitos eſſe, certæ non permiſerunt Legalitates, declarandum cenſuimus, declaramusq; hiſce Literis noſtris, quod Actus hic nihil receptæ conſvetudini & ſolennitati Infeudationis ex Pacto et providentia in futurum præiudicare, nec pro Exemplo reputari poterit. Quodq; Pacta antiqua et Jura eiuſdem Illuſtriſſ. Ferdinandi Ducis, ſarta tecta habebimus, ſpondemus. In cuius rei fidem præſentes manu noſtra ſubſcriptas, ſigillo Regni et Magni Ducatus Litv. communiri iuſſimus. Dat. Varſaviae die 25. Menſis Februarii An. Domini 1731. Regni vero noſtri 34. Anno.

AUGUSTUS *Rex.*

Ceremoniæ circa Homagium S. R. Anno
Maieſtati ab Illuſtriſſ. Ferdinando Curlandiæ, & Semigalliæ Duce Varſaviæ d. 25. Febr. An. 1731. *præſtitum, obſervatæ. Vide Supplement. Tomi V. ad An. 1731.* 1731.

CCXCVII.

Reſcriptum ad Curlandos pro Recognitione Illuſtriſſimi Ducis Ferdinandi, & obedientia eidem præſtanda. Datum Varſaviæ d. 22. Sept. 1732.

Augustus II. Dei Gratia Rex Po- 1732.
loniæ Magnus Dux Litvaniæ &c.

Generoſis Supremis Conſiliariis, Maioribus, et Minoribus Capitaneis, caeterisque Officialibus, ac toti Equeſtri Ordini, nec non Magiſtratibus Civitatum, omnibusque in univerſum Incolis Ducatuum Curlandiae et Semigalliae fideliter Nobis dilectis, gratiam noſtram Regiam. Generoſi fideliter Nobis dilecti. Cum Illuſtriſſimus Princeps Ferdinandus Curlandiae et Semigalliae in Livonia Dux, poſt ſterilia fata Illuſtriſſimi olim Friderici Vilhelmi Ducis Curlandiae, & Semigalliae ex providentia et Pactis, Inveſtituriſque Anteceſſorum Suorum Illuſtriſsimorum Ducum, ſibi, Familiaeque ſuae Ducali ſervientibus, in Feudum horum Ducatuum ſuccedendo, Homagium et Juramentum Nobis per ſuum Legatum et Plenipotentiarium, vigore diſpenſationis a perſonalitate in Comitiis Generalibus Grodnenſibus Anno 1726. celebratis obtentae, reddidiſſet et praeſtitiſſet, et hos *D*ucatus Curlandiae et Semigalliae per traditionem Vexilli, Inveſtituramque ſibi datam, iam a Nobis obtinuiſſet, ac Princeps Vaſallus et Feudatarius noſter Regni et Reipublicae, plene a Nobis declaratus et conſtitutus eſt. Itaque mandamus Fideliatibus Veſtris, ut eundem Illuſtriſſimum Principem Ferdinandum Curlandiae et Semigalliae Ducem iam inveſtitum, Jurisdictionemque eiusdem Illuſtritatis recognoſcatis, omnem obſervantiam, et obedientiam debitam uti ſuo Duci praeſtetis, et mandatis eius obtemperetis, Bona menſae eius Ducalis, qui indebite poſſident, eidem Illuſtritati dimittatis, calculum de reditibus et proventibus ex bonis Ducalibus, qui ea adminiſtrarunt pro tempore poſſeſſionis et Adminiſtrationis eorum perceptis & expenſis, eidem Illuſtriſſimo Ferdinando Duci ſeu ab eodem conſtituto Commiſſario, vel Commiſſariis fideliter reddatis, & quantum ex eodem calculo

ap-

ANNO 1732. apparuerit, eidem Illustritati satisfaciatis, si quæ ruinastis & desolastis, reparari, & ad pristinum statum reduci curetis, Officiales ab eodem Illustrissimo Duce Constitutos seu constituendos acceptetis, & observetis, a correspondentiis externis in praejudicium & detrimentum Feudi, Juriumque nostrorum Regalium, et Reipublicæ, ac Ducatuum læsionem penitus abstineatis, nihilque contra vetitum Legum attentetis. Facturae sunt præmissa Fidelitates Vestrae pro Gratia nostra, Officiorum suorum debito, et sub pœnis in legibus Regni descriptis, in transgressores Mandatorum nostrorum extendendis, et succumbendis. Dat. Varsaviæ die 22. Mensis Septembr. An. 1732.

AUGUSTUS *Rex.*

CCXCVIII.

1737. *Literæ Rescripti ad Generosos Supremos Consiliarios, totamque Nobilitatem, & Incolas Ducatuum Curlandiæ, & Semigalliæ post obitum Ferdinandi Ducis expeditæ.*

AUGUSTUS III. Dei Gratia Rex Poloniæ, M. Dux Litvaniæ &c. Generosis Supremis Consiliariis, Maioribus, & Minoribus Capitaneis, totique Ordini Equestri, & Incolis Ducatuum Curlandiæ, & Semigalliæ fideliter Nobis dilectis gratiam nostram Regiam. Generosi, fideliter Nobis dilecti. Quandoquidem, disponente Deo, Illustriss. Princeps Ferdinandus F. R. Curlandiæ, & Semigalliæ Dux, Consanguineus noster grate Nobis dilectus, non sine sensu nostri doloris ultimum tandem Gedani obiit diem, quartum videlicet Mensis Maii, & anni currentis, taliterque per fata sua sterilia stirpem Kettlerianam Ducum Curlandiæ, & Semigalliæ ex masculalinea provenientem in persona sui extinxit: Partium nostrarum esse dignoscimus, Fidelitates Vestras per præsentes hortari, atque monere, prout defacto hortamur, atque monemus, quatenus tum Jurium nostrorum supremi, & directi in Ducatum Curlandiæ, & Semigalliæ dominii nostri, tum vinculorum suorum iurisiurandi, vigore Pactorum Subiectionis, & Formulæ Regiminis, ac Ordinationis, debitam rationem habentes, in plena, & perfecta erga Nos, atque Rempublicam fidelitate, obsequio, & subiectione intaminate perseverent, administrationem iustitiæ, & cursum iudiciorum continuent, ac nihil quidquam in contrarium iisdem Pactis Subiectionis, & Juribus nostris, ac Legibus Regni attentare præsumant, pro certo, & infallibili apud se tenentes, quod Nos adiuvantibus Superis omnia pro commodo, & utilitate eorundem Ducatuum Curlandiæ, & Semigalliæ perficere non intermittemus. Interim, ne quid detrimenti tam in genere tota Provincia Curlandiæ, & Semigalliae, quam in particulari bona Ducalia, tam feudalia, quam allodialia ullatenus patiantur, Generosos Supremos eorundem Ducatuum Consiliarios fideliter Nobis dilectos serio requirimus, iisdemque mandamus, quatenus iuxta Formulam Regiminis, ac Ordinationes Commissariorum nostrorum, & Reipublicae, omnia administrationis, & gubernationis munia exercere non intermittant, non involando ullatenus sub quocunque praetextu, vel colore in eas status materias, quae a nostra, & Commissariorum nostrorum, Reipublicaeque decisione, atque dispositione pendent. Insuper habere volumus, ut iidem Generosi Supremi Consiliarii pro munere suo non tantum Inventarium de omnibus generaliter bonis Domus Duc. tam mobilibus, quam immobilibus confici, consignationemque, seu regestrum omnium in ibidem debitorum activorum, & passivorum reperibilium sine mora conscribi curent, ac Nobis incessanter transmittant, verum etiam eo sedulo incumbant, atque procurent, ne proventus ex iisdem bonis Ducalibus, feudalibus, & allodialibus quocuq; modo, vel praetextu distrahantur, imo potius eosdem omnes proventus (salariis nonnisi Officialium, & quae ad conservationem Status internam de necessitate requiruntur, exceptis) intacte conservent, ulterioremque nostram desuper dispositionem expectent. Quod reliquum est, Fidelitates Vestras in universum omnes securas esse volumus, non solum peculiaris erga easdem Gratiae, & protectionis nostrae Regiae, sed etiam indemnitatis omnium Iurium, & Privilegiorum suorum, quorum Nos Fidelitatibus Vestris manutentionem, & conservationem apromittimus, & spondemus, eorundem Ducatuum Curlandiae, & Semigalliae interesse, & commoda pro nostris reputantes. Ut itaque haec nostra expressa voluntas, & intentio omnibus, & singulis plane innotescat, mandamus, ut praesens Rescriptum nostrum in Acta publica inscribi, illudque more solito publicari, ac ab omnibus exactissime observari curent pro gratia nostra. In quorum fidem praesentes manu nostra subscriptas obsigillari mandavimus. Datum Hubersburgi Anno Domini 1737. Regni vero nostri 4. Anno.

ANNO 1737.

ANNO 1739. *Exemplar antiquati Diplomatis Inveſtiturae Erneſto Joanni de Biron Duci creato* Varſaviae d. 5. April. Anno 1739. *de Feudis Ducalibus conceſſae. Vide Supplementum Tomi V. ad Annum 1739. cum ſeqq.*

CCXCIX.

1758. *Reſultatum Senatus Conſilii*, Varſaviae d. 30. Oct. 1758. *habiti, in negotio Ducatuum Curlandiae, & Semigalliae.*

Quoniam vero Lex Anni 1736. de Provincia Curlandiae, & Semigalliae decidit, ut ad petita Generoſae Nobilitatis horum Ducatuum iuxta Pacta ſubiectionis, & Formulam Regiminis ſemper ſub Regimine Ducis hi Ducatus maneant, adiecta conditione, ut inveſtiendus Dux onerata bona menſae Ducalis in emolumentum, & rem Feudi ab oneribus liberet, aliasque conditiones Conſtitutione ſuperius nominata ſibi impoſitas adimpleat (quod hucusque non eſt ſubſecutum) a temporeque Inveſtiturae ſuae Dux Erneſtus praeſens, prout Jura Curlandica volunt, circa poſſeſſionem in forma Gubernii non extitit, perindeque nec Juramentum Fidelitatis a Nobilitate recepit, imo loco praeſentiae ſuae in Ducatibus Curlandiae, & Semigalliae in continuatione Miniſterii vicinae Potentiae ita ſe geſſit, ut licetſi pro eliberatione eius una cum maſcula prole Sereniſſimus Rex Dominus noſter clementiſſimus ex reſultato Senatus Conſilii Anni 1750. officia ſua apud amicam ſibi Petroburgenſem Aulam interpoſuerit, obſtante tamen Status ratione eliberationem Perſonae Ducis ex ſequeſtro una cum maſcula prole efficere non valuit, iamque ab octodecem annis Provincia Curlandiae, & Semigalliae Conſtitutionis Anni 1736. effectum expectans, enumerat mala ex abſentia Ducis provenientia, atque defatigat aures Regis clementiſſimi per Delegatum ſuum, ut miſereatur huic Provinciae, ac ut appromiſſum ab Ordinibus Regni 1736. iuxta Pacta Subiectionis, & Formulam Regiminis ſub Duce Gubernium quantocius Curones conſequantur, & in caſu impoſſibilitatis reſtitutionis Ducis Erneſti ad Regimen, eiusque maſculae prolis (Feudo pro vacanti habito) Nobilitas Ducatuum Curlandiae, & Semigalliae Delegato ſuo Generoſo de Schopping per Inſtructionem die 13. Septembris proxime elapſi datam, atque Cancellariae porrectam, Articulo quarto vota eiusdem pro Sereniſſimo Regio Principe CAROLO ſignificare, & aperire mandavit, inque ipſo tempore Aula Petroburgenſis per Miniſtrum ſuum hic Varſaviae commorantem in ſcripto declaravit, ſe nunquam eliberationem Ducis Erneſti una cum maſcula prole ob rationes Status inconteſtabiles concedere poſſe, extantque exempla non iuxta Jura Vaſallatus multos ad capeſſendum horum Ducatuum Regimen anhelaſſe, idcirco Sacra Regia Maieſtas Dominus noſter clementiſſimus, claudens ianuam omni ad Ducatus Curlandiae, & Semigalliae illegali, & Legibus contrario cuiusvis appetitui, poſt datam deliberationi Senatus propoſitionem, proviſa omni ſecuritate, quoad impoſſibilitatem reditus Ducis Erneſti ad Regimen Ducatuum Curlandiae, & Semigalliae una cum maſcula prole, nec non quo ad integritatem Jurium, & Libertatem eorundem Ducatuum, ac inſimul & Reipublicae, vacantiam Feudi declarabit. Quoniam vero Senatus pro Sereniſſimo Regio Principe CAROLO vota fundit, idcirco & Sereniſſimus Rex Dominus noſter clementiſſimus grato animo devotam ſibi hanc mentem ſuſcipiens, facile condeſcendet ad conſtituendum, & inveſtiendum pro Duce Curlandiae, & Semigalliae Sereniſſimum Regium Principem CAROLUM, ad mentem Conſtitutionis Anni 1736. ita ut ſe, prout Vaſallum decet, gerat, onerata bona menſae Ducalis in emolumentum, & rem Feudi eliberet, ſubſidia Militum ſemel conſtituta pro Reipublicae ſervitio manuteneat, Jura, Privilegia, & Praerogativas Generoſae Nobilitatis Ducatuum Curlandiae, & Semigalliae tam in ſaecularibus, quam ſpiritualibus integre conſervet. ANNO 1758.

CCC.

Diploma Declarationis Vacantiae Feudi Ducatuum Curlandiae, & Semigalliae. Dat. Varſaviae d. 16. Menſis Nov. Anno 1758. 1758.

AUGUSTUS III. DEI Gratia Rex Poloniae, M. Dux Litvaniae etc. Univerſis, et ſingulis, quorum intereſt, praeſertim vero Generoſis Supremis Conſiliariis, Maioribus, et Minoribus Capitaneis, totique Generoſo Equeſtri Ordini, & Incolis Ducatuum Curlandiae, et Semigalliae fideliter Nobis dilectis gratiam noſtram Regiam. Generoſi fideliter Nobis dilecti. Quoniam innatum cordi noſtro eſt, continuam ſollicitudinem noſtram ad id convertere, ut ſuſcepto Regni noſtri gu-

ANNO 1758. gubernio aeque Regnum hocce noſtrum Poloniae, ac M. D. Litvaniae cum annexis omnibus Provinciis uberiora ſemper ſumant felicitatis incrementa, idcirco et Ducatus Curlandiae, et Semigalliae ab hac dulcedine Regiminis noſtri ſegregare non potuimus, Libertates, Jura, et Privilegia illorum conſervando intaminate, ſemel eosdem Reipublicae corpori unitos, commodis, et emolumentis coaequare cum caeteris Provinciis, ſtudii noſtri fuit. Extincta, ſic diſponente *S*upremo rerum Arbitro, Kettleriana Familia in perſona olim Ferdinandi Ducis poſt ſterilia eius fata, cui Familiae D. olim SIGISMUNDUS AUGUSTUS Praedeceſſor noſter hos Ducatus in Feudum benigne conceſſerat, placuit Anno 1726. Ordinibus Regni, deficiente ſtirpe maſcula olim Ferdinandi Ducis, hoſce Ducatus plenarie Reipublicae incorporare, cum excluſione infeudationis, et ſubſtitutionis novi Principis; aſt ad ſupplices Generoſae Nobilitatis Ducatuum Curlandiae, et Semigalliae preces iterum Anno 1736. ad antiquum ſub Regimine *D*ucis ſtatum hos Ducatus reſtituente Republica, viſum fuit Nobis, Erneſto Ioanni de Biron *D*ucatus *C*urlandiae, et Semigalliae una cum maſcula prole de lumbis eius procedente, in Feudum dare, et eum Diplomate noſtro, iuxta practicatum in ſimilibus modum inveſtire, ſub adiectis in illa Lege conditionibus, videlicet exonerationis bonorum Menſae *D*ucalis in rem, et emolumentum Feudi, nec non ſuppeditationis ſubſidii militum pro ſervitio Reipublicae, aliorumque Articulorum adimpletionis. Accidit, quod ſupra nominatus Erneſtus Ioannes de Biron, poſt datam a Nobis eidem Inveſtituram *D*ucatuum Curlandiae, et Semigalliae, ex Miniſterio ſupremo Aulae Petroburgenſis ſe non exuit, imo ſub Regentis nomine poſtea perſeveraverit, neq; in *D*ucatus ad explendas conditiones lege ſibi impoſitas ſe transtulit, ibiq; in ſupremo Miniſtri munere et Regentis ita ſe geſſit, ut ſequeſtrationem Perſonae ſuae una cum maſcula prole pro malefactis in ſe traxerit, et licetſi caſus illius ex vi ſolius Miniſterii, et Regentiae ſuae in alienis ditionibus ſubſecutus non adeo Nos obligaverat, ut ſublevare illum ex hoc infortunio debuiſſemus, nihilominus accedente etiam Senatus Conſilii Reſultato Anno 1750. quaeſivimus per officia noſtra in amica Nobis Petroburgenſi Aula pro parte eius favorabiliores deciſiones. Sed quoniam obſtante Status ratione nullum inſtantiarum noſtrarum effectum polliceri Nobis valuimus, et Regimen horum Ducatuum ab An. 1741. quouſq; de illata eidem infamiae nota cognoſceretur, iuxta Reſcriptum noſtrum ſub Nomine ſolo noſtro ſine mentione *D*ucis ſtetit, iamq; per annos 18. meliorem ſortem caſus Ioannis Erneſti de Biron expectantes ſuſpenderimus executionem Conſtitutionis An. 1736. quae omnino ad ſupplices Generoſae Nobilitatis Ducatuum Curlandiae, et Semigalliae preces, vult ſub Duce Regimen, ſed cum continuo haecce Nobilitas per Delegatos ſuos ſupplici Nos fatigaverit libello pro eliberatione *D*ucatuum a malis, quibus premuntur ex praefati *D*ucis abſentia, et in caſum impoſſibilitatis reditus eiusdem, eiusque maſculae prolis ad Regimen praedictorum *D*ucatuum, poſt declarationem vacantiae Feudi alium *D*ucem inveſtire dignaremur, ſpecialiter autem pro Sereniſſimo Principe *D*ilecto Filio noſtro Oratores agendo, inque ipſo tempore Magnificus Baro de Groſs Miniſter Aulae Petroburgenſis, inhaerendo Mandatis Imperialibus, ſcripto declaravit, eliberationem Erneſti Ioannis de Biron, una cum maſcula Prole nunquam ſubſequi poſſe propter Status rationem, omnes alias abſorbentem. Quare Nos data Senatui ad deliberandum propoſitione in hoc puncto die 30. Menſis Octobris Anni praeſentis, ex Reſultato huiusce Senatus Conſilii ſtatuimus, non amplius differre executionem Conſtitutionis A. 1736. ut Ducatus Curlandiae, et Semigalliae Regimine *D*ucis fruantur, cumq; iam impoſſibilitas reditus ad Regimen horum *D*ucatuum Erneſti Ioannis de Biron, eiusque maſculae Prolis authentice, et clare Nobis patefacta ſit, omnisque ſecuritas pro novo infeudando *D*uce ſit proviſa. Quapropter *D*ucatus Curlandiae, et Semigalliae absque Regimine *D*ucis ulterius manere non poſſe decernimus, Erneſtumq; Ioannem de Biron a praerogativa, et dignitate Ducis Curlandiae, et Semigalliae, et per conſequens ab omnibus etiam emolumentis, atque muniis ad hos Ducatus ſpectantibus, una cum maſcula eius Prole abſceſſiſſe edicimus, et denuntiamus, atque Feudum pro vacante declaramus, volentesque, ut taliter hoc Inſtrumento per Nos declarata Feudi vacantia Fidelitatibus Veſtris innoteſcat, atque ad omnium notitiam deveniat. Interim hortamur, atque monemus Fidelitates Veſtras, quatenus tum Iurium noſtrorum Supremi, et directi in Ducatus Curlandiae, et Semigalliae Dominii noſtri, tum vinculorum ſuorum iurisiurandi, vigore Pactorum ſubiectionis, et Formulae Regiminis, ac Ordinationis debitam rationam habentes, in plena, et perfecta erga Nos, atque Rempublicam fidelitate, obſe-

ANNO 1757.

ANNO 1758. obsequio, et subiectione intaminate perseverent, administrationem iustitiæ, & cursum Judiciorum sub nomine nostro usque ad Investituram novi Ducis continuent, & nihil quidquam in contrarium eisdem Pactis subiectionis, & iuribus nostris, ac legibus Regni attentare præsumant. Insuper habere volumus, ut Gener. Supremi Consiliarii pro munere suo sedulo incumbant, ne proventus ex Bonis Ducalibus Feudalibus quocunque modo distrahantur, imo potius eosdem omnes proventus (salariis nonnisi Officialium, et quæ ad conservationem Status internam requiruntur, exceptis) intacte conservent. In regulamine vero bonorum Feudalium ulteriorem nostram dispositionem desuper expectent. Quod reliquum est, Fidelitates Vestras in universum omnes securas esse volumus, non solum peculiaris erga eas gratiæ, & protectionis nostræ, sed etiam indemnitatis omnium Iurium, Privilegiorum, & Prærogativarum suarum tam in spiritualibus, quam in sæcularibus, quorum Nos Fidelit. Vestris manutentionem, & conservationem appromittimus, & spondemus. Ut itaq; hoc nostrum Diploma omnibus bene innotescat, in Acta publica inscribi, illudq; more solito in Ducatibus publicari, iis, quorum interest, mandamus pro gratia nostra. In quorum fidem præsentes manu nostra subscripsimus, & Sigillis Regni, atque M. D. Litvaniæ muniri mandavimus. Datum Varsaviæ die 16. Mensis Novembris An. Dom. 1758. Regni vero nostri 26. Anno.

AUGUSTUS *Rex.*

(L. S. Maioris Regni.)

Adalbertus Rakowski Pocillator Terræ Visnensis, Sigilli Maioris Regni Secretarius.

(L. S. Minoris M. D. L.)

Adamus Chmara Pocillator Palatinatus Minscensis, S. R. Maiestatis Sigilli Minoris M. D. Lituaniæ Secretarius,

CCCI.

1758. *Diploma Provisionale Collationis Feudi Ducatuum Curlandiæ, & Semigalliæ Sereniſſimo Regio Poloniæ Principi* CAROLO *eorundem Ducatuum Duci datum.* Actum Varsaviæ die 16. Mensis Novembr. An. Dom. 1758.

AUGUSTUS III. *DEI Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Kijoviæ, Volhyniæ, Podoliæ, Podlachiæ, Livoniæ, Smolensciæ, Severiæ, Czernichoviæque, nec non Hæreditarius Dux Saxoniæ, & Princeps Elector.* ANNO 1758.

Significamus præsentibus Literis nostris, quorum interest universis, & singulis. Quomodo coram Nobis, Actisque præsentibus Metrices Regni Cancellariæ nostræ Maioris personaliter comparens Venerabilis Gabriel a Podosie Podoski Notarius Supremus Regni, Præpositus Cathedralis Cracovien sis, Sereniſſimorum Principum Regiorum, Filiorum dilectiſſimorum nostrorum Cancellarius, obtulit ad acticandum, Actisque præsentibus inscribendum Originale Diploma Provisionale Collationis Feudi Ducatuum Curlandiæ, & Semigalliæ Sereniſſimo Principi Regio nostro CAROLO, *eorundem Ducatuum Duci, hic Varsaviæ die 16. Mensis, & Anni nunc currentium per Nos benigniter datum, manu nostra subscriptum, & Sigillis Maiori Regni, ac Minori M. D. Litv. communitum, sanum, salvum, & illæsum, omnique prorsus suspitionis nota carens tenoris sequentis:*

In Nomine Domini Amen.

AUGUSTUS III. DEI Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Kijoviæ, Volhyniæ, Podoliæ, Podlachiæ, Livoniæ, Smolensciæ, Severiæ, Czernichoviaeque, nec non Hæreditarius Dux Saxoniae, & Princeps Elector.

Ad perpetuam rei memoriam.

Significamus præsentibus Literis nostris quorum interest, aut quomodolibet interesse poterit universis, & singulis, præsentique Diplomate nostro Regio notum, testatumq; facimus. Quemadmodum per Sereniſſimum divæ memoriæ, SIGISMUNDUM AUGUSTUM Regem Poloniæ, & Rempubl. ex antiquo de Ducatibus Curlandiæ, & Semigalliae constitutum, & provisum est, ut iidem Ducatus Illustriſſimo Principi Gotthardo Kettler Ordinis Teutonici in Livonia Magistro, eiusque masculis Hæredibus, de lumbis eius procedentibus Jure Feudi protunc, dum idem Divus SIGISMUNDUS AUGUSTUS Rex eundem Illustriſſimum Principem Gotthardum Kettler Magistrum, Universamque Nobilitatem, Civitates, Status, & Ordines Terrarum Livoniae isto tempore hostilitate Moschovitica oppressos, & afflictos, auxilio vero Imperatoris, & Statuum Romani Imperii diu implorato destitutos per Pacta subiectionis in fidem, potestatem, Ditionem, & Clientelam suam, suorumque Successorum Regum Poloniae susceperat, reservato tamen sibi, succedaneisque Sereniſſimis Regibus Poloniæ,

ANNO 1758. loniæ, ad hos Ducatus ſupremo, directo, naturali, & immediato Dominio; conferrentur, id ipſum etiam in Literis Inveſtituræ tam eidem Illuſtriſſimo Gotthardo, quam eius ſuccedaneis de lumbis eius recta linea deſcendentibus, Illuſtriſſimis Friderico, Vilhelmo, Jacobo, Friderico Caſimiro, & Ferdinando Ducibus Curlandiae, & Semigalliæ per Sereniſſimos divæ memoriæ STEPHANUM, SIGISMUNDUM III. VLADISLAUM IV. JOANNEM CASIMIRUM, MICHAELEM, JOANNEM III. AUGUSTUM II. Parentem noſtrum deſideratiſſimum Reges Poloniæ non interrupta ſerie collatis, ſufficienter præſtitum, cautum, & aſſecuratum eſt. Ita cum *D*eo ſic volente Familia *D*ucalis Kettleriana, deficiente prole maſcula, in perſona olim Illuſtriſſimi Ferdinandi *D*ucis, conſangvinei noſtri, de Nobis, & Sereniſſimis Prædeceſſoribus noſtris, ac de Republica bene meriti, fidelis ſemper Vaſalli, extincta eſt, & *D*ucatus Curlandiæ, & Semigalliæ præfati, Jure noſtri Supremi, directi, naturalis, & immediati *D*ominii ad noſtram, & Reipublicæ diſpoſitionem pervenerant, Nobiſque Respublica in Comitiis Regni Generalibus, Varſaviae Anno 1736. celebratis, adhuc vitam agente ſuprafato altæ memoriae *D*uce Ferdinando, annis iam gravato, in caſum deceſſus illius, ut alio *D*uci cum Succeſſoribus eius maſculis de lumbis procedentibus *D*ucatum Curlandiæ, & Semigailliae daremus, & conferremus, cum adiectis conditionibus per futurum *D*ucem explendis in hac Conſtitutione fuſius explicatis: Viſum fuit protunc Nobis Erneſtum Joannem de Biron in *D*ucem Curlandiæ, & *S*emigalliæ evehere, illique juxta conditiones Lege præſcriptas Inveſtituram una cum maſcula prole de lumbis procedente, dare. Verum quoniam contra opinionem noſtram, præfatus Erneſtus Joannes de Biron Dux ita creatus, & factus, neque Bona Menſæ *D*ucalis ab oneribus liberavit, neque alias conditiones adimplevit, imo contra Feudatarii obligationem in aliis *D*itionibus in officio primi Miniſtri, poſtea & Regentis ita ſe geſſit, ut cadens ab omnibus his dignitatibus per malefacta, ſequeſtrationem perſonæ ſuæ in ſe traxerit una cum maſcula prole, neque amplius poſſibilitas reditus illius ad Regimen *D*ucatus Curlandiæ, & Semigalliae extat. Nos deliberationi Senatui data ſuper his propoſitione, ex concluſo eius (prout fuſius Articulus ſecundus reſultati *S*enatus Conſilii obloquitur) non eſſe differendam declarationem vacantiæ Feudi *D*ucatus Curlandiæ, & Semigalliae, iudicavimus, prout die 16. Menſis Novembris in Anno præſenti, abſque ulteriori mora ſeparato noſtro *D*iplomate rationes ample enarrante Erneſtum Joannem de Biron, una cum maſcula prole abſceſſiſſe a prærogativa, dignitate *D*ucatuum Curlandiae, & Semigalliæ, & a muniis, reditibus, & emolumentis ad hos *D*ucatus ſpectantibus decrevimus, Feudumq; *D*ucatuum Curlandiæ, & Semigalliae vacans declaravimus. Suſcipientes autem grato animo primo Nobilitatis Curlandiae, & Semigalliae & poſt Senatorum in conſilio 30. Menſis Octob. præſentium propenſum animum erga Nos, et Sereniſsimum Regium noſtrum Principem CAROLUM, dilectum filium, facile cor noſtrum Regium, ſimul et paternum votis Senatorum Regni, et M. D. L. iunximus, prout et iungimus, inhærendoque Conſtitutioni Anni 1736. *S*erenisſimum Regium noſtrum Principem CAROLUM, dilectum filium una cum eius maſculis *S*ucceſſoribus naſcendis, de lumbis procedentibus, in verum, et legitimum *D*ucem Curlandiae, et *S*emigalliae cum titulo, et dignitate, iisque omnibus, quae utrique *D*ucatui annexa antiquitus erant, ad tenorem Privilegii Gotthardo *D*uci olim Curlandiae et *S*emigalliae in Anno 1561. conceſſi, creamus, authoriſamus, et conſtituimus. Quoniam autem hocce *D*iploma noſtrum referibiliter tantum ad *D*iploma futurum circa Inveſtituram dandum concesſimus, ideo quouſque Sereniſsimus Regius Princeps, noſter, et dilectus filius, iam vero nunc Dux Curlandiae, & Semigalliae creatus, Juramentum fidelitatis Nobis, et Reipublicae circa aliud Inveſtiturae Diploma in perſona non expleverit, nulla adminiſtrationis munia in Ducatibus Curlandiae, et Semigalliae exercere poterit, neque in Spiritualibus, neque in temporalibus iurisdictionem praetendere. Ut autem Ducatus Curlandiæ et Semigalliæ poſt octodecem Annos taedioſae morae quantocius Ducis Regimen juxta Pacta ſubiectionis, Formulamque Regiminis conſequantur, Inveſtituram Sereniſſ. Regio noſtro Principi CAROLO, et dilecto filio Duci Curlandiæ, et Semigalliae conferre juxta practicatum in ſimilibus modum non dedignabimur, diemq; ſolennis huius Actus ſecundam Menſis Januarii, Anni futuri 1759. hic Varſaviae aſsignamus. In quorum fidem praeſentes manu noſtra ſubſcriptas Sigillo Regni, et Magni Ducatus Litvaniae communiri iusſimus. Datum Varſaviae die decimo ſexto Menſis Novembris,

ANNO 1758.

ANNO 1758. Anno Domini 1758. Regni vero noſtri XXVI. Anno.

AUGUSTUS *Rex.*

Diploma Proviſionale Collationis Feudi Ducatuum Curlandiæ, & Semigalliæ Sereniſſimo Principi Regio CAROLO *eorundem Ducatuum Duci.*

(Locus Sigilli Maioris Cancell. Regni.)

Adalbertus Rakowſki Pocillator Terræ Viſnen. Sigilli Maioris Regni Secretarius mpp.

(Locus Sigilli Minoris Cancell. M. D. L.)

Adamus Chmara Pocillator Minſcen. S. R. Maieſtatis Sigilli M. D. Litvaniæ Secretarius mpp.

A tergo vero eiusdem Diplomatis verba ſunt hæc:

Cancellariatu Illuſtriſſ. & Excellentiſſ. Domini Joannis Comitis in Koñſkie, & Białaczow a Małachovice Małachowſki Supremi Cancellarii Regni, Grodecenſis, & Oſtrolecenſis &c. Capitanei, ſigillatum.

Pro-Cancellariatu Illuſtriſſ. Excellentiſſ. Domini Michaelis Comitis in Bychow, Zaſtaw, Dombrowna, & Sapieżyn Sapieha Pro-Cancellarii M. D. Litvaniæ, Tucholienſis, Vitkoviſcenſis &c. Capitanei, ſigillatum.

Eſt in Actis. Quod eiusmodi Diploma, ſic ut præmiſſum, oblatum Nos ad Acta præſentia Metrices Regni ſuſcipi, iisdem inſeri, & parti poſtulanti authentice extradi, Originale vero rurſus eidem Venerabili offerenti reſtitui permiſimus, de quo recepto Cancellariam noſtram quietavit, præſentibusque quietat, & manu propria ſeſe ſubſcribit.

Gabriel Joannes Junoſza Podoſki Supremus Regni Notarius, Præpoſitus Cathedralis Cracovienſis, & Sereniſſimorum Regiorum Poloniæ Principum Cancellarius mpp.

In quorum fidem Præſentibus Sigillum Regni eſt appreſſum. Actum Varſaviæ feria ſecunda pridie Feſti Præſentationis Beatiſſimæ Virginis Mariæ, die ſcilicet 20. Menſis Novembris Anno Dom. 1758. Regni vero noſtri XXVI.

Joannes Małachowſki
Supremus Regni Cancellarius. mpp.

Relatio Illuſtriſſimi & Excellentiſſ. Domini Joannis in Koñſkie, & a Małachovice Małachowſki Supremi Cancellarii Regni &c.

Ignatius Ludovicus Nowicki Metrices Regni Præfectus, S. R. Maieſtatis Secretarius mpp.

CCCII. ANNO 1759.

Diploma Inveſtituræ Ducatuum Curlandiæ, & Semigalliæ, Sereniſſimo Regio Poloniæ Principi CAROLO *Ducatuum eorundem Duci*, Varſaviæ die 8. Januarii Anno 1759. *datum.*

In Nomine Domini Amen.
Ad perpetuam rei memoriam.

AUGUSTUS III. DEI Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ &c. Significamus præſentibus Literis Noſtris, quorum intereſt univerſis, & ſingulis. Poſtquam quaſſata malis univerſa Livonia, ac Generoſa Nobilitas huius Provinciae, belli protunc Moſchovitici mole oppreſſa, Ordinesque omnes cum Civitatibus, Statibus, atque Incolis ſub pondere ferri vix ſpirantes, ſalutis, libertatisque ſuæ retinendae in ſolo Sereniſſimorum Regum Patrocinio, Regni, Magniq; Ducatus Litvaniæ defenſione ſpem poſuiſſent, deficienteque abſolute Imperatorum S. R. Imperii ope & auxilio, & fruſtra diu implorato, ſola Sereniſſimorum Regum Polon. Poteſtas, obicem ruinis illorum ulterioribus & malis ponere valuiſſet, Illuſtriſſimusque olim Princeps Dominus Gotthardus Curlandiæ, & Semigalliae in Livonia Dux tunc temporis Equeſtris Ordinis Theutonici Magiſter, cum Livoniae Nobilitate, Civitatibus, Statibus, atque Ordinibus omnibus, ſe in Fidem & Poteſtatem Sereniſſimi Prædeceſſoris noſtri D. SIGISMUNDI AUGUSTI, & Succeſſorum Regum Poloniae, Regnique & M. D. Litvaniae, cæterarumque annexarum Provinciarum contuliſſet, & in perpetuum ſubieciſſet, tota integralis Livonia, Conditionibus Pactis ſubiectionis firmatis, in Fidem, Poteſtatem, ac Ditionem Sereniſſimi D. SIGISMUNDI AUGUSTI Prædeceſſoris noſtri, Succeſſorumque eius Regum Poloniae, nec non Regni, & M. D. Litvaniae, ita iuſte & legitime recepta eſt. Cumque in adducenda Livoniae Provincia, ad ſubiectionem Regibus Poloniae, mutato ex Conſilio Equeſtris Ordinis ſtatu priore, Illuſtriſſ. olim Princeps Dominus Gotthardus, tunc temporis Ordinis Equeſtris Theutonici Magiſter, poſtea Dux Curlandiae, & Semigalliae, ſingulare ſtudium demonſtraſſet, Sereniſſimusque Rex D. SIGISMUNDUS AUGUSTUS Prædeceſſor noſter, eam rem approbando, ex vi ſupremi, directi, & naturalis Dominii Ducatus Curlandiae & Semigalliae in Livonia, ſuprafato D. Gotthardo de Kettler,

una

Anno 1759. una cum maſculis de lumbis procedentibus, cum Ducali Titulo, Dignitate, Inſignibus, Privilegiis Ducalibus in Feudum conceſſiſſet, exindeque Illuſtritas ſua Vaſallus Poloniæ, Feudatarius Princeps Regni, & M. D. Litvaniae, Membrumque Reipublicae factus fuiſſet, prout Diplomate iam ante D. Prædeceſſori noſtro D. Stephano Regi exhibito, ac Vilnae 28. die Novembr. Anno Domini 1561. perſcripto, & Sigismundi Augusti Prædeceſſoris manu ſignato, Sigillo autem eius annulari roborato, fuſius continetur. Quod præterea cum Illuſtritas eius de ſolenni ſua Inveſtitura Feudali Sereniſſimum Prædeceſſorem D. Sigismundum Augustum aliquoties appellaſſet, & per temporum rationem, magnitudinemque Regni negotiorum voti ſui compos, regnante, viventeque prædicto Anteceſſore noſtro effici non potuiſſet, poſtea vero a Sereniſſimo Stephano Rege, & Prædeceſſore noſtro ad Regni Poloniae, & M. D. Litvaniae faſtigium Dei benignitate evecto diligentiſſimis precibus confirmationem ſuorum Jurium, a D. Sigismundo Augusto conceſſorum, & Ducalem Feudi Inveſtituram, prius in Comitiis ab eodem D. Stephano habitis flagitaſſet, ſed cum magnitudo, varietasque negotiorum eius Serenitatis, tum locorum Intervalla, id a Serenitate eius præſtari non paterentur, eiusque rei peragendae, ex Conſilio Regni noſtri Conſiliariorum, qui partim Serenitati eius adfuerant, partim per Literas de eo appellati fuere, pariterque eorum, qui ex M. D. Litvaniæ frequentes Serenitati eius in Senatu aſſederunt, in alium locum, tempusque opportunitate eius rei conſtituta, cum Illuſtriſtas ſua ad diem 4. Menſis Auguſti, Anno Domini 1579. ſub generalem exercituum delectum & recenſitum ad flumen Dunam prope Dziſnam, quo in loco idem Sereniſſimus Prædeceſſor noſter caſtra locaverat, acceſſiſſet, inque caſtris & territorio Serenitatis eius Inveſtituram ab eodem Sereniſſimo Prædeceſſore noſtro petiiſſet, & fidelitatis, ſubiectionisque iusiurandum eidem Sereniſſimo Prædeceſſori noſtro, eiusque Succeſſoribus, ſupremis, directis naturalibus, perpetuisque Dominis, Regno, & M. D. Litvaniae præſtitiſſet, quod cum idem Sereniſſimus Prædeceſſor noſter Stephanus Rex, ex Conſilio Senatorum, tam lateri eius aſſidentium, quam per Literas de eo requiſitorum prænominatum Illuſtriſſimum Principem Dominum Gotthardum Curlandiae, & Semigalliae Ducem, ad Terras, Civitates, Oppida, Arces, Poſſeſſiones, quas a *Sereniſſimo* memorato Prædeceſſore noſtro conceſſas habuit, ac Præeminentias, iuraque omnia, & ſingula, tradito ab eodem *Sereniſſimo* Praedeceſſore noſtro Stephano Rege ſolenni ritu Feudali Vexillo Serenitas ſua inveſtiverit, Sereniſſimus quoque Sigismundus III. Poloniæ, & Sveciæ Rex, Illuſtriſſimo Gotthardo e vivis ſublato Filiis Illuſtritatis eius, Illuſtriſſ. Principibus *Dominis* Friderico, & Vilhelmo eorundem Jurium confirmationem, & Ducalem Feudi Inveſtituram diligentiſſimis itidem precibus flagitantibus, prædictos Illuſtriſſ. Principes Fridericum, & Vilhelmum, Illuſtriſſ. quidem Fridericum præſentem Illuſtriſſ. vero Principem Vilhelmum per unum ex Conſiliariis Fratris ſui Vexillum porrectum apprehendentem, ad easdem Terras, Civitates, Oppida, Arces, Poſſeſſionesque, ac Præeminentias, Juraq; omnia, & ſingula, tradito ſolenni ritu feudali Vexillo, utrumq; in ſolidum, ſine tamen *Ducatus* diſmembratione, Inveſtitura condecoraverit, & translato ex humanis Sereniſſ. Rege *D.* Sigismundo III. Illuſtriſſ. Princeps Fridericus in felicis Inaugurationis Sereniſſ. Regis Vladislai IV. Prædeceſſoris, Regni Comitiis, tam propter difficultates itinerum, quam temporis anguſtiam ad præſtandum vigore Pactorum, & Inveſtiturarum Homagium, adeſſe non potuiſſet, præfatus quoq; Rex abſentiam Illuſtritatis eius in bonam partem, ex allegatis rationibus accipiens, præſtationemque Homagii ad proxima Comitia, vel felicem eius adventum Vilnam Civitatem M. D. Litvaniæ diſtuliſſet, prædictusque Illuſtrisſimus *Dux* Curlandiae Fridericus, iuxta reſponſum *Sereniſſimi* Serenitatis ſuæ, ſolennis iuramenti Regi, Regnoque præſtandi cauſa Vilnæ in perſona ſe ſtitiſſet, die 20. Menſis Julii Senatoribus lateri Serenitatis ſuæ aſſidentibus in magna Nobilitatis frequentia Inveſtituram a ſua Serenitate petiiſſet, iusiurandum iuxta practicatum in ſimilibus modum Regi, Regnoque præſtitiſſet, Junior vero tunc Illuſtriſſ. Dux Jacobus, ſuæ Illuſtritatis ex Fratre Nepos, hoc temporis interſtitio præſens tanquam legitimus Succeſſor, & a *Sereniſſimo* Serenitate ſua ad contactum Vexilli admiſſus fuiſſet, *Sereniſſimus* Serenitas ſua prædictum Illuſtriſſ. Principem Fridericum ad easdem Terras, Civitates, Oppida, Arces, Poſſeſſiones, Juraque omnia & ſingula, tradito ſolenni ritu feudali Vexillo inveſtiverit, in Comitiis vero Anni 1638. a ſuæ Illuſtritatis, ac Ducatus Curlandiæ, atque Semigalliæ Nobilitatis, eo nomine Varſaviam ablegatis Internuntiis Serenitas ſua interpellata eſſet, dignaretur conſenſum ſuum Regium præbere, ut prædictus Illuſtriſſ.

Anno 1759.

Anno 1759. ſtriſſ. Princeps Fridericus, annis gravatus, liberam, & plenariam facultatem haberet, transferre Regimen, & Poſſeſſionem Ducatus Curlandiæ & Semigalliæ in Perſonam Illuſtriſſ. Principis Iacobi, ex Fratre Nepotis, Serenitas ſua, ob prælememoratam cauſam, re hac prius cum Dominis Senatoribus Regni, & M. D. Litvaniæ in iisdem Comitiis Regni Generalibus lateri ſuo aſſidentibus diligentiſſime perpenſa, eoque conſiderato, quod prænominatus Illuſtriſſimus Princeps Iacobus, vigore Pactorum, & Inveſtiturarum a Sereniſſimis Prædeceſſoribus Serenitatis ſuæ, Divis Poloniæ Regibus conceſſarum, & per Serenitatem ſuam ex Senatus Conſilio in ſolenni Inveſtiturarum iſtarum renovatione confirmatarum, tanquam ſimultanee inveſtitus Princeps & ex Pacto, & providentia Avi, & Patrui ſui legitimus Succeſſor eſſet, petitioni huic humillimæ, & primævæ ſubiectionis Pactis, Inveſtituris, atq; reſponſis, tam ſuis, quam Reipublicae locum dandum, conſenſumq; Regium ſpeciali in iisdem Comitiis ex Senatus Conſilio, eo nomine dato Diplomate praebendum eſſe duxit, prout & praebuit. Et licet quidem ſua Illuſtritas Dux Fridericus ſuae Serenitatis conſenſum ex Senatus Conſilio pro facienda in Perſonam Ducis Iacobi ceſſione a Serenitate ſua per ſuum, ac Ordinis Equeſtris Legatos obtinuiſſet, & certis conditionibus ceſſionem feciſſet, Duxque Iacobus inhaerendo, conſenſui homagii praeſtandi cauſa ad Serenitatem ſuam in perſona, præfixa die Vilnam veniſſet, nec non iuramentum praeſtare paratus, Inveſtituram ſolennem expediri a Serenitate ſua humillime ſollicitaſſet, Serenitas vero ſua ceſſionem illam non iuxta tenorem conſenſus factam fuiſſe, cum Dom. Senatoribus, et Conſiliariis ſuis Regiis, lateri ſuo Regio aſſidentibus ex ceſſionis Inſtrumento, coram Serenitate ſua producto, perſpexiſſet, nihilominus tamen ob inſignia dictorum Principum, ac inprimis Illuſtriſſ. Ducis Friderici in Reges, et Rempubl. merita, et ex ſingulari erga Domum Ducalem affectu, et benevolentia defectum non factae plenariae ceſſionis, ex plenitudine poteſtatis ſuae Regiae ſupplendo, beneficium illud amplificandum, ceſſionemque illam conditionatam Authoritate Regia ſublevandam eſſe duxit, eundemq; Ducem Iacobum, ac illius Haeredes maſculos, legitimos Feudi Succeſſores, eo modo ad Terras, Civitates, Oppida, Arces, Poſſeſſionesq; a Dominis Illuſtritatis ſuæ Anteceſſoribus, Avo, eiusq; Hæredibus, ac Patruo Duci Friderico conceſſas, et Præeminentias, Iuraq; omnia, et ſingula, tradito a Serenitate ſua ſolenni ritu Feudali Vexillo inveſtivit, Diplomate conſenſus antea ex Senatus Conſulto a Serenitate ſua obtento, uti fundamento totius iſtius Actus ſalvo, et in robore ſuo conſervato. Cuius vigore Illuſtriſſimo Principi Friderico, ad placitum ſui, ceſſionem realem, et plenariam cum iurisdictione, et Regimine in Perſonam Ducis Iacobi facere intra tamen fatalia Iuris, facultas conceſſa fuit. Si vero contigiſſet, Ducem Iacobum poſt factam ſibi a Duce Friderico ceſſionem, abſque prole maſcula e vita decedere, tunc nihilominus iidem Ducatus, non obſtante eadem ceſſione, ad Ducem Fridericum redire, ac penes ipſum vigore praeteritarum ipſi conceſſarum Inveſtiturarum remanere debuiſſent. Ducem quoq; Iacobum, etiam non obtenta ante deceſſum Illuſtriſſ. Principis Friderici ceſſione, vi Pactorum primaevorum, et Inveſtiturarum, tum quoq; diverſorum reſponſorum, et iſtius Homagii intuitu, circa Feudum & Ducatus poſſeſſionem cum pleno Regimine itidem eiusdem Inveſtituræ vigore conſervavit, Sereniſſimosq; Succeſſores conſervare debere decrevit, hac ſpeciali conditione adiecta, ut Dux Iacobus ſive poſt ceſſum, ſive poſt deceſſum Ducis Friderici non prius poſſeſſionem illius Ducatus adire, Iurisdictionemque exercere potuiſſet, donec per Commiſſarios ad faciendam Introductionem a Serenitate ſua deputandos, legitime intromiſſus fuiſſet. Poſſeſſione porro rite, et legitime, praevia ceſſione, et intromiſſione, cum pleno Regimine adepta, et per aliquot annos iuxta Inveſtituram, pacifice poſſeſſa, cum ſublato ex humanis praefato Sereniſſimo Rege Vladislao Quarto et in Regem Poloniæ electo Sereniſſimo Ioanne Casimiro, Anteceſſoribus noſtris, praenominatus Illuſtriſſimus Princeps Iacobus in Comitiis Coronationis illius, ad praeſtandum Homagium per Internuntios gratiam illius humillime expetiiſſet, Sereniſſimus Joannes Casimirus Illuſtriſſimum Principem Dominum Jacobum pari affectu, & benevolentia complexus, novum eidem beneficium conceſſit, ut per Legatos ſuos cum debita fidelitatis, & ſubiectionis teſſera, ſolita praxi homagium præſtare, & Inveſtituram ritu conſveto recipere poſſet. Qua benevolentia Regia condigne accepta, is idem Illuſtriſſimus Dominus Iacobus ad Sereniſſimum Joannem Casimirum Anteceſſorem noſtrum Legatos ſuos, Generoſos Georgium Fiſcher de Viceden, Supremum primae Inſtantiae Mitavienſis Capitaneum, atque Georgium Goës Capitaneum Schrundenſem miſit,

Anno 1759.

Anno 1759. sit, qui Varsaviae die 20. Mensis Maii, Anno Domini 1649. coram Throno Regio in manibus illius solenni ritu nomine Illustrissimi Principis Domini Jacobi Homagium præstiterunt, & vicissim a Sereniſſimo Prædecessore nostro, Jure gratiae Feudale Vexillum cum Investitura receperunt. Is idem Jacobus Dux a Sereniſſimo Michaele per Legatos suos Generosos Christophorum Henricum Puttkamer Supremum Capitaneum Tuckumensem, & Georgium Firks Colonellum, similem ritu solenni traditione Vexilli acceperat gratiam. Joanne III. Prædecessore nostro ad Solium Regni Poloniae evecto, simile beneficium recipiendi per Legatos Investituram Duci Jacobo concessum, & quidem ultima dies Iulii Anno Domini 1676. Actui solenni designata; ast ob bellum Ottomanicum in aliud tempus prorogatione facta nonnisi post reditum ab expeditione bellica Regis, anno eodem terminatis Generalibus Regni Comitiis, per Legatum suum Generosum Ewaldum Pfeilitzer nominatum Franck, Cancellarium, & supremum Consiliarium, Iuramentum Fidelitatis Regi Poloniæ Joanni III. Dux Iacobus explevit, & tradito sibi Feudali Vexillo Investituram accepit; non multo post Jacobo Duce vita functo, cum Filius Illustritatis eius Illustrissimus Princeps Dominus Fridericus Casimirus ex jure Progenituræ, Pacto, & Providentia Proavi Parentis, & Patrui, & Parentis ipsius ad possessionem Feudi sese transtulisset; quod iuxta *De*cretum Divi Sigismundi Tertii integrum, & indivisum, tam ratione Jurisdictionis, quam bonorum manere semper debet, humillimeque a *D.* Joanne III. Prædecessore nostro petiisset, ut concesso semel beneficio Domino Iacobo Parenti suo, etiam ipse ex gratia Regia simili frui possit, hoc est: non in Persona, sed per Legatos explendi Iuramentum Fidelitatis. Cumque annuente Joanne III. Prædecessore nostro ad reddendum Homagium, recipiendamque Investituram Principis Friderici Casimiri, Legati Generosi Christophorus Henricus Liber Baro de Puttkamer supremus Ducatus Præfectus, & Dietericus ab Altembockum supremus eius Mareschalcus hic Varsaviæ die designata comparuissent, terminusq; Actus Investituræ ad diem 25. Mensis Martii Anni currentis 1683. prorogatus fuisset, superiusq; nominati Legati cum adveniſſent, porrexissentque supplicem Libellum non tantum pro Duce Friderico Casimiro, verum etiam, ut in casu aliquando deficientis in masculo sexu lineæ Friderico-Casimirianæ Illustrissimo Domino Ferdinando, & in casu lapsus Ferdinandinæ, Illustriss. *Domino* Alexandro, earumque Illustritatum legitimis Successoribus masculis jus simultaneæ Investituræ conferre Sereniſsimus Rex dignaretur, gratia Regia ad petita sua potiti sunt. Friderico Casimiro Duce ad æterna translato, Fridericus Vilhelmus, suæ Illustritatis superstes Filius minorennis, sub Illustriss. Ferdinandi *Ducis* tutela mansit, dein brevi vitam cum morte commutando, Illustriss. Alexandro in vivis iam non extante, ad capessendum Regimen Ducatuum Curlandiæ, & Semigalliæ, soli Ferdinando Duci aperuit viam, & cum diu tam ob calamitosa tempora, quam & ægram valetudinem, Illustritas sua Homagium reddere Regi suo non potuisset, ultimusq; de Linea Kettleriana Gotthardi Ducis traxisset vitam, sine spe futuræ Prolis, præscindendo Respublica factiones in Ducatibus, & cassata eventuali Electione iuribus suis præiudicioſa, concessit Duci Ferdinando per Legatum suum Homagium reddere, prout & Illustritas sua 25, Mensis Febr. 1731. per Legatum, & Plenipotentem suum Generosum Fridericum Gotthardum a Bülow Intimum Belli Consiliarium reddidit, & a Divo Augusto II. Prædecessore, & Parente nostro Investituram solenniter recepit. Quoniam vero ad declivium vergente ætate Illustriss. Ferdinandi Ducis, cessanteque in persona eius masçula prole de Kettleriana Familia Gotthardi olim Ducis procedente, variæ scissiones Nobilitatem Ducatuum Curlandiæ & Semigalliæ premebant, pseudoque Electioni per Rempublicam cassatæ plurimi adhæserant; quare Respublica, stante adhuc in vivis Ferdinando Duce, voluit de Ducatibus Curlandiæ, & Semigalliæ disponere, prout et in Anno 1726. disposuit, ut post fata Ducis Ferdinandi, cuius illæsum ius manutenere declaravit, hi Ducatus Curlandiæ, & *S*emigalliæ formali Incorporatione Regno, & M. D. Litvaniæ cum annexis Provinciis, excludendo novi Principis infeudandi substitutionem, iungerentur; atque eo nomine Commissionem Ordinum Regni assensu expedivit, pro nova horum Ducatuum Curlandiæ, & Semigalliæ facienda Ordinatione, & quoad utile, & quoad directum Dominium Incorporatione, cassatis quibusvis Actibus, & ex Actis eliminatis Reipublicæ iuri contrariis, & quidem in Anno 1727. hæc Commissio quinta Decembris ad tenorem legis expedita nullam iam spem reliquerat huic Provinciæ, ut aliquando sub Ducis Regimen reverteretur, sed cum Nobilitas Curlandiæ, & Semigalliae, Regimini sub Duce assveta, Anno 1759.

Anno 1759. ad Pacta ſubiectionis, Formulam Regiminis, aliasque Reipublicae Commiſſiones recurrendo, ſuppliciter rogaverit, ut Ordines Regni, attenta illorum primaeva lege, cum qua ſeſe Regno, & M. D. Litvaniae, ac annexis Provinciis incorporarunt, antiquum ſub Duce Regimen ipſis reſtituerent, Reſpublica petitioni illorum aſſenſum dando, ſtatuit in Comitiis Regni hic Varſaviae in Anno 1736. ut Ordinatione 1727. Ducatuum Curlandiae, & Semigalliae, quoad punctum excluſionis infeudandi in futurum novi Ducis transformata, iterum Curlandiae, & Semigalliae Nobilitas ſub Ducis Regimen rediret, adiecta conditione, ut poſt deceſſum Ducis Ferdinandi, in vivis adhuc extante, infeudandus a Nobis novus Dux, iuxta practicatum in ſimilibus Diploma, Pacta ſubiectionis, Formulamque Regiminis, Bona Menſae Ducalis in rem, & emolumentum Feudi ab oneribus liberaret, ac obſtrictus Vaſallatui noſtro ſubſidia militum pro Reipublicae commodo aſſecuraret: ad quas conditiones, novo Duci praeſcribendas, Commiſſio 1727. prorogata, Gedani opus ſuum continuavit. Illuſtriſſimo Duce Ferdinando, ultimo de Kettleriana Familia ex Gotthardo Duce procedenti, in Anno 1737. die 4. Menſis Maii Gedani claudente dies vitae, dedimus ad Supremos Ducatuum Curlandiae, & Semigalliae Conſiliarios, tum Generoſam Nobilitatem Mandatum, quatenus in obſequio, & ſubiectione, ac fidelitate erga Nos, atque Rempublicam intaminate perſeverent, adminiſtrationem iuſtitiae, curſum iudiciorum continuent, ulteriorem noſtram deſuper diſpoſitionem expectent. Conſtitutione itaque 1736. & Ducatibus Curlandiae, & Semigalliae, Regimen Ducum a Nobis infeudandorum, Vacantiam vero Feudi morte Illuſtriſſimi Ferdinandi Ducis ultimi de Gotthardi Familia delarante, Erneſtum Joannem de Biron, Comitem Sac. Rom. Imperii, in Ducem Curlandiae, & Semigalliae conſtituimus, & creavimus, & poſtea ſolenni traditione Feudalis Vexilli inveſtivimus, ex quo iuxta Conſtitutionis ſuprafatae obloquentiam, conditiones adimplendi; videlicet exonerationis a debitis Bona Menſae Ducalis in rem, & emolumentum Feudi, tum ſubſidia militum pro ſervitio Reipublicae ſubminiſtrationis, ex vi Vaſallatus prae caeteris aptior videbatur; & quidem in Anno 1737. die 13. Menſis Iulii proviſionali Diplomate Ioannes Erneſtus de Biron, S. R. Imperii Comes, a Nobis creatus, in Anno vero 1739. d. 23. Menſis Iunii ſolennem Inveſtituram per Legatum ſuum Generoſum de Finck, Cancellarium, non tamen in Perſona, prout Lex Anni 1726. obligat, cum traditione Feudalis Vexilli accepit. Verum quantum opinionem noſtram, ac expectationem utilitatis publicae fefellit, animo capere non poſſumus, ex quo poſt conceſſionem ſibi in Feudum Ducatuum Curlandiae, & Semigalliae, & poſt acceptam, licetſi per Legatum, Inveſtituram in Ducatibus ad capeſſendum Regimen praeſens nunquam extitit, eoque Intuitu iuramentum Fidelitatis a Curlandis non recepit, neque bona onerata Menſae Ducalis in rem, & emolumentum Feudi liberavit, neq; alias conditiones adimplevit, imo contra Feudatarii obligationem ex ſupremo Miniſterio Aulae Petroburgenſis ſe non exuit, quinimo ſub Regentis nomine perſeveravit, ibique in his Officiis, & Dignitatibus ita ſe geſſit, ut ſequeſtrationem Perſonae ſuae una cum maſcula Prole in ſe traxerit, & licet ſi caſus illius ex vi ſolius Miniſterii, & Regentiae in alienis ditionibus ſubſecutus, non adeo Nos obligaverat, ut ſublevare illum ex hoc infortunio debuiſſemus, nihilominus accedente etiam Senatus Conſilii Reſultato 1750. quæſivimus per officia noſtra in amica Nobis Petroburgenſi Aula pro parte eius favorabiliores deciſiones, ſed rationes ſtatus Aulae Petroburgenſis omnes alias abſorpſerunt; igitur cum Nobilitas Curlandiae & Semigalliae ab octodecim Annis appromiſſum ſub Duce Regimen a Republica expectans, ſortemque meliorem Joannis Erneſti de Biron, ſupplicibus Nos ſemper defatigaverit precibus, & particulariter per Generoſum Joannem Erneſtum de Schœpping, prout Inſtructio eius Additionalis Mitaviae 1758. die 13. Menſis Septembris Articulo quarto obloquitur, ut in caſum impoſſibilitatis reditus Joannis Erneſti de Biron ad Regimen Ducatum Curlandiae, & Semigalliae, eiusque Maſculae Prolis, poſt Declarationem Vacantiae Feudi, alium Ducem inveſtire dignaremur, ſpecialiter autem, ut pro Sereniſſimo Regio Principe Carolo Dilecto Filio Noſtro Oratorem ageret. Inque ipſo tempore Magnificus Baro de Groſs Miniſter Aulae Petroburgenſis inhærendo Mandatis Imperialibus, ſcripto declaravit, eliberationem Erneſti Joannis de Biron una cum Maſcula Prole nunquam ſubſequi poſſe, propter validiſſimas ſtatus rationes. Quare Nos data Senatui in hoc Puncto die 20. Menſis Octobris An. 1758. immediate elapſo ad deliberandum Propoſitione, ex Reſultato huiusce Senatus Conſilii, non amplius differre Conſtitutio- Anno 1759.

ANNO 1759. tutionis Anni 1736. executionem potuimus, ut Ducatus Curlandiae, & Semigalliae ſub Duce, Regimine fruantur, authentice autem & clare patefacta impoſſibilitate reditus Erneſti Joannis de Biron ad Regimen huius Provinciae, Vacantiam Feudi Ducatuum Curlandiae, & Semigalliae Anni 1758. immediati die 16. Menſis Novembris, ſeperato Diplomate noſtro fuſius enarrante declaravimus, & eadem die ſeorſivo itidem Diplomate noſtro Sereniſſimum CAROLUM Principem Regium & Dilectum Filium Noſtrum in Ducem Curlandiae & Semigalliae conſtituimus & creavimus, una cum Succeſſoribus Maſculis de lumbis procedentibus, ad normam Diplomatis Illuſtriſſimo olim Gotthardo Duci dati, donec tamen Regius Princeps, modo Dux Curlandiae & Semigalliae creatus, Juramentum Fidelitatis Nobis & Reipublicæ circa Inveſtituram non expleverit, nulla Adminiſtrationis munia, & tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus nullam iurisdictionem exercere Ipſi conceſſimus, ne autem tædioſa mora ſtatus Curlandiæ, & Semigalliæ detineret, ſolenni Infeudationis Actui, Inveſtituræque diem 2. Menſis Januarii Anni præſentis deſignavimus. Procedere itaque ad acceptandum Homagium Proviſionali Diplomate 2. diem Januar. huius Anni denotante voluimus, ſed quoniam viſum Nobis fuit hoc tempus ad diem hodiernam prorogare, idcirco ſiquidem hodie Sereniſſimus Regius Princeps Carolus Dilectus Filius noſter Curlandiae, & Semigalliae in Livonia Dux ſe coram Regio noſtro Throno ſtitit, petens humillime, ut a Nobis iure gratiæ inveſtiri poſſit, accinximus Nos Petitioni eius annuendo, ad ea explenda, quæ iuris Maieſtatici erant, ſimiliter & Sereniſſimus Regius Princeps CAROLUS Dilectus Filius Noſter Curlandiae & Semigalliae in Livonia Dux circa receptionem Feudalis Vexilli, Iuramentum Fidei & Fidelitatis Nobis, & Reipublicæ explevit, de Tenore tali: Ego CAROLUS Dux Curlandiae & Semigalliae in Livonia, iuro ſuper hanc S. JESU CHRISTI Crucem, quod ab hac hora deinceps, usque ad ultimum vitae meae diem, ero fidelis & obediens Tibi Sereniſſimo Principi AUGUSTO III. DEI Gratia Regi Poloniae, Magno Duci Litvaniae, & ſicuti meo naturali, & hæreditario Domino, & Succeſſoribus legitimis Tuis, Regibus, & Regno Poloniæ, Dominis meis, contra omnem hominem nemine prorſus excepto, & quod nunquam ero ſcienter in conſilio, vel auxilio vel in facto, ex quo (quod abſit) amittas vitam, vel membrum aliquod, vel per quod accipias in Perſona aliquam læſionem, vel contumeliam, aut iniuriam, vel per quod amittas aliquem honorem, quem nunc habes, vel poſt habebis, & ſi ſcivero, vel audivero de aliquo, qui velit aliquid iſtorum contra Te, & Regnum hoc Poloniæ facere, pro poſſe meo, ut non fiat, impedimentum præſtabo, & ſi impedimentum præſtare nequeo, quam cito potero, Tibi nunciabo, & contra eum, iuxta Pacta, auxilium Tibi, & Regno præſtabo. Et ſi contigerit Te rem aliquam, quam habes, vel poſt habebis, caſu aliquo amittere, eam recuperare curabo, in recuperataque retinenda Te omni tempore iuvabo. Et ſi ſcivero contra aliquem velle Te publico conſilio arma ſumere, & de eo generaliter, vel ſpecialiter fuero requiſitus, meum Tibi ſecundum Pacta præſtabo auxilium. Et ſi aliquid mihi de ſecreto manifeſtaveris, illud ſine Tua licentia, nemini pandam, neque quidquam, per quod pandatur, faciam. Et ſi conſilium a me ſuper aliquo facto poſtulaveris, illud Tibi dabo conſilium, quod Tibi, Dominiisq; Tuis judicavero maxime expedire, & nunquam ex perſona mea aliquid ſcienter, quod pertineat ad Tuam, vel Regni, Dominiorumq; Tuorum iniuriam vel contumeliam, faciam, imo honorem, dignitatem, commodaq; Tua, & Regni tuebor & conſervabo, & quoad maxime potero, augebo. Denique etiam Pacta priora antiqua omnia, & ſingula a Prædeceſſoribus meis Ducibus Curlandiæ, & Semigalliae cum inclyto hoc Poloniae Regno, & M. D. Litvaniae Conventa, tum & Formulam Regiminis, præteritas Tranſactiones, & Conditiones cum Sereniſſimis Divæ memoriæ Regibus Poloniae, & M. Ducibus Litvaniae factas, Conſtitutiones Annorum 1726. & 1736. de Ducatibus Curlandiae, & Semigalliae ſancitas, ſervabo, adimplebo, & nihil in contrarium eisdem, atque Legibus faciam, ac præterea omnium, & ſingulorum Equeſtris Ordinis, ac Privatorum Ducatus Curlandiæ, & Semigalliae Incolarum, & Civitatum Jura, Privilegia, Libertates, & Immunitates, ſartas tectas integerrime ſervabo, nec quidquam in contrarium earundem præiudicii, ac derogationis faciam, aut fieri permittam, ſic me Deus adiuvet, & Sancta Crux JESU CHRISTI. Præmiſſa igitur rata, & grata habentes conferimus Sereniſſimo Principi Regio CAROLO Dilecto Filio Noſtro, modo a Nobis Duci Curlandiae, & Semigalliae creato, ac inveſtito una cum Succeſſoribus Maſculis de Lumbis linea recta procedentibus ea omnia, quæ a Sereniſſimis ANNO 1759.

ANNO 1759. Prædeceſſoribus noſtris Regibus Poloniæ vigore Pactorum, ac Inveſtiturarum Illuſtriſſ. olim Gotthardo de Kettler cum Succeſſoribus iuxta Diploma unicuique ſerviens, usque ad ultimum de linea Ferdinandi deceſſum, iam antea data, & collata erant, nimirum Ducalem Titulum adinſtar Illuſtriſſimi olim Ducis in Pruſſia cum omni Dignitate, Inſignibus, Privilegiis Ducalibus, ita, ut Vaſallus, & Feudatarius Princeps noſter, & Succeſſorum noſtrorum, Regni, & M. D. Litvaniae Membrum ſit, itidem & Succeſſores eius Maſculi de lumbis procedentes ſint. Praeterea, ut a Divo SIGISMUNDO AUGUSTO Prædeceſſore noſtro Illuſtriſſimo quondam Duci Gotthardo, de Familia Kettleriana, Poſterisque eius Maſculis, ex eius lumbis recta linea deſcendentibus, in Perſona Illuſtriſſ. olim Ferdinandi ſine Prole deceſſi, ultimi de linea ex Maſculo ſexu Ducis, nominatim Ditiones, Poſſeſſiones, Civitates, Oppida, Arces, Terræ aſſignatæ, ſine Infeudationis ſolennitate datæ fuerunt, poſtea vero vigore legitimæ Inveſtituræ a Sereniſſimis Prædeceſſoribus noſtris Divis STEPHANO, SIGISMUNDO III. VLADISLAO IV. JOANNE CASIMIRO, MICHAELE, JOANNE III. AUGUSTO II. Poloniæ Regibus, Illuſtriſſimo olim Gotthardo Duci de Kettleriana Familia cum Succeſſoribus Maſculis collatae erant, ita Nos Sereniſſimo Regio Principi CAROLO Dilecto Filio noſtro una cum Succeſſoribus Maſculis linea recta de lumbis deſcendentibus ea omnia damus, & conferimus. Primum totum illum Tractum Curlandiæ, & Semigalliæ, incipiendo a ſalſo mari ſurſum, ſequendo fluvium Hilga, aſcendendo ad antiquos limites per Generoſum Radzivilium inceptos, & diſpoſitos, inter Samogitiam, Litvaniam, & Pruſſiam ab una, & Livoniam ab altera partibus, verſus Diſtrictum Polocenſem, ad Dunam fluvium, deſcendendo vero Duna, uſque ad mare ſalſum, adeo, ut quidquid in iſtis terminis cis Dunam, verſus Litvaniam continetur, & ad Ordinem Livoniæ ſpectabat, nunc, & in perpetuum apud Illuſtritatem eius, ipſiusque Hæredes maſculos permaneat. Curias videlicet, Bona, & Nobilitatem, quæ ad Arcem Duneburgenſem ex hac parte fluvii verſus Litvaniam ſpectarunt, Arcem Selburgam cum toto Diſtrictu, Curias, item Nobilitatem, & omne id, quod videlicet ex hac parte ad Arcem Aſcherat ſpectabat, Arcem Bauſko, Neugut, cum iis, quæ ad Arcem Kircholm pertinebant, Arces item, Curias, & Oppida Mitau, Tuckum, Neuenburg, Doblen, Candau, Alſchwangen, Schrunden, Frauenburg, Zabel, tum & alias Arces, quæ Sereniſſ. Anteceſſori noſtro D. SIGISMUNDO AUGUSTO oppignoratæ fuerunt, Goldingen, Haſenpoth, Durben, Vindau, in ſumma octuaginta millium florenorum, Arcem vero Grobin in quinquaginta millibus Illuſtriſſimo quondam Principi Alberto, Marchioni Brandeburgenſi, in Pruſſia Duci itidem oppignoratam, & illas quidem ſummas, quemadmodum Divi Prædeceſſores noſtri, in Diplomatibus ſuis remiſerant; ita & Nos nihil iuris ſuper iisdem ſummis Nobis reſervamus. Prout igitur prænominati Divi Prædeceſſores noſtri Reges Poloniae Illuſtriſſimum olim Gotthardum de Kettler una cum Maſculis deſcendentibus, usque ad ultimum de linea recta Ferdinandum Ducem, circa integralem Poſſeſſionem, & Prærogativam Ducatuum Curlandiae, & Semigalliae conſervarunt, ita & Nos Sereniſſimum Principem Regium CAROLUM Dilectum Filium noſtrum, eiusque legitimos Succeſſores Hæredes maſculos ex lumbis linea recta deſcenſuros, circa totum iſtum Curlandiae, & Semigalliae Ducatum, cum dictis Terris, Civitatibus, Oppidis, Arcibus, & Curiis hac Receptione Inveſtituræ in toto conſervamus, nec non circa omnes Prærogativas & Immunitates, quæ Illuſtriſſ. olim Gotthardo cum deſcendentibus de linea recta Maſculis Ducibus Curlandiæ, et Semigalliæ collatæ fuerunt, ſine noſtro, & Succeſſorum noſtrorum Regum, & Regni Poloniæ impedimento, ac præiudicio. Pro Nobis vero, & Sereniſſimis Succeſſoribus noſtris in Regno, Magnoque Ducatu Litvaniae, reliquam Livoniam, cum omni proprietate, directo, et utili Dominio, omnique mero & mixto Imperio, quemadmodum iam ante D. Prædeceſſores noſtri SIGISMUNDUS AUGUSTUS, STEPHANUS, SIGISMUNDUS III. VLADISLAUS IV. JOANNES CASIMIRUS, MICHAEL, JOANNES III. AUGUSTUS II. reſervarunt, ita Nos quoque reſervamus, retinemusque; Pactorum tamen, & Tractatuum ſubſecutorum iure illæſo. Cumque inter cætera et hoc inter Sereniſſimum Prædeceſſorem noſtrum D. SIGISMUNDUM AUGUSTUM, et Illuſtritatis eius Proavum convenit, ut permutatione Epiſcopatus Curonienſis pro Sonneburga Arce, Curiis Leal, & Madzel Illuſtris Dux Magnus contentetur, et ad eam rem prædictus D. SIGISMUNDUS AUGUSTUS, Sereniſſimi STEPHANUS, SIGISMUNDUS III. VLADISLAUS IV. JOANNES CASIMIRUS, MICHAEL, JOANNES III. & AUGUSTUS II. operam receperunt, & Nos recipimus, ut cum reliqua Curonia Epiſcopatu Curoni- ANNO 1759.

ANNO 1759. ronienſi, Sereniſſimus quoque Regius Princeps CAROLUS Dux Culandiae, et Semigalliae in Livonia potiatur. Poſtea vero cum vivente Duce, ſic dicto Magno, permutatio ea perfecta non fuiſſet, graviſſima autem de Epiſcopatu eo Controverſia inter D. Prædeceſſorem noſtrum STEPHANUM, & Sereniſſimum Daniæ Regem exorta, tandem Sereniſſimus quondam Daniae Rex per Tranſactionem ex certis conditionibus, Sereniſſimo Prædeceſſori noſtro, Regnoque ius ſuum, quod habere ſe in eo Epiſcopatu exiſtimabat, ceſſiſſet, nihil hoc tempore ſtatuere ea de re poſſumus, rem omnem in eo ſtatu, in quo ante ſub Sereniſſimis Regibus SIGISMUNDO AUGUSTO, STEPHANO, SIGISMUNDO III. VLADISLAO IV. JOANNE CASIMIRO, MICHAELE, JOANNE III. & AUGUSTO II. deſideratiſſimo Parente, & Prædeceſſore Noſtris, atque tempore Regiminis Noſtri fuit, eam relinquendam eſſe cenſuimus, prout relinquimus. Neve etiam limitum indiſcuſſorum cum vicinis Ducatuum controverſia, aut difficultas oriatur, vel nutriatur, Regni noſtri authoritate curabimus, ut primo quoque tempore ad præſcriptum Pactorum Poſvolienſium, & Poſteriorum Vilnenſium regantur, & certi conſtituantur in tota illa vicinia limites, interea vero ne Pars Parti damnum inferat, aut litem, ſive difficultatem moveat, pro eo, prout hoc Privilegio prædictorum Divorum Anteceſſorum noſtrorum continetur. Cumque Tractus Dunæ ſurſum, & deorſum limites inter Nos, & Duces Curlandiæ et Semigalliæ conſtituat, Jus, & æquitatis ratio poſtulat, ut medietate fluvii, in piſcando, & aliis commoditatibus, Sereniſſimus Princeps Regius CAROLUS Curlandiæ, & Semigalliæ in Livonia Dux perpetuo cum ſuis maſculis de linea recta deſcenſuris, prout & præmemoratis Ducatibus, gaudeat, quæve Inſulæ ſeu mediamnes alteri Parti viciniores ſunt, apud eandem Partem juxta Privilegia DD. Anteceſſorum noſtrorum maneant. Monetæ etiam cudendæ facultatem Sereniſſimo Regio Principi CAROLO Duci Curlandiae, & Semigalliae damus, & de integro conferimus, ad pondus, & valorem communem Reipublicæ, & ut eius promiſcuus, & indifferens uſus ſit, tam in Regno, & Litvania, quam in Livonia, volumus attamen, ut ex una parte effigies noſtra, vel Inſignia Regni, Magnique Ducatus Litvaniæ, in altera Ducis exprimantur. Si quid porro oppignorandum, aut permutandum Sereniſſimo Regio Principi CAROLO Curlandiae, & Semigalliae Duci fuerit, ſuper hoc facultatem, libertatemque concedimus, ita videlicet, ut ad Nos, & Serenſſimos Succeſſores noſtros de eo primo deferatur, ſi talem oppignorationem vel permutationem acceptare voluerimus, ut tali oppignoratione vel permutatione nulla occaſio diſmembrationis a Republica eorum bonorum fiat. Et quoniam Conſtitutio 1736. vult, ut Inveſtiendus Dux onerata menſæ Ducalis bona, a debitis in rem & emolumentum Feudi eliberet, & hanc Conditionem Sereniſſimus Regius Princeps CAROLUS Curlandiæ, & Semigalliæ Dux explere tenebitur, idcirco referendo ſe ad Commiſſionem Gedani continuatam ex eadem Conſtitutione 1736. vim & robur ſumentem, & præcipue ad Articulum ſextum, providere obſtringitur, ne pluralitate Dotalitiorum vel Viduviorum generoſa proviſione bona Ducalia onerentur. Dabimus quoque operam, ſecundum Privilegium dictorum Divorum Anteceſſorum noſtrorum, ſi quando Ducatus Eſtoniae cum Civitate Revalienſi aliqua ratione ad Regnum noſtrum Poloniae adiungatur, ut Sereniſſimo Regio Principi CAROLO Duci Curlandiae, eiusque Hæredibus, et Succeſſoribus legitimis Maſculis de lumbis deſcenſuris æqua portio vel in bonis, vel in pecunia concedatur, ſumptibus in ea recuperatione factis, ante omnia Nobis refuſis; quod Punctum non ad convellenda Pacta & Tractatus, quæ inviolabiliter obſervare volumus, referendum eſt, ſed ut vigori, atque obſervationi Inveſtiturarum, in caſum inopinatum, quem Deus avertat, caveatur. Inſuper Sereniſſimo Regio principi CAROLO Dilecto Filio Noſtro Curlandiæ, & Semigalliæ Duci, Arces, Civitates, Oppida, Terras, Poſſeſſiones, una cum uſufructu integrali, ceſſantibus iam obſtaculis ante hanc Infeudationem robur tantum habentibus, de novo concedimus, iurisdictionemque totalem Ducatuum Curlandiae & Semigalliae, prout Privilegia Divorum Anteceſſorum noſtrorum favore præteritorum Illuſtriſſimorum olim Ducum obloquuntur, iuxta leges, & mores antiquos confirmamus, hoc eſt, qui Jurisdictioni Ducum ſubiecti, et ratione Domiciliorum ſubditi erunt, et manebunt, ad ſuum tantum Principem provocabunt, in cauſis tamen gravioribus, & maximi momenti, licebit Nobilitati a principe ſuo, prout de iure, et iuxta priorum Inveſtiturarum, tenorem provocare. Quoniam vero Sereniſſimus Regius Princeps CAROLUS Dilectus Filius noſter Curlandiæ, & Semigalliae Dux vigore Conſtitutionis An. 1736. exonerare bona menſæ Ducalis in rem

ANNO 1759.

ANNO 1759. rem, & emolumentum Feudi in ſe onus aſſumſit, hæcq; bona menſæ Ducalis per Kettlerianam Familiam ſunt debitis gravata, idcirco conſentaneum maxime duximus, ut Prætenſiones, quales ſuperſunt extra Ducatus, quas Duces ſtirpis Kettlerianæ habuerunt, Sereniſſimo Principi Regio CAROLO Duci Curlandiæ, & Semigalliæ cedant. Quapropter Prætenſiones Ducum olim ſtirpis Kettlerianae extra Ducatus ſive in ſummis pecuniariis, ſive ſint alterius naturae, omnes in Perſonam Sereniſſimi Regii Principis CAROLI Dilecti Filii Noſtri Curlandiae, & Semigalliae Ducis, transfundimus, vel in caſu, eius Succeſſoribus Maſculis de lumbis linea recta deſcenſuris, & repetitionem earundem facultatem damus, uti iam ſuarum propriarum, ac in uſum proprium convertendarum. Caverat etiam Divus SIGISMUNDUS AUGUSTUS Illuſtriſſimo olim Gotthardo de Kettler, cum ante ſexennali bello tam ſuæ Illuſtritatis, quam et Nobilitatis Curonienſis vires exhauſtæ eſſent, relaxata ut eſſet ſua Illuſtritas, et Nobilitas ab onere belli, et ut hoc ſaltim præſtarent, quod commode pro modulo ſuo poſſent, alio autem tempore eam habendam rationem, quam Illuſtriſſimi olim Ducis in Pruſſia. Divus vero STEPHANUS Prædeceſſor noſter, ſe quoq; pro eo bello, quod tum gerebat, iis copiis, de quibus cum Illuſtritate eius ſibi convenerit, contentum fore promittebat. Inpoſterum autem in vim perpetuæ obligationis Illuſtriſſimi olim Duces Curlandiae, & Semigalliae, ad obſervandum onus aſſumpſerunt, ut tempore expeditionis bellicae, unam cohortem Equitum, cum ſervitiis Equeſtribus Nobilium, quoties iis opus fuerit, intra fines Curlandiae, et Semigalliae præſtarent, & quoties vero publica aliqua neceſſitate bellica poſtulante, in Regno publicae contributiones decretae fuerint, toties Duces Curlandiae & Semigalliae ſummam decem millium florenorum Polonicalium in Theſaurum Reipublicae inferrent, hoc videlicet Pacto, quod licet una, ſive plures contributiones in Generalibus Comitiis ſciſcerentur, Duces Curlandiae, & Semigalliae in locum ſive unius, ſive plurium, prætactam decem millium florenorum Polonicalium ſummam, et non plus, accepta deſuper quietatione Dominorum Theſaurariorum ſolvere adſtricti eſſent. Secus vero ſi publica expeditione ſic exigente, Duces Curlandiae, & Semigalliae Vaſallagium Equitum cum ſuis Nobilibus miſiſſent, in hoc caſu pro eo tempore, etiamſi contributiones in Comitiis ſcitæ fuiſsent, liberi, et immunes Duces, a perſolvenda decem millium florenorum Polonicalium contributione fore. Cum vero Conſtitutio Anni 1736. poſt deceſſum ſtirpis Kettlerianae pro Re, & Intereſſe Reipublicae duo principaliter obiecta habuit ad continuationem in Curlandia & Semigallia Regimen Ducum, primum videlicet, ut eliberentur bona menſae Ducalis in rem & emolumentum Feudi ab oneribus, & ſubſidia militum augeantur, eaque ratione Commiſſionem 1727. prorogavit, quæ Gedani continuata loco unius Cohortis centum Equitum, duas Cohortes, unamquamque ex centum Equitibus compoſitam, vel loco Equitum quingentorum Peditum ſubminiſtrationem Articulo 4to. vix invenit, quare & Nos non poſſe ultra obligari Sereniſſimum Regium Principem CAROLUM Ducem Curlandiæ, & Semigalliæ cenſemus, videlicet, ut requirente Sereniſſimo Rege & Republica duas Cohortes Equitum, unamquamque ex centum Equitibus compoſitam, vel loco Equitum quingentos Pedites in vim ſubſidii militum ultra ſervitia equeſtria Nobilium ſecundum tenorem & modum antiquum ſtatuat. Quoniam vero tam Articulo ſexto ratione non gravationis bona Feudi pluralitate Dotalitiorum, & Viduviorum, quam & Articulo quarto, ratione ſubſidii militum Commiſſio anni 1727. Gedani (a) continuata Conſtitutionis 1736. mentem adimplevit, ideo & Nos hos duos Articulos Commiſſionis, prout iam Nos fuſius explicavimus, huic Diplomati Inveſtiturae adiungi & applicari volumus. Licetſi modernus rerum ſtatus tam longo annorum ſpatio elapſo ſit plene diverſus ab illo, qui ſub tempus Divi AUGUSTI, & Gotthardi de Kettler Primi Curlandiae, & Semigalliae Ducis fuit, neque aliqua ratio extat, quæ poſſit aliquam moleſtiam vel controverſiam moderno Duci adferre, vel eius Succeſſoribus Maſculis de linea recta deſcenſuris, quodſi tamen aliquando exoriri poſſit, Nos Regii Officii noſtri eſſe non ignoramus, defenſionem contra hoſtem omnem, præſtare, qualiscunque ille fuerit, quod & præſtabimus, & Succeſſores noſtri præſtabunt, Pariter quæcunq; Vaſalli, & Feudales Principes, erga ſuum naturalem, ſuperiorem, & directum Dominum fidelitatis, obſervantiæ, ſervitiorumque ſtudia, & officia præſtare tenentur, Sereniſſimus Princeps Regius CAROLUS Curlandiae, & Semigalliae Dux erga Nos, Regnumque noſtrum, & Magnum Ducatum Litvaniæ præſtabit, itidemque Haeredes legitimi in hoc Feu-

ANNO 1759.

(a) Continuationem huius Commiſſionis vide in Supplemento ad An. 1737.

ANNO 1759. Feudo Succeſſores præſtabunt. Nos quoque Sereniſſimum Principem Regium CAROLUM Dilectum Filium noſtrum Ducem Curlandiae, & Semigalliae, tum eius Succeſſores Maſculos recta linea de lumbis deſcenſuros, omni patrocinio, amore, & benevolentia ſupremi, directique Domini complecti, & in Juribus, Immunitatibus, & Privilegiis illorum ſervare tenebimur, et Succeſſores noſtri tenebuntur. Cum vero dies mortalium diſpoſitioni Dei omnipotentis ſubſunt, idcirco, quotieſcunq; copia aperturæ Feudi Ducatus Curlandiæ, & Semigalliæ fuerit, tum Succeſſores Maſculi linea recta de lumbis Sereniſſimi Regii Principis CAROLI Ducis Curlandiæ, & Semigalliæ memoratum Feudum a Nobis & Sereniſſimis Succeſſoribus noſtris Regibus Poloniae, uti naturalibus & directis Dominis petere, Juramentum fidelitatis & ſubiectionis præſtare, modo ſucceſſorio aggredi, & plenarie absque tamen omni Ducatus diſmembratione poſſidere, omnibusque Juribus Ducalibus realiter frui debebunt, attamen ut ea fidelitatis & obſequii officia, quæ a Vaſallis requiruntur, præſtent. In quorum omnium & ſingulorum fidem præſens Diploma manu noſtra ſubſcriptum Sigillis Regni, & Magni Ducatus Litvaniæ communiri iuſſimus. Datum Varſaviæ die 8. Menſis Januarii, Anno Domini 1759. Regni vero noſtri vigeſimo ſexto Anno.

Præſentibus Reverendiſſimo in Chriſto Patre Domino Adamo Ignatio a Liptow & Orawa Komorowſki, Archiepiſcopo Gneſnenſi, Regni noſtri Poloniæ, & M. D. Litvaniæ Primate, Primoque Principe, Legato Nato, Amodum Reverendis in Chriſto Patribus, Dominis Vladiſlao Lubinſki Archiepiſcopo Leopolienſi, Caietano Sołtyk nominato Epiſcopo Cracovienſi, Duce Severiæ, Reverendis in Chriſto Patribus Antonio Sebaſtiano Dembowſki Cuiavienſi, & Pomeraniæ, Staniſlao Grabowſki Principe Varmienſi, & Sambienſi, Antonio Wołłowicz Luceorienſi, Antonio Tyſzkiewicz Samogitiæ, Andrea Bajer nominato Culmenſi, Joſepho Andrea Załuſki nominato Kiioviensi, Hieronymo Szeptycki nominato Camenecenſi Podoliæ, Antonio Oſtrowſki Livoniæ, tum Epiſcopatus Cujavienſis nominato Coadiutore, Epiſcopis, Illuſtri Magnifico Michaele Principe Radziwiłł Palatino Vilnenſi, Supremo Exercituum M. D. L. Duce, Magnificis Antonio Dąmbſki Breſtenſi Cuiaviæ, Franciſco Saleſio Potocki Kiioviæ, Auguſto Principe Czartoryiſki Ruſſiæ, Joſepho Oſſolinſki Volhyniæ, Venceſlao Rzewuſki Podoliæ, atq; Campeſtri, Exercituum Regni Duce, Petro Sapieha Smolenſciæ, Antonio Principe Lubomirſki Lublinenſi, Caſimiro Rudzienſki Terrarum Maſoviae, Michaele Rzewuſki Podlachiae, Ludovico Plater Mſciſlavienſi, Michaele Czapſki Mariaeburgenſi, Joanne Jabłonowſki Braclavienſi, Paulo Moſtowſki Pomeraniæ, Joanne Hilzen Minſcenſi, Franciſco Szembeck Livoniae Palatinis, Michaele Sołtyk Sandomirienſi, Joanne Mączynſki Siradienſi, Andrea Moſzczenſki Junivladiſlavienſi, Victore Wereſzczynſki Lublinenſi, Adamo Brzoſtowſki Polocenſi, Joanne Chrebtowicz Novogrodenſi, Michaele Suffczynſki Cernenſi, Feliciano Trzcinſki Ravenſi, Joanne Zabiełło Mſciſlavienſi, Petro Branicki Bracławienſi Maioribus Caſtellanis. Magnificis Franciſco Bielinſki Regni, Ignatio Oginſki M. D. Litvaniae Supremis Mareſchalcis, Joanne Małachowſki Regni Poloniae, Michaele Principe Czartoryiſki M. D. Litvaniae Supremis Cancellariis, Reverendo in Chriſto Patre Michaele Wodzicki Regni, Michaele Sapieha M. D. Litvaniae Pro-Cancellariis, Georgio Mniſzech Mareſchalco Curiae Regni atque Generali Maioris Poloniae, Regni, & M. D. Litvaniae Miniſtris Status. Generoſis Ignatio Twardowſki Mederecenſi, Joſepho Głembocki Kruſvicienſi, Jaklinſki Oſviecimenſi, Adalberto Dąmſki Kovalienſi, Mathia Sołtyk Varſavienſi, Joanne Nowoſielſki Ciechanovienſi, Ignatio Cieſzkowſki Livenſi, Minoribus Caſtellanis, Reverendo Adamo Kraſinſki Regni Secretario Spirituali, Scholaſtico Gneſnenſi, atq; Tribunalis Regni Judiciorum Præſide, Generoſis Antonio Przezdziecki ſæculari Referendario M. D. L. Caſimiro Poniatowſki Succamerario Regni, Antonio Koſſowſki Curiae Regni, Joſepho Maſſalſki Curiae M. D. Litv. Theſaurariis, Hyeronymo Principe Radziwiłł Vexillifero M. D. Litvaniæ, Antonio Principe Lubomirſki Enſifero Regni, Hieronymo Wielopolſki Stabuli Regni Praefecto, Bernardo Gozdzki Culinae Regni Praefecto, Ioſepho Podoſki Culinae M. D. L Praefecto, Ioanne Maſſalſki M. D. Litvaniae Pocillatore, Ioanne Rzewuſki Subdapifero M. D. Litvaniae, Euſtachio Potocki Pincerna Regni, Staniſlao Principe Czartoryiſki Venatore Regni, Venerabili Gabriele Podoſki Spirituali Notario Regni, Ioſepho Soſnowſki Notario M. D. Litvaniae, Franciſco Rzewuſki, Notario Campeſtri Regni, Staniſlao Principe Lubomirſki Regni, Ludovico Pociey M. D. Litvaniae Excubiarum Supremis Praefectis, Ioanne Wielohurſki

ANNO 1759. ſki Supremo Caſtrorum Regni Metatore, Henrico Comite de Ocieſzyno Brühl Generali Artilleriae Regni, Intimo Status Saxonici Miniſtro, Theodoro Principe Lubomirſki Generali Lieutenante in Exercitu Regni, atq; Commendante Regiminis Equeſtris Gvardiae Regni, Ioſepho Skorzewſki Poſnanienſi, Horain Vilnenſi, Ioanne Borch Livoniæ, Wągrocki Zakroczimenſi Succamerariis, Andrea Malechowſki Naklenſi, Rocho Koſſowſki Siradienſi, Hyacintho Małachowſki Petricovienſi, Mathia Łuſzczewſki Lancicienſi, Ludovico Dąmbſki Iunivladiſlavienſi, Friderico Comite de Ocieſzyno Brühl Varſavienſi, Mathia Szymanowſki Viſogrodenſi, Joſepho Młocki Zakrocimenſi, Andrea Mokronowſki Ciechanovienſi, Theodoro Weſſel Rozanenſi, Joſepho Karczewſki Livenſi, Valeriano Łuſzczewſki Sochaczevienſi, Staniſlao Małachowſki Sandecenſi, Franciſco Principe Lubomirſki Biecenſi, Nicolao Małachowſki Opocznenſi, Michaele Rudzienſki Chęcinenſi, Adamo Principe Czartoryſki Camenecenſi, Podoliæ, Capitaneis in Regno Jurisdictionalibus, Antonio Małachowſki Cancellarida Regni, Henrico Comite de Ocieſzyno Brühl Capitaneo Bolimovienſi, Ioanne Chryſoſtomo Kraiewſki Inſtigatore, Staniſlao Grodzicki Vice-Inſtigatore Regni, Joſepho Dunin Karwicki Regente Maioris Cancellariæ Regni, aliisque quam plurimis Venerabilibus Archi-Cathedralibus, Cathedralibus, Prælatis, Canonicis, Generoſis Palatinatuum, Terrarum, Diſtrictuum Dignitariis, utpote Vexilliferis, Judicibus Terreſtribus, Dapiferis, Pocillatoribus, Subjudicibus Terreſtribus, Subdapiferis, Pincernis, Tribunis, Venatoribus, Notariis Terreſtribus, Enſiferis & Theſaurariis, tum utriusq; Authoramenti Militiæ Regni, & M. D. Litvaniæ, Generalibus, Colonellis, atque cæteris Officialibus, numeroſaque Generoſa Nobilitate, ad hunc Actum confluente, nec non Generoſis Antonio Brzozowſki Decretorum Curiæ Regni, Gedeone Jelenſki Decretorum Curiæ Magni Ducatus Litvaniæ Notariis, Adalberto Rakowſki Pocillatore Terræ Viſnenſis, Sigilli Maioris, Regni, Joſepho Dulęba Sigilli Maioris, Magni Ducatus Litvaniæ, Antonio Sikorſki Sigilli Minoris, Regni, Adamo Chmara Pocillatore Minſcenſi Sigilli Minoris, Magni Ducatus Litvaniae Secretariis, Ignatio Ludovico Nowicki Maiori Regni, Ioſepho Mikłaſzewicz Magni Ducatus Litvaniæ, Ioanne Nepomuceno Słominſki Minori, Regni, Metrices Præfectis, & Secretariis noſtris. ANNO 1759.

AUGUSTUS *Rex.*

(Locus Sigilli Maior. Regni.)

Adalbertus Rakowſki Pocillator Terræ Viſnenſis, Sigilli Maior. Regni Secretarius. mpp.

(Locus Sigilli Minor. M. D. L.)

Adamus Chmara Pocillator Palatinatus Minſcenſis, Sigilli Minoris M. D. Litvaniæ Secretarius. mpp.

FINIS TOMI V.

ERRATA.

Pagina 40 ad cũm lege ad eum, p. 130 abſolutione l. abſolutionem, p. 138 conductos l. conductus, p. 143 oppſito l. oppoſito, p. 148 er l. &, p. 152 & excom. l. ab excomun. p. 156 immeſcendo l. immiſcendo, p. 164 negotis l. negotiis, p. 168 An. 1506. l. An. 1508. p. 177 Aoſtolica l. Apoſtolica, p. 180 placida l. placita, p. 182 Livonæ l. Livoniæ, p. 193 tandum l. tandem, p. 200 prædictos l. præditos, p. 201 pededeſtrem l. pedeſtrem, p. 207 VI. l. IV. p. 215 ſatibus l. ſtatibus, p. 231 Vandaorum l. Vandalorum, p. 238 er l. &, p. 241 Illuſtritari l. Illuſtritati, p. 242 Alteri partes l. alteri parti, ibid. pari rationi l. ratione, ibid. Nos recipimus l. recepimus, p. 249 noſto l. noſtro, p. 250 arbitro l. arbitrio, p. 258 do donec l. donec, p. 269 indubitatatum l. indubitato, p. 277 Kizka l. Kiſzka, p. 297 exibebimus l. exhibebimus, ibid. incolumus l. incolumes, p. 333 eorundum l. eorundem, p. 336 ſigulis l. ſingulis, p. 338 poſint l. poſſint, p. 363 Geroſum l. Generoſum, p. 386 iurpes l. turpes, p. 387 beli l. belli, p. 414 num. CCXLIV. lib. 166. l. 156, p. 455 num. CLXX. circa homagium Ducatus l. Ducis, p. 472 Principi Jacobo l. Principis Jacobi.

INDEX CHRONOLOGICUS

LITERARUM, DIPLOMATUM, TRANSACTIONUM, DOCUMENTORUM, MONUMENTORUMQUE, QUAE IN HOC VOLUME CONTINENTUR.

Ad Ann. 1199. 5. Oct. *Epistola Innocentii III. Papæ, qua Saxones, & Westfalos hortatur, ut Livoniensem Episcopum, Clerum & Ecclesiam contra Paganos defendant. Dat. Laterani III. Nonas Octobris.* 1.

1209. *Literæ Alberti Rigensis Episcopi, quibus testatur Wisewolodum Regem de Berzika Rigam venisse, eandemque Urbem suam Berzika cum territorio, ac præterea Autinam, & Zeesowe, aliasque Civitates Ecclesiæ B. M. V. donasse, & acceptis tribus vexillis eadem bona sua ab Episcopo post præstitum ei fidelitatis Juramentum, in feudum recepisse. Actum in Cemeterio B. Petri in Riga Anno 1209. Ex Originali.* 2.

——— *Conventio inter Albertum Rigensem Episcopum, & Fratres Militiæ Christi de Terra Tolowe. Sine Dato. Ex Originali.* 2.

1211. 20. Oct. *Innocentii III. Papæ Confirmatio Compositionis inter Albertum Rigensem Episcopum, & Volquinum Magistrum, & Frates Militiæ Christi de possessionibus in Livonia factæ. Dat. Laterani XIII. Calend. Novembris. Pontificatus Anno tertio decimo Ex Archivo Regni.* 3.

——— 25. Jul. *Privilegium Alberti Rigensis Episcopi, quo Aream ad Construendum Monasterium Ecclesiæ, Cathedrali Rigensi assignat. Actum An. 1211. VIII. Calend. Aug. Pontificato Anno decimo quarto. Vide num. LXIV. Ann. 1391. sub tit.* Innovatio, & Confirmatio Privilegi Alberti *&c. fol. 101.*

1213. *Divisio Lettiæ inter Episcopum Rigensem, & Fratres Militiæ Christi. Ex Originali Sigil. 4.* 3.

Immutatio divisionis possessionum in Livonia inter Albertum Episcopum Rigensem, & Fratres Militiæ Christi facta. An. 1213. Ex Originali. 4.

——— 30. Oct. *Innocentius III. Papa commendat Saxonibus Episcopum Estiensem. Dat. Laterani III. Kalend Novembris. Pontificatus an. sexto decimo* 4.

——— 31. Oct. *Transumptum Literarum Innocentii III. PP. quibus objurgat Fratres Militiæ Christi, & minatur privationem gratiarum, & Privilegiorum, nisi Episcopum Estiensem defendant, & obsides illi dent. Dat Laterani II. Kalen. Nov. Pontificatus Anno sexto decimo. Ex Originali,* 5.

1216. 5. Dec. *Alienatio Decimarum, Terrarum, Domorum &c. ad Mensam Archiepiscopalem Rigensem pertinentium in certas tam Clericorum, quam Laicorum personas per Archiepiscopum Rigensem facta ab Honorio III. revocatur- Dat. Romæ Nonis Decem. Pontifi. an. primo. Ex Archivo Magni Duc. Litv.* 5.

1219. 25. Oct. *Honorius III. PP. designationem finium Diœcesis Seloviensis auctoritate Apostolica confirmat. dat. Viterbii Octavo Calend. Novem. Pontificatus anno quarto. Ex Originali* 6.

——— 1. Dec. *Sententia eiusdem, quod Electio Episcopi Rigensis pertineat ad Summum Pontificem, prout & alienatio rerum. Dat Laterani Kalen. Decemb. Pontificatus Anno quarto. Ex Archiv. MDL.* 6.

1222. 1. Jan. *Alberti Episcopi Rigensis Privilegium Commutations Ordinis Ecclesiæ Rigensis in Ordinem Præmonstratensium. Dat.*

in Capenbergh An. Domini 1222. Kal. Jan. Vide num. LIII. an. 1364. fol. 73. sub tit. Transumptum Literarum Alberti *&c.*

1224. *Collatio nonnullarum Terrarum Ecclesiæ Rigensi, pro damnis & laboribus in convertenda Estonia. Translatio Episcopatus Lealensis, & Limitatio eiusdem in Estonia. Compositio inter Hermanum Lealensem Episcopum, & Fratres Militiæ Christi an. 1224. facta, sub Transumpto Joannis Episcopi Lubicensis. Dat. in Lubeck d. 3. Maii an. 1519.* 6.

——— *Privilegium Henrici Rom. Regis Alberto Livonum Episcopo, Marchiam unam per totum ipsius Episcopatum cum Jurisdictione Regali concedentis. Dat. apud Nurenberg Kal. Decem. an. 1224. Vide num. XCVII. fol. 170. sub tit.* Transumptum Privilegii HENRICI Rom. Regis.

——— *Investitura Hermani Derpatensium Episcopi, per* HENRICUM *Rom. Regem. Dat. apud Nurenberg Kal. Decembr. an. 1224. Vide Supplementum num I. ad an. 1224.*

1225. *Honorius III. PP. Designationem finium Diœcesis Seloviensis confirmat. Datum*
14. Nov. *Laterani XVIII. Cal. Dec. Pontificatus anno nono. Ex Originali.* 10.

1226. *Albertus Livoniensis Episcopus auctoritate Literarum Honorii III. Papæ Lam-*
21. Mart. *berto Episcopo Selovienſi Seloviam resignanti totam Semigalliam attribuit. Dat in Riga an. 1226. duodecimo Kal. April. Ex Originali. Sigil. 2.* 10.

——— *Concordia inter Albertum Episcopum Li-*
20. April. *voniæ, & Magistrum Militiæ Christi de Decimis, & debitis quibusdam, auctoritate Vilhelmi Episcopi Mutinensis, Legati Apostolici facta, Dat in Riga Anno 1226. XII. Kal. Maii* 11.

1230. *Rigensium, & Fratrum Militiæ Christi Compositio cum Curonibus, qui semet ad Baptismum obligant, & ad pendendum tributum. Actum publice in Riga. an. 1230. Vide Supplem. Num II. ad annum 1230.*

——— *Pactum cum altera parte Curonum, de amplectendis Sacris Christianorum, Actum an. D. 1230. d. 28. Decem. Vide Ibid. num. III.*

1231. *Confirmatur a Summo Pontifice Electio*
8. April. *Episcopi Rigensis facta a Capitulo Rigensi, cassata Electione Archiepiscopi Bremensis. dat. Laterani VI. idus April. Pontificatus anno quinto. Ex Archivo Mag. D. Lit.* 12.

——— *Nicolaus Episcopus Rigensis tertiam par-*
9. Aug. *tem Osiliæ, Curlandiæ & Semigalliæ Civibus Rigensibus attribuit. Dat- anno 1231. V. Idus Augusti. Vide Supplem. n. IV. ad an. 1231.*

Gregorius IX. Papa concedit Vilhelmo 1234.
Legato Suo, ut Episcopatus Livoniæ
unire, & dividere, ac transferre valeat. 29. Feb.
Dat. Laterani II. Kal. Martii Pontificatus Anno septimo. Ex Originali. 12.

Ecclesiæ Rigensi, & Petri pro commodiore ———
Parochorum sustentatione adiiciuntur vi- 27. April.
ginti quinq; unci terræ, Dat. Rigæ. An. 1234. V. Cal. Mai. Ex Arch. MD Lit. 13.

Bulla Gregorii IX. Papæ, qua Ordinem 1237.
Militiæ Christi unit cum Ordine Fratrum Domus Teutonicorum. Dat. Vi- 14. Maii.
terbii secundo Idus Maii Pontificatus anno undecimo. Ex Originali. 13.

Vilhelmus Legatus Apostolicus profert ter- ———
minos Ecclesiæ Rigensis, & Limitat Diœceses Curonensem, & Semigallienſem Dat. in Riga. An. 1237. Ex Originali. 14.

Nicolaus Episcopus Rigensis cedit Ecclesiæ 1239.
suæ de quarta parte Insulæ Osmassare. Act. in Capitolio Rigensi An. 1239. Ex Originali. 15.

Alberti Archiepiscopi Rigensis Sententia, 1243.
qua spatium ad Aquilonem Monasterio adjacens ipsi Monasterio contra intentio- 10. Sept.
nem Civium Rigensium adjudicat. Actum Rigæ Anno. 1243. quarto Idus sept. Ex Arch Magni Duc. Litv. 15.

Innocentius IV. Limitationem Episcopatus 1247.
Rigensis a Vilhelmo Episcopo Sabinensi
Legato Apostolico factam confirmat. 14. Jul.
Dat. Lugduni secundo Idus Julii. Pontificatus Anno quarto. Ex Originali. 16.

Innocentius IV. Papa confirmat Cardina- 1251.
lium deputatorum Ordinationem, qua
Episcopatus Semigallienſis supprimitur, 14. Mart.
& Semigallia ad Episcopatum Rigensem adiungitur. Dat. Lugduni secundo Idus Martii, Pontificatus Anno octavo. Ex Originali. 17.

Nicolaus Episcopus Rigensis medietatem ———
partis in Semigallia a Summo Pontifice Episcopatui Rigensi adiunctæ, Ecclesiæ suæ donat. Dat. in Riga An. 1251. Pontificatus Anno vigesimo secundo. Ex Originali. 18.

Divisio Semigalliæ inter Archiepiscopum, 1254.
& Capitulum Rigense, & Fratres Ordinis Teutonici. Act. d. 4. Apr. Anno 1254. Ex Originali Sigil. 10. 19.

Innocentius IV. Papa approbat Donatio- ———
nem mediæ partis in Semigallia ab Archi- 28. Jan.
episcopo Capitulo Rigensi factam Dat. Laterani quinto Kalend. Febr. Pontificatus Anno undecimo. Ex Originali 19.

Concordia inter Albertum Archiepiscopum ———
Rigensem, Henricum Osilienſem, Henri- 12. Dec.
cum Curonienſem, Episcopos ab una, ac Magistrum, & Fratres Hospitalis S. Mariæ Teutonicorum ab altera parte, qua constituitur, ut Ordo Teutonicus in Livonia tam in Spiritualibus, quam in tem-

in temporalibus sit sub potestate Archiepiscopi, & Episcoporum. Dat. in Civitate Senonensi An. 1254. Ex Originali Sigil. 6. 20.

1268. *Pactum de non acquirendis, aut vendendis per Fratres Terris, ad Capitulum Rigense pertinentibus. Actum apud Thereydam An. 1268. Ex Originali.* 21.

——— *Pactum inter Capitulum, & Civitaem Rigensem de non obtinendis Romæ Rescriptis in præiudicium alterutrius partis. Dat. in Civitate Rigensi Anno 1268. Ex Originali Sigil. 3.* 21.

1292. *Confœderatio Magistri, & Fratrum Teutonicorum cum Joanne Archiepiscopo Rigensi, ac cessio tractus duorum milliarium circa Micow Archiepiscopo a Fratribus, & vicissim Donatio Insulæ in Districtu Vendensi ab Archiepiscopo Fratribus facta. Dat. apud Kokemburg An. 1292. Ex Originali.* 21.

——— *Resignatio Castri in Doleth, & quinquaginta uncorum in Livonia Episcopo*
1. Maii. *Tharbatensi a Joanne de Doleth facta. Datum, & actum in Choredia An. 1292. Kalend. Mai. Ex Originali.* 22.

1295. *Bonifacius VIII. Papa innovat Literas Honorii III. Estoniam, & Semigalliam*
10. Junii. *Archiepiscopo Rigensi confirmantis. Dat. Romæ apud S. Petrum IV. Idus Junii. Ex Originali.* 23.

1298. *Conventio inter Ericum Daniæ Regem, &*
12. Junii. *Archiepiscopum, ac Capitulum Rigense, qua Archiepiscopus Regi Daniæ Semigalliam cum Castris Nalexe, & Therake donat. Præfatus vero Daniæ Rex promittit se de Cruciferis pœnas sumpturum, quod, oppresso Capitulo, Archiepiscopum in vincula coniecerint. Dat. Korchinsburg. An. 1298. Ex Originali.* 24.

1300. *Transumptum Literarum Gregorii IX. quibus mandat Episcopo Mutinensi Apostolicæ Sedis in Livonia Legato, ne sinat Neophitos post susceptum baptismum a Fratribus Teutonicis in servitutem redigi. Dat. Laterani d. 8. Mart. Ex Originali.* 23.

1308. *Articuli pro informatione Pontificis a Procuratoribus Archiepiscopi Rigensis contra Magistrum, & Ordinem Teutonicorum in Livonia conscripti, deinde vero a Pontifice, Inquisitionis causa sub Bulla dati. Ex Originali.* 25.

1309. *Commissio Clementis V. Papæ ad inquirendum de Cruciferorum in Livonia maleficiis, quæ hic recensentur, nimirum: quod nonnullos Archiepiscopos Rigenses, qui fuerunt pro tempore, in vincula coniecerint, & de quatuordecim Ecclesiis Suffraganeis, septem totaliter sustulerint, septem alias usurpaverint, prædicationem Verbi Dei impediverint, Regnum Polochense, quod Rex Polochensis ad fidem conversus Ecclesiæ Rigensi contulerat, paganis, quibuscum amicitiæ Fœdus pepigerant, tradiderint, indeque Ecclesiæ illus Regni Cathedrales Colomensis, & Ruthenienſis sublatæ fuerint: alterius Regis paganorum ad fidem conversi Regnum a fide abduxerint, & Lechovienſem Ecclesiam Cathedralem, quæ in illo Regno erat, hoc modo de statu deiecerint, Populum Christianum Semigalliæ omnino deleverint, Nobiles eiusdem Terræ proditione occiderint, plus centum millia fidelium in Terras paganorum profugere compulerint. Vladislai Cracoviæ, ac Sandomiriæ Ducis Terram hostiliter ingressi, in Civitate Gdańsko decem millia hominum occiderint &c. Sequitur Mandatum de recipiendo Castro Dunemunde ab eis erepto. &c. Dat. Avinione d. 19. Junii Ex Originali.* 33.

Transumptum Bullæ Gregorii IX. Papæ, qua in Rigensem Ecclesiam Regulam Ordinis Premonstratensium inducit, & proventus, ac possessiones, quas enumerat, Fratribus eiusdem Ordinis confirmat. Dat. in Riga An. 1309. Ex Originali. 37.

Bulla Joannis XXII. Papæ, qua Confœ- 1317.
derationem, & Coniurationem Capituli Rigensis cum Fratribus Ordinis, ac Vasallis Diœcesis Rigensis factam rescindit. Dat. Avinione d. 21. Decemb. An. 1317. Ex Originali 38.

Idem committit Padvanensi, Osilienſi, ac 1330.
Tarbatensi Episcopis, ut auctoritate Apostolica, Magistro, & Fratribus iubeant, ut Castra, & bona Archiepiscopo & Capitulo Rigensi erepta, eisdem restituant. Dat. Avinione d. 7. Maii. An. 1330. Ex Originali. 40.

Transumptum Actus Avinionensis in Curia 1334.
Romana Avinione inter Archiepiscopum, & Capitulum Rigense, ac Magistrum, & Ordinem expediti de quibusdam bonis, & Castris, ac ipsa Civitate Riga a Magistro, & Fratribus capta, & de fructibus, ac damnis &c. Dat. Avinione An. 1334. d. 15. April. Ex Originali 44.

Recognitio Consiliariorum Regis Daciæ in 1343.
Esconia commorantium, quod Magistrum, & Ordinem Teutonicum in Livonia ad defensionem dictæ Terræ advocaverint, eique Castra Revaliæ, & Vesemberg tradiderint. Dat. & Act. Revaliæ An. 1343. Vid. Supl.. n. V.

Uromoldus Archiepiscopus Rigensis Do- 1350.
nationes Nicolai, & Joannis Prædecessorum suorum Ecclesiæ, & Capitulo Rigensi factas, validas, efficacesque habet

bet, donataque, & assignata eidem Ecclesiæ, & Capitulo restituit. Dat. & Act. Amnon, An. 1348. ipso die Beatorum Joannis, & Pauli Martyrum. Sigillatum in Castro Thoroydensi die 6. Jan. An. 1350. Ex Originali. Extat. in Arch. Cancel. Magni Duc. Lit 46.

1351. Magnus Sveciæ Rex testatur se Archiepiscopum, & Ecclesiam Rigensem commendante Clemente VI. Papa in protectionem suscepisse. Dat. in Castro Helsingborgh d. 17. Sept. An. 1351. Ex Originali. 47.

1352. Bulla Innocentii VI. Papæ, qua Mandat Arosien. & Lincopen. ac Osloen. Episcopis, ut cum brachii sæcularis invocatione Civitatem Rigensem ex manibus Magistri Livoniæ eripiant, Et Archiepiscopo Rigensi restituant. Dat. apud Villam Novam, d. 12. Aug. An. 1352. Ex Originali. 48.

1354. Magni Arosiensis Episcopi auctoritate Apostlica Mandatum ad omnes Archiepiscopos, & Episcopos, ut Magistrum, & Fratres in Livonia nolentes tradedere Archiepiscopo Rigensi Civitatem Rigam pro excommunicatis denuntient, & publicent. Dat. in Castro Lealis d. 23. Octobr. An. 1354. Ex Originali 53.

1360. Stephani Archiepiscopi Arelatensis Executoris Sententiæ Francisci Cardinalis Mandatum ad Magistrum, & Ordinem Crucigerorum in Livonia, ut intra sex dies Civitatem Rigensem Archiepiscopo Rigensi tradant, cum Constitutione Subexecutorum ad ulteriorem executionem. Actum d. 9. Maii An. 1360. Ex Originali. 56.

—— Innocentius Papa VI. committit Archiepiscopo Arelatensi, nec non Arosiensi, & Tarbatensi Episcopis, ut Cives Rigenses a Juramento fidelitatis Ordini Crucigerorum præstito absolvant. Dat apud Villam Novam d. 17. Aug. An. 1360 Ex Originali 60.

—— Idem Donationes certorum Bonorum a Nicolao Episcopo, & Joanne Archiepiscopo Rigensibus Capitulo Rigensi factas confirmat. Dat. apud Villam Novam d. 17. Aug. An. 1360. Ex Archivo Magni Ducatus Litvaniæ. 61.

—— Stephani Arelatensis Archiepiscopi Executoris Sententiæ Francisci Cardinalis Requisitio, & Mandatum ad Crucigeros de reddenda Archiepiscopo Rigensi intra dies triginta Civitate Rigensi, cum Constitutione Subexecutorum ad ulteriorem Executionem. Act. & Dat. infra fortalitium Castri Sellonensis d. 25. Aug. An. 1360. Ex Originali 65.

1361. Sententia ex Commissione Apostolica lata de Appellationibus Ordinis, a gravaminibus Processuum Archiepiscopi Arelatensis Executoris Sententiæ, de redenda Archiepiscopo Rigensi Civitate Rigensi. Dat. An. 1361. d. 26. Febr. Ex Originali. 69.

Interdictum in Civitatem Rigensem, ob non —— admissam Possessionem Archiepiscopi Rigensis, per Joannem Decanum Lubicensem Subexecutorem Mandati Apostolici latum Dat. & Act. in Civitate Lubicensi d. 26. Novembr. An. 1361. Ex Originali. 71.

Literæ Uromoldi Archiepiscopi Rigensis, 1362. quibus Insulam Ostinhusen Capitulo suo certis conditionibus donat. Dat & Act. Lubeke d. 20. Julii. An. 1362. Ex Archivo Magni Duc. Litv. 72.

Transumptum Literarum Alberti Episcopi 1364. Rigensis Commutationis Ordinis Ecclesiæ Rigensis, in Ordinem Premonstratensium, sub Titulo, & Sigillo Joannis Episcopi Tharbatensis. Dat. & Act. in Castro Tharbatensi d. 14. Januarii, An. 1364. Ex Originali. 73.

Privilegium Caroli IV. Imp. quo cassatio- 1366 nem statutorum in præiudicium personarum Ecclesiasticarum a quibusdam Magistratibus latorum, An. 1359. a se factam, ad Archiepiscopum etiam, & Canonicos Rigenses extendi debere declarat. Dat. Pragæ An. 1366. d. 18. April. Ex Archivo Magni Ducatus Litvaniæ. Vide fol. 178. N. C. sub tit. Transumptum Literarum Caroli IV. Imp. &c.

Urbanus V. Papa indulget Archiepiscopo, —— & Capitulo Rigensi, ne vel coniunctim, vel divisim inviti ad iudicium evocentur. Datum Romæ apud S. Petrum 26. April. Ex Archivo Magni Duc. Lit. 74.

Carolus IV. Imp. confirmat Privilegia —— Archiepiscopatus Rigensis, eiusque defensionem, Daniæ, Sveciæ, Norvegiæ, ac Poloniæ Regibus, nec non Stetinensi, & Magnopolensi Ducibus committit, cum potestate procedendi, compescendi, & compellendi vice, & Auctoritate Cæsarea &c. Dat. Pragæ An. 1366. die 23. Apr. Ex Originali. 75.

Pax Latrunculorum inter Vilhelmum Ma- 1367. gistrum Ordinis, & Olguerdem, ac Keystuten Reges Lethoviæ inita. Dat. Rigæ An. 1367. die Dominica ante Fe. S. Martini. Ex Originali Sigil. 2. 78.

Urbani VI. Papæ Deputatio in Conser- 1379. vatores, & Judices Archiepiscopo Rigensi, Episcoporum Tarbatensis, Razeburgensis, Haulbergensis ad decennium. Dat. Romæ d. 9. Aug. An. 1379. Ex Originali 79.

Induciæ inter Magistrum Livoniæ, & 1380. Magnum Regem Lettoviæ Jagellonem cum exclusione Regis Keystuten, & Terræ Samo-

Samogitiæ. Dat. in Castro Rigæ. An. 1380.. Ex Originali. 80.

1385. *Instrumentum Actus Judiciarii in Conventu Vasallorum Ecclesiæ Rigensis habiti, de non petita intra tempus legitimum Investitura Feudi paterni, & reconciliatione eiusdem cum Archiepiscopo. Act. An. 1385. d. 10. Januarii Ex Originali Sigil. 3.* 80.

1387. *Transumptum Literarum Joannis Papæ XXII. quibus designantur Conservatores, & Judices Magistro, & Ordini Teutonico in Livonia, Colonienſis, & Magdeburgenſis Archiepiscopi, ac Episcopus Traiectenſis. Dat. & Act. Grispeswald. An. 1387. d. 25. Febr. Ex Archivo Magni D. Litv.* 83.

1389. *Bonifacius PP. IX. innovat Literas Alexandri IV. quibus possessiones, quas enumerat, ac Episcopatus subiectos, nec non prærogativas Archiepiscopales Archiepiscopatus Rigenſis confirmat, sub alia renovatione Clementis IV. Dat. Romæ. d. 10. Junii An. 1389. Ex Originali.* - - - 90.

1390. *Aggravatio Magistri, & Fratrum Ordinis Teutonici in Livonia, quod post latam Sententiam de reddenda Archiepiscopo Rigenſi, Civitate Rigenſe, triginta annis Sententiam Excommunicationis sustinuerint. Dat. Romæ die 10. Novemb. An. 1390. Ex Originali.* 92.

1391. *Bonifacius PP. IX. Sibiricenſi, & Zvernenſi Episcopis committit, ut Decretum in causa inter Capitulum Rigenſe, & Proconsules, ac Communitatem Civitatis Rigensis latum, executioni mandent. Dat. Romæ apud S. Petrum d. 3. Octob. An. 1391. Ex Archivo M. D. Lit.* 97.

——— *Innovatio, & Confirmatio Privilegii Alberti Rigenſis Episcopi, quo aream ad construendum Monasterium, Ecclesiæ Cathedrali Rigensi assignavit, per Joannem Archiepiscopum Rigenſem facta. Dat. & Act. in Civitate Lubicensi. An. 1391. die 5. Junii. Ex Archivo Magni Ducatus Litvaniæ.* 101.

——— *Bonifacius PP. IX. prohibet alienationes Feudorum; & Bonorum in terris Archiepiscopatus, & Capituli Rigenſis, extra Dominium Ecclesiæ Rigensis, sub Censuris Ecclesiasticis. Dat. Romæ d. 10. Maii. An. 1391. Ex Originali.* 103.

1392. *Edictum publicum Citationis in Curiam Romanam Hermanni Vasalli Archiepiscopatus Rigensis, & Magistri, ac Fratrum Ordinis, quod Hermannus Castrum Ixkul Feudi Archiepiscopatus Rigensis, Magistro, & Ordini tradiderit, ipsique illud sic occupatum detinerent, per Franciscum Tit. S. Zuzannæ Cardinalem, Judicem, & Commissarium promulgatum. Dat. Romæ d. 27. Junii An. 1392. Ex Originali.* 104.

——— *Venceslai Rom. & Bohemiæ Regis Literæ ad Præpositum, & Capitulum Rigenſe, quibus eis mandat, ut exemplo Joannis sui Archiepiscopi de Controversiis cum Magistro, & Fratribus per Livoniam, in eum compromittant. Dat. Pragæ d. 2. Maii. An. 1392. Ex Originali.* 107.

1393. *Privilegium Venceslai Rom. Regis, quo Joannem Archiepiscopum Rigenſem, eiusque Ecclesiam, Prælatos, & Clericos, nec non Bona ipsius universa, in suam, Imperiique Sacri protectionem, tuitionem, & salvam guardiam suscipit. Dat. in Mandito, An. 1393. d. 30. Januar. Ex Archivo Magni Ducatus Lit. Vide fol. 172. nro XCVIII. sub. tit.* Transumptum Privilegii Venceslai Rom. Reg.

1394. *Venceslaus Rom Rex committit Swantiborio Duci Stetinenſi, ut Electionem, & Postulationem Filii sui Ottonis Senioris ad Ecclesiam Rigenſem conservet, & eum in possessionem bonorum dictæ Ecclesiæ, amotis inde detentoribus quibusvis inducat. Dat. Pragæ d. 9. Nov. An. 1394. Ex Originali.* 108.

1395. *Literæ Venceslai Rom. Regis, quibus Privilegia ab Antecessoribus suis Ecclesiæ Metropolitanæ Rigensi concessa innovat, & confirmat, eiusque tuitionem, Daciæ, Sveciæ Norvegiæ, Poloniæ, Regibus, &c. commendat. Dat. Pragæ An. 1395. d. 14. Mart. Vide fol. 175. N. XCIX. sub tit.* Transumptum Literarum Venceslai Rom. Regis &c.

1396. *Eiusdem alteræ Literæ ad eundem in eodem negotio. Dat. Pragæ feria tertia proxima post diem Palmarum An. 1396. Ex Originali.* 108.

——— *Idem committit defensionem Theodorici Episcopi, & Ecclesiæ Tarbatensis adversus Crucigeros eidem Swantiborio Duci Stetinensi. Dat. Pragæ feria tertia proxima post diem Palmarum, An. 1396. Ex Originali.* 109.

1399. *Transumptum Literarum Friderici Archiepiscopi Rigenſis, de Concordia inter Magistrum, & Ordinem, ac Civitatem Rigenſem, per Isarnum Archiepiscopum Lindenſem, Sveciæ Primatem An. 1304. facta. Dat. & Act. in Civitate Lubicenſi An. 1399. d. 12. Maii. Ex Autentico, quod extat in Archivo Thesauri Regni.* 109.

1423. *Literæ Martini PP. V. quibus Henningum a Capitulo Rigenſi Electum Archiepiscopum Rigenſem confirmat. Dat.*

Romæ d. 15. Octob. An. 1423. Ex Originali. 112.

——— *Idem abrogat Privilegium per Bonifacium IX. Ordini Theutonico in Livonia conceſſum, quo ille Eccleſiam Rigenſem, & alias Ditiones Hoſpitalis iure Dominii, cum certis prærogativis eidem Ordini attribuerat. Dat. Romæ. d. 22. Decemb. An. 1423. Ex Originali.* 113.

1424. *Idem committit executionem Abſolutionis Rigenſium, a Juramento Ordini præſtito, Archiepiſcopo Arelatenſi, & Aroſienſi, Tarbatenſique Epiſcopis. Dat. Romæ. d. 12, Maii. An. 1424. Ex Originali.* 115.

1425. *Decretum ex Commiſſione Sedis Apoſtolicæ contra Magiſtrum, & Ordinem Theutonicum in Livonia latum, quo Civitas Rigenſis Archiepiſcopo, & Capitulo Rigenſi addicitur, & pœnæ conſtituuntur in eos, qui Sententiæ huic contravenerint. Dat. & Act. in Palatio Bonomen. d. 24. Octob. An. 1425. Ex Originali.* 116.

1426. *Henningus Archiepiſcopus Rigenſis, præſtito Sigismundo Rom. Regi fidelitatis Juramento, infeudatur. Dat. in Tatha. d. 15. Maii. An. 1426. Ex Archivo Magni Ducatus Litvaniæ.* 131.

1430. *Proteſtatio Theodorici Epiſcopi Tarbatenſis, quod ſi quid dixerit, aut fecerit, contra Ordinationem Papæ de reſtitutione Regulæ S. Auguſtini in Eccleſia Rigenſi, id non faciet ſponte, ſed metus cauſa. Dat. in Voldomer. d. 14. Oct. An. 1430. Ex Originali.* 132.

1434. *Citatio Magiſtri, & Fratrum Ordinis Theutonici in Livonia ad Concilium Baſilienſe, quod Ordinem S. Auguſtini de Eccleſia Rigenſi vi dimovere, & eum Ordini ſuo Teutonico incorporare nixi fuerint. Dat. Basileæ. d. 19. Mart. An. 1434. Ex Originali.* 133.

1435. *Literæ Concilii Baſiliensis, quibus Eccleſiam Rigenſem protectioni Regis Poloniæ commendat. Dat. Baſileæ 29. Mart. An. 1435. Ex Originali.* 134.

——— *Concilium Baſilienſe hortatur Archiepiſcopum Rigenſem, ut vigore Commiſſionis a ſe Epiſcopo Tarbatensi, & Oſilienſi factæ, lites, & contentiones cum Magiſtro, & Ordine Teutonicorum in Livonia, per Concordiam finiri patiatur. Dat. Basileæ 24. April. An. 1435. Ex Archivo M. D. Litvaniæ.* 135.

1454. *Tranſactio inter Archiepiſcopum Rigenſem, & Magiſtrum, ac Ordinem Domus Theutonicorum Jeroſolimitanorum ratione Civitatis Rigenſis utrinque facta ea lege, ut ad utrumque ipſorum Civitas Rigensis pertineat, a Nicolao Pontifice Romano confirmatur. Dat. Romæ d. 17. Januar.. An. 1454. Ex Archivo Magni Ducatus Litvaniæ.* 136.

Ordinatio Limitum inter Litvaniam, & Livoniam, per Commiſſarios ab utraque parte conſtitutos facta, Dat. An. 1473. feria quarta ante Kiliani. Ex Archivo Magni Duc. Litv. Lib. N. 6. fol. 279. 142. 1473.

Tranſumptum Bullæ Sixti Papæ IV. qua committit Tarbatenſi, & Vilnensi Epiſcopis executionem Literarum Innocentii VI. & Martini V. quarum vigore Civitas Rigensis, amotis inde Magiſtro, & Fratribus Ordinis Teutonici ad Archiepiſcopum, & Capitulum Rigenſe, tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus pleno iure pertinere debet. Dat. Tarbato in Caſtro Eccleſiæ noſtræ. An. 1475. d. 29. Julii. Ex Archivo Magni Duc. Litv. 143. 1475.

Bulla Sixti PP. IV. qua Archiepiſcopum Rigenſem Sylveſtrum a detentione liberandum, atque in adminiſtratione, & regimine Ecclesiæ, & Civitatis Rigensis conſervandum decernit, ipſo Magiſtro, Coadiutoribus, & Fratribus ſuis, quorum ſcelera recenſet, ſententiæ Excommunicationis ſubiacentibus. Dat. Romæ d. 19. Auguſti An. 1479. Ex Originali. 146. 1479.

Literæ Sixti PP. IV. quibus committit Vladiſlaviensi, Tarbatensi, ac Oſiliensi Epiſcopis, ut Stephanum, quem ex Troianenſi ad Rigenſem Eccleſiam tranſtulit, in poſſeſſionem Eccleſiæ, & Civitatis Rigensis inducant, amotis ab ea Magiſtro, & Ordine Theutonico. Dat Romæ d. 31. Julii An. 1480. Ex Originali. 153. 1480.

Sixtus PP. IV. Stephanum Archiepiſcopum Rigenſem Apoſtolicæ Sedis cum poteſtate Legati de Latere Nuntium. & Commiſſarium, ac Generalem Collectorem, & Receptorem fructuum, redituum &c. in Rigenſi, & Revaliensi Provinciis conſtituit. Dat. Romæ d. 14. Julii An. 1482. Ex Archivo Magni Ducatus Litvaniæ. 154. 1482.

Sixtus PP. IV. concedit Stephano Archiepiſcopo Rigenſi, ut pro faciliore bonorum ab inimicis Eccleſiæ ſuæ ereptorum recuperatione, a Suffraganeis, & aliis perſonis Eccleſiaſticis, Sæcularibus, & Regularibus ſubſidium petere, & recipere poſſit. Dat. Rom, d. 14. Julii An. 1482. Ex Archivo M. D. Lit. 156. ———

Sixtus PP. IV. Stephanum Archiepiſcopum Rigenſem Apoſtolicæ Sedis cum poteſtate Legati de Latere Nuntium, & Commiſſarium in Livoniam, propter tutelam, & defenſionem Livonum, ac averſionem inſultuum Ruthenicorum ablegat ———

ablegat. Dat Romæ d. 14. Julii, An. 1482. Ex Archivo M. Duc. Litv. 157.

1484. Sixtus PP. IV. significat Capitulo Rigensi, Archiepiscopatum Rigensem a se cuidam Michaeli nomine, Electo Rigensi collatum esse. Dat. Romæ d. 4. Junii An. 1484. Ex Archivo Magni Ducatus Litvaniæ. 159.

1501. Unio, & Confœderatio inter Alexandrum Magnum Ducem Litvaniæ, & Voltherum de Plettenberg Magistrum Livoniæ contra Iwan Wasiłowicz Magnum Ducem Moschoviæ, ad decennium inita. Actum in Castro Wexden feria secunda proxima ante Festum Nativitatis Sancti Joannis Baptistæ. An. 1501. Ex Archivo Magni Duc. Litv. 159.

1502. Transumptum Literarum Concilii Basilien-sis, quibus Episcopo Raceburgensi, nec non Tarbatensis, & Colbergensis Ecclesiarum Præpositis mandat, ut Archiepiscopum Rigensem, Præpositum, Decanum &c. in bonis, ac possessionibus ad eos pertinentibus conservent. Dat. & Act. Raceburg. 18. Julii An. 1502. Ex Archivo Magni Ducatus Litv. 162.

——— Literæ Alexandri Regis Poloniæ ad Magistrum Livoniæ, de negotio Pacis ineundæ cum Duce Moscoviæ. Dat. Vilnæ d. 7. Decemb. An. 1502. Ex Archivo Magni Ducatus Litv. 164.

1505. Designatio Commissariorum cum plena potestate, ad constituendos Limites inter Magnum Ducatum Litvaniæ & Terras Livoniæ. Dat. Grodnæ in Conventione Generali feria secunda infra Octav. Nativ. Domini An. 1505. Ex Archivo Magni Ducatus Litv. 165.

1506. Prohibitiones oppignorationum Domorum, a Civibus Rigensibus Archiepiscopo, & Capitulo Rigensi fieri solitarum, inposterum per Archipræfectum, & Consulatum Civitatis Rigensis non esse faciendas. Act. in Castro Lanzel d. 28. Junii An. 1506. Ex Archivo Magni Ducatus Litv. 166.

1508. Julii II. PP. Sententia, qua decernit, ad Præpositum, Decanum, & Capitulum Rigense, Electionem Archiepiscopi Rigensis pertinere. Dat. Romæ d. 5. April. An. 1508. Ex Originali. 168.

1509. Idem Revaliensi & Tarbatensi Episcopis nec non Officiali Rigensi mandat, ut Divisionem inter Canonicos Rigenses factam inviolabiliter servari curent. Dat. Romæ d. 9. Junii An. 1509. Ex Originali. 169.

1519. Transumptum Privilegii Henrici Rom. Regis, Alberto Livonum Episcopo Marchiam unam per totum ipsius Episcopatum Livoniæ, cum Jurisdictione Regali concedentis. Dat. & Act. in Curia Lubicensi d. 3. Maii. An. 1519. Ex Archivo Magni Ducatus Litvaniæ. 170.

Transumptum Privilegii Venceslai Rom. ——— Regis An. 1393. dati, quo Joannem Archiepiscopum Rigensem, eiusque Ecclesiam, Prælatos, & Clericos, nec non bona ipsius universa, in suam, Imperiiq; Sacri protectionem, tuitionem, & salvam gvardiam suscipit. Dat. & Act. Lubeck d. 3. Maii. An. 1519. Ex Archivo Magni Ducatus Litvaniæ. 172.

Transumptum Literarum Venceslai Rom. ——— Regis, quibus Privilegia ab Antecessoribus suis Ecclesiæ Metropolitanæ Rigensi concessa innovat, & confirmat, eiusque tuitionem Daciæ, Sveciæ, Norvegiæ, Poloniæ Regibus, &c. commendat. Dat & Act. Lubeck d. 3. Maii. An. 1519. Ex Archivo Magni Ducatus Litvaniæ. 175.

Transumptum Literarum Caroli IV. Imp. ——— quibus cassationem Statutorum in præiudicium Personarum Ecclesiasticarum a quibusdam Magistratibus latorum, An. 1359. a se factam, ad Archiepiscopum etiam, & Canonicos Rigenses extendi debere declarat. Dat. & Act. Lubeck, d. 3. Maii. An. 1519. Ex Archivo Magni Ducatus Litvaniæ. 178.

Diploma Alberti Marchionis Brandeburgensis Valtero Ordinis Teutonici in Livonia Magistro, Ordinisque Præpositis datum, quo eis concedit facultatem, & plenam potestatem Ordinis Magistri eligendi, & constituendi. Dat. Regiomonti d. 29. 7bris An. 1521. Ex Tabulario Illustris. D. Josephi Comitis Zatuski Episcopi Kijoviensis. 182. 1521.

Divisionis bonorum communium inter Canonicos Rigenses, authoritate Michaelis Archiepiscopi Rigensis institutæ, & a Julio II. Papa confirmatæ Ordinatio per Jasperum Archiepiscopum Rigensem facta, cum erectione duorum stipendiorum &c. Dat. in Castro Uxkul d. 6. Octob. An. 1522. Ex Archivo Magni Ducatus Litvaniæ. 183. 1522.

Responsum Nomine S. R. Majestatis datum Reverendissimo Domino Archiepiscopo Rigensi. Varsaviæ d. 7. Sept. An. 1526. Ex Archivo Regni. Lib. Legationum Lit. E. fol. 360. 185. 1526.

Instructio Legationis Nomine Sigismundi I. Regis Poloniæ in Consilio eius secreto ad Archiepiscopum Rigensem data. Ex Archivo Regni. 186. ———

Sigismundi I. Regis Poloniæ causam Rigensis Archiepiscopi agentis ad Valterum Magistrum Ordinis Literæ. Ex Archivo Regni Lib. Legationum Lit. E. fol. 250. 186. ———

——— *Instructio Legationis ad Valterum Magistrum, & omnes Status Livoniæ Nomine Sigismundi I. Regis in consilio Eius secreto data. Ex Archivo Regni Cracovien. Extat. in Archivo Cancel. Regni. Lib. Legat. Lit. E. fol. 285.* 187.

1535. *Sigismundi I. Regis Poloniæ ad Vilhelmum Marchionem Brandeburgensem, Coadiutorem Rigensem, & Postulatum Osiliensem Literæ. Dat. Vilnæ 13. Maii. An. 1535. Ex Archivo Magni Ducatus Litvaniæ.* 188.

——— *Sigismundus I. Rex Poloniæ ad Hermanum de Brugenney Hasenkamp Magistrum Livoniæ, ut ad audiendum Legatum suum, quem pro sopiendis Livonicis dissidiis missurus est, Conventum Ordinum agat. Dat. Vilnæ d. 13. Maii An. 1535. Ex Archivo Regni.* 188.

——— *Legatio a Sigismundo I. Rege Poloniæ missa ad Magistrum, & Ordines Livoniæ.* 188.

——— *Innovationem, & Reformationem Limitum inter Magnum Ducatum Litvaniæ, & Terras Livoniæ cum ob diversitatem Mandatorum perficere Commissarii ad id deputati non potuerint, operam daturi sunt, ut ab utraque Parte alii assignentur. Interea vero sopitæ debent esse inter subditos utriusque Partis controversiæ, Judicesque ad eas dirimendas constituendi &c. Dat. in Kurczmy An. 1535. Ex Archivo Magni Ducatus Litvaniæ.* 189.

1539. *Sigismundus I. Rex Poloniæ ad Hermanum Magistrum Livoniæ, ut Civitatem Rigensem communem cum Archiepiscopo Rigensi habeat. Dat. Cracoviæ d. 11. Octob. An. 1539. Ex Archivo Regni Lib. Legat. Lit. H. fol. 151.* 190.

——— *Eiusdem ad Rigenses, ut authoritatem Archiepiscopi agnoscant, ad cuius Dominium pertinent. Indidem.* 190.

1540. *Deputantur certi Commissarii a Sigismundo Poloniæ Rege, propter limites, ac terminos constituendos inter Terras Litvaniæ, & Livoniæ, litesque, & controversias inter utriusque Partis subditos componendas. Dat. Vilnæ d. 24. Decemb. An. 1540. Ex Archivo Magni Ducatus Litvaniæ.* 191.

1541. *Instauratio, & Renovatio limitum inter Litvaniam, & Livoniam per Commissarios ab utraque parte destinatos facta. Dat. in Rakiski d. 25. Jan. An. 1541. Ex Archivo M. D. Litv.* 192.

1545. *Hermanni Ordinis Teutonici in Livonia Magistri Literæ plenæ Potestatis Oratoribus suis datæ ad tractandum cum Sigismundo Augusto Rege Poloniæ de Pace perpetua, ac ad impetrandos Commissarios pro controversiis limitum componendis. Dat. Vendæ Dominica Reminiscere An. 1545. Ex Archivo Magni Ducatus Litvaniæ.* 195.

Literæ Archiepiscopi Rigensis ad Maiestatem Regiam Poloniæ, promissum auxilium implorantis. Dat. ex Arce Kokenhausen d. 9. Junii An. 1556. Ex Archivo Regni Lib. Legat. Lit. P. fol. 509. 196. 1556.

Literæ Rigensium ad Sacram Regiam Maiestatem Poloniæ. Dat. die Sabbathi post Festum Visitationis B. M. V. Ex Arch. Magni Ducatus Lituaniæ. 197. ———

Supplex Libellus Legati Livonici Ferdinando Rom. Regi contra Archiepiscopum Rigensem exhibitus. Ex Archivo Regni Lib. Legat. Lit. O. fol. 387. 197. ———

Responsum Serenissimi Rom. Regis ad supplicem Libellum Legati Livonici. Indidem fol. 388. 198.

Omnium Controversiarum, & Contentionum Reverendissimi in Christo Patris, Principis, ac Domini, Domini Gvilhelmi Dei Gratia Archiepiscopi Rigensis, Marchionis Brandeburgensis &c. vera, & dilucida narratio, plenaque, & facilis explicatio, tum ad querelam, & accusationem Oratorum Magnifici, & Reverendissimi Domini Henrici a Galen Ordinis Teutonici per Livoniam Magistri, responsio. Indidem fol. 388. 198. ———

Resolutiones Regis Rom. super consultationibus Electorum, Principum, & reliquorum Romani Imperii Statuum in causa Livonum. Ex Archivo Regni, Lib. Legat. Lit. P. fol. 563. 203. ———

Formula Induciarum Livoniensium. Dat. in Venden Dominica post Decollationis S. Joannis. An. 1556. Ex Archivo Regni Lib. Legat. Lit. O. fol. 362. 204. ———

Instructio Nomine S. R. Maiestatis ad Henricum de Galen Livoniæ Magistrum Generoso Samostrzelski data. Ex Archivo Regni. 204. ———

Responsum S. R. Maiestatis Poloniæ super negotio Livonico Regiæ Rom. Maiestati datum. Ex Archivo Regni Lib. Legat. Lit. O. fol. 379. 205. ———

Mandata Legatis Statuum Livoniæ, Vilnam die Dominico post Decollationis S. Joannis An. 1556. a Magistro Ordinis transmissa, coram Sacra Regia Maiestate Poloniæ exponenda. Ex Archivo Magni Duc. Lit. 207. ———

Ferdinandi Rom. Regis ad Sigismundum Augustum Regem Poloniæ in negotio Livonico Literæ. Dat. Viennæ d. 1. Octobr. An. 1556. Ex Originali. Extat in Archivo Cancel. Regni. Lib. Legat. Lit. O. fol. 373. 209. ———

Transactio inter S. R. Maiestatem Poloniæ, & Magistrum, ac Status Livoniæ. 1557.

Bona omnia mobilia, & immobilia Archiepiſcopo Rigenſi, ita ut ab eo, antequam in poteſtatem Magiſtri, & ſtatuum Livoniæ redigerentur, poſſeſſa fuerunt, reſtituentur, ac interea ſequeſtri, communi conſenſu eligendo tradentur, donec bellum inter Regem Poloniæ Protectorem Archiepiſcopatus Rigenſis, & Magiſtrum Livoniæ ſopitum fuerit. Chriſtophorus Dux Megapolienſis, ſi vel morte, vel ceſſione ipſius Archiepiſcopi ad Archiepiſcopatum evectus fuerit, legitimus Archiepiſcopus agnoſcetur &c. Dat. Poſvolii ex Caſtris Regiis d. 5. Sept. An. 1557. Cum Ratificatione Vilhelmi Furſtembergii Magiſtri Livoniæ facta ibidem in Caſtris Regiis d. 14. Sept. Ex Archivo Magni Ducatus Litvaniæ. 210.

——— *Conditiones Pacis inter S. R. Maieſtatem Poloniæ, & Magiſtrum Livoniæ, de reſtitutione in integrum Archiepiſcopi Rigenſis initæ. Urbes omnes, Arces, Præſidia, fructus, & reditus dicto Archiepiſcopo cum omni Jurisdictione, Superioritate, & Dominio reſtituentur. Commiſſarii iurati, qui Limites inter Litvaniam, & Livoniam conſtituant, & controverſias utrinque componant, eligentur, inter quos ſi non convenerit, Archiepiſcopus Gneſnenſis Sententiam ferendi ſummam poteſtatem habebit. Cætera. Dat. Poſvolii ex Caſtris Regiis die 5. Septembr. Anno 1557. Cum Ratificatione Vilhelmi Furſtenbergii Ordinis Theutonici in Livonia Magiſtri. Dat. ibid. d. 14. Sept. Ex Archivo Regni. Lib. Legat. Lit. T. fol. 52. 215.*

——— *Fœdus inter Vilhelmum Furſtenbergium Ordinis Teutonici in Livonia Magiſtrum, & Sigiſmundum Auguſtum Regem Poloniæ, contra Ducem Moſcoviæ initum. Dat. Poſvolii ex Caſtris Regiis d. 14. Sept. An. 1557. Ex Archivo Magni Ducatus Litvaniæ. 219.*

——— *Literæ Ferdinandi Rom. &c. Regis, ad Sigiſmundum Auguſtum Regem Poloniæ, quibus ei gratias agit, quod ab armis ad Pacis ſtudia animum revocarit, ac Fœdus cum Magiſtro Livoniæ inierit. Dat. Viennæ d. 15. Octobr. An. 1557. Ex Archivo Regni. 222.*

1559. *Archiepiſcopus Rigenſis ad Sigiſmundum Auguſtum Regem, ut Oratoribus, quos ad eum mittit, fidem habeat. Dat. Rigæ 20. Januar. An. 1559. Ex Archivo Regni. 222.*

——— *Literæ Credentes Magiſtri Livoniæ. Dat. in Arce Wenden. 23. Januar. Anno 1559. 223.*

——— *Contractus ſuper Defenſione Livoniæ inter S. R. Maieſtatem Poloniæ, & Gothar. dum Livoniæ Magiſtrum initus. Dat. Vilnæ 31. Aug. An. 1559. Vide N. CXXXIII.*

Conditiones Pactorum inter S. R. Maieſtatem Poloniæ, & Archiepiſcopum Rigenſem ſuper Defenſione Livoniæ initorum. Dat. Vilnæ 15. Sept. An. 1559. Ex Archivo Regni. Lib. Legat. Lit. R. fol. 36. 223. ———

Oratores ab Archiepiſcopo Rigenſi cum plena poteſtate miſſi promittunt Eum pacta ſuper defenſione Livoniæ cum Sacra Regia Maieſtate inita, ſuis Literis comprehenſurum, & confirmaturum. Dat. Vilnæ d. 15. Sept. An. 1559. Ex Archivo Magni Ducatus Litvaniæ. 225. ———

Inſtructio Legationis ad Reverendum & Magnificum Dominum Magiſtrum Livoniæ, atque Reverendiſſimum Dominum Archiepiſcopum Rigenſem, data Venerabili Stanislao Gabrielowicz Narkuſki Canonico Vilnenſi, ac Generoſo Nicolao Naruſzewicz Markovienſi Capitaneo, Secretariis, & Oratoribus Regiæ Maieſtatis. Dat. Vilnæ d. 5. Januar. An. 1560. Ex Archivo Regni. Lib. Legat. Lit. R. fol. 39. 226. 1560.

Gothardus Magiſter Livoniæ teſtatur ſe Pactis, quæ hic inſeruntnr, Vilnæ d. 31. Aug. An. 1559. cum S. R. Maieſtate Poloniæ ſuper Defenſione Livoniæ initis, traditione Officialibus Regiis Arcium, Tractuum, Præſidatuum, Præfæcturarum, in iis Literis memoratarum ſatis feciſſe, promittitque reliquos Ordinis ſui Status eadem Pacta ratificaturos & ſervaturos. Dat. Rigæ 14. Febr. An. 1560. Ex Archivo Magni Ducatus Litvaniæ. 228. ———

Confirmatio Pactorum ſuper defenſione Livoniæ, cum Sigiſmundo Auguſto Rege Poloniæ Vilnæ d. 15. Sept. Anno 1556. initorum per Archiepiſcopum Rigenſem facta. Dat. Rigæ, d. 15. Febr. An. 1560. Ex Archivo Magni Ducatus Litvaniæ. 231. ———

Recognitio Archiepiſcopi Rigenſis, quod Arcem Lenewart Sigiſmundo Auguſto Regi Poloniæ, hypothecæ nomine, ex vi Pactorum a ſe traditam, ab eodem cum omni uſu fructu, quoad vixerit, poſſidendam acceperit. Dat. Rigæ d. 15. Febr. An. 1560. Ex Archivo Magni Ducatus Litvaniæ. 233. ———

Literæ Fidei datæ Nicolao Duci Palatino Vilnenſi S. R. Maieſtatis ad Archiepiſcopum Rigenſem, ac reliquos Livoniæ Status Legato. Dat. Vilnæ d. 3. Junii. An. 1560. Ex Archivo Regni. 234. ———

Literæ Plenipotentiæ eidem Duci Nicolao

lao Palatino Vilnensi datæ. Vilnæ d. 3. Junii An. 1560. 235.
1561. Literæ plenæ potestatis, & Mandati, Legatis eo tempore, quo Livonia Provincia omnibus auxiliis a Sacro Romano Imperio expectatis destituta, post mutatam Ordinis Teutonici conditionem, in fidem, & potestatem Regis, ac Regni Poloniæ, summa urgente necessitate se tradere cogebatur, ad S. R. Maiestatem, Dominum Sigismundum Augustum missis, a Nobilitate, & reliquis Provinciæ Ordinibus datæ. Ex Archivo Regni. 235.
——— Revalienses Erico XIV Regi Sveciæ sese addicunt, ac subijciunt. Dat. Revaliæ d. 4. Junii An. 1561. 236.
——— Subiectionis Revaliensium Confirmatio. Dat. Norcopiæ d. 2. Aug. An. 1561. 237.
——— Pacta subiectionis inter Sigismundum, Augustum Regem Poloniæ, & Gothardum Magistrum Ordinis Theutonici inita, quibus Provincia Livoniæ præfato Regi subijcitur, ac Magno Ducatui Litvaniæ adiungitur, dicto vero Gothardo Magistro titulus Ducalis, cum omni dignitate tribuitur, nec non certi Districtus in Livonia in feudum conceduntur. Act. Vilnæ d. 28. Novemb. An. 1561. Collatum cum Originali. Extat. in Archivo Cancel. Regni. Lib. 169. sub Lit. S. P. num. 170. fol. 123. Item Lib. 182. sub Lit. R. C. num. 183. fol. 32. 238.
——— Privilegia Nobilitati a Sigismundo Augusto Rege, circa Subiectionem universæ Livoniæ indulta. Dat. Vilnæ feria sexta post Festum S. Catharinæ An. 1561. Extat in Archivo Cancel. Regni. Lib. 169. sub Lit. S. P. num. 170. fol. 117. 243.
——— Juramentum Regis Poloniæ circa subiectionem præstitum. 248.
——— Juramentum Ordinum Livoniæ, Sigismundo Augusto Vilnæ per Legatos præstitum. 249.
——— Juramentum Magistri Livoniæ. 249.
——— Allegatio Archiepiscopi Rigensis, qua se a subiectione excusat. 249.
——— Juramentum Archiepiscopi Rigensis. 250.
——— Sigismundi Augusti Regis Privilegium administrandi Ducatum Livoniæ, Duci Nicolao Radziwitt Palatino Vilnensi concessum. Dat. Vilnæ d. 28. Novemb. An. 1561. Ex Originali. 250.
1562. Cautio nomine Maiestatis Regiæ Ordini Equestri Archidiœcesis Rigensis in subiectione data. In Arce Rigensi 17. Mart. An. 1562. Ex Archivo Nieśviensi. 251.
——— Recognitio Gothardi, per Curoniam, & Semigalliam in Livonia Principis, quod tria millia talerorum, ad rationem quindecim millium talerorum, sibi a Sigismundo Augusto Rege pro Arce Dunamundensi ex pacto debitorum, receperit. Dat. Rigæ 17. Mart. An. 1562. Ex Archivo Nieśviensi. 253.
——— Cautio Nomine Maiestatis Regiæ a Nicolao Duce Palatino Vilnensi Civitati Rigensi data. Dat. die 17. Mart. An. 1562. Ex Archivo Nieśviensi 254.

Juramentum Civitatis Rigensis.

1564. Literæ Concessionis administrandi Archiepiscopatum Rigensem a Sacra Regia Maiestate Joanni Alberto Duci Megapolensi datæ, conditionibus, quæ hic exprimuntur. Dat. Varsaviæ d. 6. April. An. 1564. Ex Archivo Nieśviensi. 256.
——— Juramentum Consiliariorum Livoniæ Regi, & Regno Poloniæ præstitum 258.
——— Juramentum Terrigenarum Ducatus Ultradunensis Livoniæ Regi, & Regno Poloniæ præstitum. 259.
——— Juramentum Terrigenarum Livoniæ, de observandis communibus inscriptionibus de Unione Magni Ducatus Litvaniæ, cum Regno Poloniæ facta, per Nuntios præstandum. 259.
1566. Instructio Nomine Sacræ Regiæ Maiestatis Magnifico Domino Chodkiewicz in Livoniam eunti data. Dat. Lublini d. 2. Aug. An. 1566. Ex Archivo Regni. 259.
——— Literæ Sacræ Regiæ Maiestatis ad Principem Gothardum, ut Archidiœcesim Rigensem ac omnes reliquas Arces in Livonia sitas, in Administrationem Magnifico Joanni Chodkiewicz resignet. Dat. Lublini d. 2. Aug. An. 1566. Ex Archivo M. D. Litv. Lib. N. 118. 260.
——— Ad eundem pro Conventione Generali in Livonia cum Magnifico Domino Chodkiewicz celebranda. Sub eodem dato. Indidem. 261.
——— Eiusdem ad Civitatem Rigensem in eodem negotio. Sub eodem dato. Indidem. 261.
——— Eiusdem Literæ patentes ad omnes Livoniæ Status, ut Magnificum Joannem Chodkiewicz pro vero Livoniæ Administratore acceptent. Sub eodem dato. Indidem. 262.
——— Ad eosdem, ut ad Conventionem celebrandam conveniant. Sub eodem dato. Indidem. 262.
——— Eiusdem ad Civitatem Rigensem, ut Magnificum Joannem Chodkiewicz pro vero Administratore Archiepiscopatus Rigensis agnoscant, eique Curiam Archiepiscopalem, & nonnulla bona ad Archiepiscopatum, & Capitulum Rigense pertinentia restituant. Dat. Lublini d. 22. Aug. An. 1566. Indidem. 263.

Privi-

——— *Privilegium plenæ, abſolutæ, & irrevocabilis poteſtatis cum Jurisdictione univerſa, adminiſtrandi Archidiœceſim Rigenſem, a Sacra Regia Maieſtate Joanni Chodkiewicz Archimareſchalco Magni Ducatus Litvaniæ datum. Lublini d. 26. Aug. An. 1566. Ex Archivo Regni.* 264.

——— *Privilegium Sigiſmundi Auguſti Regis Capitularibus Rigenſibus indultum, quo eos ex Statu Spirituali, & Eccleſiaſtico in ſæcularem transfert. Dat. Grodnæ in Conventione Generali Magni Ducatus Litvaniæ d. 26. Decemb. An. 1566. Ex Archivo Nieśviſienſi.* 266.

——— *Unio hæreditaria Statuum Transdunenſis Livoniæ, cum Magno Ducatu Litvaniæ per ſuos cum plena poteſtate Oratores inita, qua illi promittunt Sigiſmundum Auguſtum Regem Poloniæ, tanquam Ducem Litvaniæ pro vero ſuo hæreditario Domino habituros, & cum Magno Ducatu Litvaniæ ſe unius Regis, & Principis fideles ſubditos futuros &c. Dat. Grodnæ in Conventione Generali Magni Ducatus Litvaniæ d. 25. Dec. An. 1566. Ex Originali.* 269.

——— *Diploma Sigiſmundi Auguſti Regis, quo Unionem Livoniæ, cum Magno Ducatu Litvaniæ factam approbat, ratificat, & confirmat, Provinciamque Livoniam Ducatus dignitate, ac titulo decorat, eidemque certa, & propria Inſignia concedit. Dat Grodnæ in Conventione Generali Magni Duc. Litv. d. 26. Menſis Decembr. An. 1566. Ex Originali.* 273.

1569. *Conditiones Illuſtri Chriſtophoro Duci Megapolenſi ante ſuam liberationem a Regia Maieſtate propoſitæ. Ex Archivo Regni. Lib. Legationum Lit. V. fol. 9.* 278.

——— *Reſponſum eiuſdem Ducis ad Conditiones ſibi a Sacra Regia Maieſtate propoſitas. Indidem.* 278.

——— *Verba concepta, quibus Dux Megapolenſis in deprecanda culpa, & admiſſorum venia a Regia Maieſtate petenda uſus eſt. Indidem fol. 11.* 279.

——— *Reſponſum Sacræ Regiæ Maieſtatis ad eadem Ducis Megapolenſis verba in publica audientia, Lublini d. 18. Febr. datum. Indidem fol. 12.* 281.

——— *Literæ Ducis Megapolenſis, quibus Conditiones ante ſuam liberationem a Sacra Regia Maieſtate ſibi propoſitas ratificat, & confirmat. Dat. Lublini d. 19. Febr. An. 1569. Indidem fol. 12.* 281.

——— *Stipendium annuum Duci Megapolenſi a Sacra Regia Maieſtate conceſſum. Indidem fol. 14.* 283.

——— *Literæ Fidei Ducis Curlandiæ Internuntiis ſuis ad Regiam Maieſtatem miſſis datæ. Die 29. April. An. 1569. Lib. Legationum Lit. V. fol. 296.* 283.

Capita Legationis Oratorum Ducis Curlandiæ. ———

Literæ plenæ poteſtatis ab univerſa Nobilitate, & Civitatibus Ducatus Ultradunenſis Livoniæ Oratoribus ſuis ad Comitia Lublinensia d. 15. Maii data. Indidem. ——— 284.

Supplicatio eorundem Oratorum. 285.

Reſponſum S. R. Maieſtatis nomine, Generoſis Friderico a Kanitz, & Michaeli a Brunno Illuſtris Domini Gothardi in Livonia, Curoniæ, Semgallicæque Ducis, Conſiliariis, & Oratoribus datum. Lublini d. 3. Aug. An. 1569. Indidem. ——— 286.

Ad eundem Curlandiæ Ducem Literæ fidei Oratoribus eius a Sacra Regia Maieſtate datæ. Dat. Lublini d. 3. Aug. An. 1569. ——— 287.

Incorporatio Ducatus Curlandiæ, & Semigalliæ cum Regno Poloniæ. Dat. Lublini in Conventu Regni Generali d. 3. Aug. An. 1569. Extat. in Archivo Cancel. Regni Lib. 182. Lit. RC. N. 183. fol. 32. ——— 287.

Cautio a Regia Maieſtate Oratoribus Livoniæ Ducatus Ultradunenſis data, quod Juramentum non coniunctim cum Magno Ducatu Litvaniæ de unione cum Regno ab eis præſtandum, nullum eis dammum, aut præiudicium ſit allaturum. Dat Lublini in Comitiis Regni Generalibus d. 6. Aug. An. 1569. ——— 288.

Juramentum Conſiliariorum Livoniæ Ducatus Ultradunenſis Regiæ Maieſtati, & Coronæ Poloniæ præſtitum Lublini die 6. Aug. Ex Archivo Regni. Lib. Legat. Lit. S. fol. 72. ——— 289.

Juramentum Commune Conſiliariorum Livoniæ, de obſervandis Inſcriptionibus, & Unione cum Ordinibus Regni Poloniæ, & Magni Ducatus Litv. ——— 289.

Juramentum nomine Terrigenarum Livoniæ, per Nuntios eorum, Regi, & Coronæ Poloniæ præſtitum. ——— 289.

Juramentum Terrigenarum Livoniæ, per eorum Nuntios de obſervandis communibus Inſcriptionibus, de Unione M. D. Litvaniæ cum Regno Poloniæ præſtitum. ——— 290.

Magni Holsati, poſtquam Rex Livoniæ a Czaro Ruſſorum renuntiatus fuit, ad Civitatem Revalienſem Literæ, ut ſe Coronæ eius ſubijciat. Ex Tabulario Illuſtriſ. D. Comitis Joſephi Zaluski Epiſcopi Kijovienſis. 1570. 290.

Scheda in Literis Gothardi Ducis Curlandiæ ad Regiam Maieſtatem datis inſerta. Ex Archivo Regni Lib. Legat. Lit. T. fol. 71. ——— 291.

INDEX

——— *Articuli Principales, ſuper quibus cum Rigenſibus agendum erit, ut vero de iis Sacra Regia Maieſtas cathegorice ſe declaret, operæ pretium eſt.* 291.

Petitio Rigenſium ad emendanda, tollendaque Civitatis gravamina, Dominis Commiſſariis oblata. Indidem fol 230. 292.

——— *Literæ plenæ poteſtatis a Sigiſmundo Auguſto Rege Commiſſariis ſuis, ad ordinandum Statum Civitatis Rigenſis datæ Varſaviæ in Conventu Regni Generali d. 27. Junii. An. 1570. Ex Archivo Regni.* 293.

1572. *Reſponſum Senatorum tam Eccleſiaſtici, quam ſæcularis Status M. D. Litvaniæ ad petitiones Equeſtris Ordinis, & Incolarum Transdunenſium Ducatus Livoniæ expoſitas. Dat. Vilnæ d. 31. Decemb. An. 1572 Ex Archivo Regni.* 294.

1574. *Henrici Regis Poloniæ Confirmatio omnium Jurium, Privilegiorum, Libertatum, & Immunitatum Civitatis Parnavienſis. Dat. Cracoviæ d. 10. Maii An. 1574. Ex Archivo M. D. Lib. N. 134. fol. 25. Vide Supl. Num. VII. ad An. 1574.*

——— *Inſtitutio Telonei in Livonia in flumine Duna, ubi mari illabitur circa Arcem Dunamundam. Dat. Cracoviæ in Conventione Generali d. 18. Maii. An. 1574. Ex Archivo Regni. Vide Supl. num. VIII.*

1577. *Literæ Magni in Regem Electi Livoniæ ad Ducem Curlandiæ. Conſtitutum ſibi eſſe dicit, ſe cum omni Jure quæſito, Ditionibusque, quas poſſidet, Regi Poloniæ ſubiicere. Dat. in Arce Helmeten die 19. April. Anno 1577. Ex Archivo Regni Lib. 21. ſub Lit. W. fol. 44.* 296.

——— *Regia Maieſtas Poloniæ ad Ducem Curlandiæ in negotio Ducis Magni. Indidem fol. 58.* 297.

——— *Explicatio Tractatuum Ducis Magni cum Duce Curlandiæ, per Magnificum Dominum Caſtellanum Vilnenſem Regiæ Maieſtati miſſa. Ex Archivo Regni.* 297.

1578. *Literæ facultatis Principi Magno in Livonia verſandi, & morandi conceſſæ. Dat. Leopoli d. 9. Sept. An. 1578. Ex Archivo Regni.* 298.

1579. *Reſponſum S. R. Maieſtatis Nomine Nuntiis ab Equeſtri Ordine Transdunenſis Livoniæ Ducatus miſſis, datum Vilnæ d. 11. Junii. An. 1579. Ex Archivo Regni.* 299.

——— *Diploma Inveſtituræ Gothardo Curlandiæ, & Semigalliæ Duci, a Stephano Poloniae Rege de feudis Ducalibus conceſſæ. Dat. in Caſtris ad flumen Dunam prope Dziſnam d. 4. Aug. An. 1579. Extat in Archivo Cancel. Regni Lib. 92. ſub Lit. X. U. n. 93. fol. 172. Item Lib. 182. ſub Lit. R. C. n. 183. fol. 29.* 300.

——— *Privilegium Stephani Regis, quo Inſignia Duci Curlandiæ a Sigiſmundo Auguſto donata auget, & approbat. Dat. in Caſtris ad flumen Dunam prope Dziſnam d. 4. Aug. An. 1579. Ex Archivo Regni Lib. 92. Lit. X. U. n. 93. fol. 177.* 303.

——— *Recognitio Gothardi Ducis Curlandiæ de præſtito a ſe Regiæ Maieſtati Poloniæ Fidelitatis Juramento, tenore, qui hic exprimitur. Dat. d. 5. Aug. An. 1579. Ex Archivo Magni Ducatus Litvaniæ.* 305.

1581. 7. Apr. *Recognitio Civitatis Rigenſis præſtiti a ſe S. R. Maieſtati Fidelitatis Juramenti. Dat. Rigæ d. 7. Apr. An. 1581. Ex Originali.* 306.

——— *Reſponſum S. R. Maieſtatis, Generoſis Michaeli Bruno Cancellario, ac Samueli Anfabro Conſiliariis, & Oratoribus Illuſtris Domini Gothardi Curlandiæ, & Semigalliæ in Livonia Ducis, datum Vilnæ d. 31. Maii. An. 1581. Ex Archivo Regni.* 306.

——— *Prvilegii a Gothardo Curlandiæ & Semigalliæ Duce Ordini Equeſtri Curlandiæ & Semigalliæ dati Approbatio, & Confirmatio. Dat. ex Caſtris ad Pleſcoviam d. 28. Nov. An. 1581. Ex Arch. Regni. Vide Suplem. Num. IX.*

1582. *Stephanus Rex interdicit Civitati Parnavienſi, ne Catholicos a Magiſtratu arceat, neve publicum Religionis Catholicæ exercitium impediat. Dat. Grodnæ d. 16. Januar. An. 1582. Ex Archivo Magni Ducatus Litvaniæ.* 307.

——— *Literæ Conceſſionis Coloniæ Generalis in Livonia. Dat. in Połomiciis, d. 29. Januarii An. 1582. Ex Arch. Regni.* 307.

——— *Jurium omnium, Immunitatum, & Privilegiorum Civitatis Rigenſis, Drohicini d. 14. Januar. An. 1581. conceſſorum, & approbatorum, in Conventu Regni Generali Innovatio, Declaratio, & Confirmatio. Dat. Varſaviæ d. 16. Nov. An. 1582. Ex Archivo Regni Lib. 100. ſub Lit. W. G. fol. 131.* 308.

——— *Inſtauratio, & Approbatio duorum Privilegiorum Rigenſibus conceſſorum; quorum primo Stephanus Rex Curiam Archiepiſcopalem, nec non Ædes, & Areas ad Capitulum olim pertinentes Civitati Rigenſi iure perpetuo donat. Dat. Rigæ d. 7. Apr. An. 1582. Altero (ſub eodem dato) templum D. Jacobo dicatum, nec non aliud templum S. Mariæ Magdalenæ Catholicis reſtituit, templum vero Cathedrale, ac alia omnia templa cum omnibus eorum proventibus, & Jurepatronatus Civitati Rigenſi addicit, ſtatuitque, ut in ea liberum Catho-*

Catholicæ Religionis, & Confeſſionis Auguſtanæ excluſis aliis ſectis, exercitium ſit. Dat. Varſaviæ in Conventu Regni Generali d. 16. Novemb. An. 1582. Indidem fol. 141. 314

—— *Erectio Epiſcopatus Vendenſis. Dat. Varſaviæ d. 3. Decemb. An. 1582. Ex Archivo Regni Lib. 98. Lit. W. E. num. 99. fol. 246,* 317.

—— *Conſtitutiones Livoniæ a Stephano Rege ſancitæ Dat. & Actum Varſaviæ d. 4. Decemb. An. 1582. Ex Archivo Regni.* 320.

1585. *Pacta inter Stephanum Poloniæ, & Fridericum II. Daniæ, Reges, qvibus Epiſcopatus Curonienſis Regno Poloniæ pro ſumma triginta millium talerorum reſtituitur. Dat. in Arce Regia Croneburga d. 10. Apr. An. 1585. Cum Confirmatione eorundem Sigiſmundi III. Regis. Dat. Varſaviæ in Comitiis Regni Generalibus d. 17. Apr. An. 1589. Ex Archivo Regni. Vide Cod. Dipl. Tom. I. fol. 372. num X.*

—— *Stephanus Rex Arcem Piltenſem, univerſumque Epiſcopatum Curonicum Georgio Friderico Marchioni Brandeburgenſi Duci Pruſſiæ in ſumma triginta millium Talerorum obligat. Dat. Cracoviæ d. 7. Jun. An. 1585. Ex Archivo Regni.* 324.

—— *Promiſſio Cautionis dandæ Georgio Friderico Marchioni Brandeburgenſi, Duci in Pruſſia de ſumptu, ſi quem ei præter ſummam triginta millium Talerorum, in redemptionem Epiſcopatus Curonici facere eveniret. Dat. ex Arce Piltenſi d. 13. Aug. An. 1585. Ex Archivo Regni.* 325.

—— *Literæ Commiſſariorum S. R. Maieſtatis, quibus teſtantur ſe a Commiſſariis Georgii Friderici Marchionis Brandeburgenſis, Ducis in Pruſſia ſummam triginta millium Talerorum accepiſſe, iisdemque Epiſcopatum Curonicum in actualem poſſeſſionem tradidiſſe. Dat. Ex Arce Piltenſi d. 14. Aug. An. 1585. Ex Archivo Regni.* 326.

—— *Proteſtatio Gothardi Curlandiæ & Semigalliæ Ducis de Jure ſuo in Episcopatum Curoniæ. Dat. Grodnæ d. 15. Dec. An. 1585. Ex Archivo Regni.* 326.

—— *Deſignatio Commiſſariorum ad continuandos Limites inter Litvaniam, & Curlandiam. Dat. Grodnæ d. 17. Decemb. An. 1585. Ex Archivo Regni.* 327.

1588. *Literæ Sigiſmundi III. Regis ad Ducem Curlandiæ, ut Conventum publicum Provinciæ a Commiſſariis ſuis edicendum ipſe etiam obeat. Dat. Cracoviæ die 30. Jan. An. 1588. Ex Archivo Regni.* 327.

Eiuſdem ad Civitatem Rigenſem, ut Juramentum Fidelitatis ei præſtet. Sub eodem dato. 328. ——

Idem promittit omnem ſecuritatem Oratoribus Civitatis Rigenſis ad ſe venturis Sub eodem dato. 328. ——

Edictum Sigiſmundi Regis, quo prohibet uſum externæ monetæ in Livonia, niſi quæ in grano, & æſtimatione monetam Polonicam, aut Litvanicam exæquet. Dat. Grodnæ d. 1. Jan. An. 1589. Ex Archivo Magni Duc. Litv. Lib. 161. fol. 46. 328. 1589.

Edictum Eiuſdem, ne Mercatores externi alibi, quam in Civitate Derpatensi merces ſuas deponant, indeque exportent. Dat. Grodnæ d. 1. Jan. An. 1589. Indidem fol. 47. 329. ——

Confirmatio Jurium, & Privilegiorum Civitatis Rigenſis. Dat. Varſaviæ die 17. Apr. An. 1589. Ex Archivo M. D. Litvaniæ. Lib. 161. fol. 86. 330. ——

Inveſtitura Friderici, & Gvilhelmi Fratrum, Curlandiæ, & Semigalliæ Ducum. Dat. Varſaviæ d. 18. Apr. An. 1589. Ex Archivo Regni Lib. 105. Lit. W. M. num. 106. fol. 123. Item Lib. 182. num. 183. fol. 13. 330. ——

Confirmatio Oppignorationum, Venditionum, & Permutationum, a Gothardo Duce, eiuſque Filiis Friderico, & Gvilhelmo Curlandiæ & Semigalliæ Ducibus factarum. Dat. Varſaviæ d. 18. Apr. An. 1589. Ex Archivo Regni Lib. 105. Lit. W. M. num. 106. fol. 530. 335. ——

Confirmatio Articuli de libero uſu Confeſſionis Auguſtanæ. Dat. Varſaviæ d. 18. April. An. 1589. Ex Arch. Regni Lib. 182. Lit. R. C. num. 183. fol. 38. 335. ——

Confirmatio Juris Hæreditarii Civitatis Rigenſis ſuper Inſulam Steinholm. Dat. Varſaviæ in Conventu Regni Generali d. 2. Jun An. 1590. Ex Archivo Regni Lib. 108. Lit. W P. n. 109. fol. 142. 336. 1590.

Proteſtatio Senatus Rigenſis contra Illuſtrem Ducem Curlandiæ. Dat. Varſaviæ die 31. Julii Anno 1590. Indidem fol. 297. 337. ——

Conceditur poteſtas Friderico Curlandiæ & Semigalliæ Duci redimendi Epiſcopatum Curoniæ poſt conſenſum datum Balthaſaro Batori ad cedendum ei Jure, quod ad redemptionem dicti Epiſcopatus habuit. Dat. Cracoviæ d. 18. Julii An. 1591. Ex Archivo Regni. Lib. 106. ſub Lit. W. N. num. 107. fol. 249. Vide Supplementum num. X. 1591.

Privilegium, quo conceditur Nobilitati Livoniæ, & Civitati Rigenſi erectio aggeris in commodum, & emolumentm ſuum. Dat. Varſaviæ iu Comitiis Regni Generali- 1592.

INDEX

neralibus d. 11. Octob. An. 1592. Ex Archivo Magni Ducatus Litv. 338.

—— *Conceditur facultas Civibus Rigensibus construendi speculam, seu Laternam in ostio maris. Dat. Varsaviæ in Comitiis Regni Generalibus d. 12. Octob. An. 1592. Ex Archivo Regni Lib. 107. num. 108. fol. 378.* 339.

—— *Restauratio Emporii in Civitate Derpatensi, pro Mercatoribus cum Moscovia negotiationes exercentibus. Dat. Varsaviæ in Conventu Regni Generali d. 16. Octob. An. 1592. Ex Archivo Magni Ducatus Litvaniæ. Lib. nro 170. fol. 71. Extat in Archivo Cancel. Regni Lib. 107. Lit. W. O. num. 108. fol. 419.* 340.

—— *Libertatum quarundam Civitati Derpatensi Concessio. Dat. Varsaviæ in Conventu Regni Generali d. 16. Octob. An. 1592. Ex Archivo M. D. Lit.* 341.

1593. *Privilegiorum Civitatis Rigensis Declaratio, & Confirmatio. Dat. Varsaviæ in Comitiis Regni Generalibus d. 31. Maii An. 1593. Ex Archivo Regni. Lib. 108. Lit. W. P. nro 109. fol. 127. Exstat in Archivo M. D. Litvaniæ Lib. nro 178. fol. 224.* 342.

1596. *Restitutio Bonorum ad Ecclesiam Ubnoriensem pertinentium. Dat. Varsaviæ in Comitiis Regni Generalibus d. 10. Apr. An. 1596. Ex Archivo Magni Ducatus Litvaniæ. Lib. sub Lit. G. fol. 455.* 345.

—— *Literæ ad Status Livonienses, quibus eis indicitur Conventus Generalis Vendæ celebrandus. Dat Varsaviæ d. 5. Dec. An. 1596. Ex Archivo M. D. Lit.* 346.

1597. *Decretum Commissoriale inter Illustrissimos Principes Fridericum Curlandiæ, & Semigalliæ, & Georgium Fridericum Marchionem Brandeburgensem, Ducem Prussiæ, de exemptione Episcopatus Curoniæ. Dat. in Suburbio Arcis Piltensis d. 31. Jan. An. 1597. Ex Archivo Regni Lib. 182. Lit. R. C. nro 183. fol. 39.* 346.

1598. *Datur potestas Friderico Curlandiæ, & Semigalliæ Duci redimendi Episcopatum Curoniæ de manibus Georgii Friderici Marchionis Brandeburgensis, ac in Prussia Ducis &c. Dat. Varsaviæ d. 4. Apr. An. 1598. Ex Archivo Regni.* 347.

—— *Confirmatio Decreti Ducis Curlandiæ. Dat. Varsaviæ in Conventu Regni Generali d. 4. Apr. An. 1598. Ex Archivo M. D. Litvaniæ.* 348.

—— *Instructio Commissariis ad ordinandam Livoniam designatis data Varsaviæ d. 20. Apr. An. 1598. Ex Archivo Magni Ducatus Litvaniæ Lib. nro 178. fol. 46.* 349.

1600. *Diploma Sigismundi III. Regis, quo Estoniam Provinciam Regno Poloniae unit, & incorporat. Dat. Varsaviæ in Comitiis Generalibus die 12. Mart. An. 1600. Ex Originali sub tribus Sigillis.* 350.

—— *Punctum Pactorum Conventorum Sigismundi III. Regis ratione Livoniæ.* 352.

—— *Bonorum Moira, Depel, & Sak sub Curia Tricalensi consistentium, Capitulo Vendensi Adiectio & Condonatio. Dat. Vilnæ d. 13. Mart. An. 1600. Ex Archivo Regni.* 352.

—— *Literæ ad Nobilitatem Tractus Piltensis, quibus ei expeditio indicitur. Dat. Varsaviæ d. 8. Apr. An. 1600. Ex Archivo Magni Ducatus Litvaniae.* 353.

1601. *Diploma datum Civitati Rigensi in Confirmationem omnium eius Privilegiorum. Dat. Varsaviæ in Conventu Regni Generali d. 12. Mart. An. 1601. Ex Archivo Magni Ducatus Litvaniæ. Lib. sub Lit. S. fol. 663.* 353.

—— *Mandatum Sacræ Regiæ Maiestatis datum Commissariis in Curlandiam pro continuatione limitum designatis, ut in controversia de Curia, & Bonis Aknitzin Sententiam ferant. Dat. Varsaviæ in Comitiis Generalibus, d. 7. April. An. 1601. Ex Archivo M. D. Lit.* 354.

1609. *Restitutio in integrum, & Confirmatio Privilegiorum Civitatis Parnavienſis. Dat. Vilnæ d. 6. Aug. An. 1609. Ex Archivo Magni Ducatus Litv.* 255.

1611. *Concessio Liberi usus Religionis Augustanæ Civibus Parnaviensibus, & exemptio eorundem a podvodis, seu onere præbendorum iumentorum. Dat. Varsav. in Conventione Regni Generali d. 11. Octob. An. 1611. Ex Archivo Magni Duc. Lit. Lib. nro 185. fol. 48.* 356.

—— *Prohibitio, ne vetus Civitas Parnaviensis ab hoste diruta restauretur. Dat. Varsaviæ in Comitiis Regni Generalibus d. 21. Octob. An. 1611. Ex Archivo M. D. Litvaniæ.* 357.

—— *Dotatio Xenodochii Derpatensis. Dat. Varsaviæ in Comitiis Regni Generalibus d. 4. Nov. An. 1611. Ex Archivo Magni Ducatus Litvaniæ. Lib. n. 185. fol. 85.* 358.

—— *Decretum Sacræ Regiæ Maiestatis in causa Magni Noldii habita cum Vilhelmo Curlandiæ, & Semigalliæ Duce, quo ille a Sententia Parium Curiæ absolvitur, in bona sibi adempta restituitur, atq; ex Iurisdictione Ducis Curlandiæ eximitur, &c. Dat. Varsaviæ Sabbatho post Festum S. Catharinæ. An. 1611. Ex Archivo Regni Lib. 126. sub Lit. U. N. nro. 127. fol. 199.* 359.

1615. *Pactorum Subiectionis Livoniæ An. 1561. Vilnæ initorum Confirmatio, & Approba-*

probatio. Dat. Varſaviæ d. 12 Apr. An. 1615. Ex Archivo Regni. 362.

1616. *Decretum Privationis Feudi Ducatuum Curlandiæ, & Semigalliæ latum contra Vilhelmum Curlandiæ Ducem. Dat. Varſaviæ in Conventu Regni Generali feria 4ta poſt Feſtum Inventionis S. Crucis An. 1616. Ex Arch. Regni.* 362.

—— *Decretum de felonia adverſus Regem, & Regnum Poloniæ Friderico Curlandiæ, & Semigalliæ Duci ab Inſtigatore Regni obiecta, & a S. R. Maieſtate remiſſa. Dat. Varſaviæ in Conventu Regni Generali, feria tertia intra Octavas Sacratiſſimi Corporis Chriſti An. 1616. Ex Archivo Regni. Lib. ſub Lit. Q. Z. fol. 245.* 363.

1617. *Formula Regiminis, & Judiciorum in Ducatu Curlandiæ, & Semigalliæ, per Commiſſarios a Sacra Regia Maieſtate, & ab Ordinibus Regni, ac M. D. Lit. deſignatos, Mitaviæ, d. 18. Mart. An. 1617. conſtituta, & promulgata. Ex Archivo Regni Lib. 169. ſub Lit. S. P. nro 170. fol. 140.* 368.

—— *Ordinatio Regiminis, & Judiciorum in Diſtrictu Piltenſi Ducatus Curlandiæ, & Semigalliæ per Commiſſarios S. R. Maieſtatis, & Reipublicæ conſtituta, & promulgata. Dat. in Oppido Haſenpot d. 9. Maii An. 1617. Ex Archivo Regni Lib. 169. num 170.* 395.

1618. *Reſponſum S. R. Maieſtatis Poloniæ, & Sveciæ, Illuſtri Principi Domino Friderico Curlandiæ, & Semigalliæ Duci, Varſaviæ in Comitiis Regni Generalibus, die 26. Mart. An. 1618. datum. Ex Archivo Regni Lib. 128. num. 129. fol. 6.* 398.

1628. *Reſponſum Nomine S. R. Maieſtatis Generoſo Ottoni Grothus Ducis Curlandiæ, & Semigalliæ Supremo Burgrabio, eiuſdemque Principis Nuntio. Dat. Varſaviæ d. 20. Julii An. 1628. Ex Archivo Regni.* 399.

1633. *Jurium, & Libertatum Civitati Nitavienſi a Friderico Curlandiæ, & Semigalliæ Duce conceſſorum Confirmatio, & Approbatio. Dat Vilnæ d. 23. Jul. An. 1633. Ex Archivo M. D. Litvaniæ. Lib. num. 206. fol. 16.* 399.

1635. *Communicatio Juris Advitalitii Illuſtri Principi Eliſabethæ Magdalenæ Curlandiæ, & Semigalliæ Duci ſuper Tenutam Dalenſem Dat. Varſaviæ in Comitiis Regni Generalibns die 11. Mart. An. 1635. Indidem fol. 34.* 400.

—— *Conceſſio Penſionis ex Portorio Rigenſi, eidem Principi Eliſabethæ Magdalenæ in Livonia Duci. Dat. Varſaviæ in Comitiis Generalibus d. 11. Mart. Anno 1635. Indidem fol. 35.* 400.

Approbatio Commutationis Bonorum inter Illuſtrem olim Gothardum Curlandiæ, & Semigalliæ Ducem, & Nobilem Ditrich Wonekel factæ. Dat. Grodnæ d. 30. Octobr. An. 1636. Ex Archivo Magni Ducatus Litvaniæ. 1636. 401.

Reſponſum S. Reg. Maieſtatis Generoſis Georgio Firxio Excubiarum Præfecto Regiminis S. R. Maieſtatis, & Georgio Fiſcher de Vizeden Secretario Regiæ Maieſtatis, Notario Terreſtri Piltenſi, Nobilitatis Curlandiæ, & Semigalliæ ad Conventum Generalem Internuntiis, datum Varſaviæ d. 24. April. An. MDCXXXVIII. Ex Arcbivo Regni. 1638. 402.

Conſenſus ad Ceſſionem faciendam Ducatus Curlandiæ, & Semigalliæ, in Perſonam Illuſtris Jacobi Ducis. Dat. Varſaviæ d. 24. Apr. An. 1638. Ex Archivo Regni Lib. 151. num. 152. fol. 98. 402.

Diploma Inveſtituræ Ducatuum Curlandiæ, & Semigalliæ datum Jacobo Duci per Vladiſlaum IV. Regem. Vilnæ d. 18. Febr. An. 1639. Ex Archivo Regni. Lib. 151. ſub Lit. T. S. num. 152. fol. 50. Item Lib. 182. ſub Lit. R. C. nro 183. fol. 16. Extat. in Archivo Cancellariæ M. D. Litvaniæ. Lib. 206. fol. 56. 1639. 403.

Cautio Jacobi Ducis de conſervatione præeminentiæ, & publici exercitii Religionis Catholicæ Romanæ in Ducatibus Curlandiæ, & Semigalliæ, nec non de erectione intra triennium ſuis ſumptibus Templi in Civitate Goldinenſi cum aſsignatione certorum redituum in uſum eiuſdem Religionis. Dat. Vilnæ d. 18. Febr. An. 1639. Ex Archivo Regni Lib. 151. ſub Lit. T. S. n. 152 fol. 100. 410.

Cautio eiuſdem Ducis de extruendo ſuis ſumptibus, & dotando altero templo in Civitate Mitavienſi in uſum Romanæ Catholicæ Religionis. Dat. Vilnæ d. 18. Febr. An. 1639. Indidem 411.

Confirmatio Articuli de Religione Confeſſionis Auguſtanæ. Dat. Vilnæ d. 18. Febr. Anno 1639. Ex Archivo Regni Lib. 41. ſub Lit. RR. num. 42. fol. 38. Item Lib. 182. num. 183. fol. 38. 411.

Illuſtris Princeps Domina Eliſabetha Magdalena Curlandiæ, & Semigalliæ Dux in Protectionem, & Patrocinium S. R. Maieſtatis ſuſcipitur. Dat. Varſaviæ d. 15. Dec. An. 1639. Ex Archivo Regni Lib. 153. num. 154. fol. 103. 412.

Tractatus Commerciorum inter Ludovicum XIV. Regem Galliæ, & Jacobum Curlandiæ, & Semigalliæ Ducem concluſus. Pariſiis d. 30. Decemb. An. 1643. 1643. 413.

INDEX

1644. *Transumptum Status Episcopatus Piltensis ab Ottone Schenking Episcopo Vendense conscripti, & successive Actis Regni Maioris Cancellariæ Sacræ Regiæ Maiestatis inserti. Ex Archivo Regni Lib. 156. Lit. S. E. num. 157. fol. 31.* 414.

—— *Interventio nomine, & in Persona Illustrissimi, & Reverendissimi Domini Georgii Tyszkiewicz Episcopi Samogitiæ, Episcopatus Curonensis perpetui Administratoris de Jure, quod in dicto Episcopatu Curonensi Ecclesiis Catholicis competit. Act. & Dat. Vilnæ Sabbatho magno An. 1644. Indidem.* 415.

1649. *Confirmatio Jurium, Libertatum, & Privilegiorum Nobilitatis Piltensis. Dat. Cracoviæ in Conventu Regni Generali d. 10. Febr. An. 1649. Ex Archivo Regni. Extat. in Archivo Cancel. M. D. Litvaniæ Lib. sub Lit. A. A. A. fol. 49.* 416.

—— *Renovatio Infeudationis, & Investituræ Illustrissimi Principis Domini Jacobi Curlandiæ, & Semigalliæ Ducis. Dat. Varsaviæ d. 28. Maii An. 1649. Ex Archivo Regni Lib. Jub Lit. S. E. E. fol. 180. Item Lib. 182. Lit. R. C. num. 183. fol. 24.* 423.

—— *Juramentum Illustrissimi Domini Jacobi Curlandiæ, & Semigalliæ Ducis S. R. Maiestati per Internuntium suum præstitum Varsaviæ d. 28. Maii. An. 1649. Indidem fol. 188.* 429.

—— *Descriptio Ceremoniarum circa Renovationem Feudi, & Investituræ Illustrissimi Jacobi Curlandiæ, & Semigalliæ in Livonia Ducis factam. Varsaviæ d. 28. Maii 1649. Ex Archivo Regni Lib. 182. num. 183. fol. 21.* 430.

—— *Confirmatio Pactorum Dotalium inter Illustrissimum Principem Jacobum Curlandiæ, & Semigalliæ Ducem, & Serenissimam Ludovicam Charlotam Coniuges. Dat. Varsaviæ d. 28. Maii An. 1649. Ex Archivo Regni Lib. sub Lit. S. E. E. fol. 189.* 434.

1652. *Reversales binæ Regis Poloniæ Joannis Casimiri, & Ordinum eiusdem Regni, erga Jacobum Ducem Curlandiæ, quod Copiæ auxiliares ab hoc sibi, & Reipublicæ missæ, in nullam sequelam, vel præiudicium trahi debeant. Dat. Varsaviæ in Comitiis Regni Generalibus d. 1. Aug. 1652.* 434.

1656. *Privilegium Consensus dati Generoso Maydelio ad cedendum Jure obligatorio, & advitalitio ad Arcem, & præfecturam Piltensem Illustrissimo Jacobo Curlandiæ, & Semigalliæ Duci. Dat. in Castris ad Varsaviam d. 12. Junii Anno 1656. Ex Archivo Regni.* 435.

Consensus eximendi Territorium Piltense, datus Illustrissimo Jacobo Curlandiæ, & Semigalliæ Duci. Die 12. Junii An. 1656. Ex Archivo Regni Lib. 166, Lit. S. M. num. 167. fol. 19. Item. Lib. 182. num 183. fol. 41. 436.

Conservatio Jurium Illustriss. Ducis Jacobi ad Ducatum Curlandiæ, & in specie ad Districtum Piltensem Dat. Gedani d. 30. Apr. An. 1660. 1660. 437.

Tractatus Pacis inter Joannem Casimirum Regem Poloniæ, eiusque Fœderatos Leopoldum Rom. Imperatorem, & Fridericum Vilhelmum Electorem Brandeburgicum ab una, & Carolum XI. Sveciæ Regem parte ab altera conclusæ, quo Livonia Transdunana cum partibus Cisdunanis Coronæ Sveticæ relinquitur, & a Rege Poloniæ pro se, & Successoribus suis omni Juri in Regnum Sveciæ renunciatur. Dat. in Monasterio Olivensi d. 3. Maii. An. 1660. Extat. in Archivo Cancell. Regni Lib. 167. sub Lit. S. N. num. 168. fol. 176. Vide Tom. II. Tit. Svecia ad An. 1660. cum seqq. 438.

Protestatio supremi Cancellarii Regni Poloniæ, & ad Tractatum cum Svecia Olivensem cum plena potestate Legati, & Commissarii circa conclusionem Pacis eiusdem de Livonia, ratione Ecclesiarum Romanæ Catholicæ Religionis, bonorumque ad easdem Ecclesias pertinentium avulsionis. Ex Originali. 438.

Literæ universales ad incolas Districtus Piltensis de cassato Rescripto quodam in præiudicium Jurium Illustrissmi Curlandiae Ducis obtento. Dat. Varsaviæ d. 25. Junii An. 1661. Ex Archivo Regni Lib. 182. fol. 43. 1661. 440.

Responsum a S. R. Maiestate Generoso Vilhelmo a Rummel Burgravio, Consiliario, & Ablegato Illustriss. Curlandiæ, & Semigalliæ Ducis datum Varsaviæ d. 6. Aug. 1661. Indidem fol. 48. 440.

Instrumentum Immissionis Ducis Jacobi per Commissarium S. R. Maiestatis in Curlandiam, & Districtum Piltensem. Indidem fol. 37. 441.

Cassatio Citationis ab Instigatore Regni editæ, & Confirmatio Jurisdictionis Illustriss. Ducis Curlandiæ in Districtu Piltensi. Dat. Varsaviæ d. 19. Januar. An. 1667. Indidem fol. 43. 1667. 442.

Literæ Conservatoriæ iuris Illustrissimi Ducis Curlandiæ in Districtum Piltensem. Dat. Varsaviæ d. 11. Mart. An. 1668. Indidem fol. 44. 1668. 443.

Rescriptum ad Districtum Piltensem inhibitorium, ne Præsidens cum Assessoribus in iudicia sese ingerant, aut executiones

cutiones in cauſis peragant. Dat. Varſaviæ d. 30. Junii An. 1668. Indidem fol. 45. 443.

1669. *Reſponſum Sereniſſimæ Reipublicæ Poloniæ, & M. D. Litvaniæ ad deſideria Illuſtriſſ. & Celſiſſ. in Livonia Curlandiæ, & Semigalliæ Ducis, per Ablegatos eius Generoſum Chriſtophorum Henricum Puttkamer, & Nobilem Adamum Schubert Præfectum Buſchovienſem expoſita. Dat. in Generali Electionis Conventu Varſaviæ d. 6. Julii An. 1669. Indidem. fol. 46.* 444.

—— *Reſponſum a S. R. Maieſtate Illuſtriſſimi Principis Domini Jacobi in Livonia, Curlandiæ, & Semigalliæ Ducis ad Comitia Coronationis Ablegatis Generoſo Chriſtophoro Henrico de Puttkamer Conſiliario eius, & Nobili Adamo Schubert Præfecto Buſchovienſi datum. Cracoviæ die 27. Novembr. An. 1669. Indidem fol. 37.* 445.

—— *Caſſatio Diplomatis in præiudicium Jurium Ducis Curlandiæ, quæ ei in Diſtrictum Piltenſem competunt, obtenti. Dat. Cracoviæ d. 1. Dec. An 1669.* 445.

1670. *Renovatio Infeudationis Illuſtriſſ. Jacobi Curlandiæ, & Semigalliæ Ducis. Dat. Varſaviæ d. 28. Nov. An. 1670. Ex Archivo Regni Lib. 181. Lit. R. B. num. 182. fol. 25.* 446.

—— *Juramentum Illuſtriſſimi Ducis Jacobi S. R. M. per Legatum ſuum præſtitum Varſaviæ d. 28. Nov. An. 1670.* 453.

—— *Confirmatio Articuli de libero exercitio Religionis Auguſtanæ in Ducatu Curlandiæ. Dat. Varſav. d. 28. Nov. An. 1670.* 454.

—— *Cautio S. R. Maieſtatis, quod omiſſio nonnullarum ſolennitatum in hoc Actu Homagii, in ſequelam deinceps, & exemplum trahi non debeat. Dat. Varſaviæ d. 28. Novemb. An. 1670.* 454.

—— *Reverſales DD. Legatorum Illuſtriſſ. Jacobi Ducis Curlandiæ, reſpectu quarundam ſolennitatum.* 455.

—— *Sermo S. R. Maieſtatis circa Homagium Ducis Curlan. habitus An. 1670.* 455.

—— *Proteſtatio Nuntii Apoſtolici circa Inveſtituram Ducatuum Curlandiæ, & Semigalliæ de Juribus Romanæ Catholicæ Eccleſiæ in Epiſcopatum Curonienſem, ſeu Piltenſem. Dat. Varſaviæ d. 28. Novemb. An. 1670. Ex Archivo Regni Lib. 183. nro. 184. fol. 349.* 455.

1672. *Declaratio, & Confirmatio Jurisdictionis Ducis Curlandiæ, & Semigalliæ in Diſtrictum Piltenſem. Dat. Varſaviæ d. 23. Aug. An. 1672.* 457.

1676. *Conſervatio Nobilitatis Curlandiæ circa Libertatem Mercaturæ. Dat. Cracoviæ d. 16. Apr. An. 1676. Ex Archivo M. Duc. Litvaniæ.* 457.

Homagium Illuſtriſſ. Jacobi Curlandiæ, & Semigalliæ Ducis Sereniſſimo Joanni III. Regi Poloniæ præſtitum. Dat. Varſaviæ d. 28. Apr. An. 1677. Ex Archivo M. D. Litv. 1677. 458.

Reverſales S. R. Maieſtatis, quod Infeudatio Illuſtriſſ. Jacobi Curlandiæ, & Semigalliæ Ducis ſine quibuſdam ſolennitatibus peracta, in præiudicium, & ſequelam trahi non debeat. Dat. Varſaviæ d. 27. Apr An. 1677, —— 465.

Confirmatio Articuli de Libero exercitio Religionis Auguſtanæ. Dat Varſaviæ d. 27. April. An. 1677. —— 465.

Reverſales Jacobi Ducis Curlandiæ, quod Religionis Catholicæ liberum exercitium in ſuis Ducatibus ſit conſervaturus. Dat. Mitaviæ d. 13. Febr. An. 1677. —— 466.

Diploma Inveſtituræ Ducatuum Curlandiæ, & Semigalliæ datum Friderico Caſimiro Duci per Joannem III. Regem. Varſaviæ d. 25. Martii An. 1683. Ex Archivo Regni. 1683. 466.

Juramentum Illuſtriſſ. Friderici Caſimiri Curlandiæ, & Semigalliæ Ducis per Dominum Chriſtophorum Henricum Liberum Baronem de Puttkamer præſtitum. Indidem. —— 473.

Literæ Reverſales Friderici Caſimiri Ducis de conſervatione liberi exercitii Religionis Catholicæ Romanæ in Ducatibus Curlandiae, & Semigalliæ. Dat. Mitaviæ d. 6. Mart. An. 1683. —— 474.

Confirmatio Articuli de Religione Auguſtana. Dat. Varſaviæ d. 25. Mart. An. 1683. Indidem. —— 475.

Cautio S. R. M. Poloniæ, quod Actus Homagii in Inveſtitura Ducatus Curlandiæ a Duce Friderico Caſimiro per Legatos accepta, receptæ alias conſvetudini, & ſolennitati Infeudationis præiudicare non debeat. Dat. Varſav. d. 25. Mart. An. 1683. Ex Archivo Regni. —— 476.

Reſcriptum pro Jurisdictione Spirituali per Ducatum Curlandiæ Reverendo Epiſcopo Livoniæ & Piltenſi conceſſa. Dat. Varſaviæ d. 7. Junii An. 1689. Ex Archivo Regni. 1689. 476.

Juſtæ Vindiciæ & ſumma armorum iuſtitia, ex parte S. R. Maieſtatis Poloniarum, juxta obligationem Pactorum Conventorum, præſtitumque Reipublicæ Juramentum, contra Sereniſſimum Regem, & Coronam Sveciæ ratione ruptæ toties Pacis perpetuæ, violatorum Pactorum Olivenſium, nec non noviſſimæ exagitationis, & offenſionis Sereniſſimi Regis Daniæ, & Norvegiæ, perpetui Fœderati Regni Poloniæ, ac Copiarum Regiarum aggreſſionis, manifeſtantur. An. Vindicatæ ſalutis æternæ 1700. Vide Supl. Tomi V. ad An, 1700. 1700. 477.

INDEX

1701. *Cassatio Confirmationis præteritorum Jurium per Generosum Maydel super bona Dundangensia, & Zyraviensia ad Episcopatum Piltensem spectantia obtentæ. Dat. Varsaviæ d. 17. Au. 1701. Vide Suppl. Tomi V. ad An. 1701.* 477

1702. *Cassatio Rescripti pro Contutoria, & Coadministratione Ducatuum Curlandiæ, & Semigalliæ, ac Districtus Piltensis per Serenissimam Ducissam Curlandiæ, Viduam obtenti. Dat. Cracoviæ d. 11. Julii. Vide ibidem ad annum 1702.* 477.

1704. *Punctum 5tum Fœderis inter Augustum II. Regem, & Rempublicam Poloniæ ab una, & Petrum I. Czarum Russiæ ab altera parte, contra Carolum Regem Svecorum defensive, & offensive initi. Narvæ 30. Aug. An. 1704.* 477.

1717. *Acta Commissionis S. R. Maiestatis ex mente Constitutionis novellæ Mitaviæ Mense Julio An. 1717. celebratæ, insertis juramentorum formulis tam a supremis Consiliariis, quam Capitaneis Majoribus, & Minoribus, Duci præstandorum.* 477.

1726. *Inhibitio S. R. Maiestatis, per Generosum Nakwaski Capitaneum Ciechanoviensem, Statibus Curlandiæ, ne divulgatum congressum particularem celebrare præsumant, intimata.* 482.

—— *Documentum intimatæ Inhibitionis supradictæ &c.* 483.

—— *Oblata Videndæ Manifestationis die 11. Jul. An. 1726.* 483.

—— *Manifestatio Procerum Regni Poloniæ, & M. D. Litvaniæ contra Actum Curlandicum Congressu illicito die 26. Junii An. 1720. formatum.* 483.

—— *Citatio Consiliariorum Supremorum &c. totiusque Equestris Ordinis Curlandiæ, & Semigalliæ Ducatuum ad judicium S. R. Maistatis.* 485.

1727. *Commissio Generalis S. R. Maiestatis, & Reipublicæ, vigore Constitutionis Anni 1726. in Ducatum Curlandiæ, & Semigalliæ expedita.* 486.

—— *Rescriptum Commissionis.* 488.

—— *Literæ Innotescentiales.* 489.

—— *Declaratio, Sponsio, & Obligatio Supremorum Consiliariorum Mareschalci, & Deputatorum ex omnibus Districtibus Ducatus Curlandiæ, & Semigalliæ, suo, ac totius Nobilitatis, omniumque statuum huius Provinciæ, ac Successorum suorum nomine, sub fide, honore, & conscientia, sub nexu juramenti in Formula Regiminis expressi, tum sub pœnis criminis læsæ Maiestatis, & perduellionis perpetuo, & irrevocabiliter facta. Mitaviæ d. 26. Sept. An. 1727.* 490.

—— *Ordinatio futuri Regiminis Ducatuum Curlandiæ, & Semigalliæ sub immediato Dominio Regum Poloniæ, & Reipublicæ, in casum sterilium fatorum moderni Illustriss. Ducis Ferdinadi, per Commissarios S. R. Maiestatis, & Reipublicæ ex Comitiis Grodnensibns Anni 1726. delegatos, facta, & conscripta Mitaviæ d. 5. Dec. An. 1727.* 492.

—— *Acceptatio eiusdem Ordinationis a supremis Consiliariis Curlandiæ & Semigalliæ, per Mareschalcum & Deputatos omnium Districtuum, suo, ac totius Nobilitatis, omniumq; Statuum huius Provinciæ nomine subscripta, appositisque sigillis munita, cum supplicatione, ut hæc eadem Ordinatio manuteneatur, & in futuris Comitiis confirmetur, annexa.* 499.

1731. *Homagium Illustriss. Ferdinandi Curlandiæ, & Semigalliæ Ducis, Serenissimo Augusto II. Regi Poloniæ præstitum. Dat. Varsaviæ 25. Febr. 1731.* 500.

—— *Juramentum Illustriss. Ducis Ferdinandi S. R. Maiestati per Legatum suum præstitum.* 505.

—— *Reversales super omissis Solennitatibus tempore Infeudationis Illustriss. Ducis Curlandiæ.* 506.

—— *Ceremoniæ circa Homagium S. R. M. ab Illustrissimo Ferdinando Curlandiæ, & Semigalliæ Duce, Varsav. d. 25. Febr. An. 1731. præstitum, observatæ. Vide Supplementum Tomi V. ad An. 1731.* 506.

1732. *Rescriptum ad Curlandos pro Recognitione Illustriss. Ducis Ferdinandi, & obedientia eidem præstanda. Dat. Varsaviæ d. 22. Septemb. An. 1732.* 506.

1737. *Literæ Rescripti ad Generosos Supremos Consiliarios, totamq; Nobilitatem, & Incolas Ducatuum Curlandiæ, & Semigalliæ, post obitum Ferdinandi Ducis expeditæ.* 507.

1739. *Exemplar antiquati Diplomatis Investituræ Ernesto Joanni de Biron Duci creato, Varsaviæ d. 5. Apr. An. 1739. de Feudis Ducalibus concessæ. Vide Suppl. Tomi V. ad An. 1739. cum seqq.* 508.

1758. *Resultatum Senatus Consilii Varsaviæ d. 30. Octob. 1758. habiti, in negotio Ducatuum Curlandiæ, & Semigalliæ.* 508.

—— *Diploma Declarationis vacantiæ Feudi Ducatuum Curlandiæ, & Semigalliæ. Dat. Varsaviæ d. 16. Nov. An. 1758.* 508.

—— *Diploma Provisionale Collationis Feudi Ducatuum Curlandiæ, & Semigalliæ Serenissimo Regio Poloniæ Principi Carolo eorundem Ducatuum Duci datum. Actum Varsaviæ die 16. Mensis Novemb. An. 1758.* 510.

1759. *Diploma Investituræ Ducatuum Curlandiæ, & Semigalliæ, Sereniss. Regio Poloniæ Principi Carolo Ducatuum eorundem Duci datum. Varsaviæ d. 8. Januarii An. 1759.* 512.

Bibliotek

L-18
2-44/5

Biblioteka Wróblewskich.
Lit. F № 14283
Dział
Półka 187 L.9205

Lietuvos TSR Mokslų Akademijos
CENTRINĖ BIBLIOTEKA
L-18
2-44/5